

R. 7227
de la copie de Jesso de Granada B^{ce}

CLARISSIMA ET FACILISSIMA IN QUATUOR SACRA IESU CHRISTI

EVANGELIA, NECNON IN

Actus Apostolicos scholia, ex præcipuis tam
Græcorum quàm Latinorum sententiis se-
lecta, Ioannis Benedicti theo-
logi cura emendata.

Authore Ioanne Gagneio Parisino Theologo Christianissimi
Francorum Regis Francisci Ecclesiaste, ac primo cleemosynario.




PARISIIS,

Apud Carolam Guillard, viduam Claudij Chevallonij, et Guilelmum
Desboys, sub Sole aureo, in via diui Iacobi.

1552

Cum privilegio Regis.



2 400 40
Halle
MADE IN GERMANY

de la coje de Jhesu de granada B. 7227 B. 12

CLARISSIMA ET FACILLIMA
in quatuor sacra Iesu Christi

EVANGELIA, NECNON IN

*Actus Apostolicos scholia, ex precipuis tam
Græcorū quàm Latinorum sententiis se-
lecta, Ioannis Benedicti theo-
logi cura emendata.*

Authore Ioanne Gagneio Parisino Theologo Christianissimi
Francorū Regis Francisci Ecclesiasie, ac primo elemofynario.




PARISIIS,

*Apud Carolam Guillard, viduam Claudij Chevallonij, & Guilelmum
Desboys, sub Sole aureo, in via divi Iacobi.*

1552

Cum privilegio Regis.



Priilege.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France, A noz amez & feaulx Conseillers les gens tenans noz courtz de Parlement, Au Preuost de Paris, Bailly de Rouen, & Seneschal de Lyon, Grenoble, Thoulouze, Bourdeaux, Diou, Poictou, Berry, Champaigne, Iuges Danou & du Maine, & a tous noz autres iusticiers & officiers, ou a leurs lieutenans, & a chascun deux, si come a luy appartient, Salut. Receu auons l'humble Supplication de nostre bien ame Guillaume Desboys marchand libraire de nostre ville de Paris, contenant que puis certain tēps en ca ledict suppliant a mis grant peine travail & labeur avec grantz fraiz & mises pour imprimer, colliger, assembler, & faire assembler, & rediger par ordre vng liure intitule *Clarissima in quatuor Euangelia & Acta Apostolorum, ex diuersorum vtriusque lingua codicū scholia, ad subdubios in illis locis enarrandos maximè conducentia, authore Ioanne Gagneio sacre Theologie professore meritissimo.* Lequel liure a este veu & visite par nostre faculte de nostre vniuersite de Paris, & gens a ce congnoissans selon lart dudit liure, qui ont certifié ny auoir chose contreenant a nostre foy, ny aux cōstitutions de nostre mere Sainte eglise: mais craignāt iceluy suppliant que autres libraires, Imprimeurs, Collecteurs, ou Correcteurs, & autres de ce Royaulme le voulsissent semblablement imprimer ou faire imprimer, & mettre en vete, apres que ledict suppliant lauroit mis en lumiere & impressiō, qui seroit a son tresgrant preiudice, perte, & dōmaige, & du tout le frustrer de ses mises peines vacatiōs & despens, quil luy a cōuenu & cōuendra faire tant a l'impression & correctiō dudit liure cy dessus declaire, si par nous ne luy estoit surce pourueu de nostre grace & priilege humblement requerant icelle. **P O U R C E** est il que nous ces choses considerées desirant de tout nostre pouoir la congnoissance des bōnes lettres estre manifestée a noz subiectz pour & pareil exemple imiter & ensuiure les choses vertueuses, & fuir les mauvaises, inclinānt liberalement a la supplication dudit suppliant, ne voulant le merite de son labeur luy estre tollu, ne le recouurement de ses fraiz & mises luy estre empesche. Pour ces causes auons de nostre grace especial audit Guillaume Desboys dōne Priilege conge licence & permission d'imprimer ou faire imprimer de telz caracteres, que bon luy semblera, & mettre en vete ledict liure cy dessus mētiōne pourueu que ledict liure veu & visite par noz facultez & gens a ce congnoissans selon lart dudit liure, qui rapporteront, ny auoir chose contreenant a nostre sainte foy, ny aux constitu-

tions de nostre mere Sainte eglise, ny contre nostre maïesté & republicque en ensuiuant nostre ordonnance & edict dernier donné & en ce faisant faisons inhibitiōs & deffences a tous libraires & imprimeurs, & a tous autres quil appartiendra de non imprimer vendre ny faire vendre, ne distribuer ne tirer ne faire tirer aucunes choses dudict liure, que ledict suppliant aura imprime ou fait imprimer quelque part quil ayt esté imprimé, sinō de celuy que ledict suppliant aura fait imprimer sans le vouloir & consentement de celuy dedens le temps & terme de dix ans consecutifz finiz & accompliz, commenceant au iour & date que ledict liure sera acheué dimprimé, sans quil soit loysible a autres libraires imprimeurs & autres personnes quelz quilz soient pour quelque impression soit grāde ou petite forme, le puisse imprimer ou faire imprimer, que lesdictz ans ne soient exspirez, finiz, & accompliz. Et sur peine de confiscation dudict liure & amende arbitraire & de tous despens dommaiges & interestz enuers ledict suppliant. Et mādons a noz amez & feaulx Conseillers les gens tenāt noz courtz de Parlement, Preuostz, Baillifz, Seneschaulx, & Lieutenans, & a tous nos Iustitiers officiers & subiectz de nostre Royaume, & vng chascun de vous sur ce requis & ainsi quil appartiendra que de nostre present priuilege congé & permissiō, & de tout le cōtenu en iceluy vous faictes souffrir & leses ledict suppliant iouir & user plainement & paisiblement ledict temps sans luy faire & donner empeschement au contraire. Lequel si faict, mys, ou donné luy estoit, repares & remetes, ou faictes reparer & remettre incontinent & sans delay. Et a ce faire, souffrir, & obeir contraignes ou faictes cōtraindre tous ceulx quil appartiendra, & qui pource seront a contraindre realement & de faict par toutes voyes deues & raisonnables. Car tel est nostre plaisir, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & lettres impetrees ou a impetrer a ce contraires. Donné a Paris le vingsixiesme iour de Novembre, Lan de grace mil cinq cens cinquante & vng, & de nostre regne le cinquiesme.

Ainsi Signé

Potur.

REVERENDISSIMO MAGISTRO NOSTRO
DOMINO BENEDICTO F. ALLEAVME.



Anctissimam religionem (quæ vnica est ad fœlicitatem via) non prophetis solum & sacris armare doctoribus parens fabricatorque mundi voluit, sed & quotidianis Orthodoxorum quorundam *ἐπιλωεῖται* & interpretationibus huc & illuc disseminare, vt hac duce omnes ad beatitudinem, cuius gratia nati sumus, & ad consequendam omni studio laboramus, tutius faciliusque peruenire possemus. Inter quos nostris temporibus diuinū Gagnei animum quasi ab alto demisit, vita, ingenio, & elegantissimo dicendi genere, Christiana oracula gentibus omnibus proclamaturū. Sed cū tantus Sol nescio qua obductus caligine radios suos perpetuò non potuisset diffundere, vnus Benedictus inuētus est, qui sacrosanctę Reip. fines propagare contendens, quę ab aliis scripta, imperfecta tamē, aut tēporum iniuria, aut inopinato fortunę euētū exciderāt, excitauit, & quasi a morte ad vitā reuocauit. Proinde cogitanti mihi qua potissimum ratione tuis & amantissimis & prudentissimis consiliis obtemperarem, acerba sanē Ioan. Gagnei auūculi recordatio veterē animi curā molestiāque renouauit, cuius immortalitate dignum ingeniū, cuius humanitas singularisque virtus nescio quo fato immatura morte extincta est. Siquidem ita fallax est hominū spes, ita fragilis fortuna, inanesque cōtentiones nostrę, vt in medio spacio frāgatur, corruāt, & antē in ipso portu obruātur, quā portū possint cōspicere. An nō quādiu vixit, perpetuis districtus laboribus, assiduis cōsumptus vigiliis, ardētissimo promouēdi *φιλολογίας* imperii desiderio exarsit, vt nepotū posterorumque vtilitatē (cui semper optimus quisque studuit) aliqua ex parte tueretur. At vt misera est vitę ratio, quę tādiu residet in voluptate, quātū fortunę poscit libido, quo tempore scriptis nō prophanis, sed ad celebrē rerū diuinarū cultū spectātibus rem literariā augere parabat, eo Poetica illa Nemesis, q̄ planē cæcutiēs cōseruādos tollit de medio, tollēdos cōseruat, tāti hominis votum cogitationemque peruertit, adeò vt quicquid in studiis desudauit, id iamiam nobis videatur interceptū. Quo quid inutilius, quę iactura grauior literarū studiis potuit vnquā cōtingere, eo p̄sertim duce moderatorēque orbatis, qui aduersus quoslibet *μουσομάχιας* propugnator acerrimus extitisset? Verūm lāguescētes iam, & penē deploratos Philosophię Athletas recreauit, refecit, tua denique incredibilis eruditio, sapientissime Benedicte, in pristinū florē restituit, qui tāquam de cœlo delapsus diuinitus crederis, vt tuo beneficio & opera tanti viri cogitationes & animi sensa in totā posteritatem promanarēt. Alexāder ab Apelle

potissimū pingi, à Lyssippo fingi volebat. Spartiates Agefilaus neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse, quàm qui eo in genere summè essent versati. Et nemo vnquam aptior aut reperiri aut excogitari potuit, qui tantam illius Gagnei effigiem aut adumbrare, aut velut in tabula spectandam proponere posset. Quanquam enim politissima essent ea quæ scriptis illustrauerat, quandiu anima spirabat sua, improviso tamen interitu facta sunt velut formæ expers, materia velut σπέρμα, & Phisicus ille Embryo velut ἄμβλωσις quædam & fœtus, qui in corpore cõcepti abortionem patientes ante maturū partum eiiciuntur. Quo in statu etiam nūc permansissent, tantāq; nostri Gagnei monimenta ante editionē fuissent compressa, nisi te excitasset mirificus ille in Remp. literariā zelus, nisi cõmunis prouocasset vtilitas, nisi inueteratę & longo iam vsu confirmatę inter vos amicitie magnitudo permouisset. Quorsum? Vt quod superfuerat, detraheres, quod defuerat, suppleres, quod inconcinnum, permutares. Materię formā in sculpsisti, cerę sigillum impressisti, inchoatū hominem absoluisisti, fructū iam marcescentem πρὸς τινὰ πέπρονσιμ adduxisti: denique quicquid ille in scribēdo consecutus est, idē tu in eiusdē lucubrationibus disponēdis, & ad veram normam dirigēdis adeptus es, ad eō vt iure illud tibi vēdicare audeas, quod sibi assumit in Ouidiana Metamorphosi Vlysses: Ergo opera illius mea sunt. Cæterum ne assentatiuncula potius, quàm veritate tuam videar aucupari gratiam, hoc vnum dicam, te, cuius vigilantia & studio tantum opus à te quàm accuratissimè castigatū in lucē exiit, non minus de Academia promeritum, quàm cuius ex officina interiore profluxit, præsertim cū tu is sis & vnus, qui quod antè domi clausum latitabat, foras & in publicū produxeris. Quod si quis vel inuidiæ stimulis exagitatus, vel ἐπι τὸ μαμύειν, hoc est, ad aliena redarguendum, quæ per inertiam ignauiamque nescit apprehendere, paratus surrexerit, is suo se metiatur pede, suūque inducat in animum suam ἐβραχῆ intermorituram calumniam: te verò, nostrūque Gagneum omnibus literis linguisque σωεχῶς celebrandum. Vale.

In laudem Gagnei F. Alleaume.

*Nil nisi luctus erat, Gagneum cū inuida nobis
Fata peremerunt, ferrea fata virum.
Flebilibus numeris plangebant pectora Musa,
Dum Gagneus abest, quem rapuit fera mors.
Itelues Elegi, rediit Gagneus in auras
Aethereas, reditum tam pia scripta docent.
Hac sacra sunt Cybeles, Cereris sunt mystica sacra,
Quicquid in hū sanctum est, nulla prophana latent.*

*IOANNIS FOSSAE SANMARCELLINI DE OBITU IO. GAGNEI
TYM DOCTORIS, TYM ABBATIS
TIS DEPLORATIO.*

*Quales fundit olor querulus cantator acerbi
Funeris, hinc tales fundite nunc lachrymas.
Quales Troiane distillant saxa Niobes,
Nunc vobis gutta mæsta per ora fluant.
Qualibus Andromache crudeli morte ruentem
Asperit miseranda Astianaëta suum.
Nunc Phaetontiadum questus imitemur, in aspris
Quos iterat mærens & Philomela rubis.
Nanque ferox clari truncauit stamina Gagny
Parca triplex, habita non ratione viri:
Stamina quæ Phrygiam certè superare senectam
Debuerant, longos Nestoris atque dies.
Doctrina sexcenta sua monimenta dedisset,
Virtutis nobis lucida signa sua.
Eheu quali orbat a iacet nunc Gallia, quali
Doctore, heu quanta incommoda nacta fuit.
Non maius sanè olim cepit Grecia damnum,
Nobile cū cecidit pectus Aristotelis.
Quantum præcedit splendidior hesperus ignes,
Cætera fulgent & sidera fixa polo:
Doctores tantum (nec mentior ipse) priores
Vicit, & æquales, artibus, ingenio.
Ah quantum crudele fuit rupisse seueris
Sic manibus docti candida pensa viri:
Ignavi verò, segnique iacentis in umbra
Vulgi, in ceruinos ducere pensa dies.*

CLARISSIMA IN QUATUOR EVANGELIA, EX DIVERSORVM VTRIVSQUE
linguae Codicum, scholia, ad subdubios in illis locos enar-
randos, maxime conducentia. Et primo in Evan-
gelium IESV CHRISTI, secundum
Mattheum.



ἔγγηλιον. Græca vox rei latæ, ac salutaris nuncium significat. Et quid latius ac salutare magis, quam gratiæ per CHRISTVM facta nunciatio? quam lex quidem promittit, Evangelia vero sonant exhibitam. Ceterum Evangelia, Græcis dicitur sacrificia & supplicationes, pro fausto & lato nuncio suscepto, eiusque nuncij premia. Quinetiam & illa ipsa rei bonæ renunciationes & præconia, id est, ἡμῶν μωρὰ, ἢ ἡμῶν μωρὰ, Hesichio teste, in qua significatione, quatuor Evangelia Latini & Græci ἐποδοδῆγοι sumpserunt: quod in his veri nuncij, de CHRISTO salvatore nato, & peccatorum per eum remissione ἡμῶν μωρὰ tractentur. Et septuaginta pro eo verbo, quo publicam rei desideratæ annūciationem exprimunt, Hebræi semper τὸ εὐαγγελῆσθαι verbo utuntur. Itaque non modo quatuor Evangelistarum libri, Evangelia vocari debent, sed Apostolica omnino scripturæ: & quicquid à viro bono pioque populis annūciatur, quod ad vitam æternam faciât consequendam: siue illud sit per scripturarum explicationem, siue per veteris vitæ increpationem, & ad piæ rectæque vivendum incitationem: ut nimis mihi euangelij verbum coactare videantur, qui ad quatuor Evangelia, aut scripturas sacras tantum, illud referunt. Secundum Mattheum, id est, scriptore & auctore Mattheo, prout illi suggestit spiritus sanctus: quod CHRISTI in mundum sonat, secundum hominem ingressum, & exinde progressum iuxta divinitatem, & tandem egressum iuxta utrunque.

TEMPORALIS CHRISTI GENERATIO
 AB ABRAHAM PER TRES TESSARADECADES
ad Mariam contexta: de cuius conceptione, Ioseph
Maria coniunx, angelo nunciante
factus est certior.



LIBER GENERATIONIS IESV CHRISTI. †Luc. 3. e.

Id est liber seu catalogus eorum, à quibus CHRISTI genealogia processit, ut Genesis. 5. Liber generationis, ubi series genealogiæ, ab Adam vsque ad Noe textitur. Et pro libro apud Hebræos est סֵפֶר Sepher, quod prope librum significat, in quo aliquid dignum memoria recensetur. Bene autem Mattheus qui de Publicano in supremum ecclesiasticæ dignitatis gradum, euangelistam scilicet, euectus est, ab humilitate, & imbelli CHRISTI infantia, historiam cœpit: per omnes humilitatis & ignominie gradus, ad summam resurrectionis gloriam illum euehens.

Filij David, filij Abraham.

Potest utrunque ad CHRISTVM referri, ut idem & filius David, & filius Abraham CHRISTVS intelligatur: quod ex eorū progenie, specialiter nasciturum CHRISTVM promissum erat. Et Davidis quidem ut proximioris tempore, prior fit mentio, quod iam vulgò receptum esset CHRISTVM & Messiam, fore Davidis filiū, quod & ipsi CHRISTVS
 A

STO Iudæi cōfessi sunt, dicente CHRISO: Matthæi. 22. Quid vobis videtur, de CHRISTO cuius filius est? Dicunt ei: David, Potest etiam & m̄ David, referri ad m̄, filij Abraham: vt & CHRISTVS Davidis filius, & David Abraham censeatur. Quod qui asserit CHRISTVM ipsum & Davidis & Abraham filium nominat: vtpote ex vtriusque generatione, secundum promissiones descendente. De qua promissione Abraham, vide in Genesi, & Davidis. 2. Reg. 2. & 1. Paralip. 17. Psalm. 89. & 132. & Isaiæ. 11. & Ierem. 33. & Ezech. 34. & 37. vbi CHRISTVM ipsum Dauidem vocant.

† Gene 21. a † Abraham autem genuit Isaac, † Isaac autem genuit Iacob, † Iacob autem
† Gene 25. d genuit Iudam & fratres eius.
† Gene 29. g

Abraham genuit Isaac, CHRISTI IESV typum, non naturali communis diuinitatis modo, sed fide magis vt Paulus testatur. Sic decebat, vt figura veritati responderet, miraculosam esse vtriusque conceptionem & natiuitatem.

† Gene 38. g † Iudas autem genuit Pharez & Zaram de Thamar.

1. Paral. 2. a
29. dist. ca.
Dominus.

Qui asserunt Thamar non peccasse, non video quomodo excusare eam possint, cum omni lege, scortari vetitum fuerit, & dicat scriptura Genes. 38. Fornicata est Thamar nurus tua: neque inueniatur quod eam postea in vxorem Iudas ceperit, aut quomodo pacto eam postea cognouerit, nisi dicant instinctu spiritus sancti factum esse, vt ex Iuda semen exiret de quo nasceretur CHRISTVS. Sed istud gratis est dictum, cum ex meretrice Bersee CHRISTVS natus sit.

Pharez genuit Esrom, Esrom genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab.

Hebræi Hezron legunt: fuit & alius Hezron filius Ruben, & Esrom nomen loci in finibus Iudææ. Esrom genuit Aram, qui & Ram apud Hebræos dicitur.

† 1. Paral. 2. a
29. dist. ca.
Dominus.

† 1. Paral. 2. a
29. dist. ca.
Dominus.
† Ruth. 4. d Aminadab autem genuit Naason, Naason autem genuit Salmon, † Salmon autem genuit Booz de Raab, † Booz autem genuit Obeth ex Ruth, † Obeth autem genuit Iesse, Iesse autem genuit David Regem.

Hæc Raab meretrix dicitur. Pro quo verbo Hebræi habent נָשִׂי quod dicitur quæ vendit cibum, vt mulier cauponaria. Significat enim נָשִׂי cibare, nutrire, à quo נָשִׂי deduci videtur, vt Raab non scortum, aut meretrix fuerit, sed cauponaria, & meritoriam tabernam exercens. Tamen Hieron. asserit in genealogia Saluatoris, nullam assumi sanctarum mulierum, cui credere magis oportet, vtpote quod נָשִׂי meretricem, fornicariam, & scortum etiam significet. Ex Raab autem & Ruth, gentilibus mulieribus, illa propter misericordiam & humanitatem, hac propter benevolentiam & pietatem erga socrum, nasci CHRISTVS voluit: vt ostenderet se ad gentiles etiam saluandos venisse: Siquidem Iudæis bene cōfidentibus, sana fide iungi vellent, & similiter ex iis peccatoribus, vt ostenderet se peccatores nō dedignari, qui ad frugem meliorem reuerterentur.

† 2. Reg. 12. f † David autem Rex, genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uria.
1. Paral. 3. b

Davidis cum Bersee adulterium, notum est ex 2. Reg. 11. quam nominatim non exprimit, sed viri sui nomine: fortasse ob insigne illud adulterium, illius nomini parcens: aut quod magis putem, Uriæ facta mentione, & vtriusque adulterium, & Davidis homicidium insinuet: Ostendens nō esse dedignatum CHRISTVM ex his etiam, qui grauissimè peccauerant, nasci: Quippe qui peccatores, & non iustos vocaturus venerat: vtque tantopere de maiorum suorum prosapia gloriari desinerent, quorum optimos certum esset adulteros fuisse & homicidas: atque ita confidentius ad CHRISTVM peccatores accederent, cuius præcessor & typus Salomon, ex tam graui peccatrice natus erat.

Salomon

Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam, Abia autem genuit Asa, Asa autem genuit Iosaphat, Iosaphat autem genuit Ioram, Ioram autem genuit Oziam.

Iste Ozias: non Ioram filius erat, sed Amasia, Amasias autem filius Ioas, filij Ochosia, qui fuit filius Ioram. Itaque proprie hic Ozias, abnepos tantum fuit Ioram. Nec mirum quod euangelista dicat, Ioram genuisse Osiam, cum in scriptura filij dicantur, qui longa serie, multisque generationibus ab aliquo descenderunt, eorum tamen mores infecuti, sicut & initio Euangelij, CHRISTVS filius David dicitur. Quare autem Euangelista inter Ioram & Oziam tres illos reges omiserit, non inuenio, quid verè dici possit, nisi quod trestantum in CHRISTI genealogia tessaradecadas illi ponere visum est, quos si addidisset, numerum tessaradecadis, excessisset. Nempe vt Hilarius in Matthæum scribit, in hoc non mendacij aut negligentia vitium est. Tres enim ratione præteritæ sunt. Nam Iorā genuit Ochosiam, Ochosias verò genuit Ioas, Ioas deinde Amasiam, Amasias autem Osiam. Et in Matthæo, Ioram Osiam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita quia ex gentili scemina Ioram Ochosiam genuit: ex Athalia scilicet, Achab & Iezabel filia: Denique per prophetam, non nisi in quartam generationem in throno Regio Israelis, quæquam de domo Achab esse sessurum dicitur. Purgata igitur labe familia gentilis tribus, quæ præteritis iam regulis in quarto generationum consequentium ordine numeratur, & vsque ad Mariam, generationes quatuordecim esse scribuntur. Hæc ille.

Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam, † Ezechias autem genuit Manassem, Manasses autem genuit Amon, Amon autem genuit Iosiam, † Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis.

† 1. Paral. 3. a
† 4. Reg. 4. c
2. Paral. 36. a

Transmigrationem Babylonis potius dicit, quam captiuitatem vel exiliū: quia Iechonias sua sponte abiit Babylonem, Sedechias verò captiuus ductus est. sed vide vtrum tempore transmigrationis hos genuerit, vel antea genuisset, sed quia vixerunt tempore transmigrationis, vt dicit dominus Caietanus. At non Matthæus originē CHRISTI ex Iechonia scribit, quod de eo Hier. 22. scriptum sit: Hæc dicit dominus: Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solum David, & potestatem habeat vltra in Iuda. Sed vt Raba, ait: In diebus Ioachim non successit ei Rex filius, quomodo ipse patri successerat: sed fuit in captiuitate, & Salathiel & Zorobabel: & vsque ad CHRISTVM, nullus regiam obtinuit potestatem, & de stirpe Davidis, nullus deinceps in terra Iudæa tenuit principatum. Hæc ille.

Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliachim, Eliachim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoc.

Iechonias qui & Ioachim in carcere clausus apud Babylonios, anno septimo regni Euilmerodach, eductus de carcere à populo, Neri cognominatus est, eod quod lucerna David, quæ timebatur extincta, illucescere cœpit. Cui liberato, datus est statim filius Mesezebeel, cognomento Salathiel, qui anno 17. ante solutionem captiuitatis, genuit Barachiam quem Cyrus soluens captiuitatem, ducem populi cōstituit, & ab eo ducatu, Zorobabel dictus fuit. Hic autem alius est ab eo Zorobabel, de quo 1. Paral. 3. qui fuit filius Phadaia, filij Iechonia. Porro Matthæus cum Luca ad Zorobabel vsque conuenit, verū quia duos habuit filios Refa, & Abiud, Lucas per Refa vsque ad patrem virginis profequitur lineā Nathan, Matthæus per Abiud, eandem profequitur vsque ad patrem Ioseph, Mariæ coniugis. Itaque per Refa nata est Maria, & per Abiud natus est Ioseph.

A ij

Sadoc autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Nathan, Nathan autem genuit Iacob,† Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae.

† 27. 9. 2. ca. Genuit.

Genealogia CHRISTI nil mirū quod non à Maria, sed ab Ioseph CHRISTI patre tantū putatio, Matthæus texerit: quoniam in scriptura sancta à viris tantū genealogia textitur. Cumque de eadem tribu Ioseph & Maria fuerint (sicut per legem non licebat ex alia tribu uxorem ducere) id modo studij Euangelistæ fuit, ex Abraham & Dauide ostendere CHRISTVM ortum: quod indubiè ostendit deducta ab illis Ioseph genealogia, quæ virginis Mariæ contribulem fuisse oportebat.

De qua natus est IESVS qui vocatur CHRISTVS.

Χρῖστος Græcè, cum vnctum Latine significet, qui & Messias Hebræis dicitur, rectè de CHRISTO subdit Matthæus: Qui vocatur CHRISTVS, id est, qui vt verè est. Ita habetur à vulgo verus CHRISTVS, & Messias, vt iam aliū etiā Iudæi CHRISTVM non expectarent. Sed & ipse dictus est IESVS, quod ipse sit salus ipsa, sicut & sapiētia & iustitia ipsa vocatur. Saluat enim nos à peccatis nostris, iustificat nos & sapiētiam præstat paruulis.

Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim, & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à transmigratiōe Babylonis vsque ad CHRISTVM, generationes quatuordecim.

Non video facilè quomodo quatuordecim generationes sint in qualibet tessaradecade, nisi Dauid primam finiat, & rursus secundam incipiat, & Iosias secundam finiat, tertiā verò incipiat, nisi in secunda Ioachim Iosias filium includas, & in tertia CHRISTVM.

† Luc. 1. c.

CHRISTI autē generatio sic erat: Cū† esset despōsata mater IESV Maria Ioseph, antequam cōuenirēt, inuēta est in vtero habēs de spiritu sancto.

Generatio CHRISTI Græcè γενέσις, cum Erasmus putet, interpretandam natiuitatē rectius, quā generationem: quod ab illo dici miror, quum paulo antè, eo loco, de qua natus est IESVS, quū Græcè sit γεννηθῆναι, idem verbum vnde γενέσις, mauult dicere genitus, quā natus. Antequam conuenirent, πρὶν ἢ συνελθεῖν, priusquam cōgredere, cōiunctiōne naturalē hoc verbo significat. Neque tamen ob vocabulū priusquam, statim oportet suspicari cū Heluidio hæretico, postea Mariā à Ioseph cognitā. Quemadmodū si quispiā iudex indicta causa nec cognita, iudicet: dicimus eum priusquā causam cognosceret iudicasse, nec tamē cōsequens est eū postea de causa iudicasse. Ita cū Euangelista dicat: priusquā conuenirēt inuēta est in vtero habens, non statim oportet cōcludere, nos postea in maritalē copulā cōuenisse.

† 2. 9. 1. ca. Si peccauerit.

† Ioseph autem vir eius, cū esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

27. 9. 7. cap. Qui desponsatam.

Iustus erat, ideōque quod iustitia legis exigebat, quum grauidam non à se deprehenderat, & à spiritu sancto impregnatam suspicari nō poterat, nec etiam retinere per legem, amandare à se volebat, sed occultè: neque palam illi libellum repudiij dare, sed clanculū potius ea relicta abire. Nolebat enim eam traducere, aut palam diffamare. Idem significat verbum παρὰ δειγματισί, quod eleganter vertit Interpres, iustus, & item erat qui volebat à se amittere, æquus autem clam nolens traducere.

† 27. 9. 2. ca. Priusquam ad se.

Hæc autem eo cogitante, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: † Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.

Quod

Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.

Quod enim in ea natum est, τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθῆναι, id est, quod in ea genitū siue natū est: Non vt natum accipias pro eo, quod iam in lucem exiit, sed vt significet idem, quod conceptum, quomodo August. interpretatur.

Pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Vocabis nomen eius IESVM. Nomen à deo datum, solet aliquid significare singulare illi, cui datur. Sic Abram, futuro multarum gentium patri, Abraham, quo idipsum significatur, nomen dedit deus. Sic baptistæ Euangelicam exorsuro gratiam, ab Angelo Ioannis nomen inditur, quod gratiosum significat: Ita & nunc CHRISTO, qui in se credentibus salutem allaturus esset, IESV, id est, saluatoris nomen imponitur. Vnde subiungit: Ipse enim saluum faciet populum suum. Hic aptè expressum est nominis IESV ἰησοῦς. Nam quod Latini IESVM, Græci ἰησοῦς, Hebræi יֵשׁוּעַ, siue יְהוֹשֻׁעַ Iesua, siue Iehosua, saluatorem vocant. Apud Euangelistam scribitur absolute Iesua, quod ipse, salus ipsa: secus est de Iehosua, quod salutem domini sonat. Diuus Basilius in exercitamentis Græcæ linguæ, ἰησοῦς formatum putat à futuro ἰάσομαι in verso, quod est à verbo ἰάω, quod mederi significat. Ita ἰησοῦς, Verum medicum significat. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à domino per prophetam, dicentem:

*† Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius * Isa. 7. Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum DEVS.*

Pro eo quod est virgo, Hebræi habent מַלְאָכָה Aalma, quod puellam innuptam & viro absconditam significat. Vt adimpleretur &c. Consecutionem dicit, id est, per hoc effectum est, vt impleretur prophetia, non autem dicit causam finalem. Vocabitur nomen eius Emmanuel. Insignis erat prophetia illa Efaia 7. de CHRISTI natiuitate mirè desyderabatur impleri à verè fidelibus. Emmanuel autem nihil aliud significat, quā nobiscum DEVS: quod vocabatur arbitror in primitiua Ecclesia ab iis fidelibus, de CHRISTI natiuitate gestientibus, vulgò vsurpatum. Vnde & reliquum adhuc nobis est. Dimidiatur vocabulum, quo instantibus CHRISTI natalitiis, fideles vtimur omnibus officiis Ecclesiasticis clamitantes: Noel, Noel, Noel, Quod est interpretatum, nobiscum DEVS. Hic se victoriam reportasse, vt inaniter atque impudenter gloriatur Caietanus, quod tamen ab Erasmo emendicauit, quasi ex hoc loco conuincat Matthæum non scripsisse Hebraicè, quod Hebraicum verbum sit interpretatus: quasi non Latini ipsi multorum verborum subobscurorum, analogiam & ἰδιόμοιον interpretari sapius non soleant. Quare etiam locos veteris testamenti, ab ipsis authoribus interpretatos, aut non licuerit Hebraici Euangelij diuino interpreti, quod author non fecerat, alienæ linguæ, idque magni mysterij vocabulum, sua lingua interpretari.

Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, & accepit coniugem suam.† Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius IESVM.

* De verb. signi. ca. Io. seph.

Donec peperit filium. Præterquam quod peruersè agunt qui propter illud donec nungantur Mariam alios sustulisse ex Ioseph liberos, errare censentur, qui post primogenitum alios sequi fabulantur. Neque enim id vrget vis vocabuli donec. Nam cū DEVS Pater Filio dixit: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, nō id volebat post subiectos CHRISTI pedibus omnes inimicos, non iam illum festurum à dextris eius. Sic cū dicitur in Genesi. 8. * de coruo, quod egrediebatur, & nō reuerteba-

* Gene. 8. b.

tur, donec siccarentur aquæ, non indicat illud donec, coruum post exiccata aquam esse reuerfum. Non defunt, qui exponunt cognouit, non de copula carnali, sed de perfecta cognitione eminentiæ Virginis, vt sit sensus, quod admonitus ab angelo Ioseph, non iam de dimittenda vxore cogitauit, sed in consortium assumpsit: nec tamen eam planè cognoscebat, neque perfectè sciebat eam Messia ac CHRISTI matrem fore, donec peperit primogenitum: post cuius partum concinentibus è cælo angelis, pastoribus adgratulantibus, & Magis adorantibus, tum planè cognouit. Similis error illis irrepfit ob vocabulum primogenitum, quasi necesse sit, post primogenitum alios sequi: Cùm primogenitus dicatur, antequam nullus alius sit natus, etiam si vnicus fuerit, & primùm pro vno sumere frequens est Hebræis. Sed & si mulier primùm pepererit filium, hic non diceretur primogenitus, nisi alterum pareret.

CAPVT II. MATTHAEI.

CHRISTVS à Magis Stella duce adoratus, clarisque muneribus donatus, Herode à Magis illuso, in pueros sciantente, secessit in Aegyptum duce angelo, Mortuo vero Herode, redijt ad propria.

† Ando. 1.



U M[†] natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum?

In Bethlehem Iudæ, id est, Bethlehem de tribu Iudæ, ad differentiam illius Bethlehem, quæ est in terra Zabulon. Ex ea autem nasci voluit, scilicet inter omnes tribus Iudæ abiectissima, tum quod ibi natus esset Dauid, cuius filius & esset, & diceretur, ostendens se non quæsiuisse sublimia: tum etiam, vt prophetia Mich. 5. impleretur, quæ prædixerat, ibi CHRIS TVM nasciturum. Hæc est illa Bethlehem ciuitas Dauid, distans ab Aelia sex m. ad meridianam plagam, quæ & Ephrata dicitur, de qua & Dauid natus, CHRIS TI typus, atque progenitor. In diebus Herodis Regis. In CHRIS TI describenda natiuitate, non Augusti meminit, quod fecit Lucas. Cùm enim Iudæis Euangelium describeret, ac iam tricimum tertium ac quartum annum in Iudæos regnaret Herodes, expressam illius mentionem fecit, vt intelligerent ex prophetia Iacob, Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de Iudæ, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, translato ab Iudæ ad alienigenam Herodem Iudæorū imperio, non iam amplius venturum etiam sperarent, sed venientem amplexarentur. Ecce Magi ab oriente venerunt. An Magi isti Reges fuerint, vt vulgò depinguntur, an Persarum tantum sacerdotes & Philosophi, vt Chrysof. ait, qui secundo loco Post Reges erant, & nunquam ex his quosdam in Reges assumptos inuenias, ad Euangelij lectionem non multum facit, neque scholiastæ est in his immorari: illud ex Euangelio constat, ab oriente profectos, orta ibidem stella, CHRIS TI nati indice: quam ob causam, plerique non male Magos illos, cælestium rerum peritos, ortum eius stellæ, quam Balaam prædixerat, intelligentes, de nato CHRIS TO interpretatos esse senserunt. Nonnulli quoque Magos ipsos de Balaam genere ortos asserunt, fortasse non iniuria, cùm & Balaam orientalem se fuisse dicat, Numeri 23. dicens: *De Haran adduxit me Balach, Rex Moabitaram, de montibus orientis. Ita & prophetiæ eius, quam Balaam de stella oritura prædixerat, non ignaros eos profectiois concilium inde cepisse.

*Gen. 49. b

*Num. 23. d.

Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem

autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.

Vidimus stellam eius. Quod CHRIS TI stellam appellant, non more Genethliacorum id faciunt, qui vnicique nascenti stellam assignant, sed CHRIS TI dicitur, quod recens ad eius indicandum ortum creata sit, cuius ortus Magis, adhuc in patria existentibus, iam natum CHRIS TVM indicauit. Vnde cùm longum iter sit à Perfide vsque in Iudæam, manifestum est, non illo die eos appulisse, quo CHRIS TVS natus est. Quando autem venerint dicitur postea. Turbatus est Herodes rex, & omnis Ierosolyma cum illo. Turbatur Herodes, ne regno deturbetur: turbatur omnis Ierosolyma, non quod Herodi beneuolentia iuuuio tyranno, sed metuens ne inter eum eiusque liberos & nouum Regem natum, intercedentibus simultatibus, ab alterutro opprimerentur. Turbati sunt & omnes Ierosolymitani, verentes ne nouo regi, propter inuisam Herodis crudelitatem, multis adhærescentibus, nouæ adhuc simultates orirentur, maioris crudelitatis seminaria, quàm quæ, Messia suo nato, exultare debuissent.

Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi CHRIS TVS nasceretur. At illi dixerunt in Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam. † Et tu Bethlehem terra Iudæ, nequaquam minima es in principibus Iudæ, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. † Mich. 5. a. Ioh. 7. f.

Et tu Bethlehem terra Iudæ. Prophetia Michæ paulò secus habet, scilicet, (Et tu Bethlehem Ephrata paruula es in millibus Iudæ, ex te egredietur mihi, qui erit dominator in Israel. Vide quomodo vertat Moses Latinus) Id est, quanquam tu Bethlehem abiecta sis in tota tribu Iudæ, ac nullius propè inter cæteras vrbes nominis, ex te tamen mihi egredietur, qui dominetur Israeli. Septuaginta quoque habent: Et tu domus Bethlehem minima es, vt sis in millibus Iudæ, ex te mihi egredietur, vt sit in principem in Israel. Tamen cùm Hieronymus dicit Septuaginta habere ἐκ δειροστέει: Id est nequaquam minima es. Ac fortasse vt multa Hebræorum in alium sensum spiritu ducè inuerterent, Ita Bethlehem, quæ vilis esset & ignobilis, CHRIS TI ortu celebrem fore ex spiritu præsentientes verterunt, nequaquam minima es, magisque credo, Hieronymo authore, eam fuisse septuaginta lectionem, quod non tamen arguit vulgatam, quæ nunc habetur Septuaginta versionem, ipsorum non esse: cùm post Hieronymi tempora corrumpi illa potuerit.

Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens, adorem eum. Qui cùm audissent regem, abierunt.

Clam accersuit eos, ne natum alium regem Iudæis innotesceret. Pessimè enim de illis meritis tyrannus, nihil non ab illis metuebat: ne fortè Iudæi intelligentes, quod puero insidiaretur, illum tanquam proprium regem occultarent, & ad tempus seruarent, sicut occultatus fuerat Ioas à facie Athaliæ. 4. Reg. 11.

Et ecce, stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde.

Textus videtur indicare in Oriente tantum visam illis stellam, per quam cognouerint, siue ex prophetia Balaam, siue ex reuelatione diuina, natum in Iudæa CHRIS TVM. Ac for-

tè quam in Oriente primùm nato CHRISTO viderant lucentem, super Ierusalem. Vnde rectè Iudæam petierunt, & in Iudæa principem urbem Ierusalem, quæ interim illis non apparuit: Sed vel ex consideratione loci, vnde primum oriri stellam viderant, vel diuino instinctu impulsi. Quod autem interim disparuerit, innuit id quod Euangelista ponit: Et ecce: stella quam viderant in Oriente. Nec addit, & in via vsque ad Ierusalem: egressis autem illis è Ierusalem, rursus stella apparuit perducens eos vsque in Bethlehem, & super eum stans. Cùm itaque Ierosolymis egredierentur, neque quicquam rescire possent de nato puero, stella de nouo apparens antecedebat eos, viam rursus commonstrans, donec staret supra locum vbi natus puer agebat.

Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & pro-
** Tob. 11. e. cidentés adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera,*
aurum, thus, & myrrham.

Preciosorum munerum oblatione, auro scilicet & thure & myrrha, quæ duo nouissima magno precio sunt Persis ex Arabia illis aduecta, fidem animùmque suum in CHRISTVM testati sunt Magi. Quod si ἀμφοτέρως per aurum regiam hominis CHRISTI dignitatem protestatos esse Magos, per thus, quod in sacrificiis offertur, diuinitatem, per myrrham, quæ sepulturæ adhibetur, ipsius mortem, non moror in his, quin sacra scriptura ad plures sensus extendi valeat. Nempe quod diuus Hilarius oblationem munerum intelligentiam totius qualitatis expressit: in auro Regem, in thure DEVM, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio: in homine mortis, in DEO resurrectionis, in rege iudicij.

Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam re-
** 7. qu. 1. ca. rursus sunt in regionem suam. Qui cùm recessissent, ecce angelus domini appa-*
Aduersitas 23. q. 3. ca. 1. ruit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, &
esto ibi vsque dum dicam tibi.

Et responso accepto in somnis, Græcè καὶ χρηματισθεως. id est, responso vel oraculo in somnis accepto, χρηματισθεως nempe dicitur, quæ DEVS suo sermone & colloquio dignatur.

Futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. Qui
** Osee. 11. a. consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum,*
erat ibi vsque ad obitum Herodis, ut impleretur quod dictum est à do-
mino per prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum.

Ex Aegypto vocaui filium meum. Osee 11. sumptum est hoc testimoniū, quo ad literam de Israelitico populo verba facit: quæ DEVS nō modo filij, sed primogeniti sui vocabulo dignatus est: cui hic ingratitude exprobrat, quod præ cæteris nationibus à DEO dilectus, & ab Aegyptiaca Pharaonis seruitute liberatus, sibi parere neglexerit. DEO patre autē ex Aegypto post Herodis mortem filium reuocante, vbi non secus atque Israeliticus populus aliquot annos exulauerat, verè in eo completum est verbum: Ex Aegypto vocaui filium meum: licet non eo sensu quod de Israeli ab Osee dictum est. Neque enim dicit Matthæus: ut adimpleretur quod dictum est de eo à domino: sed ut quod dictum erat de filio dei primogenito Israele, adimpleretur in vnigenito & primogenito eius filio CHRISTO, per collationem videlicet, ut quemadmodum primogenitum filium suum Isaacem pessundato Pharaone, impio tyranno, eduxerat eos de Aegypto, ita nunc quoque primogenitum suum CHRISTVM, miserè mortuo Herode impiissimo Rege, ex Aegypto auocaret. Nec temerè posita est hæc CHRISTI fuga, relicta Iudæa, in Aegyptum, nimirum ut hoc veluti præludio doceretur, CHRISTI fidem, relictis Iudæis, eam negligētibus, ad gentes transiuram.

transiuram. Hunc autem locum putat Hieronymus sumi posse ex 23. cap. lib. Numerorum, dicente Balaam ad Balach: * DEVS eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Per hanc itaque fugam in Aegyptum, docet auferendum à Iudæis ad gentes, sacerdotium & Euangelium.

Tunc Herodes, videns quod illusis esset à magis, iratus est valde, & mit-
** Num. 23. e. tens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius,*
à bimatū & infra, secundum tempus quod exquisierat à magis.

Secundum tempus quod exquisierat à magis. Sunt qui putent ob hæc verba, quo tempore Magi CHRISTVM adoraturi venerunt, anniculum illum, aut biennem fuisse, quod bimulos infantes, iuxta tempus sibi dictum à Magis, Herodes occiderit. Cùm autem vero simile sit CHRISTO nato, stellam statim Magis apparuisse, neque tam longè distet ab extrema Perfide Bethlehem, quin vno ad minus mense confici iter possit, præsertim camelo- rum opera ventibus, non est vero simile, anno elapso à CHRISTO nato illos venisse. Quod vero Herodes Bimulos occidit infantes, id factum est, quia nonnunquam validiores nascuntur infantes, quàm splendide educati bimuli. Itaque ne CHRISTVS valentiore forsitan corpore elaboretur, vsque ad bimulos iussit infantes occidi.

Nunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicen-
** Iere. 3. g. tem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plo-*
rans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.
31. e. Thren. 1. d.

Rama Hebræa vox, Idem significat quod excelsum, vt sit sensus: Vox in excelsis & aere audita est, Rachelis plorantis filios suos: quanquam & Rama locus fuerit in forte Benjamin. De Beniamitis autem, decima tribu Iudæorum, in captiuitatem actis, loquitur Ieremias, dicens: auditum esse in excelsis siue in Rama: fortis Benjamin Rachelis, id est, totius Beniamiticæ tribus, quæ à Rachele Benjamin matre ita à propheta nominatur, vocem plorantis filios suos, quæ consolationem admittere nollet, eod quod non essent. Non esse enim arbitrabatur eos, qui inter impios in captiuitate degerent. Similiter & in cæde infantium, vox in Rama, id est, in excelsis & aere per tota Bethlehemitarum confinia, audita est vox Rachelis, id est, mulierum Bethlehemitarum (Nam Bethlehem, etsi de tribu Iuda esset, cessit tamen Beniamitis in sortem) plorantium filios suos ab Herode occisos, neque consolationem quenquam admittentium, eod quod non essent, utpote Herodis imperio occisi. Quod ergo de Beniamitis Ieremias tunc dixit, hoc nunc de Bethlehemiticis infantibus, qui ad tribum Benjamin spectant, impletum est.

Defuncto autem Herode, ecce angelus domini apparuit in somnis Ioseph in
Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in ter-
ram Israel.

Tres fuisse Herodes, refert Iosephus, ac alij historiographi, quorū etiam sacra meminit pluribus locis historia. Primus Aschalonita filius Antipatri, de quo in hoc cap. Matthæi, qui propter eius tyrannidem, & præcipue in paruulos, mortem acerbam pertulit, febre enim, dysenteria, scabie, podagra, ac uerendorum putredine, generatione vermium, spirandi difficultate, ac tremore membrorum malam soluit animam. Secundus Antipa, qui repudiata Regis Arethæ filia, Herodiadem Philippi fratris in vxorem accepit. Instinctu cuius, Iohannem baptistam occidit, & contra Aretham bello victus accersit usque à Cæsare in exilium, viennam Galliarum mittitur, comitante eum Herodiade. Tertius Agrippa, de quo Act. 12. qui occiso Iacobo Apostolo, Petrum carcere clausit. At pauperrimus diuinos sibi ascribens honores, vidit supra caput suum bubonem, funi extento insidentem: moxque vt sensit huc esse calamitatis nuncium, qui olim sclicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit: secuta sunt

ventris tormina, statimque à principio, vehementia, in quibus miser ille miserè vitā finiuit.

Defuncti sunt enim, qui querebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel.

Ex hoc loco inquit Hieronym. Intelligimus non solum Herodem, sed & Sacerdotes, & Scribas, eodem tempore necem Domini fuisse meditados, quos Herodes per Salomen & Alexandrum in Hyppodromo occidi iussit, ne fieret in vrbe lætitia in obitu suo. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, non dixit accepit filium & vxorem suam, quasi nutritius & non pater.

Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

Hic Archelaus filius Herodis defuncti, frater illius Herodis, qui CHRISTVM illustravit. Hoc autem Archelao à Tyberio Cæsare Lugdunum relegato, frater eius Herodes, secundus regni successor fuit.

Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur.

In nullo prophetarum expressè legitur quod CHRISTVS Nazareus vocatus sit, sed vel flos vel germè, quæ Hebræis Nazareû sonât: Esa. eni 4. *Erit germè Domini in magnificentia: & *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. & Iere. 23. *Suscitabo David germen iustû. & Zacha. 6. iuxta Hebr. *Ecce vir, germen nomen eius. Nazareus autem, cum sanctum & separatum significet, rectè non ab vno, sed à multis prophetis Nazareus, id est, sanctus & eximia sanctitate segregatus ab aliis, dictus est. Quod enim hîc quidam assert: Nazareum dici CHRISTVM, ut figura eius, & typus Samson Nazareus dictus est, ut Iudicum 13. de eo scriptum est: *Erit enim Nazareus ex matris utero: Tamen si Matthæus per prophetas dixit, compilatores libri iudicum plures prophetas intellexit, lectorum arbitrio relinquo. Nam ut multorum temporû historiam contineat, non tamen statim oportet à multis esse conscriptum. Vnus nempe, qui multorum annales viderit, totam colligere potuit historiam: & frequens est etiam numerum pro numero ponere. Quamquam autem verè ac solus sanctus, verus flos, verû virgultû CHRISTVS extiterit, illi tamen ab educatione, quæ in Nazareth fuit, nomen Inditum verisimile est, respondente euentu ipsius nominis significationi.

CAPVT TERTIVM.

Ioannes Baptista per penitentiam plurimos ad CHRISTI notitiam incitat, quibus baptizatis, CHRISTVM baptizat, in cuius baptismo, trinitatis manifestâ cognovit assertionem & testimonium.

†Luc. 3. a
Ioan. 1. b
†23. 9. 4. ca.
Hæc autē.
33. 9. 2. cap.
Audiuntur.



In diebus autem illis, venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: † Penitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.

Matthæus duobus primis capitibus de CHRISTI tantum infantia, & eius in mundum ingressu tractavit: & Ioannes vsque ad trigemum CHRISTI ætatis annum, non apparuit prædicans, vnde mirum videatur, quomodo nunc dicat Matthæus: In diebus illis venit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, vnde putem Matthæum scribentem, in diebus illis, simpliciter ad tempus CHRISTI retulisse,

tulisse, vt sit sensus: In diebus autem CHRISTI venit Ioannes, in deserto Iudææ. Cum Lucas pro hoc habeat: Et venit in omnem regionem Iordanis: videtur desertum intelligendû, regio illa finitima Iordani, vasta quidem illa & paucis habitata colonis, cuiusmodi apud nos sunt multa loca vocata les laudes. Huiusmodi autem deserta, arbitror eadem fuisse, quæ Lucas vocat montana Iudææ. Duo itaque deserta innuit: vnum interius, à quo iuxta Lucam venit Ioannes, alterum circa Iordanem erat, ad quos venit, vt innuit Matthæus. Appropinquabit enim regnum cælorum. Vide quot modis in scriptura regnum cælorum sumatur. Hic autem vel tempus gratiæ, vel CHRISTVM ipsum significat, vt regnum pro Rege sumatur. Longè autem erat ab his regnum cælorum ante CHRISTVM: nondum aperta illis per eum ianua erat. Quod autem ait: Appropinquavit regnum cælorum. Ideoq; poenitentiam agite: id est, quod sanctus Paulus dicit ad Rom. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam, dicentem: † Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

De Ioanne prædixisse Isaiam testatur Matthæus, dicens: Hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam. Tum quia verba prophetæ: Parate viam Domini, &c. Primus Ioannes ad Euangelium negocium transtulit. Quod autem legimus: Vox clamantis in deserto, Isaias habet: Vox clamantis in deserto, parate vias Domini, rectas facite in solitudine semitas DEI nostri. Et fortasse sic punctuatum erat apud Matthæum, sed aliter obtinuit vsus.

Ipse autem Ioannes, habebat vestimenta, de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erat, locusta & mel sylvestre.

Pilis camelorum vestis adtexta, peregrinum istius prophetiæ prædicationis habitû, designat, cû exuviis immundarum pecudû, quibus pares existimamur, CHRISTI prædicator induitur. Cibus eius erant locustæ. Locustis animalibus victitasse parthos, imò & in delitiis illis fuisse, testatur Plini. lib. 11. cap. 29. & lib. 6. cap. 30. Nec est quod miremur Ioannem Baptistam, locustis usum pro cibo, cum in lege Moyû, Leuiti. 11. Inter mundos cibos quadam numerentur genera locustarum. Theophylact. putat locustas dici, herbæ aut fruticis agrestis genus, quod est verisimilius. Hîc multi sudant: nonnulli, vt doceant nullum fuisse Ioanni vitæ, victus, vestitusque delectum, sed eadem esitasse, iisdem fuisse vestitû, quibus sua ætate eius loci homines: quasi qui futurus erat præco Domini, nulla etiam exterioris vitæ sanctimonia vulgo præstaret: cum ab austeritate vestitus etiam, eum cõmender Dominus Matth. 11. *Quid exitis in desertum videre? Hominem molibus vestitum? Neq; enim nominatim, id de Ioanne CHRISTVS diceret, si idem cum reliquis ei vestimenti genus fuisset.

Tunc exibat ad illû Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.

Sic de eo Malachias, & Gabriel prædixerat: Et multos filios Israel conuertet ad Dominum DEVM ipsorum: Confitentes peccata sua. Perperam hic agit, qui hoc interpretatur: profitebantur se peccatores esse. Quorsum enim illud opus est eos cõfiteri, cum nemo nesciat peccatores esse omnes homines. Aliud est enim confiteri se peccatorem esse, aliud peccata sua confiteri. Nam quod in primitiua ecclesia non modo se peccatores confiterentur, sed peccata ipsi sua declararent, testatur Paulus, Act. 19. *Multisque credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos.

Videntes autem multos Phariseorum & Sadduceorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: † Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos penitentia.

De quatuor sectis Iudæorum, vide Iosephum de bello Iudaico, lib. 2. ca. 7. & antiquitatum lib. 13. cap. 9. & lib. 18. cap. 2. Pharisei, Sadducei, Esseni, & Nazarei: Horum, Pharisei quædam, at non omnia fato tribuunt, quædam verò in sua potestate esse aiunt, ut vel fiant vel non fiant. Esseni verò omnia in fati potestate esse affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere. At Sadducei fatum omnino negant, & è rebus tollunt, dicentes: nihil fataliter euenire hominibus, & omnia in nostra ipsorum esse potestate, ut tam felicitatis nobis ipsi auctores simus, quam infortunij, si deteriora consilia secuti fuerimus. Hi verò, soli mortalem dicunt animam. Nazarei verò DEO deuoti dicuntur, qui ex voto se consecrant, capillum alentes, & vinum non gustantes: qui cum capillum consecrant, victimæ eorum sacerdotibus cedunt. Progenies viperarum. Quia soliti erant gloriari de profapia, ut retundat eorum gloriationem, de generis nobilitate, progenies viperarum vocat: patribus quippe eorum, nihil venenosius aut crudelius: Aut progenies viperarum vocat, quia uti viperæ filij, dum matris vterum egredi volunt, tarditatis impatientes, matrem occidunt: Ita ipsi eorum patrem CHRISTVM occidere moliebantur, & tandem occiderunt. Quis inquit, demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Id est, cum male sitis instituti, & more patrum vestrorum viperinorum educati, quis vos docuit ab ira DEI, & vltima declinare, & ad meliorem frugem reuerti? Illud enim (quis) admirantis est, venturam autem iram, nouissimi iudicij, & inferni pœnam intellexit. Non enim placet quod quidam hic, per venturam iram intellexit excidium gentis Iudæorum, quandoquidem nec illi omnes qui à Ioanne baptizati sunt, fideles manserunt, & fortasse eorum multi in excidio Ierosolymitano perierunt. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Quia Pharisei in specie tantum probi, dicunt & non faciunt, ut illis Ioannes exprobrat: Si vos inquit, veteris vitæ pœnitet, & ad meliorem frugem reuerti vultis, facite fructus qui deceant pœnitentes, id est, contraria iis quæ facere solebatis. Inani generis nobilitate gloriabamini, fucatis vestris operibus, & non solida virtute nitebamini, nunc nihili vestram gloriam ducite, & quæ solidè vereque bona sunt amplexamini. Non est autem intelligendum, cum ait: facite fructus dignos pœnitentiæ, pœnitentiæ dignos. Digna sunt enim pœnitentiæ prima opera, digna inquam, à quibus respiciamus. Sensus ergo est: facite fructus pœnitentiæ dignos, id est, rationabiles ac iustos & decentes, & ut Græci habent, ἀγαθὰ, rationi consentaneos.

Et ne velitis dicere intra vos: patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est DEVS, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

Id est, nolite gloriari de patrum nobilitate & sanctitate. A qua gloriatione, uti illos auerteret, rectè ab initio vocauit eos progeniem viperarum. Et non modò non gloriabimini, sed neque fiducia promissionem, quas illi à patribus DOMINVS fecit, nimis fidite, quasi non vos peruersè agentes, & mandata eius spernentes abiecturus sit DEVS. Nam etsi verè futurum sit, quod Abrahæ & semini eius promisit DEVS: Nolite putare vos tantum Iudæos in Abrahæ semine censeret. Nam & de lapidibus istis, hoc est, gentibus, nunc duro & incircumciso corde, suscitare potest filios Abrahæ. Neque ut Paulus ait* Omnes qui ex Israel sunt, hi Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij, sed qui opera Abrahæ faciunt, cuiusque fidem imitantur. Nihil genus vestrum patrùmque fidem moratur DEVS, nisi simili fide, similibusque moribus illos referatis.

* Rom. 9. b.

† Luc. 3. b.

† Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Prædixit, ne velitis dicere: patrem habemus Abraham, & ideo fiducia promissionis illi factæ, nimium securi stertere, quasi mali nihil, ob eas promissiones vobis possit accidere, iam enim securis ad radicem arboris posita est. Iam propè est tempus nisi respiciatis, cum synagoga vestra, funditus ab radice auertatur, vastatore Tito & Romanis. Et quæadmodum omnis arbor sterilis, & infructuosa, à perito colono excinditur & in ignem mittitur: Ita nisi ad meliorem

ad meliorem frugem vos redieritis, propè est vestrum excidium & ruina.

† Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiã, qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus, calceamenta portare: ille vos baptizabit in spiritu sancto & igne.

† Ioan. 1. d.

Id est, si verè abluì à peccatis quæritis, CHRISTVM non me quærite. Ego quidem vos baptizo aqua, non quidem peccata vestra tollens, sed eorum vos commonefaciens, ut iis abstinentes verius perfectiusque abluì queatis à CHRISTO, qui me, quanquam natu posterior sit, longè tamen potentior: vobis que non aqua, quæ sola tantum corpora nouit abluere, sed spiritus sancto & igne, vel generaliter visibili. Illa spiritus sancti immisione in linguis & igne, quæ facta est in die pentecostes, vel speciali in baptismo cuiusque, cum & spiritus sanctus infunditur, & animæ charitatis ignis in cuiusque cordibus accenditur. Non desunt ibi qui distinguant baptismum spiritus, à baptismo ignis, ut baptismus spiritus sit is quo ferè baptizamur omnes, baptismus autè ignis, diræ sit persecutionis & tribulationis, quo baptizantur martyres.

Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

Ventilabrum CHRISTI verbum Euangelij est, quo secernitur triticum à palea, id est, veri credentes ab impiis: qui vniuersitatis hominum aream mundaturus est, & triticum, hoc est, veros fideles in cœlestis patriæ horreum congregaturus est: paleas autem, id est, infideles, hæreticos, hypocritas, & peruersos Christianos comburet igni inextinguibili: non eo quo baptizat, sed in æternum perdit.

Tunc venit Iesus à Galilea in Iordanem, ut baptizaretur ab eo: Ioannes autem prohibebat eum, dicens: † Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum.

† De consec. dist. 4. cap. Per aquam.

Præfinito à patre tempore, cum prædicaret in deserto baptizaretque Ioannes, venit ad eum Iesus, ut ab eo baptizaretur. Quo numere cum se indignum Ioannes censeret, Sine modo, inquit, sic enim decet nos implere omnem iustitiam, id est, consummatam. Est autem consummata iustitia cum quis seruo suo se subiicit: vel omnem iustitiam, id est, omnia patris mandata, quæ nos perficere æquum est & iustum.


Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli: Et vidit spiritum Dei descendantem sicut columbam, & venientem super se. † Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

† 19. dist. ca. secundum Mar. 1. b.

Dubium est quo referatur, ei, an ad Ioannem, an ad CHRISTVM. Quidam putat ad Ioannem referri: propterea quòd habet Marcus: Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos, quod ad Ioannem refert: quod tamen ex contextu ad Iesum mihi referendum videtur. Paulò enim antè præcedit, Venit IESVS à Nazareth Galilææ. & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua vidit cœlos apertos, & eo modo qui sequitur, vidit columbam descendantem, & manentem in ipso pro *ἐπι αὐτῶν*, siue *ἐπ' αὐτῶν*, legendum esset in se, Vox patris auditur, & spiritus sanctus descendit, ut iuxta Hilarium, ex eis quæ consummabantur in CHRISTO, cognosceremus post aquæ lauacrum, & de cœlestibus portis sanctum in nos spiritum inuolare, & cœlestis nos gloriæ vnctione perfundi, & paternæ vocis adoptione, DEI filios fieri, cum ita dispositi in nos sacramenti imaginem ipsis rerum effectibus veritas præfigurauerit.

CHRISTVS post quadragenarium ieiunium cum diabolo dimicans, super panis, precipitij, & adorationis tentatione ipsum superauit: Inde penitentiam predicans, piscatores in apostolatam vocat, & varios curat languores.

† Mar. 1. b.
Luc. 4. a.
† Exo. 34. d.



Iunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

* 1. Io. 2. d.

Ductus est IESVS Græcè ἀγχιον, id est sublatus & subuectus est siue subductus, ἀναγειν enim est sursum tollere: quo verbo Christiani vtuntur pro ad celestia contemplanda euehere: quomodo hic sumi potest, vt spiritus sancto impulsore ad desertum subductus dicatur: nimirum ad contemplandum. Nec obstat quod subditur, vt tentaretur à diabolo. Nam ipsum vt rei euentum, non finem dicit. Tentatur itaque vt doceremur nuper renatos in CHRISTO, siquidem vsus rationis habuerint, parare se oportere aduersus diaboli tentationes, quem nihil mouit loci solitudo, vitaque austera, & planè ieiunia; quo minus CHRISTVM tentaret. Quare quod perfectiores DEI gratia erimus, eos magis ab eius insidiis cauere oportet. Cum ieiunasset quadraginta diebus, &c. Moyses legem Iudæis laturus quadragenario ieiunio præparatur, nouam quoque Christianus legem laturus CHRISTVS & ipse diebus totidem ieiunat. De ieiunio autem quadagesimali quid scripserint ecclesiæ luminaria, non pigeat audire, si recenseam. Dicit namque Hiero. contra Montanum parte 1. epist. 4. Nos vnã quadagesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno tempore nobis congruo ieiunamus. Et Ambro. sermo. 25. & in quadagesima ser. 3. sic habet: Non enim fratres leue peccatum est fidelibus indictam quadagesimam à domino, non ieiunare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere. Scriptum est: Qui dicit se in CHRISTO manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Si ergo vis Christianus esse, debes quod CHRISTVS facere. Ille peccatum non habebat, quadagesimam ieiunauit. Tu non vis quadagesimam ieiunare, qui peccas? Ille pro nostris ieiunauit peccatis, qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cum CHRISTO pro te esuriens, tu prandes: cum saluatore pro te ieiunante, reficeris: non est ergo leue peccatum indictam violare quadagesimam Aug. verò ser. 4. post. domini. 2. 40. Sanctam quadagesimam abstinendo ipse dominus consecrauit. Totum non obseruare, sacrilegium est, ex parte autem violare, peccatum. Et ignat. epist. 4. Quadagesimam nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet DEI conuersationis. Absit autem quoddam priscum est, quod tanta autoritate constitutum, tanto ardore complexum: denique quod propheticum quod Apostolicum, quod diuinum est, ad vnius Epicurei suasum aboleatur. Plurima Tertullia. de ieiunio aduersus psychicos memoria digna protulit.

Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens ait: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

† Deut. 8. a.
De offic. ordinac.
Inter cetera.

Tentator hic dicitur πειράζων, quod experimentum vellet facere diuinitatis CHRISTI, eumque ad malum illicere. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo. Potes hic verbum sumere more Hebraico pro quacunque re, vt sit sensus: Non solo pane viuit homo, sed omni re, quam dominus ordinauerit. Si velis de verbo DEI verbo intelligere, nihil dubium, quod solo eius verbo absque alio alimentato sustentari potest fidelis, vt Moyses bino quadragenario, & Elias vno. Id autem

tem vult CHRISTI responsio: Quid me vis ex lapidibus panem facere, cum me æternum patris verbum, si esuriam, solo verbo possit satiare pater. Hilarius etiam hoc videtur sentire. Sed dominus inquit, non panem potius quam salutem hominum esuriens, ait: Non in solo pane viuit homo, Quia ipse non solum homo, sed & deus, licet vsque in tentationis diem cibo hominis abstineret, DEI tamen spiritu alebatur, ostendens non in pane hoc solitario, sed in verbo DEI alimoniam æternitatis esse sperandam.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Non tentabis dominum Deum tuum.

† Psal. 90. c.
Luc. 4. a.
† Deut. 6. c.

Sunt, qui hæc realiter & corporaliter facta fuisse dicant, & corporaliter assumptum in pinaculum, ac mox in montem: quod aliis absurdum videtur, minusque quadrare: cum dicere videatur Euangelista, factas in deserto fuisse tentationes. Sed vt ait Grego. Homil. 16. cum dicitur DEVS homo vel in excelsum montem vel in sanctam ciuitatem à diabolo assumptus, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expauescunt. Assumptio ista inquit Hiero: Non imbecillitate domini venit, sed de inimici superbia, qui voluntatem saluatoris necessitatem putat. Hieronymus itaque per visionem, has contigisse tentationes asserit, non quod vt malè Bucerus sentit, domino per Satanam sensus delusi fuerint, vt modo in templi pinaculo, modo in excelso monte sibi videretur collocatus. Qui enim ludificari potuit tam perfecta anima. Satan autem dum rerum illarum ei species ponit ob oculos, arbitratur fortasse humano more delusum.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. Tunc dixit ei Iesus: Vade Satana, Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.

† Deut. 6. c.
† 10. d.

Obserua igitur ante omnia, saluatorem experiri tentationes voluisse: vt discas tolerantiam tentationum, solidissimum bene atque honestè degendæ vitæ esse fundamentum. Illud etiam obserua, non postulasse diabolus vt adoraretur, nisi cum regna mundi pollicitus est. Verè enim honorum appetitio plena à DEO auersio est. Dominum Deum tuum adorabis. Obserues etiam quod in prioribus quidem tentationibus patienter dominus responderit: vbi autem vidit ipsum impudenter DEI ad se adorationem attrahere, diuinumque expectere honorem, tunc ipsum increpauit dicens: Vade Satana: dominum DEVM tuum adorabis. * Hilarius. Præbuit huius responsionis effectu magnum nobis dominus exemplum, vt contempta humanæ potestatis gloria, & seculi ambitione postposita, solum meminissimus DEVM & dominum adorandum, quia omnis seculi honor diaboli sit negocium.

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Quod autem angeli ei ministrant, nobis etiam indicat angelos post victoriam ministraturos. Cuncta enim propter nos & facit & ostendit dominus, cui veluti DEO semper angeli ministrant.

† Cum autè audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galileam & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaüm maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, vt adimpleretur quod dictum

† Mar. 1. b.
† Ioan. 3. c.
Luc. 4. c.

† *Isa. 9. a* est per *Isaiam prophetam*, Terra *Zabulon* & terra *Neptalim* via maris, trans *Iordanem Galilæe Gentium*: populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. & sedentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis.

Causam traditionis Ioannis in manus Herodis à Iudæis, præter eam quæ infra dicitur, refert Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 18. ca. 10. In hunc modum: Cùmque magni concursus ad Ioannem fierent, plebe talis doctrinæ avida, Herodes veritus ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex eius consilio, iudicavit satius esse priusquam noui aliquid exoriretur illum tollere, quam rebus turbatis, feram penitentiam agere: Itaque vinctum illum missum in Macheruntem, illic occidi imperat, ideo **C H R I S T V S** Ioane incarcerato, relicta Nazareth profectus est in Galileam. Duæ sunt autem Galilæe. Ioseph. De bello Iudaic. lib. 3. ca. 2. quæ superior & inferior appellatur, easque Phœnice & Syria cingunt. Discernit verò ab occidentè Ptolemais territorij sui finibus, & quondam Galilæorum, nunc autem Tyriorum mons Carmelus: cui coniuncta est Gabaa ciuitas equitum. A meridie autem Samaritis & Scytopolis vsque ad flumen Iordanem. Ab oriente verò, Hippene & Gadaris, sed & Gaulanitis definit, qui etiam regni Agrippæ fines sunt. Septentrionalis autem eius tractus Tyro, Itemque Tyriorum finibus terminatur. Inferioris quidem Galilæe longitudo, à Tyberiade vsque ad Zabulon, cui vicina est in locis maritimis Ptolemais, protenditur, latitudine autem patet à vico Xaloth, qui in magno compositus est, vsque ad Bersaben, vnde etiam superioris Galilæe latitudo incipit, vsque ad Baca vicum, qui terram dirimit Tyriorum: Longitudo verò eius à Thella, vico Iordani proximo, vsque ad Meroth extenditur. Ingressus igitur **C H R I S T V S** Galilæam, venit Capharnaum, vt ibi piscatores eligeret in prædicatores. Est autem Capharnaum, Non Capernaum vt quidam scoli, Hebraisim autem ignari credunt, dicta à Caphar, quod est villa, ager vel vicus, non à Caper. Ciuitas est Galilæe prima in amœnissimo campo sic dicto, in quo eiusdem nominis fons erupit, in Lacum Genezareth fluens, à quo vrbs dicta est trans Iordanem Galilæe. Hoc non mare, sed lacus est, in quem Iordanis influit: Sed Hebraico more omnis aquarum congregatio mare dicitur. De hoc lacu vide Plinium lib. 5. ca. 15.

† *Luc. 5. a*
† *Mat. 1. a*

Exinde cæpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. † Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilæe, vidit duos fratres: Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum.

Ab eodem orditur prædicationem suam **C H R I S T V S**, à quo & Ioannes, vt consonantia vtriusque ostendatur, sed & vt ostendat principium suum fuisse Ioannem, & nequaquam illi contrarium, vtpote prius de eo quispiam ferret testimonium, postquam ille statim veniret. Vidit duos fratres: quod fratres omnes esse oporteat, qui **C H R I S T V M** sequi desyderant & idem penitus sapere, & in idem tendere qui à **C H R I S T O** docentur, & in eius cupiunt doctrina proficere.

Et progressus inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedei & Ioannem fratrem eius, in nauis cum patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

Non incongruum est rumore audisse, quo Petrum & Andream elegerit in piscationem hominum, & omnes eius sequaces, nec ideo inuiti patrem & nauiculam cum retibus reliquisse, quibus victum propriis quærent laboribus.

Et

Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

Prædicans Euangelium regni. Primùm hic regni mentionem facit cœlestis & æterni, quod nunquam adhuc contigit, vt puerorum more homines huius breuiusculæ vitæ fastidiant, & æternam toto corde adipiscantur. Quamobrem apto Euangelij nomine vsus, pro futuri nunciij præmio, iuxta eius significationem non indignum vti duxit.

Et abiit opinio eius in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui demonia habebant, & lunaticos & paralyticos, & curauit eos: & secuti sunt eum turba multa de Galilæa & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & trans Iordanem.

Exiuit itaque fama eius per omnes Galilæe finitimas regiones, quia diceretur & prædicare & docere inaudita, & ea miraculis confirmare, quæ etiam nullus ante eum fecerat. Quòdque lunaticos curaret, qui morbo comitiali correpti sunt, sic dicti, quòd eos qui interlunio nati sunt, ferè hic morbus inuadit.

CAPVT QVINTVM.

C H R I S T V S in monte nouam legem insinuat, præcepta, consilia & nouam legis perfectiones veteribus præfert, quantum nouam legem veteri præstare videt.



Idem autem Iesus turbas, ascendit in montem, Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suum, docebat eos dicens:

Mons iste putatur mons Thabor, transfiguratione & oratione ac **C H R I S T I** prædicatione percelebris, terminus fortis Zabulon, versus austrum, non longè à Nazareth. Ascendentem autem **C H R I S T V M**, turbæ sequi non possunt: quia in monte contemplationis, non nisi à turba mundi segregatus ascendere potest. Ideo in monte docet, beatitudines neminem attingere posse, nisi qui à rebus humanis abstractus ad sublimitia fuerit eleuatus.

† *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

† *Luc. 6. c.*

Pauperes spiritu, id est, qui afflictio & contrito corde sunt atque animo. Quia tamen non omnes qui afflictio sunt animo, beati sunt, melius est vt dicamus pauperes spiritu, studio ac voluntate tales, qui paupertatem & afflictionem, non ægrè aut iniquè propter **D E V M** ferunt: vel quia in humilitate primùm, deinde in lucta, malorumque tolerantia, ac cæteris quæ hic describuntur. Quæ nisi in montem ascendamus, & proximè accedamus ad **C H R I S T V M**, non facilè intelligemus.

† *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

† *Isa. 65. b.*
Luc. 6. c.

Qui æquo omnia ferunt animo, nulli iniuriam faciunt, neque retaliunt acceptam, sed boni omnia consulunt, beati illi, quoniam ipsi possidebunt terram. Indubiè non de hac solùm terra intelligendum est, cuius, bonorumque eius possessio aut parùm aut nihil facit ad veram solidamque beatitudinem, sed præcipuè de terra viuentium: potest etiam corpus post resurrectionem glorificandum intelligi, sed & consortium corporis **C H R I S T I**, iam *† Hilar. sibi.*

B iij

Hil. a. ibidē. glorificati, vnde Hilar. * possidebunt terram, id est, corpus C H R I S T I glorificatum, quia erunt conformes in corpore suo, illi claritati.

† *Psal. 37. c.* † *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Id est, quibus perpetua est meroris causa, nec habent vnde se in mundo consolentur. Et beati qui lugent, non tam miseriam propriam, quæ bonis non ingrata esse debet, quam sua delicta.

Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Quidam duos sensus ponit, priorem, vt esuriant & sitiunt iustitiam, idem sit quod non possit obtinere in hoc mundo, quod iustum & æquū est, quanquam id ardenti desiderio postulet. Alteram, vt esurire & sitire iustitiam, sit omnibus votis optare à D E O, nostri iustificationem. Bene etiam fumitur esurire & sitire iustitiam, pro enixè velle vnicuique quod suum est reddere, neminemque lædere.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Id est, benigni & benefici in alios, qui vti aliis misericordiam fecerunt, Ita ipsi misericordiam consequentur. At quia duplex est proximi miseria, bonorum temporalium, & peccati, duplex etiam erga illum misericordia, de priore, 1. Ioan. 3. * Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clausit viscera sua ab eo: quomodo charitas D E I manet in eo? De altera. Prouerbi. 28. * Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

** Psal. 24. a.* Quis enim inquit Dauid Psal. 24. * ascendet in montem D O M I N I, aut quis stabit in loco sancto eius, innocens manibus & mūdo corde. Quænam admodum enim speculum mundum & purum, facile recipit figuras, ita & anima pura & munda D E I suscipit visionem.

† *23. q. 1. ca.* † *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

Noli existimare. Non solum qui pacem habent cum hominibus, sed & qui feditiosos pacificant, & ad veram pacem reducunt, sed etiam qui per doctrinam peccatores ad D E V M pacis couertunt, pacifici dicuntur, & propterea filij D E I appellantur.

† *Distin. 43. c. Scimus 24. q. 1. ca.* † *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Arctia. De remun- ciatio. ca. Nisi cum pridem. Non ait ob castitatem, temperantiam, prudentiam, & fortitudinem, sed vniuersum virtutum cœtum intelligas: non enim soli martyres, sed plerique alij persecutionem sustinent, vtpote qui, propter quancunque virtutem iniuria afficiuntur.

† Distin. 93. ca. Sacerdotes. 1. Pe. 3. c. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestras copiosa est in cælis. † Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.*

Nec solum beatum putes, qui continuis afficitur probris, & persecutionibus, sed & qui mendacia, errores, iniurias propter C H R I S T V M sustinet, quasi propter sua delicta meritis. Quandoquidē Iob post plurimas in pueris, facultatibus, & corpore tētationes, ab vxore & amicis opprobriis affectus, tanquam hæc, propter sua pateretur peccata, magis quam propter

propter omnium bonorum amissionem, turbatus est. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Torquet hoc loco plurimum quosdam, verbum mercedis, quod à merendo sicut & meritum venit: verbum illis admodum durum & graue, non intelligentibus, quid mercedis ac meriti nomine catholici intelligant. Nō enim sic meritum, sic mercedem appellant, quasi natura debitor cuiquam sit D E V S. Sicut enim paterfamilias non erat obnoxius, quenquam operariorum in vineam suam mittere, & pro collocata opera denarium conferre, vbi tamen conduxit, & illi laborauerunt, & illi denarium merentur, & ille debet: quanquam ex pacto tantum: Ita tamen vt iniuriam quodam modo faciat, si non reddiderit. * Vnde murmuranti illi, qui totius diei in colenda vinea pondus, & æstus sustinuerat, quod non plus acciperet, quam qui nouissima hora venerat, respondit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nōne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Quod si suus est eius qui laborauit denarius, iure à paterfamilias repetere possit negante, similiter ex conuento debitor nobis est D E V S, cuius tanta est in suos filios liberalitas, vt sua in nos donā, nostra faciat merita. An non verò qui vitam pro C H R I S T I nomine fuderit, plus de C H R I S T O meruisse dicendus est, q̄ qui piè quidē cum vixerit, sine gloria martyrij decedit? Ideo & copiosam talibus mercedem in cælis, repositam esse nunc dicit: Quanquam non ignoramus sic nulli debitorem D E V M esse, vt vocare illum in ius possemus, qui quicquid boni perfecimus, quod pro eo supplicia pertulerimus, ipse dedit vt possemus, & faceremus, quodque dedit, gratis dedit. Neque tamen si gratis dedit, ideo non meremur. Certum est enim quicquid in speciem bonum recenter agat homo, D E I gratia destitutus, mereri pro eo non posse: contra, D E I gratia adiutus, si vel tantillā in faciendis eius mandatis operam nauauerit, tanta est eius liberalitas, tanta gratiæ ipsius vis & efficacia, vt verè mereri dicamur, non quod tale sit opus nostrum, seclusa gratia, vt vita ei debeatur æterna. Sed tantum est diuinæ gratiæ pondus, vt minimum opus nostrum bonum sibi coniunctum, dignum æterna vita faciat. Non iam ergo vitemus Christiana illa vocabula, mercedis & meriti, quibus tot sancti patres vsi sunt, sed ea sane intelligamus. Cui enim verè Christiano abhorrrere debeat nomen meriti, à quo præter antiquorum patrum vsurpationem, sacra scriptura non abhorruit. Nam Ecclī. 16. dicitur: Omnis misericordia faciet locum vnicuique, secundum meritum operum suorum. Non hinc agam plura de merito, ne scholiastæ munus excedere videar, quod fusius ea de re, à viris doctis, plurimos libros conscriptos inuenire est.

† *Vos estis sal terræ. Quod si sal euauerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* † *Luc. 6. d. Mar. 9. g.*

Salis est condire, & quod condieris sapidum reddere. Itaque salem Apostolos appellat, vt qui antea infideles & insipidi erant, fidei prædicatione & confessione, sapidos reddant. Ac bene salii comparantur: vt enim salis est detergere, ac non sine mordicatione & à putredine seruare, sic Apostolos & pastores, ac diuini verbi prædicatores, auditorum vitia prædicando detergere oportet. Quod fieri non potest sine mordicatione. Nam qui ad blandiri vult auditoribus, nihilque quod eos perstringat dicere: haud facile eorum vitia eluet: quod penè omnes hodie faciunt, qui se solos Evangelicos dici volunt, puram tantum Euangelij literam auditoribus offerentes, neque micam salis, hoc est mordicationis & amaritudinis in detegendis eorum peccatis admiscentes, cum contrā accipiendi Euangelij, nemo sit capax, qui non peccata sua agnoscat & emendat. At quomodo agnoscat, qui altum in illis dormiuit, nisi prædicationis assiduitate ponantur ea, eorumque incommoda illis ob oculos? Quod imprimis illi Evangelici prædicatores facere abnuunt, nimirum placencia tantum loqui volentes. Quod si sal euauerit: Id est, si salis est condire, & à putredine seruare, & sal fatuus fuerit & insipidus, id est, si vos Apostoli & reliqui prædicatores, sapore fidei, prudentiæ & religionis destituti fueritis, quomodo apti eritis ad salendum? Oportet enim prædicatorem, non modò fidelem ac religiosum esse, sed prudentem etiam qui norit quid, quibusne prædicandum pro hominum statu & conditione, vt pro tempore, causa, & loco, nunc asperum, nunc lenem, nunc moderatum se gerat. Ideo dicebat Dominus Apo-

Mar. 9.g stolis Mar. 9. Habete in vobis sal. Salem ergo habere oportet, neq; infatuatos & inspidos, esse pastores & doctores: alioqui si nulli vsui sint, eos mitti foras oportet.

†Luc. 8.c Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi, supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candela-brum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est.

*Ioan. 1.a Apostoli lux sunt mundi, non quidem vera ac primaria, quæ solus CHRISTVS est, sicut de Ioanne Baptista Apostolus ait: *Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Lux ergo mundi secundaria sunt Apostoli, pastores, doctores, qui luce à vero lumine CHRISTO accepta, verbo & exemplo præluere aliis debent. Verè autem quemadmodum & Baptista, lucerna sunt ardens & lucens, quæ lucentem orbi CHRISTVM commonstrant. Vt autem subtus modium reposita lucerna nemini lucet: sic latere nõ oportet prædicatorum vitam, sed in conspicuo positam esse, similisque esse ciuitati supra montem constitutæ, quæ latere non potest, sed sese offert omnibus conspicuam, sic veri prædicatoris vitam, qui tenebras peccatorum odit, in alto positam esse oportet, atque omnibus conspicuam, vt ad eius lucem, id est, puræ mundæq; vitæ exemplar, reliqui ambulent securi, & non offendant. Vt videant opera vestra bona. Videtur id contrarium esse his, quæ initio sexti capitis dicuntur: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: & multa ibi posita huc spectantia, vt seorsim bona opera nostra faciamus. Sed ibi, ita inhibemur coram hominibus bona facere, vt glorificemur ab eis: quod hypocritæ faciunt: Hic autem, iubentur Apostoli, pastores, & doctores conspicuos se præbere, aliisq; bonis operibus præluere, vt visis illorum operibus bonis, subditi patrem caelestem glorificet. Licet enim prælatis, boni quidpiam agentibus, optare, vt à subditis id agentes videantur. Neque tamen vltimum ibi finem præstituere, sed scopum sibi in his proponere DEI glorificationem, & subditorum ædificationem.

†Luc. 16.d Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut prophetas. Non veni soluere sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat caelum & terra, iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant.

Quia paruifacibat, imo palam damnabat Phariseorum supercilium, qui volebant videri aliqui esse, & summi legis obseruatores: ipse autem externa nonnulla opera sabbato faciebat, quibus videri poterat legem violare ac soluere, ideo ait: Ne putetis, quod venerim legem soluere, sed adimplere. Pro eo autem quod est soluere, Græcis est, καταλύσει, id est: dissoluere, & abrogare & euertere, Sed veni potius adimplere. Græcè ἐπιτελέσει, id est, perficere & consummare. CHRISTVS enim non legem dissoluit, quanquam ceremonias sustulit, vel consummauit potius ac perfecit, quando eam spiritualiter implendam esse docuit. Nota autem quod soluere legem dupliciter dicitur. Vno modo pro καταλύσει, id est, abrogare, & euertere. Alio modo pro transgredi, vt paulo post: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis. Donec transeat caelum & terra iota vnum, aut apex vnus &c. Vide an non fortasse hic intelligitur, quod Luc. 24. discipulis ait: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum essem adhuc vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moyfi, & Prophetis & Psalmis de me: Nolite inquit, putare quod venerim: legem soluturus. Quandoquidem neque minima legis particula, quæ per iota minimam Græcorum literam, atque etiam per minorem apicem significatur, dissoluenda est, donec transeat caelum & terra. Caelum & terra transire dicuntur, siue quod peritura sint, iuxta illud Davidis Psalm. 101. *Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli: Ipsi peribunt, tu autè permanes, siue vt videtur Petrus 2. cap. 3. *Immutanda illa sunt in meliorem

in meliorem substantiam, igne conflagrationis & iudicij purganda. Quod verò Petrus postea ait: Nouos verò caelos, & nouam terram, & promissa ipsius expectamus. Similiter quod Isaia. 65. ca. Ecce enim ego creo caelos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora: siue allegoricis de celesti ecclesia intelligenda sunt, siue de reali caeli & terræ conditione: Putarim tamen iuxta Davidis sententias, hos caelos & hanc terram perituros, & in melius esse mutandos.

†Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.

Volens instruere discipulos, quos præluere aliis oportebat, & prædicare, cum prædixisset de lege nihil perituro, non iura vnum neque apicem, id est, neque mandatum aliquod etiam minimum. Qui soluerit inquit, vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, soluendum scilicet illud esse, vocabitur minimus, id est abiectissimus, nulliusque precij erit in regno caelorum, hoc est in ecclesia, siue militante siue triumphante: quia vtrunque regnum caelorum dicitur. Qui autem legis mandata etiam minima fecerit, eaque non negligenda, sed facienda docuerit, maximus in regno caelorum vocabitur.

Dico autem vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.

Ad perfectam pietatem iustitiæque suos erudiens, adeo se asserit non venisse ad dissoluedam legem, vt suos velit exactiorem seruare iustitiam, quam Scribæ & Pharisei seruarent. Illi enim externa tantum legis sectabantur, interna non curantes. Porro, etiã perfectius ipsa legis mandata implere voluit Dominus Christianos, vt docet in sequentibus.

Audistis quia dictum est antiquis: † Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. † Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit consilio. † Qui autem dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehenna ignis.

†Exo. 20. b
Deuter. 5. b
†55. dist. ca.
si euangelica.
†De hereti.

Qui occiderit, reus erit iudicio. Iudicium fortè intelligit vnum ex iudiciis, quæ multa erant, quibus de homicida inquirebatur, non sciens prudensne, an per ignoracionem aut casum, proximum occidisset. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Non modò vult CHRISTVS à reali homicidio suos temperare, sed etiam ab omni animi indignatione, quæ fraternam violat charitatem. Cuius indignationis, tres facit partes. Vnam qua animo illi indignamur, absque vilo conuicio externo. De ea, qui irascitur inquit, fratri suo, vbi codices Græci dicunt, ἐνέ id est, temerè reus erit iudicio. Secunda est, Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: cum quis scilicet, ab indignato animo ad aliquam indignationis notam procedit. Racha Chrysof. ait significare lingua Syriaca, Es tu: vt sit iniuria, qua indignantes Galli, vocant alios, Tu vnde. Et verbum ipsi sinxerunt Tuteyer: quæ species quædam iniuriæ est Hebræi quoque רָחָא à רָחַ quod spueri significat, quasi fratrem sputo dignum vocare, iniuriam putent. Hieron. ait Racha à רָחַ quod ociosum & vacuum, ac quasi sine cerebro vocent. Vide quoq; num Racha veniat à Rechamini, quod significat commiserationes, de quo vide Felinum Psal. 79. Atque ita Racha significaret iniuriam, qua vulgò vtimur dicentes alicui: Va maloutra, va malheureux. Qui inquit, hanc iniuriam fratri dixerit, reus erit concilio. Tertia species indignationis est, cum vsque ad conuictum dum proceditur, hæc ait: Quicūque dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Gehenna vsurpatum sacris vocabulum vel pro supplicio extremo, vel pro loco extremi supplicij: deductum vocabulum à valle quadam iuxta Ierusalem, vbi impietas Iudæorum, diis alienis infantes exurebant, inter brachia idoli Moloch, in valle filiorum Ennon, גֵּיהֶנּוֹם hoc est, vallis

ca. Cum ex iniuncto.

hinnon quæ postea dicta est Topheth. In quam vellem cadauera, & quæque abominanda, eiiciebantur ex Ierusalem. Vnde Gehenna pro futuro animarum supplicio supplicijq; loco sumi coepit. In his autem CHRISTI verbis, tria indignationis genera ponuntur, primum leuius, & æterna subinde grauiora: Ita tamen vt vnique sua sit damnatio. Sunt qui dicant, reum iudicio, sumi pro solius iudicis sententia. Reum concilio, pro grauiore sententia, qua præter opinionem suam peritos in concilium iudex vocat, de quorum sententia damnat. Tertium Gehennæ ignis, maximum ignis æterni supplicium, & pro æterna perditione ab Hebræis vsurpari solet.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offeres munus tuum.

Tantopere fraternam concordiam atque amicitiam commendat, vt ingratas sibi futuras, ostendat oblationes nostras, quæ cum offensa fratris fiunt, cui prius nos vult reconciliari quàm offeramus. Nota autem quod ait, frater tuus habet aliquid aduersum te, vt scilicet cum offenderis, aut ipse te, quoquomodo id fiat, reconciliari oportet ei, antequàm offeramus.

† Luc. 12. g. *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es cum eo in via, ne tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.*

† Infr. 18. g. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.*

Idem est cum eo, quod Lucas ait: Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem &c. Luc. 12. in fi. Videtur autem loqui de aduersario, cui nobiscum lis est coram iudice, cum quo nos componere vult, non iudicis expectare sententiam. Quoniam si fortè summo iure iudicauerit, lictori te tradet mittendum in carcerem: Vnde non exhibis, donec nouissimum quadrantem reddideris. Noto autem, quod pro aduersario, Græcis est ἀντιδικός, quod non hostē significat, sed eum qui nobiscū iudicio contendit. Pro quadrante Lucas habet ἑξατον λεπτόν. id est, extremum minutum, quarta scilicet pars assis. Hietony. autem genus inquit, est nummi, qui habet duo minuta. Vnde & in alio Euangelio mulier pauper, & illa vidua, dicitur misisse quadrantem in Corbanam, & in alio, duo minuta. Sunt qui interpretantur, quod quandiu sumus in via, id est, in vita, reconciliari omnino ex animo nos illi oportere: alioqui mortui & extra viam positi, in carcerem pœnarum mittemur. Vnde innuit, non est exeundum, nisi nouissimo quadrante reddito, id est vt inquit Chrysof. nunquam exhibitur. Quod autem ait, donec reddas nouissimum quadrantem, post mortem locum esse pœnarum vnde reditur, quod est purgatorium: cum nouissimum quadrantem reddiderimus, id est, de minutulis etiam peccatis pienè satisfecerimus.

† Exo. 20. c. *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego dico vobis: quia*
Pro. 6. c. *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est*
Iacob. 2. d. *eam in corde suo.*

† 32. q. c. si-
cut enim. Si
Paulus.
Qui viderit
9. 7. ca. Non
solum.
Non modò fornicationem ipsam realem, sed aufert fornicandi etiam animum nobis Euangelium: asserens quod qui vidit mulierem ad concupiscendum eam, id est animo concupiscendi, iam mœchatus est in corde suo, cui fornicandi non voluntas, sed facultas defuit. Nota autem ex hoc loco non modò adulterium prohiberi, sed etiam simplicem fornicationem. Vnde perperam Bucerus post Erasimum interpretatur: Quicumque aspexerit vxorem alterius, vt fornicationi simplici habenas laxet, adulterium tantum externum, & internum prohiberi asserens. Non enim noua hæresis, asserentium simplicem fornicationem licitam esse, quæ & vsque hodie pullulat & multarum pudicitiam tentat. Græci enim γυναίκα, mulierē dicunt siue viro coniunctam, siue ab eo solutam, siue virginem, mirum ideo videtur quare ad vnum

ad vnum potius quàm alterū sensum traxerint. Sed nec minus mulier hoc præcepto mœchari & concupiscere virum, astringitur, quàm ipse vir.

Quod si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum & projice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

Parabolica sunt ista verba. Neque enim reuera aut oculum eruere, aut principale membrum iubemur abscindere. Sensus autem est: Nil tam charum, tam necessarium ducas, etiam si tanti illud estimes, quanti oculum manumue dexteram. Quod si te scandalizet, hoc est, in via DEI impingere te faciat, non statim eruas aut abiicias. Melius est enim bonorum omnium etiam charissimorum iacturam te facere, quàm totum te mitti in gehennam, id est, æterno igne relinqui cruciandum. Vel nullius sensus tam gratus sit vsus, quo non sis priuari paratus, ob regnum cœlorum. Nempe oculum prohibere ab aspectu, & manum à tactu, est quasi ipfos eruere & proiicere.

† Et si dextera manus tua scandalizet te, abscinde eam, & projice abs te. † Marc. 9. g.
Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

Neque igitur de corporis membris, quæ culpa carent, & ab animo quò vult ducuntur, hæc intelligi possunt. Sed vel per oculum, amicum vtilem, aut per manum dextram, feruum fidelem, siue viri sint, siue mulieres, intelligas. Cum quibus si absque peccato non potes conuersari, non solum percutias, aut aliquo modo afficias, sed omnino amputes, & à te longius abiicias.

*Dictum est autē: Quicumque dimiserit vxorē suam, det ei libellū repudiij. † Deu. 24. a.
Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorē suam, excepta for- Infr. 19. b.
nicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. † Marc. 10. a.
Luc. 19. d.*

In lege, Si quis vxorem dimittere vellet ob aliquā eius fœditatem, aut aliquid aliud, iubebatur illi dare libellum repudiij, vt illi liberum esset, alteri, si vellet, nubere: aduerte autem, quod nequaquam repudiare iubebantur, sed vt in Matth. 19. dicit CHRISTVS, ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere vxores vestras. Permittentur tantum: at lex Euangelica omnino vult illas non dimitti, excepta fornicationis causa. Vsque adeo fœdus illud, inquit August. de bono coniugali cap. 7. Initium nuptiale cuiusdam sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat. Quandoquidem viuente viro, à quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit, & ille mali causa est, qui eam reliquit. Ideo matrimonium illud etsi thoro, non tamen vinculo solutum est, quantumuis, neoterici quidam in hoc plurimū, & frustra torqueantur. Fornicatio itaque, vel si maus, adulteriū, thorum, nō vinculū soluit.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis: non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester est est, non non: quod autem his abundantius est, à malo est. † De iureiu. Et si Christ. 2. q. 5. ca. Si quis presby ter. 22. q. 1. cap. 1. & c. Non est. ca. Ita ergo. Iacob. 5. c.

Non planè inhihet hoc loco CHRISTVS iurare. Cum Exod. 22. multis ex causis do-

minus iurare permittat. Sensus itaque est: Nolite iurare omnino, id est, quavis ex causa & temerè: quod iam fidos inter se Christianos, vt simplici affirmationis verbo, aut negationis credi velit. Sit inquit sermo vester est est, non non. Loco verò huius affirmationis est est, Græci legunt *vai vai*: quod dici posset, etiam etiam. sicut alio loco interpret hoc vitur vocabulo, cum dicitur: intelligistis hæc omnia? dicunt ei: etiam, *vai* qualis est communis modus respondendi. Nec hic contra id facit, quod sequitur: quod autem his abundantius est, à malo est. Non enim id significat malum esse iuramentum ex se, sed quod occasionem ex se habuit à malo, hominum scilicet à se diffidentia.

† Exod. 21. c. *Audistis quia dictum est: † oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis: † non resistere malo. † Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prabe illi & alteram. & ei qui vult tecum in iudicio contendere, † & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. & quicumque te au-gariauerit mille passus, vade cum eo & alia duo. Qui autem petit te, da ei: & volenti mutare à te, ne auertaris.*
 † Deut. 19. d. *dico vobis: † non resistere malo. † Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, prabe illi & alteram. & ei qui vult tecum in iudicio contendere, † & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. & quicumque te au-gariauerit mille passus, vade cum eo & alia duo. Qui autem petit te, da ei: & volenti mutare à te, ne auertaris.*
 † 23. q. 4. ca. *Qui peccat.*
 † 14. q. 1. ca. *dere, † & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. & quicumque te au-gariauerit mille passus, vade cum eo & alia duo. Qui autem petit te, da ei: & volenti mutare à te, ne auertaris.*
 1. & cap. *Quod debe-tur.*
 † 23. q. ca. 1. *& cap. 2.*

Vult his verbis, præter legem, in qua retaliatio iniuriarum, aut damni accepti licita erat, omnino nos abesse à vindicta: imo sic affectos esse, vt accepta iniuria, rursus si opus est, aliã accipere paratioribus simus, quàm acceptam retaliare: Non quod id præceptum sit: sed hyperbolica locutio est, indicans nobis quantopere commendat mutuam inter Christianos charitatem **C H R I S T V S**, vt prius quàm fraterna charitas scindatur, pallij iactura accipiatur, aut leuior iniuria feratur.

† Leui. 19. c. *Audistis quia dictum est: † Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: † diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in caelis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt?*
 † Luc. 6. d. *Audistis quia dictum est: † Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: † diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij patris vestri, qui in caelis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt?*
 Rom. 12. d. *23. q. 3. cap. sex differetia. qu. 4. Hæc autem. Ea vindi-cta.*

Leuitici. 19. Habetur præceptum de diligendo fratre & proximo, nullum inuenio de odiendo inimico, nisi fortasse additum fuerit à Iudæis: vt Deutero. 15. scriptum est: Fene-rabis gentibus multis, & 25. Delebis nomen Amalech sub celo. Et ait dominus Exo. 23. Inimicus ero inimicis tuis, &c. Quod Iudæi propter hæc arbitrati sunt inimicos sibi odif-se licere. **C H R I S T V S** autem id vetat, imo iubet inimicis benefacere: vt sitis inquit, filij patris vestri: qui in caelis est. Filius patris celestis **C H R I S T V S**, inimicos dilexit, pro per-sequentibus & calumniantibus orauit: Ideo si fratres & cohæredes **C H R I S T I** esse vo-lumus, idem nos facere oportet. Quinetiam nulla re melius imitari patrem celestem pos-sumus, quàm inimicorum dilectione. quippe qui super iustos & iniustos sibi inimicos, & pluit, & solem suum oriri facit. Sed neque **C H R I S T V M**: Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus **D E O**, per mortem filij eius: multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Porro etiam mercedis adiectione, ad hæc dilectione nos inuitat: quoniam etiam publicani amicos diligunt & Aethnici, præter quos, verè Christianos amplius oportet fa-cere. Publicani sunt qui à fisco vestigalia cōducunt, Romanis olim habiti in precio, vt ma-nifestū est ex Tullij oratione, pro lege Manilia: Iudæis autem inuisum hominis genus, quod contra libertatem patriam, Romanis eos pendere tributa cogebant.

† Estote

† Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester celestis perfectus est.

† Luc. 6. e
De summa
trinita. cap.
Dānamus.

Ipsum sicut, vt dicunt, non dicit omnimodam similitudinem. Quis enim hominum eod perfectionis, quæ in patre celesti est, euadere potest? Sed est sensus: Quemadmodum per-fectè & planè diligit omnes, bonaque sua omnibus communicat pater celestis, probis & improbis, ita & vos erga amicos & inimicos, perfectiorem oportet habere dilectione, quàm Aethnici aut Publicani, vt amicos diligatis simul & inimicos. Alioqui discedetis à perfecta illa dilectione patris celestis. Certè pro eo quod Matth. habet: Estote perfecti, Lucas habet: Estote misericordes, vt de perfectione dilectionis intelligi videatur hic locus.

CAPVT SEXTVM.

Eleemosynam, orationem & ieiunium fideles discretius exequantur, atque obsequij diuini formulas absque omni tristitia, cupiditate ambitionis, sollicitudine, ac ostentatione faciant.



Tendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin, mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in caelis est.

Pro iustitia Græci codices habent *ελεημοσυνή*, id est, eleemosyna, quæ ius Matthæus scripserit *δικαιοσύνη*. hoc est, iustitiam vestram. vt pote quæ morales virtutes in se complectitur omnes, vel quia iustum est, vt miseros nostro foueamus beneficio: & inde à iustitia ad speciales etiam virtutes descendit, eleemosynam, orationem, & ieiunium. Vult autem & quæ bona facimus, bene etiam ea faciamus, finem illis præstituentes, non laudationem hominum, sed Dei honorificatione: alioqui recepta ab hominibus sperata mercede, nullam nobis sperare apud Deum & patrem celestem.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocrita faciunt in synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, † receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

† De penit.
dist. 3. cap.
Cauendum
nobis.

Quia prædixerat discipulis: Nisi iustitia vestra abundauerit plusquam Phariseorum, nunc qualis sit Phariseorum iustitia, & qualem esse suorum velit declarat. Pharisei enim, quos hypocritas vocat, daturi eleemosynam, proclamari tubis curant, quo tempore, vel hora, sit ab illis danda, vt laudem inde veneretur hominum. Tu verò inquit, Christiane, noli tuba canere ante te, id est, quod facturus es, si fieri potest, clam homines facito: imò nesciat dextera tua quid faciat sinistra, id est quod potes, etiam & proximos lateat. Neque verearis vt incognita eleemosyna tua tibi pereat. Nam et si homines latet, Deum tamen patre tuum minime latet, qui quod in tenebris facis, videt & remunerabitur. Sed nec solùm eleemosynam, imo quodcunque opus feceris bonum, debet sinistra nescire.

Et cum oratis, non eritis sicut hypocrite, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

Et oratione quoque opus re ipsa bonum, bene fieri vult, primū vt quod fieri potest, clam

fiat, & in cubiculo clausoq; ostio, id est, nullā in ea spectemus gloriam, propositamq; habeamus videntium hominum laudationē. Hoc est enim verē clam & clauso ostio orare, si Dei tantum laudem in oratione quaeris. Nā qui vt ab hominibus videatur orat, quemadmodū Pharisaei, nihil est, quod vltra quaerat. Te autē, clam orantē, à Deo merces aeterna manet. Vel intrare cubiculū & clauso ostio orare, est corde & cogitatione, potius quā voce orare, vt Hiero. Sed mihi videtur inquit, hoc magis esse praecipuum, vt inclusa pectoris cogitatione, labiisq; compressis, oremus dominum, quod & Annam, in regum volumine fecisse, legimus.

*1. Reg. 1. c. *Labia inquit eius, tantum mouebantur, & vox illius non audiebatur.

Orantes autem nolite multū loqui, sicut Ethnici faciunt. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

Non longas preces, vt malē hīc nonnulli putant CHRISTVS dānat, qui assiduus fuisse legitur in oratione: & Paulus iugiter orare nos vult: Sed breuē ac bene compositā orationē, incondito multiloquio praefert: tollitq; à nobis errorem Ethnicorum, qui nisi longam orationē habuerint, nisi longis ambagibus diis suis indicauerint, cuius rei egeant, & ignoratos illos, & se non exaudiendos putant. Non sic autem pater noster, qui & indigetia nostrae nusquam nescius, vel antequam quid eum petamus, paratus est, quia pater est, orantibus largiri. Breuem autem modū orandi docet, non longiores preces tollens, sed vt habeamus orationum nostrarum verum exemplar, non quod ad prolixitatem breuitatemque attinet: sed vt omnes nostrae petitiones, ad harum septem aliquam referantur: alioqui CHRISTVS apud Ioannem aliud atque aliter orans, & plerique sancti malē orassent.

† De panit. dist. 3. ca. De quotidianis Iuc. 11. a

Sic ergo vos orabit. Pater noster qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in caelo, & in terra. Panem nostrum super substantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen.

Cum pleriq; paraphrases multas, & cōmentationes doctas ac pias in hāc CHRISTI orationem ediderint, superflūū arbitramur, diutius in ea explicanda immorari. Tantū in his quae digna videbuntur explicatione, immorabimur. Patrē igitur ipsum, inuocantes nos illius filios cōfitemur, ideo vt digni tali patre simus, iuxta illius praecipua cōuersemur. Qui enim, prauē viuens, Deū vocat patrē suū, & in Deū & in seipsum mentitur. Nostrū autem vocamus patrē, vt agnoscamus nos omnes fideles, inter nos mutuo esse fratres. Sanctificetur nomen tuū. Sanctificari proprie, sanctiūq; reddi nomen Dei sanctissimum non potest. Est igitur hīc sanctificari quod alioqui sanctissimū est, tale orbi vniuerso innotescere & clarificari: ita vt sanctificari, sit proprie glorificari, & per nostrā clarā conuersationē, apud cūctos magnificari. Adueniat regnū tuū. Ante CHRISTVM natū regnū mortis & diaboli principatū obtinebat: & quanquam CHRISTO pro nobis mortuo ex parte labefactū sit, in plerisq; tamen hominum vitio regnat adhuc. Idcirco precari nos vult, vt adueniat in nos regnū Dei, id est, quod Paulus ait, vt non regnet peccatū in vestro mortali corpore, vt obediatis cōcupiscentiis eius. Sed ipse Deus in nobis regnet: vniq; illi soli in quibus quae precipit pareatur à nobis. Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra: Id est, sicut August. in sermone Domini in monte ait: Quemadmodum in caelo, id est, in sanctis & iustis, qui caelum, sedesq; Dei dicuntur, voluntas tua fit: Ita in terra, hoc est, à terrestribus peccatoribus, ad te reuersis fiat. Vel intellige, quemadmodū in caelo, post apostatae angeli ruinam, planē tibi obediunt, nullō iam repugnante, ita omnem aufer terrenorum hominum repugnantiam: vt tibi planē omnia atque ex animo obediunt sicut caelestia ita & terrestria. Panem nostrum super substantialem da nobis hodie. Pro super substantialem Græcē est *ὑπερσυστατον*, quod significat & crastinū, & quotidianū. Hieron. & Cypria, de pane caelesti, qui CHRISTVS est, hunc panem

panē interpretatur. August. & Chrysof. de pane corporali intelligunt. Aduertendū autem est, quod more Hebraeorū, omnis cibus & potus, ad vitā necessarius, nomine panis & aquae intelligitur. Nec incongruum est, nos hac oratione doceri à CHRISTO quomodo bona temporalia quaerere debeamus, quae dicendo: Da nobis hodie, vult nos in diē postulare, vt ne nimis solliciti de crastino, in multos dies nobis praeparemus, sed certi nos esse curae patri caelesti, qui etiā passeres fame perire nō sinit, contenti simus hodiernū panē postulare, cras crastinū petaturi: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Metuēda vox Christianis, qui infensissimo sunt erga fratres animo, neq; vllā eis remittere volunt iniuriā. Certi enim esse debent, ex hac orandi forma, quā nobis CHRISTVS praescripsit, nunquam remissum iri nobis à Deo delicta nostra, nisi vicissim aliena remiserimus. Et quia nihil tam inuitē pleriq; faciunt, quā vt acceptā iniuriā ex animo remittant, visum est pluchrū, eisq; metuēdū locū ex Ecclesiastico adducere. Inquit enim, ca. 28. * Qui vindicari vult, à domino inueniet vindictā, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini referuat irā, & à Deo querit medelā? In hominē similem sibi, non habet misericordiā, & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, referuat iram, & propitiationē petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Et ne nos inducas in tentationē. Variæ sunt tentationū species. Vna probationis, qua, afflictionibus, pro nostra salute, tentat nos Deus. De qua Iacobi. 1. * Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tētationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestrae, patientiam operatur. Alia est tentatio seductionis, quae ad peccatum trahit, quae est à mundo, carne, & diabolo. Et in hanc tentationem dicitur inducere Deus, quo modo & indurare, cum nostris exigentibus commertis (vt à peccato peccatū attrahi solet) in diuersa nos flagitia labi sinit. Et hanc Christianos deprecari iubet, hac orationis forma CHRISTVS. Sed libera nos à malo. Chrysofomus malo hic sumit substatiuē, pro diabolo. Græcē *ἐκ τοῦ πονηροῦ*. Id est, ab improbo illo, & veteratore, hominūq; tētatore diabolo. Si quis neutro genere sumi cōtentat: vt sit sensus: Libera nos ab omni re mala, quae ad Dei offensam perducere nos queat, non multū laboro. Amen. Vox est Hebraea saluatori nostro frequēs vsurpata, confirmationis aduerbium. Ad coronidē autem huius orationis Græci addunt: Quia tuum est regnum, & tua potentia in secula seculorum. Amen.

† Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester caelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. † Mar. 11. d. Eccl. 28. a

Confirmatio est illius particulæ: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: quam etiam confirmant illic adducta ex Ecclesiastico.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in absconso, & pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. † De sacr. vinctio. ca. 1.

Candidē purēque fieri ieiunium vult CHRISTVS, sicut & eleemosynam & orationem absq; vlla gloriolae hominum venatione, quod facere solent pharisaei & hypocritae, qui vt appareant hominibus ieiunantes, tristi ac moesto vultu semper incedunt, & facies suas exterminant: Græcē *ἀφανίζω* quod significat demoliri, corrumpere. Sunt enim qui faciem suam fuco oblinunt, vt nitidior appareat, sunt qui contrā, vt tristior, quomodo & Pharisaei, qui fucis vultum macerantibus, & rugas contrahentibus, vtebantur, quo tristiores apparerent, quasi ieiunio & macie confecti. Contrā autem nos iubet CHRISTVS facere. Tu autem inquit, cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, non quod te vera haec facere iubeat, sed quod læti ac delicati hominis sit, faciē lauare, & preciosis vngi vn-

guentis. Tu cōtrā inquit, cūm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem laua, id est, prae te ferē lātum atque hilarē vultū, ne videaris hominibus ieiunans. Satisque tibi sit, si id quod clā hominibus facis, pater tuus coelestis videat, qui licet nūc nos latet, videt tamē quid agas, tibiq; mercedē reddet. Græci hīc addunt in propatulo, coram scilicet angelis, sanctisq; omnibus.

†Luc. 12. d. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, ubi nec erugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

A terrenis diuitiis, quæ & corruptionis vitio, & furum rapinæ sunt obnoxia, ad coelestes nos subleuat, solas veras solidasque diuitias, quæ æruginem non ferunt, neque tineæ aut furibus sunt obnoxia. Cūm autem erugo vitium sit rubiginis in ære contractum, quo quidem ære olim conflare moneta solebat, tinea autem, vermiculus sit, qui ferē vestibus asseruatis, & inclusis innasci solet, vestes tandem corrodens, thesaurizare nos vetat, & pecuniis, & quacunque alia supellestile.

†Luc. 11. e. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: Si oculus tuus fuerit simplex, totū corpus tuū lucidū erit. Si autē oculus tuus fuerit nequam, totū corpus tuū tenebrosū erit. Si ergo lumē quod ī te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erūt.*

Oculus lucerna corporis dicitur, vt quemadmodum lucerna noctis, ita, munia nostra peracturis, nobis præluet. Quod si oculus fuerit nequam, Græce πικρός, id est, prauus & vitiatus: Totum corpus tenebrosū erit, ac media etiam luce velut in tenebris aget μεταφορικῶς autem hīc omnem vitæ nostræ decursum intelligit. Per oculum, mentem intentionemque quæ acta vitæ omnia dirigit. Quæ si lucida fuerit, id est, pura, nullaque affectione praua vitiata, totum corpus, id est, omnis vita nostra lucida est, pura & recta, quæ tota pendet & bona mente & intentione. Vt autem promptiores nos reddat, ad seruandum mentis candorem, & integritatem, si lumen inquit, quod in te est, tenebræ sint: hoc est, si mens potior superiorque nostri portio, quæ tota à Deo candida, & lucida condita est, in tenebras euaserit, & obscurata vitiis fuerit, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Id est, sensus carnalisque affectio, quæ præ mente obscura tota est, quantas habitura est tenebras.

†Luc. 16. e. *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

Vt omnem à coaceruandis diuitiis animi nostri curā auertat, vulgata parœmia vtitur: Nemo potest duobus dominis seruire. Quod sane ferē vbiq; verū est. Nunquam enim ita similibus moribus duos dominos inuenias, quibus ad vtriusq; arbitrium ex animo seruire seruus valeat: aut quibus æquē idem affectus seruus sit. Hac vulgata ergo parœmia probat, non posse nos seruire Deo & mammonæ, id est, vacare rebus coelestibus, & coaceruandis diuitiis totos intendere: Non enim vetat diuitias simpliciter habere, sed vt ne mammonæ seruiamus, neque diuitiarum serui simus. Sumus autem, dum à DEI cultu, atq; amore, ab illa cura nos abduci finimus.

†Luc. 12. e. 1. Petr. 5. b. Psal. 54. d. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis: neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentū? Respiciate volatilia caeli, quæ non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester caelestis pascit illa. Nonne vos magis plures estis illis?*

Non vult

Non vult hoc loco, pigros nos, & ociosos esse, neq; non pro victu laborare, sed vetat ita anxie sollicitos esse (quod μαριμαζω significat) pro rebus necessariis temporalibus, vt abducamur à spiritualibus, quasi nō curæ simus patri coelesti, ac non ille his quos condidit, quod se dignū est facientibus, victum suppeditaturus sit: quod probat hoc argumēto: Nonne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentū? id est, qui dedit nobis potiora, corpus scilicet, ac vitam, nunquid & escam largiturus est, qua alantur, & vestimentū quo tegantur, se petentibus? Idq; probat primū de esca, sumpta à volucris animalibus similitudine, quibus cūm neq; ferāt, neq; metant, de victu pater coelestis prouidet. Quod cū ita sit, & ipsi multo præstatiores sitis, Deoq; chariores, suppeditabit quoq; & vobis victum, se petētibus: qui & escā dat pullis coruorū illū inuocātibus, quandiu vt ferūt, à suis deserūtur parētibus.

Quis autē vestrū cogitans, potest ad iustitiam suam cubitū vnū?

Hoc rursum ait, ad tollendam nimis anxiam de victu sollicitudinem, quasi ea non patri cura sit de nobis. Nemo inquit, vestrū cogitans Græcè μαριμαζω, id est, cogitabundus, & quāuis ea de re anxie sollicitus, potest ad iustitiam suā, & corporis magnitudinē cubitū vnū. Et tamen penē in cogitātibus vobis, ad iustam magnitudinē crescere, vos facit pater coelestis: Ita vt indubiē absq; anxia nimis vestra de victu sollicitudine, vos aliturus est.

Et de vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescūt, non laborant neque nent. Dico autē vobis, quoniam nec Salomō, in omni gloria sua, coopertus est, sicut vnū ex istis. Si enim fœnū agri, quod hodie est, & cras in clibanū mittitur, Deus sic vestit, quantō magis vos modica fidei?

Ducta à lilio & fœnō metaphora, prohibet anxiam nimis de vestitu curā: quod lilia agri, sine vlla sollicitudine, & fœnū quod citō marcescit, sic etiam præclarē vestit Deus, vt naturalis ille à Deo ornatus, omnem exuperet vestiariū Salomonis cultū, tāto hominū studio & artificio-elaboratū. Quod si rationis sensusq; expertia, tantæ sint Deo curæ, vt victū illis & vestitum prouideat, quantō magis vobis prouidurus est, viri pusillæ fidei?

†Luc. 12. d. *Nolite ergo solliciti esse dicētes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Querite ergo primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiciētur vobis.*

Rursum anxiam nimis μαριμαζω, victus vestitusq; curā, Christianis interdicit. Hæc enim inquit omnia gentes inquirūt. Scit enim pater vester quod his indigetis. Ne verō prætextu fiduciæ in Deū, totos dies stertamus, nihilq; agamus ociosi, subdit: Querite ergo primū regnū Dei & iustitiā eius, id est, querite ergo primū vt iustos vos reddat Deus ex impiis, ac demū regno suo dignetur. Id enim primū præcipuūq; est quod spectare in suis petitionibus Christianū oportet. Cætera enim ad victū necessaria sunt nobis in hac vita, velut adminicula ad regnū illud cōsequēdū: vt scilicet, quod naturæ sufficit, aliti vestitiq; studiosis, ac secudū Deū actionibus misericordiæq; operibus intenti, tandē regnū illud cōsequi possimus: quod quī præcipuū daturus est, & reliqua quoq; cōcedit. Ideo addit: & hæc oīa adiciētur vobis.

†Luc. ibid. *Nolite ergo solliciti esse in crastinū. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi.*

In oratione dominica docuerat nos orare, Panē nostrū quotidianū à Deo postulare, quā tū scilicet nobis in singulos dies sufficit, id est, sufficit si hodie laboratis pro hodierno victu: Ita nunc penē idē dicit, quasi diceret: sollicitus est vestri Deus qui animantiū sollicitus est, & vegetatiuorū, & quotidianū vobis panē postulātibus nō denegabit. Vt quid ergo anxie solliciti estis de crastino, cūm vobis ille, in diē suffecturus sit. Crastinus enī dies sollicitus erit sibi ipsi. Id est nolite solliciti esse p die crastina, p qua cras postulabitis. Sufficit diei malitia sua.

Indicaturus proximi vitium, ex festuca & margarito mensuret iudicium, ad quod discernendum oratione opus est, & operibus non falsis & mendacibus, sed iuxta sanctorum verba ambulandum & operandum.

† 2. q. 1. cap.
Deus omni-
potens.
Luc. 6. f.
Ro. 14. a. 2. a.
I. Cor. 4. a.
Iacob. 4. c.
† Marc. 4. c.
Luc. 6. f.



† *Nolite iudicare & non iudicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Non hic sumitur iudicare, prout iudicare significat actum iudicij iustitiæ exercere: sed pro eo quod est temerè de aliquo pronunciare. Nā vt inquit August. de consensu euangelistarum: Hoc loco nihil aliud præcipi existimo, nisi vt ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur, & nobis ignota non iudicemus, id est, tanquā prima condemnemus. Iudicare enim pro condemnare frequens est, iuxta illud Euangelicū. * Qui non credit, iam iudicatus est. Curiositatem ergo aut inuidiam aliorum, qui facta alterius excutiunt, damnat hoc loco CHRISTVS. Similiter & sequentibus verbis: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Quæ verba Græcè hoc loco desunt: & videntur huc translata ex 6. cap. Luca. Quod verò addit Matthæus: Non iudicabimini, nō condemnabimini, ne putes quod sententiam iudicij diuini effugiamus, per hoc quod temerarium de aliis iudicium non feramus, si alia ipsi, DEI correptione & iudicio digna, fecerimus. Sed quoniam qui procliuus sunt ad perperam de aliis iudicandum & suspicandum, ipsi quoque ferè ab aliis malè audiunt, aliorumque sinistra suspitioni & ipsi subiacent. Ideoque inquit CHRISTVS, Si vultis ne perperam ac temerè de vobis mundus iudicet, nolite etiam de aliis temerè iudicare. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Et qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis: id est, prout proximos vestros tractaueritis, ita & ipsi tractabimini. Si oblocutores & iniqui censores eorum fueritis, & ipsi de vobis erunt.

† 3. q. 7. cap. *Infames.*
Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo nō vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: frater sine & eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui.

Alia ratione ostendit, quod nequaquam leues esse debemus in temerè iudicandis & condemnandis aliorum actis: quia si grauiora esse delicta nostra quàm fratrum perpēderemus, nostra ipsi iudicaremus, alienis abstinentes. Festucam enim leue peccatum fratris, trabem graue nostrum vocat. Et quia vt inquit Cicero: Carere omni debet vitio, qui in alium paratus est dicere: noli esse curiosulus, ac nimis anxius, de minimis aliorum erratis, & de tuis excutiendis negligens.

† 11. q. 3. cap. *Nolite recedere.*
Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirūpant vos.

Sanctum vocat Deo dicata & consecrata, atque ita illi templōe illius & sacrificijs adiecta vt ad profanos vsus transferri nequeant, sancti autē & margaritæ nomine ob excellēs eius precium, excellentissimum omnium Dei verbū appellat, quod indignis (hos enim porcos vocat & canes) & nihil inde profecturis, sed magis Deum Dei que doctrinam blasphematuris prædicari non vult. Hoc autem intelligamus quando nullus ex verbi prædicatione, ad illos aliōsue reductorum est fructus. Nam & ipse CHRISTVS rabidis canibus Pharisæis, & plerunque in actis Stephanus & Paulus verbum prædicauerunt, etsi nihil inde ad eos fructus

eos fructus reductorum intelligerent: sed id fecerunt, vt conuictis eorum & in faciem illis, ostensa eorum manifesta peruicacia, veros fideles ab eorum doctrina & conuersatione abducerent.

† *Petite & dabitur vobis, querite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui querit, inuenit, & pulsanti aperietur.*

Sunt qui differentiam ponant inter petere, quærere, & pulsare: mihi simplicius videtur Hebraica esse, qua nos velit DEVS instātes esse in oratione, sicut Paulus ait: sine intermissione orate. Nulla est autem eorum ratio qui dicūt: Scit DEVS qua re opus habemus, ergo non opus est petitione, & oratione. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit. Nouit quidem DEVS & qua re indigeas, & quid tibi daturus. Sed quia non nisi petenti daturus se præsciuit, ideo vult vt petamus.

Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se.

Fiduciam nobis insinuat ad petendum, quod quæ orauerimus exoraturi simus, à similitudine parentis terreni, qui cum non nisi bona filiis suis terrenis dare nouerit, multò minus pater cœlestis petentibus se filiis: non fortasse ad eorum semper voluntatem, quod aliquando non dare sed perdere esset, sed ad eorum vtilitatem. Cum enim quod è re nostra futurum non est, denegat, multo amplius donat denegans, quàm donaret denegata concedens: quod de Thefei postulatione ferunt.

† *Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & propheta.*

Summa est omnium præceptorum, quæ ad proximi dilectionem pertinent: vt tantumdem illi faciamus, quātum fieri nobis vellemus, & vt vulgatus verficulus ait. Nil facias aliis, quod tu fieri tibi non vis, & facias aliis quod vis tibi si bene possis: Hæc est enim inquit, lex & propheta, id est, totum in hoc est vetus testamētum, vt nemini iniuriam faciamus, neque cuiquam quid, quod nobis fieri nollemus.

† *Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spaciofa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.*

Per angustam portam & arctam viam, difficile ab initio virtutis iter intelligit, qua rarissime vulgus incedit. Lata autem porta, & spaciofa via, voluptatis via est, quò se penè omnes coniciunt. Vult ergo CHRISTVS, non vulgi ac plurimorum lata via voluptatis, quæ ad interitum ducit, suos incedere, sed paucorum, & ex virtute degentium, angustam virtutis portam intrare, & arcta via incedere.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem, sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona

na, bonos fructus facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest autem arbor mala, bonos fructus facere, neque arbor bona, malos fructus facere: Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ideo ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Quia sunt, qui se simulant arctam virtutis viam incedere, ne errore decepti, eos sequamur & cum eis praecipites in barathrum vitiorum ruamus, lubet ab eis nos attendere, Id est, cauere, neque ouium vestimentis, id est, simplicitati & candori, cuius tantum speciem praeseferunt, credere, intrinsecus autem violentiam, quam uti lupi praeseferunt, metuere. Et quia difficile est a verè simplicibus eos distinguere: A fructibus inquit, eorum cognoscetis eos. Quia ut inquit, arbor bona malos fructus, & mala arbor bonos fructus ferre nequeunt: neque tribuli aut spinæ uas ac ficus. Ita hypocritæ licet ad tempus improbitatem suam simulent & tegant, diutius tamen cælare se non possunt, quin quales sunt, tales edant fructus. *φιλοτιμιαν, φιλαυτιαν, φιλαργυριαν, & similia.* Et licet adblandiri antea videbantur, suis tamen ut spinæ & tribuli aculeis, tandem grauius cædunt ac pungunt. Ne autem huiusmodi malas arbores imitemur, ex consequenti earum excidio & exustione nos admonet.

† Luc. 6. g. Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum caelorum, † sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. † Multi dicent mihi in illa die: domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus & tunc consitebor illis: quia nunquam noui uos. † Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem.

† Psal. 6. d.

Luc. 6. f.

1. m. 2. 5. g.

Admonet ne blandorū uerborū specie, abduci nos ab hypocritis & hereticis sinamus. Videtur enim mihi hoc loco nostræ tepestatis haereticos notare, quibus nihil est tā siuequē in ore, quā speciosa illa nomina, *le seigneur, la foy, le pere celeste*, quæ cum frequenter balbutierint, toti uideri uolunt spirituales & caelestes, cum si penitus introspexeris, neminem ferè eorum inuenias, qui a recta fide & ecclesia, ad suum (ut uocant) Euangelium non transfugerit: quem non aut ambitio glorieque cupiditas pertraxerit, aut auaritia impulerit, aut libido incenderit. Nemo autem putet me in hoc uelle eorum uitia carpere, Vt uerè catholicos & ecclesiasticos vitiorum expertes, uelim facere: Sed ut intelligant omnes quales habuerit nouum hoc Euangelium legislatores. Duas enim tantum leges ueras & sanctas, in scripturis inuenio, quarum utraque & legislatores pientissimum, & promulgatores habuit sanctissimos. Qualis enim fuerit ueteris legislator Moyses, testatur scriptura, quæ eum dicit **mitissimum fuisse omnium, qui super terram erant.* Eius autem promulgatores patriarchæ & prophetae. Et cum deo uisum est, noua inducta ueterem facessere, neminem dignum duxit per quem ferretur, nisi unigenitum CHRISTVM filium suum IESVM. Ille autem, legis a se late promulgatores Apostolos, ac subinde martyres, omni que sanctimonia praeditos uirios. Quæ autem Lutheri legislatoris noui sanctimonia fuerit, nescio, nisi quoddam sanctimoniale uirginem, ab se seductam, imprauatam & impregnatam, monachus ipse, pro uxore duxerit: quo non magis horrendum facturus est Antichristus, cum uenerit: cæterisque Euangelij sui promulgatoribus, ut idem facerent author fuit. Nam qua fuerit modestia, uirulenti eius libri docent: quibus pro uirili nititur, non CHRISTI legislatoris modo legem, sed & promulgatorum eius sancita abolere, & interpretationem. Sed hæc missa faciamus. Quibus tamen admonere lectorem obiter uoluimus, ne sibi fucum fieri sinat ab hypocritis haereticis, speciosa illa uocabula CHRISTI, fidei, Charitatis, semper in ore gestantibus, & quibus ab aliis facile discreueris eos. Non omnis enim qui mihi dicit: domine domine intrabit in regnum caelorum, dicit sic CHRISTVS. Id est, non omnis qui me confitetur, quantumcunque in me fidem ac fiduciam habere se iacet, intrabit in regnum caelorum, sed qui cum uera fide, patris mei caelestis uoluntatem fecerit. Quibus

* Num. 12. a.

† sed
uerbis

uerbis aperte, sola fide & uoculis absque operibus, nos non saluari docemur: & si non uideatur ergomastigi cuidam: qui hic asserit damnari non fidem operibus uacua, sed hypocritism. Nunquid enim ij fidem habebant, quos asserit dicturos domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & uirtutes multas fecimus? Hæc sane facere nemo potest, qui fidem in CHRISTO non habuerit. At quia consentanea fidei opera non fecerunt, sed quæ iniqua sunt patrauerunt, propterea asserit se dicturum illis: Non noui uos discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Nosse autem in DEO non semper sumitur pro eo, quod est notitiam alicuius habere: Hoc enim modo omnes & probos & malos nouit DEVS: sed aliquando pro notitia ut uocant approbationis, qua gratum aliquem habet, quomodo hic sumendum est.

† Omnis ergo qui audit uerba mea hæc, & facit ea, assimilabitur uiro sapienti, qui edificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Fundata enim erat super firmam petram. Et omnis qui audit uerba mea hæc, & non facit ea, similis erit uiro stulto, qui edificauit domum suam super arenam: & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna.

Cum fides, teste Paulo, sit ex auditu, ostendit hac parabola inane esse fidei ædificium, nisi adsint ædificio opera bona. Quod qui DEI uerba audit, neque consentanea illis opera facit, perinde est ac si super arenam domum ædificauerit, quam descendens pluuia, & manantes fluij, uentique flantes corruiere fecerunt. Quod autem pluuia, fluij, uenti, uides mystica significare, licet cuique philosophari, modo is pie scholiastæ munus non excedat.

Et factum est cum consummasset Iesus uerba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat autem docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scriba eorum & Pharisei.

Mirare populi attentionem, & præcipue doctoris auctoritatem, cuius doctrina uidebatur quoddam præ se ferre imperium, cogereque non perperam affectos, sicuti erant Pharisei & scribæ sibi fidem habere: cuiusmodi est omnis sermo DEI, a uiro bono prædicatus, Imo & ipse tanquam futuri iudex seculi, audenter bonis promittebat salutem, malis autem damnatiorem.

CAPVT OCTAVVM.

VT CHRISTVS legem latam in monte confirmaret, in descensu montis leprosum mundauit, Centurionis puerum a paralysi, & Petri socrum a febre curauit, cum plerisque alijs egrotis, Ipse transfretans, a somno ingruente tempestatis periculo, a discipulis excitatus, Legionem demonum mittit in porcos.



† Um autem descendisset Iesus de monte, secuta sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus ueniens, adorabat eum dicens: Domine, si uis potes me mundare. Et extendens Iesus manus, tetigit eum, dicens: Uolo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris, † sed

† Mar. 1. g.
Luc. 5. b.

† 93. dist. ca. † *sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod praecepit Moyses in testimonium illis.*

† 1. cap. Con-
uertimini. Nota est huius leprosi historia, restat scrupus, cur dixerit ei CHRISTVS: Vide, ne-
mini dixeris. Videtur mihi non planè CHRISTVS inhibuisse, sed praecepisse nemini
diceret, priusquam sacerdotem adisset, quomodo & aliis tribus discipulis in monte Tabor
praecepit, vt nemini quicquam dicerent de visione transfigurationis eius, priusquam filius
hominis à morte resurrexisset. Voluit enim vt inopinato & insperato mundatum videntes
sacerdotes, authoremque miraculi agnoscentes, vel ipsa rei inspectione conuincerentur, con-
funderenturque. Illud enim indicant verba sequentia, In testimonium illis: quæ referri de-
bent ad To, offer. non ad To, praecepit. Id est, vt vel mundatione tua conuicti, in me cre-
dant. Quod enim quidam interpretatur: In testimonium, in legem vel ius illis, id est, offer
munus tuum, quod eis iure deberetur, nugari est, non interpretari. Quia autem in lege, testi-
monio erat opus sacerdotis ipsi leproso, quo mundus iudicaretur: Ideo ad sacerdotem re-
mittit dominus & quia exploratam habebat sacerdotum auaritiam, qui grauitè ferrent
quicquam de suo iure decidi, ius & vt solitum ex lege munus illi offerat. * Munus autem in
lege solitum, erant duo passeris viui, & reliqua quæ Leuit. 14. habentur.

† Luc. 7. a. † *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum
& dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torque-
tur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio
ait. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic
verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate con-
stitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade & vadit: & olio veni
& venit: & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, mi-
ratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fi-
dem in Israel.*

Vide situm vrbs Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans & c. Quem Matth. di-
cit accessisse, Lucas ca. 7. non accessisse, sed seniores Iudæorum ad eum misisse. Neque ta-
men ob id Matthæo contrarius. Matthæus enim vulgari modo venisse eum dicit, qui per
alium venit, iuxta vulgatum prouerbium: Qui per alium facit, per se facere videtur. Quem
puerum Centurionis vocat Matthæus, Lucas seruum dicit. ^{quæ} autem Græcum vtrunque
significat. Hic autem digna adinaduersione est, mira Gētilis Centurionis fides, qui domi-
num credidit, solo verbo, posse sanitatem afferre: quam fidem tanti dominus aestimauit, vt
se tantam dicat non inuenisse in Israel. Præclarum verò simplicis hominis argumentum à
minori. Ego inquit, homo sum, vti alterius potestati obnoxius: Ita subiectos habens mihi
milites, qui quicquid dixerò, statim exequantur: tantò magis tu DEVS, qui vniuersa solo
verbo creasti, puerum meum nullius adminiculo, solo verbo tuo sanare potes. Quasi dice-
ret: Quāuis simplex sim homo, nec mei iuris sed alterius, tamen soli verbo meo obediunt
serui mei, quātò magis tu, cū DEVS sis, infinite potens, & simplici verbo tuo obedient
omnia. Quibus auditis, CHRISTVS miratur alienigenam, scripturas legis & prophe-
tarum ignorantem, & tamen vera fide indigenas superantem.

† Malach. 1. c. † *Dico autem vobis quòd multi ab oriente & occidente venient, & re-
cumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem
regni euicientur in tenebras exteriores: Ibi erit fletus & stridor dentium.
Dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est
puer ex illa hora.*

Prædicat

Prædicat hoc loco, breui futuram Iudæorum abiectionem, assumptis gentibus, quas Cen-
turio figurabat. Multi inquit, ab oriente & occidente venient. Vide num Iudæa sit magis
meridionalis in comparatione ad Gentiles: & recumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob
in regno cælorum. Siue hic regnum cælorum Euangelium intelligatur, quod reuicentibus
Iudæis, à gentibus est receptum: siue ipsa cœlestis gloria, vtrūque verum. Rectè verò Abra-
ham, Isaac, & Iacob meminit, de gētib; loquens, quorum promissionibus tantopere fide-
bant Iudæi, vt vel ociosi ob illas solas, saluari se crederent, vt illi deinceps fidere desinerent,
cognoscentes, beatitudinis eorum gentes, participes esse. Filij autem regni, Id est, Iudæi de-
stinati ad regnum cœlestè, tanquam filius DEI & populus electus, siquidem DEO parere
voluissent, ac Euangelium legi succedens & eam consummans, recipere, euicientur in tene-
bras exteriores, Id est, in perpetuam Gehennam condemnabuntur.

† *Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.*

Marcus 1. Cap. & Lucas 4. afferunt pro ea socru rogatum CHRISTVM, quam sta-
tim à febre curauerit: quæ vt inquit, surrexit, & ministrabat eis. Quòd autem curata mini-
strabat, ostendit quòd cū DEI gratia curati simus à peccatis, ociosos nos esse non oportet.
Sed ad bona accingi opera, ne acceptam gratiam, si non bonis operibus exercuerimus,
effluere sinamus. Reuera autem dicit ministrasse CHRISTO & apostolis, vt intelligas
perfectam fuisse & non mancā illam sanitatem.

*Vespere autem factò, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & euiciebat
spiritus verbo: & omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quòd di-
ctum est per Isa. prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & egrotationes nostras portauit.*

Sane vespere fidei inclinante (quando vt Paulus ait) * omnia in incredulitate conclusit, * Rom. 11. d.
vt omnium misereretur, passim inuadere dæmonia cœperunt homines: Nulla enim re magis
dominium in homines dæmon caput, quàm per incredulitatem. Omnes autem oblatos
dæmoniacos, & quacunque ex egritudine malè habentes, curauit, vt adimpleretur * Isa. 53. b.
prophetia, 53. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Eadem
enim penè sunt verba Matthæi & Isa. vt credatur Matthæus Hebraicè scripsisse.

*Videns autem Iesus turbas multas circum se, inquit discipulos ire trans fre-
tum. Et accedens vnus scriba, ait illis: Magister sequar te quocunque ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem
hominis non habet vbi caput suum reclinet.*

Et nos quoque si veri discipuli IESV esse volumus, trans rerum mundanarum inque-
tum fretum abire oportet: & sedatis carnis ac mundi tumultibus, in vno DEO acquiesce-
re oportet. Quòd cū efficeret, accedit ad eum vnus scriba: qui curiositatis magis, aut com-
modi sui gratia, CHRISTO se affectatorem obtulisse videtur. Nimirum quòd quem iam
videret tot clarum miraculis, tanto populi applausu & fauore dignatum, aliquem tandem
ac magnum in mundo futurum. Vt autem hoc illi desiderium inane CHRISTVS aufer-
ret, paupertatem suam CHRISTVS obiicit, cui post tot labores, nulla esset reposita ad
quiescendum domus, cū suam habeant, & volucres nidos, & vulpes foueas.

† *Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine permittite me primum ire, & sepelire*

sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Is est cui, Lucas dominum dixisse, ait: Sequere me, ipsumque respondisse: Domine per-mitte mihi &c. Quia verò leuiora, quæ patri mortuo debentur officia, amoris CHRISTI præferbat, denegans illi CHRISTS quod petit, Sine inquit, vt mortui peccato vel fide, sepeliant mortuos suos. Tu autem qui fide vis viuere, nihil cunctatus, nihil aliorum officia moratus, sequere me.

† Mar. 4. d.
Luc. 8. d.

† Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus. Et dixit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

* Cantic. 5. a

Mira CHRISTI dispensatio, qui discipulorum fidem tentaturus, Ita mare conturbat, propè vt abforet quin nauicula periret. Ipse verò interim, qui nunquam dormit neque dormitat, dormiebat: siue re vera dormiret interim, vigilante intellectu: Sicut alibi dicitur. * Ego dormio & cor meum vigilat: siue dormire se simularer, illorum fidem exploraturus periclitantium: quæ vt infirma erat, certè non omnino perierat. Dicunt enim: Domine salua nos, perimus. At infirma & pusilla erat, qui non putabant dormientem CHRISTVM saluare eos posse. Quod & illis exprobrat CHRISTS: Statim autem vt surrexit, & ventis imperauit, facta est magna tranquillitas.

† Mar. 5. b.
Luc. 8. c.

† Et cum venisset Iesus transfretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo, habentes demonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis: Ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei. Venisti huc ante tempus torquere nos.

Græci legunt Gergesæorum, Marcus & Lucas Gadarenorum, alij Gergesæorum à ciuitate Gadara vel Gergesa: quam Hebræi Giufar dicunt: & est in regione Traconitide, in qua Philippus frater Herodis tetrarcha fuit. Ea enim regio est trans lacum Genesar, qui & Genereth, citra Galilæam. Quò cum venisset CHRISTS, occurrerunt ei duo dæmonia, id est, duo dæmoniaci, immundis & sæuissimis spiritibus agitati. Dæmones autem IESVM agnoscentes, deprecabantur ne se ante tempus torqueret. Licet enim nunquam non luan impietatis & arrogantia suæ pœnas: quia tamen grauius post iudicium torquendi sunt, perpetuum cum his quos seduxerunt, quasi non antea torqueri dicantur, aiunt: ante tempus venisti torquere nos. Nonne DEVM illum esse cognouerunt? Respondet ibi Chryso-sto. Quoniam IESVM turbæ hominem appellabant, accesserunt dæmones, deitatem eius prædicantes. Verùm ne assentatiuncula hæc dicere videantur, rebus ipsis probant, dicentes: Venisti huc ante tempus torquere nos. Nam nemine vidente flagellabantur, multo magis quàm paulò antè, perpuncti præsentia CHRISTI atque incensi vexabantur, nec ferre vllò modo poterant. Quia autem nunquam non nocere hominibus dæmoniaci prauitas quærit, rogant CHRISTVM vt eos in gregem porcorum mittat vt vel hoc modo illorum dominis incommodent, quos ingressi præcipites in mare dederunt. Quo miraculo attoniti pastores, dum ea nunciant, non modo non sanatis dæmoniacis congratulantur, neque saluatori ac medico CHRISTO gratias agunt, leuiorem ducentes CHRISTI quam porcorum

porcorum absentiam, rogant ab se discedere, metuentes ne similem ex aliis dæmoniacis, porcorum iacturam facerent, in mare iactatorum. Istud autem mare, lacus erat Geneza-reth, quem vt omnes aquarum congregationes, mare Hebræi appellant.

CAPVT NONVM.

CHRISTVS à Gerasar reuersus in Capharnaum, paralyticum sanat, Matthæum in Apostolatam vocat, murmurantibus imponens silentium: Archisynagogi filiam suscitaturus, hemorrhoidiam tactu san- bria curat, duos cecos & mutum plurimosque alios sanat agrotos, & blasphemantibus Pharisæis, discipulos in moribus & doctrina confirmat.



† Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis, dixerunt intra se: hic blasphematur. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge & ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turba timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Capharnaum, CHRISTI ciuitatem vocat, quòd id temporis frequentius illic ageret: quò loci paralyticum illi adducunt. Cumque præ turba offerre illi non possent, summum per regulas illi offerunt: scilicet, confidentes paralytico salutem se impetraturos. Quod & factum narrat Euangelista. Et si tantum cuique fides profit aliena, quantum quæso valitura est propria? Quid autem his verbis humanis: Dimittuntur tibi peccata tua. Et hoc tam en scribis scandalo est CHRISTVM ob id blasphemare censentibus, quos redarguturus & illorum cogitationes internas perspectas se habere ostendit: Et qui paralyticus fuerat lectum suum tollere, inque domum suam abire iussit.

Et cum transfret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Et videntes Pharisæi, dicebant vester? At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium?

Hic est Matthæus Euangelista & publicanus. Est autem publicanus, qui à fisco conducit

vestigalia, à Romanis olim habitus in precio, odiosum autem hominum genus ipsis olim Iudæis: quod ab eis qui se liberos iactarent, vestigalia exigent, neque nunc multo gratiosius vulgò nostrati. A telonio autem vocatus Matthæus, statim paruit, domini quoque conuiuio excepit, multa publicanorum aliorum & peccatorum turba comitatum. Quare indignabundis Phariseis, rationem reddit cur, id faciat. Non est inquit, opus valentibus medico, sed malè habentibus. Quod postea clarius dicit: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Vos autem inquit, discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Quia Pharisei, externorum sacrificiorum studiosi erant, misericordiæ opera negligentes, discite inquit, ex me, quid est misericordiam volo, & non sacrificium. Id est, misericordiam malo, quàm sacrificium externum. Vos autem misericordiam impartiri proximo non vultis, qui publicanos & peccatores accipi conuiuio indignamini, & peccatores arceri vultis, quorum gratia magis veni, quàm iustorum. Non enim inquit veni vocare iustos, sed peccatores (vt Græci subiungunt) ad pœnitentiam. Nam vocatione ad beatitudinem, iustos venit vocare, qui paratum omnibus offert regnum cœlorum.

† Mar. 2. d. Luc. 5. f. *Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: † Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis IESVS: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*

Dicentes: quare nos, & Pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant: hoc dixisse Lucas ait Phariseos & scribas, quod Matthæus Ioannis discipulos. At qui excitatos à Phariseis illos non dubium est. Arbitrabantur enim Pharisei, pro causa discipulorum facturum Ioannem, ac sic si per alios apostolorum facta reprehenderent, extra inuidiam se futuros. CHRISTVS autem discipulorum accepta causa: Nunquid possunt inquit filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Ieiunium non modò abstinentiam ab esu & potu significat, sed quancunque carnis macerationem & afflictionem voluntariam, etiam vestitus asperitatem. Quemadmodum & Niniuitæ ieiunabant, cinere caput asperso, & faggos silitiaque induti: Vnde & nunc lugere pro ieiunare sumit CHRISTVS: Sponsus CHRISTVS est, sponsa Ecclesia. Vt docet ad Ephesi. 5. Paulus. Cui Ecclesie, per carnis assumptionem desponsatus est. Nuptiarum autem tempus fuit dispensatio CHRISTI, in carne viuentis. Vti verò non decet nouum sponsum sponsaliorum tempore austerum ac seuerum esse, sed hilariter suos habere: Ita quandiu viuenti CHRISTO in carne affuerunt discipuli, noluit eos ieiuniis affligere, neque vllis persecutionum flagellis tentari referuans ea in tempus ablati sponsi, post ipsius ascensionem: quo tempore & assidui fuerunt in orationibus & ieiuniis, ac penè per omne tempus à Phariseis & tyrannis afflictati.

† Mar. 2. c. Luc. 5. d. *† Nemo autem immittit commissuram panni rudis, in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit.*

Græcè οὐδέ τις ἐπιθεῖλαι ἐπιθεῖλαι ῥακούς ἀγνάφου ἐπιματῶ μαλαῖα ἀεὶ γὰρ το πλέρωμα ἀντὸ ἐποτρύματι. Budeus sic censet vertendum: Nemo autem adsuit additamentum panniculi impoliti vesti vetustæ: aufert enim illud supplementum eius à veste, & deterior fit scissura. ἐπιθεῖλαι enim, pro quo interpretes commissuram vertit, licet Marci 2. vertent assumentum, magis additamentum seu auctarium significat, quàm commissuram, quæ coniunctionem magis significat & adiunctionem, quàm adiunctam partem, seu additamentum. Commissura enim Græcis potius dicitur σῶμα φρία, siue συναφί & ἐναρμόγι, quàm ἐπιθεῖλαι. ῥακος autem, quo vsus est interpretes, vestem laceram & detritam significat: & aliquando etiam panniculum seu linteolum, etiam non detritum.

tum. Duabus autem similitudinibus sequentibus probat non fuisse tam citò ieiuniis & aliis grandibus exercitiis onerandos discipulos, adhuc fragiles & rudes. Obiurgabant discipuli Ioannis, & Pharisei CHRISTI discipulos, quod non frequentius vt ipsi orarent, & ieiunarent, quibus similitudine hac respondet CHRISTVS: cum vestimentum aliquod vetustate iam detritum est & fragile, si quid in eo resarciendum est, imprudenter faciet sartor, si veteri panno ac vetustate iam fragili, commissuram atque additamentum addat & consuat panni rudis, impoliti & noui. Quod cum ipsum nouum fortius sit veteri, ac sic facilè excindatur ab ipso veteri, deterior fit scissura, exciso nouo, secum adhuc rapiente partem aliquam veteris. Porro quanquam scissura noua non fieret, sicut Lucas dicit, veteri non conuenit commissura à nouo, id est, incongruum est, videre vestem aliquam veterem ac detritam, noui panni commissuris resartam. Quod autem Matthæus dicit: Tollit enim plenitudinem eius, Sensus est, quod sartor nouo panno vestem tritam resartiens, dum sarcire putat, peiorem scissuram facit, quia tollit plenitudinem: Græcè πλέρωμα, Id est, id noui panni quod assumptum erat, ad suppleendum quod deerat à veteri. Ita veteres ac fragiles adhuc discipuli, nondum à spiritu sancto confirmati, non poterant adhuc assumentum noui panni sustinere, id est, noua gratiæ exercitia, frequentium scilicet ieiuniorum & orationum ferre. Cum autem ablati fuit ab eis sp̄sus, & missus spiritus sanctus, de quo dicebat CHRISTVS: * Nisi habiero paracletus non veniet ad vos: tunc fortiores facti, frequentes esse cœperunt in orationibus & ieiuniis. * Ioan. 16. b.

† Neque mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rūpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur. † Mar. 2. c. Luc. 5. f.

Alia parabola idem probat. Vt quoniam vinum vetus propter feruorem & ebullitionem sui, vasa vetera & putria, nimiaque vetustate detrita (hoc enim vocat veteres vtres) frangere soleat, nemo prudens, veteres vtres vino nouo impleat. Alioqui vttribus fractis vinum ipsum effluet. Ita si quis arduis velit recens credentes & CHRISTO renatos Apostolos onerare præceptis eiusmodi, frequens ieiuniorum & orationum vsus, illos frangat, hoc est, despondere illos animum faciat præceptorum austeritate fractos. Ita duplicem operationem perdat. Nam & vtres effringentur, & vinum nouum effundetur, id est, & ipsi in desperationem adducuntur, & peribit frustra sperata gratia ex adimplatione illorum præceptorum. Qui autem vttrumque vult conseruare, & vinum nouum in vtres nouos mitat, id est, fortes ac spiritu confirmatos homines, difficilibus virtutum præceptis onerare non formidet, & in veteres vtres vinum vetus reponat, id est, adhuc fragilibus, pro sui capacitate, humana det ac facilia præcepta. Secundum Hieronymum autem sensus est: Commissura vestimenti noui, & vinum nouum, præcepta sunt Evangelica, per quæ exuto veteri homine, in nouum hominem Christianus renascitur. Huiusmodi autem pannus nouus, non est veteri assuendus, neque vinum illud Evangelij nouum veteribus immittendus vttribus, Iudæis scilicet, scribis & Phariseis, vetustatem adhuc literæ mordicus retinentibus, & corruptæ vetustatis mores reprehendentibus. Iis enim neutrum profuturum est, sicut Paulus ad Galatas scribit: vtunque testamentum seruare falsò persuasis * Si circumcidimini inquit, CHRISTVS nihil vobis proderit. Merito ergo CHRISTVS hunc pannum rudem iudaicæ vetustati prohibebat immitti, ne peior scissura fieret, si iudaica vetustas nouitatem scinderet Christianam. * Gal. 5. a.

† Hac illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens: † Mar. 5. b. Luc. 8. f. *Domine filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgēs Iesus sequebatur eum, & discipuli eius: † Et ecce mulier quæ sanguinis fluxu patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit simbriam vestimenti eius: Dicebat enim intra se: † Si tetigero tantum vestimentum* † Mar. 5. d. Luc. 8. f.

^{†Mar. 5.f.} eius, salua ero. At Iesus conuersus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius. Et dixit: Puella surge. Et surrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuersam terram.

De sanata filia Iairi principis Synagogæ, de quo hîc Matthæus. Marcus 5. cap. Narrat longè postea factum, quàm præcedentibus similitudinibus vsus esset CHRISTVS: Lucas quoque 8. cap. scilicet post immisos in porcos dæmones. Vide huius rei concordiam. Nam quod Matthæus ait eum dixisse: Filia mea modò defuncta est, Lucas: Et hæc moriebatur. Marcus quod idem ferè est cum Luca, in extremis est. Anxij nimis in parte animi indicium est, qui in extremis agentem, desperata iam salute, iam defunctam asserbat. Quod vtique verum puto. Nam profectus morientem reliquerat, & patre CHRISTVM afflicto, iam mortua erat, sicut & mortuû CHRISTVS reperit. Cùm autè suscitaturus eam CHRISTVS abiret, Obiter mulier quædam duodecim annis sanguinis fluxum patiens, desperata ab hominibus salute: quippe quæ totas in medicos facultates insumpserat, tanta fide CHRISTVM adiit, vt vno vestimentorum eius contactu saluam se fore crederet. Quod & factum narrat Euangelista. Fufius narrat historiam Lucas, de qua & ibi plura dicturus, de que historiæ allegoria. Ea autem sanata vbi venit IESVS in domum principis, mortuam eius filiam reperit, & tibicines paratos, siue ad deferendam filiam pro more adessent, siue ad leniendum parentum luctum. Ille autem mortuam puellam non esse testatur, sed dormire: propter scilicet futuræ statim suscitationis accelerationem. Quod autem Matthæus dicit eiecta turba eum intrasse, addit Lucas Petrum Iacobum & Ioannem, patremque ac matrem puellæ solos secum admisisse.

Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miserere nostri fili David. Cùm autem venisset domum, acceperunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dixerunt ei: Vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum: Et comminatus est illis Iesus, dicens: Videte, ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa.

Nota est huius historiæ litera. Aduertendum autem quòd non statim, neque in via curantur, sed cùm domum CHRISTI essent ingressi, discussa primùm eorum fide. ex quo argumentum debemus capere nemini extra CHRISTI domum, quæ est ecclesia, absque fide salutè obuenire. Vtrûque enim oportet esse nobis, neque cuiquã profutura est vel sùma fides, si extra ecclesiæ septa aberrat. Quod autem interdixit eis, ne miraculum diuulgaret, domi factum, id nostri causa fecit, ne ex occultis beneficiis nostris, inanem venemur gloriam: Neque verò putandum est quod inaniter Buccerus asserit in diuulgando contra DEI præceptum miraculo cæcos deliquisse, quos non contemptus gratia, sed vt Hieron. asserit gratitudinis nomine fecisse constat. Hilarius autem dicit CHRISTVM illis silentium imposuisse, quia Apostolorum erat proprium prædicare & non vulgi.

^{†Luc. 11. b.} Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum demonium habentem. Et eiecto demonio locutus est mutus, & mirata sunt turbæ dicentes: Nunquam

Nunquam apparuit sic in Israel. Pharisei autem dicebant: In principe demonum eiicit dæmones. Et circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem.


Solet dæmon obsessorum obstringere linguam, obturare aures, rationemque impedire quantum à domino permittitur. Huius igitur obsessi, qui nec natura mutus, sed lingua à dæmone ligatus, CHRISTVS non fidem requirit, qui nec loqui poterat, sed prius dæmonem impediens loquelam eiicit, & tunc locutus est qui fuerat mutus. Ita vt in admirationem duceret turbas CHRISTVS, vt pote qui non solum verbo vel tactu, sed & solo nutu curaret omnes languores, sed non sine Phariseorum murmure.

Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Vidit IESVS turbas, quas nemo Iudæorum docere curabat, vtpote quæ destitutæ essent rectore, dispersæ essent sine pastore, & vexatæ essent sine quiete: propterea discipulos iubet curam illorum habere, dicens: Messis quidem multa, id est multa turba est audiendo DEI verbo procliuus & apta: Pauci autem magistri sunt ex Iudæis, qui curent eam: vnde Ioan. 4. * Videte regiones, quia albæ sunt ad messem. Operarij autem pauci, id est, pauci prædicatores pro aliorum portione. Ideo rogandus dominus messis, agricola ille cælestis, DEVS videlicet pater, vt operarios mittat, id est bonos ac fideles prædicatores, qui non ipsi se ingerant, sed à DEO mittantur.

CAPVT DECIMVM.

ACCERSITIS duodecim Apostolis & eorum nominibus recensitis, dedit illis CHRISTVS virtutem, non solum animas sed & corpora curandi, paupertatem præcipit, persecutorum metum prohibet, aduersus quos prudentiam docet: & prædicationis modum ostendit, cuncta etiam prospera DEO postponendo.



^{†Mar. 16.f.} T conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem ^{Luc. 10. d.} spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent ^{Mar. 3. b.} omnem languorem & omnem infirmitatem. Duodecim autem ^{†Mar. 3. b.} discipulorum nomina sunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur ^{Luc. 6. b.} Petrus, & Andreas frater eius. Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius. Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphaei, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Scariotis, qui tradidit eum.

Quòd CHRISTVS Apostolis præceperat rogandum dominum, vt eos in messem eiiceret, & illorum præuenit orationem, quia illorum maiorem quàm ipsi curam haberet, non ob id præcipuè præcepit, sed vt promptiores essent ad diuina excipienda præcepta. In hoc autem dedit illis potestatem aduersus spiritus immundos, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem. Hoc autem multùm facit aduersus hæreticos, qui dicunt in patrandis miraculis, nihil profus sanctos agere, sed passiuam tantùm instrumenta esse, per quæ agat

DEVS. Quod si Apostoli & alij sancti se in edendis miraculis passiuè habuerint, quare ipsi hæretici miracula non sæpius edunt.

Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis, & dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel.

Quoniam Iudæi populus DEI electus erant, filiique regni, primùm illis prædicari oportebat regnū DEI, vt Paulus Act. 13. ait: *Vobis oportebat primùm loqui verbū DEI, sed quia indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cōuertimur ad gētes. Et alibi dicit CHRISTVS: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: non quod aliorum gratia non venerit CHRISTVS, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: sed quod Iudæorū primùm gratiā, quibus primùm factæ sunt promissiones. Vnde Paulus frequenter ait: Iudæo primùm & Græco. Ita nunc non simpliciter interdicit, ne ad gentes abeant, aut ad Samaritanos: sed ite potius inquit, ad oues quæ perierunt domus Israel, vt non indignarentur (quemadmodum peruersa & perfracta est natio) sibi gentes esse prælatas. Ad Samaritanos etiam ire prohibet, qui & si Moysen recepissent, non tamen integrè seruabant. Fortasse etiam inhihet, quod & gentes & Samaritani odio essent Iudæis, & immundos ducerent qui cum illis conuerfarentur. Itaque Apostolorum prædicationem tanquam à gentibus profectam, non recepissent.

Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquabit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprofos mundate, demones euicite, † gratis accepistis, gratis date.

† 1. q. 1. cap.
Quia quid
1. Petr. 4. b.

Summa prædicationis quam iubet eos prædicare est, quod regnum cælorum appropinquauit, vel ipse CHRISTVS scilicet, qui in electorum suorum mentibus regnat, vel ipsa vita æterna quæ ideo appropinquare dicitur, quod CHRISTO adueniente facilius sit omnibus via ad illam. Quandoquidem verò nouam Euangelij legem prædicaturi erant, vult illos eam cum prædicatione à miraculis auspiciari, infirmos scilicet curare, mortuos suscitare, leprofos mundare, demones euicere: Id cum fecerint noui Euangelistæ nostri, erit forsan quod dubitemus num illis habenda sit fides. Et quia dona illa spiritualia gratis acceperant Apostoli, gratis etiam vult ea illos conferre. Non quemadmodum Simon ille Magus, qui existimauit donum DEI pecunia se posse possidere: vt semel acceptum vendere aliis posset. Vel ille Giezi puer Elisæi prophete: qui secutus Naaman Syrum à domino mundatum composito mendacio vendere voluit, quod propheta gratis dederat.

† Mar. 6. b.
Luc. 9. d.

† *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus enim est operarius cibo suo.*

Primos Euangelici verbi ministros ab vno DEO pendere volens, nullius rei temporalis sollicitudinem habere iussit. Non auri, argenti, pecuniæ alicuius, non viatici, quando peram eos ferre vetat: qua vel vnius diei victū ferre solemus. At vti de victu sollicitos esse nō vult, ita neq; de vestitu anxios: cum duastunicas ferre eos inhihet & calceamēta. Quod intelligendum sane est de tunicis & calceamētis mutatoriis. Nā Mar. 6. vult eos calceatos esse sandaliis. Porro nullā aduersus latrones quoq; sollicitudinē eos vult habere, dum virgā ferre vetat eos, indubiè qua vti solemus ad nos aduersum latrones defendendos. Nam & virgam qua ambulantes nitantur, illis concedit Marc. 6. vbi dicitur: & præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgā tantūm. In summa sicut omni cura & sollicitudine semotos esse voluit nouos Euangelij sui præcones, vt ab vno DEO pendere discerēt, qui nosset illis sufficere quacūq; re opus haberent. Quod & factū docet Luc. 22. dicens. *Quādo misi vos sine sacco, & pera & calceamentis,

& calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerūt: Nihil. Quia verò dicere possent quomodo nobis victum quotidianum suppeditabimus, nisi vel nobiscum feramus vel pecunias vnde comparemus? Subdidit: Dignus est enim operarius cibo suo. Id est, si temporalis domini operarios cibus suus non deficit: cum ego vos cōducam, & in messem meā mittam, nolite quicquam vobis putare defore. Quod verò prædicantes Apostolos nullius rei habere curam voluit: non alendi sui, non vestiendi, non defendendi, temporarium fuit istud præceptum: Nam illis præsentia CHRISTI desitatis, ea licuerunt.

In quancūque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. † Intrantes autem in domum, † salutate eam dicentes: Pax huic domui. Et siquidem fuerit domus illa, digna, veniet pax vestra super eam, si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.

† 13. q. 1. ca.
Ecclesiast.

Non vult eos passim ac temerè ad quemcūque hospitem diuertere, sed ciuitatem aliquā ingressos, de probò hospite interrogare, & Euangelica prædicatione digno, atque ad illū diuertere, futurum scilicet, vt ille vicissim pro accepto Euāgelio illos alat. Neq; vult illos passim hospitium mutare tanquam veritos ne grauiores essent hospiti diutius apud eum manentes. Ideo ait: Et ibi manete donec exeatis. Futurum est enim vt ille lubens, ac non grauātè vos alat. Domum autem hospitis ingredientem pacem illi vult eos precari, atque hospitem salutatione præuenire. Quous enim modo fore, vt pax illa fructum afferat hospiti quidem & familiæ ipsius: siquidem Euangelica pace digna fuerit, sin indigna, fructum illius ad salutantes, ac bene precantes rediturum: hoc est, de oblata illis pace mercedem recipient, & hæc saluatio illis meritoria erit.

† *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. † Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij quàm illi ciuitati.*

† Luc. 10. b.
† 1. q. 1. cap.
Nonne Sodomita.

Quo confidentiores illos ad prædicandum reddat, pœnam subdit illorum, qui eos sermonesque eorum abiecerint. Contemptores enim verbi statim vult abiici. Quod verò ait: Excute puluerem de pedibus vestris, hyperbolica locutio est, qua nihil illorum planè cōmunem vult esse cum prædicatoribus Apostolicis. Tolerabiliorem quoque asserit fore in iudicio Sodomorum & Gomorrhæorum pœnam, quàm illorum verbi contemptorum, nimirum quod isti oblatum vltro ab Apostolis regnum cælorum abiecerint: Ad illos autem nec Apostolus nec propheta vnquam missi sint.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. † Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.

† dist. 36. ca.
Qui ecclesiastic.

Quia nihil illis defore ad prædicandum missis promiserat, etiam nullo viatico instructis, nulla defensione munitis, quod fati curæ essent patri cœlesti, ab omnibusque liberi molestiis forent, (quod indubiè CHRISTO cum illis agente intelligendum est) ne imminenti illis post CHRISTI mortē mala, tanquam improuisa, eos terrerent. Ecce inquit, mitto vos, id est, mittā vos (in secunda missione, quæ post resurrectionē suā facta est) sicut oues in medio luporum, id est, omnium penè inimicis petitos omniq; penè auxilio destitutos, præterquam meo pastoris. Qui sicut in prima missione ab omnibus seruatos tectōsq; molestiis seruabo, ita in secunda multis afflictatos petitōsq; malis, more boni pastoris, eripiam tandem ac liberabo. Rectè autem ouibus prædicatores euangelicos comparat, quod quemadmodum nihil in illis est ex quo fructum non capiant homines: nimirum ex lacte, carne, vellere, fimo: Ita nihil esse oportet in prædicatore Euangelico, ex quo non ad bonum ædi-

ficitur auditor Christianus. Vt quemadmodum tondenti se, imo & occidenti non obmurmurat ouis, ita animo affectum esse oportet euangelicum prædicatorem: vt & rerum suarum dispendium, imo & vitæ propriæ iacturam, ita fert Euangelicum negotium leue ducat patienterque ferat. At quoniam inter lupos, id est, hæreticos Euangelicorum; persecutores degendū erat ipsis Apostolis: Estote inquit, prudentes sicut serpentes, quo animalium genere nihil astutius, dicente Moyse, Genes. 3. *Sed & serpens erat calidior cunctis animantibus terræ. Prudentiam autem & circumspectionem Euangelico prædicatori his verbis desiderat, quod & *Ephes. 5. d Paulus ad Ephes. 5. * Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis: vt verò prudētēs & cautos esse oportet quo à luporum insidiis sibi caueant, ne quam in Euangelico negotio iacturam faciant, ita simplices oportet esse sicut columbas, atque ita Euangelicum tractare negotium, vt nihil fellis, nihil amarulentia, quemadmodum neque illæ, geramus aduersus fratrem. Et interim cum omni candore, simplicitate columbina rem tractemus Euangelicam.

† Ioan. 16. a *Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsidēs, & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & Gentibus.*

Lupos cum antea dixit, puto palam saeuientes tyrannos, & apertè insanientes hæreticos intellexisse: Nunc cum inquit: Cauete ab hominibus, hypocritas Phariseos intelligit: qui ne apertè sauire more luporum viderentur in discipulos, ac palam trucidare in concilijs suis agitato, & in synagogis flagellatos ad reges ducebant ab illis occidendos: quo eorum nomine impietatem suam ipsi cælerent. Sicut Act. 4. legimus incarceratos à Phariseis Apostolos in eorum concilia productos. Et vt 5. cap. legitur, conuocatos eos flagellis ceciderunt. Nam de Paulo manifestum est, quòd infinitis propemodum insidijs & molestijs agitato, tandem præsidibus Felici & Lysia occidendum tradiderunt. Quòd verò ait: ad reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Sensus est: quòd cum propter CHRIS TV M prædicatum Phariseorum, Scribarum, & Sadducæorum opera ad reges & præsidēs ducentur trucidandi in testimonium Iudæis & gentibus illud erit, id est, in conuictionem. Per hoc enim conuincuntur & Iudæi & gentiles, ita vt sint inexcusabiles, qui accepto de CHRIS TI aduentu testimonio, prædicantibus Apostolis credere noluerunt: Neque vllam habituri sunt ignorantia excusationem. Ne autem in his prædictionibus CHRIS TI terreantur, quid facturi sunt, quidque illis futurum est, rursus prædicat, ne iacula nō præuisa magis feriāt, consolationeq; perseverantibus promittit sequentibus verbis.

† Luc. 21. b. c *Cum autem tradet vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.*

Nulla vult eos præmuniri aduersum reges & principes humana prudentia, sed spiritui Dei vult illos fidere: quem pro illis responsum pollicetur. Sicut & Luce. 21. ait: Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, & resistere omnes aduersarij vestri. Tantam autem futuram persecutionem ostendit, vt mutuo in se parentes insurgant, omniumque penè hominum, non modò proximorum Christiani in se odia concitent: quæ qui pro CHRIS TI nomine neglexerit, & demum in eius nominis confessione perseverauerit, saluus erit.

† 7. q. 1. cap. Sicut alterius. ca. Ad uersitas.

† Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.

Non iunguntur

Non iunguntur verba ista præcedentibus, sed ad primam missionem referuntur, qua dictum est illis: Ite potius ad oues, quæ perierunt domus Israel, in qua profectioe nihil illis defuturum ostendit. Quòd si qua ciuitas illos non receperit, sed expulerit, & persecuta illos fuerit, vult illos in aliam fugere: non tam declinandæ mortis gratia, quæ illis in prima missione non imminet, quàm vt fructum Euangelij ex alia reportarent, ad quam confuissent. Non enim inquit, consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis, id est, non peragraueritis nec perfeceritis prædicationem, quam vobis faciendam mando in ciuitatibus Israel, donec veniat filius hominis in regnum suum, cum immortalis resurget: & tunc toti mundo prædicandi Euangelij potestatem vobis concedet.

† Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruus sicut dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius. Ne ergo timueritis eos. † Nihil enim est opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur.

Quia futurum erat vt opprobrijs multis & conuitijs in predicando ciuitatibus Israel afficerentur, præuenit eos ne animum despondeant: quasi dicens, satis esse seruo debet & discipulo, si non deterius tractetur quàm magister, & dominus eius. Sed patrem familias me scilicet ipsum, Beelzebub vocauerunt, dicendo me in Beelzebub dæmonia euicere, quæ insignis est iniuria, multò magis & domesticos eius simili & grauiori iniuria afficiet. Ad syllogismum autem perfectum ista sententia reduci potest. Si obnoxius est iniurijs aliorum magister & dominus, non debet grauius ferre seruus & discipulus, cum nec illo sit maior: sed obnoxius fuit magister & dominus Phariseorum conuitijs, iniurijs & calumnijs: ergo non debent grauius ferre serui & discipuli, si iisdem obnoxij sint aduersitatibus. Assumptio autem hinc probatur: quia non est discipulus super magistrum, neque seruus super dominum suum: neque enim superiores illi sunt: sed sufficere debet seruo & discipulo, si perinde tractentur sicut præceptor & herus. Hoc est enim quod ait: Sufficit enim discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius. Hoc autem veluti æquum probatione non eget. Minorem aurem probat CHRIS TV S: Quia patrem familias vocauerunt Beelzebub, intolleranda cum iniuria afficientes. Igitur non debent commoueri, neque aliquatenus à prædicationis officio discedere ob intentatas sibi iniurias, ob easque animum despondere Apostoli ad prædicandum Israeli missi. Ne timueritis ergo eos inquit CHRIS TV S, & si opprobrijs & conuitijs multis indignis immerentes vos affecturi sunt, tandem enim constabit num vera illi dicant, ac vobis falsa imponant. Nihil est enim opertum quod non reueletur. Cum enim omnia dies reuelet, & si nunc persuadere nitantur orbi vos magos esse, demonumque vti opera, ipsa tamen dies declarabit: cum vbiq; prædicantes egros sanabunt, dæmonia euicent, nō magos vos esse cogentur palā fareri. Sic enim Chrysosto. interpretatur.

† Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicare super tecta. † Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeret assè uaneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

† De hæretica. Cum ex iniuncto. Luc. 12. a † 11. q. 3. Nolite timere. Luc. 12. a

† De hæretica. Cum ex iniuncto. Luc. 12. a † 11. q. 3. Nolite timere. Luc. 12. a

† De hæretica. Cum ex iniuncto. Luc. 12. a † 11. q. 3. Nolite timere. Luc. 12. a

† De hæretica. Cum ex iniuncto. Luc. 12. a † 11. q. 3. Nolite timere. Luc. 12. a

sententia ut palam & cum fiducia prædicetur Euangelium: & quia grauis poenæ omnibus erat Euangelij prædicatio, conspirantibus in prædicatores magnatibus omnibus & regibus, iubet discipulos nihil illos formidare: quod nulla illis sit in animum potestas, ut cūq; facere in corpus valeat: Sed Deum potius vereri, qui potest animum & corpus æternum perdere, volens hoc loco leuiorem illis esse corporis quam animæ iacturam. Quandoquidem neque aliquid in corpus possunt, nisi volente ac permittente domino, qui non illud finit perdi nisi maiore suorum bono & commodo. Id autem probat à similitudine. Nonne duo passeris affe vaneunt, &c. Id est, minutulæ ac viles volucres, sicut passerulus, adeoq; nullius momenti, ut affe tantum duo vaneant: & tamen absque patre vestro, id est, Dei vestri & patris prouidentia, nullus vnquam perit passerulus: vestri autem maior est cura Deo quam passerulorum, qui in numero habeat omnes capillos vestros. His autem verbis hyperbolicis immensum Dei erga nos affectum declarat, cui curæ sunt etiam minima nostra omnia. Vos ergo inquit, qui longè præstatis passeribus, nihil est quod metuatis à tyrannis, qui nihil in vos poterunt sine Dei permissione ac prouidentia, quæ non nisi in bonum vestrum cedet, vel si minutatim secti à tyrannis fueritis.

† Marc. 8. g. De pæni. di. 3. cap. Ad huc perfidi. De sacr. vn-ctio. ca. 1. ca. Quia vero. † Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui in cælis est.

Ad intrepidè confitendum coram hominibus nomen suum & præmio confitentium, & supplicio negantium hortatur: quia quem nihil puduerit CHRIS TVM coram hominibus confiteri, utque regem ac dominum suum agnoscere, agnoscat quoque eum uti suum coram patre cælesti CHRIS TVS. Et qui vel erubescencia ductus, vel timore perculsus, coram hominibus negauerit, negabit & eum coram patre CHRIS TVS. Non enim sufficit in eum credere corde ad iustitiam, nisi & ore, id est, palam accedat nominis eius confessio ad salutem.

† Mich. 7. b. † Luc. 9. c. & 14. f. in fra. 16. d. † Luc. 9. c. 14. f. & 17. g. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni mittere pacem sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurū aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam, perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Quia antea nihil nisi conuitia, minas, & persecutiones Euangelij prædicatores CHRIS TVS pollicebatur: contra autem prophetæ, læta & pacifica omnia in aduentu Messie promittebant, ne subita & insolita persecutione terreantur: Non veni inquit, pacem mittere in terram, sed gladium. Neque negat simpliciter se venisse ut pacem mitteret inter homines: sed non venisse ut terrenam & carnalem pacem mitteret. Terrena autem & carnalis pax erat, cum reges & principes terræ conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus CHRIS TVM eius, quomodo Phariseis ac tyrannis, ac primitiæ ecclesiæ hæreticis, qui conueniebant inter se aduersus Christianos. Huiusmodi inquit pacem, non veni mittere, sed gladium, id est, dissidium & separationem. Veni enim separare hominem, &c. (Et hoc, quidem ne nimium in τρεπολογία moremur) Euangelij enim prædicatio, quam attulit CHRIS TVS, omnem parentum inter se affinitatem discidit: dum Christiani, relictis contemptisque omnibus, vni CHRIS TO adhæserunt: affines autem eorum idolis suis adhærescentes, omnibus eos odiis omnique hostilitate sunt persecuti: atq; inuicem do-

mestici,


mestici, quibus cum summa intercesserat necessitudo, maximas ob Euangelium inter se contraxerunt inimicitias. Ne quis autem arbitraretur aduersum patrem aut matrem inimicitias, vel ob CHRIS TVM exercere indignum, subdit: Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, id est, quisquis patri aut matri, aut cuiunque rei in amicitia me posthabuerit, non est me dignus. Hoc est quod Lucas 14. cap. expressius dicit: Si quis veniat ad me, & non odit patrem suum aut matrem, & uxorem & filios, fratres & sorores, non potest esse meus discipulus. Vbi enim de CHRIS TI nomine ac honore agitur, cedere debent omnia affinitatum iura: non modò ut præter CHRIS TVM neminem adiuuemus, sed nos etiam ipsi affligamus. Hoc est enim quod sequitur: Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Cui simile habet Lucas cap. 14. Ut autem retinendæ huius vitæ desiderium à nobis tollat: Qui inquit, inuenit animam suam. Anima pro vita frequens vsurpatur: Perdere autem animam & inuenire contraria sunt: ut hoc sit vitam suam ab omni periculo tueri & conseruare, illud autem mortis periculo offerre: sic quod vitæ parcens pro CHRIS TO non vult vitam periculis exponere, perdit eam. Contra qui pro CHRIS TO perdit, in æternum custodit eam. Qui eius seruandæ vsque ad CHRIS TVM neglectum, studiosus est, verè perdit eam, dum plusculum tempore viuens æternum moritur. Sicut contra qui eam perdit propter CHRIS TVM, id est, nihili eius iacturam ducit præ CHRIS TI amore, in vitam æternam inueniet eam: qui æternum se ac beatum viuere agnoscat.

† Qui recipit vos me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. † Qui recipit prophetam in nomine prophete, mercedem prophete accipiet. Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Data prædicandi miraculæque patranda potestate ipsis Apostolis, ut rursùm confidant sibi nihil defore, CHRIS TI negotium agentibus, cæterique omnes electi ad eos alendos incitentur, asserit quod illis impensum suo nomine fuerit, sibi & patri impensum putare. Nihilque ut vel minimum sit quod gelidæ aquæ potione intelligit, quod discipulis suis impensum fuerit irremuneratum iri. Quod verò ait: mercedem prophete accipiet: non intelligas quod tantam accepturus sit mercedem, quantam & propheta: sed quod particeps futurus est mercedis quæ prophete debetur: quia in nomine prophete ipsum recepit cooperans quantum in se fuit prophete officio.

CAPVT VNDECIMVM.

Regatus CHRIS TVS à discipulis Ioannis super conditione sua, non solum Ioannis, sed & sua recenset præconiâ: Interea vero ciuitatibus pœnitentiam negligentibus imprecatur maledicta, pœnitentibus vero quietem & misericordiam.



Factum est cum consummasset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis, transit inde, ut doceret & prædicaret in ciuitatibus eorum.

Græca locutio pro præcipere, id est, cum finem fecisset instruendi Apostolos, atque illis præcepta dandi, misissetque eos ad prædicandum, etiam inde transiens & ad ciuitates eorum prædicaturus accessit.

Ioannes autem cum audisset in vinculis opera CHRIS TI, mittens duos

† Luc. 7. d de discipulis suis, ait illi: *Tu es qui uetus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & uidistis. † Cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

Audit per suos discipulos, & ex cõmuni fama CHRISTI factis & miraculis, iohannes in carcere conclusus ab Herode, mittit duos discipulos CHRISTVM interrogaturos esset ne ipse CHRISTVS & Messias, tandem & tandiu expectatus, an alius esset expectandus? Quod interrogat non sua causa: qui de ventre norat, & uenientem digito commonstrat uerus propheta Euangelicus. Sed ut discipulos suos CHRISTVS instruat, quos agnouerat ipse à Phariseis tentatos. Et respondens Iesus ait illis: De se aperte hic testimonium ferre noluit: sed à factorum miraculorumque consideratione, quæ coram illis ipsum fecisse Lucas cap. 7. scribit. Ex quibus cum scripturarum collatione nemo non intelligeret ipsum esse CHRISTVM & Messiam. Nam eiusmodi miracula per Messiam facienda passim propheta testabantur, ut uidere est Isa. 29. & 61. *Ea ergo inquit, quæ me audistis & uidistis facere, Ioanni recitate, ex quibus quis ego sim facile agnoscat. Ad eos autem discipulos recte sermonem conuertens: Beatus est inquit, qui non fuerit scandalizatus in me, id est, qui nulla in re quæ in me sit, offensus fuerit, quominus mihi fidem habeat. Latentem enim CHRISTI diuinitatem multi ignorantes, & humilia tantum eius atque abiecta considerantes, scandalizabantur, nihil de eo altius aut diuinius cogitantes. Porro multi etiam quod externa aliquot legis præcepta nihili facere uideretur, scandalizabantur in eo, quem admodum fore ut multi scandalizarentur, & offenderentur, beatus ille senex Simeon ante matrem eius prædixerat, dicens: *Ecce, positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Quod uero ante dixit: Pauperes euangelizantur, id est, Euangelicam prædicationem accipiunt. De pauperibus, id est, humilibus & mundo abiectis, afflictisque & humana prorsum consolatione destitutis, intelligendus est locus, modo pauperem animum, id est, abiectum, neque elatum præ se ferrent.

Illis autem abeuntibus, cepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: *Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestitum? † Ecce qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? Prophetam? Etiam dico uobis & plusquam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: † Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te.*

Testimonium hoc loco de teste suo Ioanne CHRISTVS exhibet: non quod ut vulgo dicitur: multus mulum fricat, sed ut de Ioannis constantia & probitate persuasus populus, maiorem Ioanni fidem habeat de CHRISTO prædicanti. Ac primum à constantia rogat, dicens: Vos ad uidendum audiendumque Ioannem in desertum properatis, ac certum confluistis: num uero arundinem illic uento agitatam uidere putatis, id est, leuem ac inconstantem hominem, cuius uerbo fidem leuitas derogat? Sed hominem uidistis constantem degentem à puero, vitam austeram & solitariam, solidamque & immutabilem doctrinam prædicantem: quo magis uos illi fidem habere oportebat, ad poenitentiam inuitanti, & ad Euangelium recipiendum præparanti. Num forte etiam delicatum ibi quempiam uidistis? Minime sanè, quod ex asperioribus camelorum pellibus indicare est. In domibus regum quærendi sunt isti delicatuli, non in austeram solitudine. At fortasse multo de illo præclarius existimatis, qui ad prophetam uisendum exiistis. Ego autem dico uobis, non modo propheta ille est, sed & propheta superior. Quippe qui me nondum natum, è ventre matris quo nutu infantia potuit, nasciturum prophetauit, & præsentem digito indicauit.

Et ne

Et ne putetis vulgarem quempiam esse prophetam: ille est de quo prophetauit Malachias: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Hebraea paulo secus habent, scilicet: Ego mitto angelum meum qui præparabit uiam ante faciem meam, & ante CHRISTVM: qui uerè facies patris dicitur, per quæ tantum uideri & cognosci potest pater, dicente ipso CHRISTO: Qui uidet me, uidet & patrem meum.

† Amen dico uobis: *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.*

Scrupum nonnulli hæc uerba faciunt, cum CHRISTVS, natus & ut Paulus inquit, factus ex muliere, indubiè maior Ioanne fuerit. Sed scrupum tollit Lucas hoc interpretans cap. 7. *Neminem ex prophetis inter natos mulierum maiorem esse Ioanne Baptista. Nemo enim probatius ac certius prophetauit, qui uenientem quoque indice digito commonstrauit. Quamquam etiam rectè intelligi potest, ac multo melius, cæteris omnibus, qui ante eum fuerunt, tumque erant, præstantiorem fuisse Ioannem: Tamen per hoc præstantiorem CHRISTVM intelligere debemus, qui alia ratione natus homo fuerit quam cæteri. Vnde præmissa Ioannis præstantia, subdidit: Qui autem minor est in regno cælorum maior est illo, id est, filius hominis, qui in regno cælorum & ecclesia minori loco habetur ac uilis & abiectus censetur, maior est illo. Sunt qui interpretantur regnum cælorum ecclesiam triumphantem, in qua minimus, maior ac præstantior sit, propter securitatem beatitudinis maximo uiuentium. Nec desunt qui regnum cælorum Euangelicam prædicationem interpretantur: cuius prædicatorum minimus maior sit propheta Ioanne: quia relictus & potentius Euangelicam gratiam adiectis miraculis prædicet. At prior expositio germanior mihi uidetur.

† *A diebus Ioannis Baptista usque nunc, regnum cælorum uim patitur, & uolenti rapiunt illud.*

Ideo omnis qui uim facit ut ad tantæ rei perueniat fastigium, non mirum si magna uinitatur, quandoquidem uehementi properandum studio, & non torpendi inertia, quæ una res est hominis natura digna, ad quam omnes extendere neruos non lentescat. Est ergo inquit, Ambrosius, fidei religiosa uolentia, segnitia criminosa: & ideo uim faciamus naturæ, ut non ad terrena demergat, sed ad superna se subrigat.

† *Omnes enim propheta & lex usque ad Ioannem prophetauerunt: & si uultis recipere, ipse est Elias qui uenturus est. Qui habet aures audiendi audiat.*

Id est, usque ad Ioannem exclusiue propheta & lex prophetas de CHRISTO uenturo docuerunt: Ioannes autem non de uenturo prophetauit, sed natum ac prædicantem uobis commonstrauit: Et si uultis eum recipere, ipse est Elias, qui uenturus est, id est, non est tam paruae authoritatis: Ipse enim est Elias, qui uenturus expectatur. Quod sanè intelligendum est: non quod eodem corpore & anima esset cum Elia: sed quod prædicationis officio par Elia foret. Quemadmodum enim uenturus est Elias in secundo aduentu, qui conuertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres: Ita in primo aduentu uenit paraturus CHRISTO plebem perfectam, & parare uiam ante illum, & per poenitentia prædicationem, à uis iustitiæ auersos, ad Deum conuerrere. Quia uero aliquibus paradoxum dixisse uidebatur, Ioannem Eliam faciens, subdidit: Qui habet aures audiendi, audiat. Quibus uerbis uti uult CHRISTVS, & sæpe solet, cum inculcare aliquid memoriæ hominum uult: quasi nunc diceret: Et si peruersam vitam hætenus uixistis, ac Messiam me nesciistis, uel propter legis enigmata, aut aliam uestram ignorationem, nunc me ipsum prædicatè uobis Ioanne, nihil est quod ustrà excusare possitis.

Cui autem similem estimabo generationem istam? Similis est pueris sedenti-

E

bus in foro, qui clamantes coequalibus dicunt: Cecinimus vobis & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis: † Venit Ioannes non manducans neque bibens, & dicunt: Dæmoniū habet. † Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis.

† Luc. 7. e
† Dist. 35. ca
Sexto die.

Vnde is mos puerorum inoleuit, non fat scio, nec vsque scriptum reperi. Porro is loquendi modus similis est pueris sedentibus in foro, videtur sumi pro isto, simile est de hac generatione, id est, de hoc hominum genere, ac similiter dici potest illi quod pueri sedentes in foro morosis ac se fastidientibus sodalibus & æqualibus suis dicunt. Cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & lugubria cecinimus, & non planxistis, id est, neque lætis neque seueris rebus conciliare nos vobis potuimus: & in nostram sententiam vos adducere. Hic mihi sensus esse videtur. Nam vt verba sonare videntur, illa Iudæorum generatio non tam pueris qui ea verba suis sodalibus exprobrabant similis est, quam eorum quibus exprobrabantur. Quippe qui neque cantantibus aliis occinuerant & exultauerant, neque lamentantibus ipsi planxerant, id est, neque seuera Ioannis prædicatione, sed nec humana ac miti CHRISTI adduci poterant ad pœnitentiam. Quod explicat CHRIS TVS: Venit enim inquit, Ioannes neque manducans neque bibens, id est, seueram qualis pœnitentes decet, vitam agens: neque tamen sic eius exemplo adduci potuistis, vt pœnitentiam ageretis, neque verbo mihi crederetis. Quin imo dæmonium Ioannem habere dixistis. Hoc autem quando dixerint Iudæi, nullus Euangelistarum recitat: Hæc autem verba neque manducans neque bibens, non sunt simpliciter intelligenda, sed hiperbolicos, hoc est, rarissimo cibo & potu vtens. aut quomodo Lucas interpretatur cap. 7. Venit Ioannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum. Rursum inquit venit filius hominis manducans & bibens, id est, humanam neque austeram vitam agens: qui cum nullum hominum genus fastideret sese accommodans, comedo tamen & gulosus ac vini potor publicanorum & peccatorum amicus audiuit à vobis. Vos autem cum in eū de vobis minime mererem cōiuitia iaceretis, gulæque ac vinolentiæ accusaretis, iustificata est sapientia à filiis suis, id est, me Dei patris sapientiam filij mei id est, publicani & peccatores, qui pœnitentia ducti, per fidem mihi adoptati sunt in filios, non modo nullius me conuicti vt vos accusauerunt, sed iustificauerunt, sed iustum censuerunt ac prædicauerunt. Vide tamen num filios sapientia Iudæos & Phariseos intelligere possumus: & hoc modo sensus esset: Quamquam me Dei sapientiam vinolentiæ & gulæ accusaueritis, iustificata est tamen sapientia à filiis suis, id est, præ vobis, qui Dei filij eratis, si mihi credere voluissetis. Vos autem condemnabimini, coram quibus, Dei sapientia nihil, quod ad vestram spectaret salutem, prætermisit. Eodem modo loquendi vsus est Lucas de Publicano iustificato, & Phariseo condemnato, dum de Publicano loquens ait CHRIS TVS Luca. 18. Dico vobis: descendit hic iustificatus ab illo, id est, præ illo iustificatus, & iustus habitus Publicanus, reus autem Phariseus.

Tunc cepit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quam vobis.

Corozain & Bethsaida, & Capharnaum oppida sunt Galilææ, lacui Genesar vicina, quibus in locis frequenter versatus est CHRIS TVS prædicans, quibus duritiam exprobrat quod audita prædicatione tot miraculis confirmata, nunquam tamen egissent pœnitentiam, quodque si pares: id est, paria miracula in Tyro & Sidone maritimis vrbibus facta fuissent: quamquam omni flagitiorum genere, & insolentia plenis (de quibus vide Isaiam & Ieremiam)

& Ieremiam) olim in cinere & cilicio, quæ sunt externa signa verè pœnitentium, pœnitentiam egissent. Ideoque cum eis mitius agetur, quam vobiscum in die iudicij. Quandoquidem æquum est vt seruus sciens voluntatem domini & non faciens, pluribus vapulet, quam ignorans. *Luc. 12. f

Et tu Capharnaum, nunquid in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.

Similia quoque Capharnaum minatur: quam & ob infinita CHRISTI miracula in cælum vsque exaltatam & celebrem, vsque in infernum (nisi resipuerit) descensuram dixit, & funditus perituram, si de materiali vrbe intelligas, sin de incolis, verè in infernum descensuros, mitiusque Sodomæ futurum, quam Capharnaum, quod illa nullos habuerit pœnitentiæ præcones, hæc habitos neglexerit.

In illo tempore respondens Iesus dixit: † Confitebor tibi pater domine cæli & terre, quia abscondisti hæc à sapiētibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium nisi pater: neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.

† Luc. 10. d

Frequens est Euangelistis vt verbo respondentis, etiam si nulla negatio præcesserit. Lucas enim 10. cap. nullam recitat orationem sed ita habet: In ipsa hora exultauit in spiritu sancto. Verisimile est autem quod secum in spiritu sancto exultans, redemptionis humanæ mysteria comminisceretur. Vnde in verba exiliens ait: Confiteor tibi pater domine cæli & terre, id est, gratias tibi ago, quod abscondisti hæc mysteria, scilicet à sapientibus huius mundi, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, id est, rudibus & infantibus, & mundo insipientibus: Et ne causam adeo roges, cur ita fecerit, subdit: Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Id est, non opus est vt causam aliam sciscitemur, nisi quod ita tibi visum est. Vt verò omne hominum genus ad se alliciat, ostendit quantæ sit apud patrem autoritatis, cui à patre in manus illi omnia sunt tradita, quem solus ipse nouerit. Deinde apertum & facilem sese omnibus præbet, vltro omnes inuitans peccatorum mole onustos, quos se refocillaturum pollicetur verbis sequentibus.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. † Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum. & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. † Iugum enim meū suauē est, & onus meum leue.

† 2. q. 6. cap.
qui scit.
† 1. Ioan. 5. a

Vnde constat peccatum & laborem antequam perficiatur, & pondus postquam patratum est, plurimum habere, iugum verò domini paucum vel nullum pondus habet. Iugum enim CHRISTI & disciplina eius idem sunt. Sensus ergo est: Tradite mihi vos in disciplinam: non est enim quod metuatis ne austerus, aut durus sim præceptis, aut inflatus & insolens, qui rudes dedigner docere. At contrà, mitis sum & humilis corde: quod si præceptori mihi operam dederitis, ac disciplinæ meæ iugum vltro subieritis, inuenietis requiem animabus vestris, hoc est, reperietis in ea vbi acquiescatis. Iugum enim disciplinæ meæ suauē est, & onus mandatorum, quæ vobis iniungo leue.

CHRISTVS super obseruatione sabbati conuictis Phariseis, aridam sanat manum, & demoniacum cecum & mutum mirantibus multis: eosdemque murmurantes Phariseos & signum à caelo petentes arguit, & qui filij Dei sunt mater & fratres ostendit.

† Marc. 2. d
Luc. 6. a



† Marc. 2. d
Luc. 6. a

1. Reg. 21. g.
† Leuit. 24. b
Nume. 21. c

N illo tempore abiit Iesus per sata sabbato, discipuli autē eius esurientes ceperunt vellere spicas & manducare. Pharisei autem videntes, dixerunt ei: Ecce, discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. At ille dixit eis: † Non legistis quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cū eo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, † quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus.

Græci habent σαββατισ. Sabbata autem appellant Iudæi festa sua omnia in quemcūq; diem inciderint. sabbatum verum diem ipsum septimum. Obstinatum itaque hominū genus Pharisei in hoc toti erant vt CHRISTI suorumque opera, vel ex leuicula occasione calumniarentur, quando prætextu legis, quæ operari sabbato vetabat, discipulos eius carpūt spicas ad tollendam famem sabbati, vellentes: Quos Dauidis exemplo excusat: qui panes propositionis, alioqui laicis vetitos, cū esuriret, comedit, & suis edendos proposuit. Hos autem panes nonnulli Hebræorum panes facierum vocant: quod super mēsam auream ante propitiatorium quolibet sabbato proponerentur, vt semper essent ante faciem domini. Et hoc genus panis sacrum erat, & tantum sacerdotibus licebat contingere, & comedere: imo vt dicit Hiero. Malach. 1. cap. Ipsi sacerdotes panes propositionis ferere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebant: & per singula sabbata noui proponebatur, quasi propositi ad spectandum in conspectu domini & hominū: vt essent publicum memoriale quo admonebantur Israelitæ sacrificij placationis, vt Leuiti. 24. amplius scribitur. Hæc autem Dauidis historia. 1. Reg. 21. habetur, cū Dauid fugiens Saulem, venit in Nobe ad Achimelech sacerdotem, apud quem panes propositionis famelicus cū focis comedit.

† Osee. 6. c
sup. 9. b
Luc. 6. b
† Mar. 2. d

Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt. Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Si autem sciretis quid est. † Misericordiam volo & non sacrificiū, nunquam condemnassetis innocentes. † Dominus enim est filius hominis, etiam sabbati.

Secundo factum excusat alio sacerdotum facto, qui absq; legis violatione impunè sabbatum violabant in templo. Sabbato enim hominem circuncidebant sacerdotes, vt Ioan. 7. CHRISTVS ostendit: Quod si sacerdotibus templi ministris, sicut & Dauidi per necessitate illud licuit, templiq; reuerētia necessitati cessit ipsius. Cū hic, id est, in hoc loco, vbi sunt mei discipuli, ego sim tēplo maior, & superior, possunt contra externū legis cultū necessitati suæ subuenire. Quia verò anxia sacrificiorum sollicitudine sanctitate Iudæi simulabant, ostendit eos magis sacrificio, id est, externo templi cultu duci, quàm misericordia. Quod si primo loco misericordiam habuissent, non condemnasset innocentes Apostolos: qui quod domino authore faciunt, iure faciunt. Cū hominis filius CHRISTVS, dominus sit sabbati, qui à legis cæremoniis prout illi visum est, dispensare possit.

† Marc. 3. d
Luc. 6. b

Et cū inde transisset, venit in synagogam eorum. † Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum dicentes: Si licet sabbatis curare? vt accusarent eum. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnā, & si ceciderit sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit

& leuabit eam? Quantò magis melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam, & extendit. Et restituta est sanitati sicut altera. † Exeuntes autem Pharisei, consiliū faciiebant aduersus eum, quomodo perderent eum.

† Mar. 3. b
Ioan. 10. c

Omnes mouent Pharisei lapidem, vt CHRISTI benefacta calūniarentur. CHRISTVM enim synagogam ingressum interrogant: num sabbatis curare liceret. Qui si respondisset, licere, sabbati violatorem accusassent, sin non licere inhumanitatis arguerent. CHRISTVS autem ouis parabola, quam si in foueam ceciderit sabbato, licet extrahere, concludit licitum esse sabbato benefacere: restitutaq; homini manu sua, Phariseorum odiū inuidiamq; in se concitauit, nihilq; aliud quàm de ipso perdendo consultantium.

Iesus autem sciens, recessit inde & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes. † & præcepit eis ne manifestum eum facerent: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: † Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo mihi bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meū super eum, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatam nō confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat ad victoriam iudicium. & in nomine eius gentes sperabunt.

† Supr. 8. a
& 9. f
infra. 17. e
† Isa. 42. a.

Quorsum adducatur à Matthæo, & quò referatur ista prophetia, fateor me nōdum intelligere, & si in hoc laboraui. In prophetia autem verba sunt patris de filio loquētis. Quod verò ait: iudicium gentibus nunciabit, quidam interpretantur Iudicium, id est, regnum iustitiæ, seu iustificationis, qua credentes in se CHRISTVS iustificat vel Euangelicam legem, per quam gentes Apostolorum prædicatione ad viā reuocat iustitiæ & fidei, & quod repellentibus Apostolos Iudæis vt Act. 13. gentes recto iudicio in salutem assumpserit. Vide num de extremo iudicio intelligi possit. Quod verò ait: non contendet neque clamabit, nec audiet aliquis in plateis vocem eius: summam eius mansuetudinem indicat: qui conuicantes opprobriis non affecit: sed mititer sustinuit, ac veluti agnus coram se tondente obtulit. Arundinem quassatam non confregit. Arundo quassata dicuntur viles nulliusque ponderis homines, quos potentiores ferè vexare solent & opprimere. Hos inquit CHRISTVS non comminuit, nec oppressit, sed immensis iuuuit beneficiis. Idem autem est arundinem quassatam confringere, & linū fumigans extinguere, id est, iam debilitatos, & fractis pene viribus ad interneccionem vsque perducere. Et hæc, inquit, non faciet, donec eiciat ad victoriam iudicium: id est, donec vniuersum orbem iudicans, victorem sese manifestet: id est, quandiu mundus erit, afflictos non opprimet, neque tamen sequitur quod postea sit oppressurus, sicuti docuimus Matth. 1. In hoc loco: Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum. Non enim sequitur vt ibi docuimus, quod postea cognouerit eam.

† Tunc oblatu est ei demonium habēs, cæcus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur & videret. Et stupebant omnes turba, & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid? Pharisei autem audientes, dixerunt: † Hic non eicit demones, nisi in Beelzebub principe demoniorum.

† Sup. 9. g
Luc. 11. b
De pœni. di.
3. cap. Sunt
plures.
† Marc. 3. c.
Luc. 11. b

Dæmonium cæcum & mutū erat. Ad hoc autē miraculū vulgus & simplici mente præditi CHRISTVM ob id cōfitebantur filiū Dauid esse, id est, Messia. Iā enim vulgò obtinuerat vt filius Dauid diceretur Messias. Vnde & Mar. 10. Cæcus dicit: Fili Dauid miserere mei.

Pharisæi autem inuidia dissecabantur, & sancta CHRISTI opera, quæ Deo tribuere oportebat, principi demoniorum Beelzebub tribuebant. Est autem Beelzebub Hebreum nomen: quod dicitur Hebraicè Baalzebub, id est, magister vel dominus muscæ. Fuitq; idolum Accaron urbis Philistinorum. Neque temerè hoc nomine principè demoniorum vocant tanquam sordidarum & inanium rerum, quales sunt muscæ magistram & dominum.

I E S V S autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit. Et si satanas satanam eijcit aduersus se diuisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eijcio demones, filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei eijcio demones: Igitur peruenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere: nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet? Qui non est mecum, contra me est, & qui non congregat mecum spargit.

Hanc autem iniuriam, quam cogitatione atque animo tantum Pharisæi versabatur, his rationibus refellit CHRISTVS. Nullum imperium, nulla ciuitas, nulla familia secum inter se diffidens diuisa potest, sed regnum satanæ stat adhuc, virèsq; suas seruat in mundo mundi princeps: non igitur in se diuisum est regnum satanæ: neque satanas satanam eiicit, neque ego in principe demoniorum demonia eiicio. Si enim alter alterum de possessione sua deiicit & deturbat, pugnent inter se necesse est: atque ita cum discordia magna imperia dilabi soleant, collabatur statim eorum regnum. Summa autem eis cura est, vt in communem hominum perniciem stabiliant illud & confirment: Non igitur diuisi inter se sunt demones, neque ego alterius opera demonis, demonem eiicio. Et si ego in Beelzebub demonia eiicio, id est, si nullam habeo potestatem demonia eiiciendi nisi mutuam à demone, filij vestri, id est, Apostoli & discipuli mei: vel etiam ipsi prophetæ sancti, vestrique exorcistæ, in cuius potestate eiiciunt? Non audeatis autem dicere vsos in hac re illos opera demonum multo minus ego illorum magister & dominus. Ideo ipsi inquit, iudices vestri erunt, id est, vos impietatis arguent, & condemnabunt. Si autem ego in spiritu Dei demones eiicere, peruenit in vos regnum Dei. Quidam interpretantur regnum Dei CHRISTVM & Messiam: vt sit sensus: iam adest CHRISTVS & Messias tandiu à vobis expectatus, & talia signa facturus: frustra que iam alium queratis. Vide etiam num regnum Dei pro immensa eius potestate & vltione diuina sumi possit, vt sit sensus: Hactenus vos in peccatis vestris diuina clementia sustinuit, nunc si ego in Dei nomine ac spiritu patro, quæcunque facio, vos autem blasphemare pergitis demonio tribuentes, profecto in vos regnum Dei & diuina vltio & iustitia peruenit. Altera ratio est. Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, &c. Id est, Nemo potest cuiuspiam fortis domum intrare, vasaque eius, id est omnem suppellectilem (nam eo nomine tota suppellex iureconsultis dicitur, vnde conuulsandi verbum spoliare) nisi prius expugnatum fortem illum in vinculis tenuerit. Neque enim vnquam volens spoliari se finet. Quoniam igitur permittet demon obsessio homine spoliari nisi nolens & inuitus, aliaque potestate coactus, Ego igitur non in demonis potestate, sed Dei virtute demonia eiicio. Tertia ratio est. Qui non est mecum, contra me est, & qui non congregat mecum, spargit. Entimema imperfectum hic est: quod ita reduci potest. Qui non est mecum, id est, consentanea mihi non facit opera contra me est: Princeps autem demoniorum non mecum est, quod ex vtriusque operibus tam inter se diuersis manifestum est, contra me igitur est, id est, in omnibus mihi contrarius. Non igitur eius opera vtor, cuius studium est aduersari mihi potius quam fauere. Et qui non congregat mecum, spargit. CHRISTI officium ac munus erat, sparsas Dei oues in vnum congregare

congregare: vt inquit Ioan. cap. 11. De Caipha, cum esset pontifex anni illius prophetauit quod IESVS moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente: sed vt filios DEI qui erant dispersi congregaret in vnum. Dæmonis autem dispergere, & à DEO palabundas alienare. Inquit ergo CHRISTVS: Qui non congregat mecum, spargit. Dæmon autem non congregat mecum, vt ex eius contrariis operibus constat, dispergit igitur quod congrego. Quomodo igitur author mihi & adiutor erit in expellendo demone ab homine, quem eripere ab eo volo, & in meum ouile congregare.

Ideo dico vobis: † Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, † Mar. 3. g. spiritus autem blasphemie non remittetur. Et quicumque dixerit verbum Luc. 12. b. contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, † Dist. 25. ca. Qualis. Etum, non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro.

Nullum peccatum esse asserit dominus, quod non facile reuertenti remittatur, præter peccatum & blasphemiam in spiritum sanctum: quod neque in hoc seculo neque in futuro remittitur. De peccato irremissibili diximus in epistolam ad Hebræos sexto cap. & decimo, & in canonicam Ioannis, quomodo irremissibile dicatur. Quid est autem quod distinguit CHRISTVS blasphemiam in spiritum sanctum contra peccatum in filium hominis? Propriè peccatum in spiritum sanctum est contra mentem propriam, agnitamque veritatem decertare, quomodo & nunc Pharisæi: qui tot visis CHRISTI miraculis, tot agnitis diuinitatis suæ argumentis, certissima adducti malitia & inuidia, sancta eius opera demoni tribuunt. In filium autem hominis blasphemabant, cum nondum agnita eius diuinitate vinipotorem, & gulosum vocabant, ex deoque esse negabant, quia sabbatum solueret. Id enim partim accidebat ex ignorantia. Perinde ergo est ac si diceret CHRISTVS: Cum me DEI filium hactenus opprobriis affecistis, vtrunque remissione (si vos peniteat) dignum fuit. Nam me filium tantum hominis non item DEI credebatis: nunc autem cum spiritu sancti opera quæ facio, mera inuidia demoniorum principi tribuitis, tam durum inuisumque DEO Patri est peccatum, vt nunquam ipse sit vobis remissurus. Caue autem putes nullum esse in filium hominis irremissibile peccatum. Nam qui nunc agnitam, & professam eius diuinitatem negaret, indubiè in spiritum sanctum peccaret. Quod autem dixit CHRISTVS peccatum in spiritum sanctum non remitti, neque in hoc neque in futuro seculo, hinc manifestò conicitur pro purgatorio esse aliquod peccatum quod in futuro seculo remittitur, non quo ad culpam, sed quo ad reatum. Videant super hoc loco expositionem antiquorum.

Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam & fructum eius malum. Siquidem ex fructu arbor agnoscitur. † Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex † sup. 3. a. abundantia enim cordis os loquitur. † Bonus homo de bono thesauro profert † Luc. 6. g. bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. † Luc. 6. g.

His verbis & sequentibus Iudæorum peruersitatem arguit. Quasi diceret: Nihil valet fucus iste aut hypocrisis, per quam iusti parere hominibus vultis: Nam externa illa facies, & religionis larua iustos non reddit ac pios: bonam faciatis arborem oportet, si bonum ex ea fructum edi vultis, id est, internam mentem ac voluntatem, ipsamque intentionem piam ac bonam esse oportet. Alioquin nullum verè (quanquam fortassis simulatè) fructum bonum edetis. Vnaquæque arbor qualis sit ex fructu agnoscitur: & vti quæ mala est arbor fructum bonum edere non potest: Ita & vos cum sitis mali, bona loqui non potestis. Ex abundantia enim cordis os loquitur, id est, externum verbum index est mentis: neque quicquam os loquitur quod non antè mens senserit. Itaque cum inuidia & peruersitate plena mens est, non potest non inuidia & peruersa verba effutire, & qualis quisque intus est, talia extra profert, bonus bona, & malus mala.

† 22. q. 5. ca. *Quærens.* **Dico autem vobis, quoniam omne verbum ociosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.**

Quia de summo blasphemiæ peccato eos arguerat, ne putarent sufficere si à grauibus râtum abstinerent, ait: De verbo ocioso etiam in iudicio rationem reddituros, quanto magis de grauibus culpis. Et ne putarent nullam esse in probrosis verbis culpâ, ait: Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, id est, peruersa & impia verba peruersam & impiam mentem arguent, & condemnabunt: Bona autem iustam pronuntiabunt.

† Mar. 8. b. *Luc. 11. b. d. 9. c. Dent. 32. a. † Iona. 2. a.* **Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Phariseis, dicentes: Magister volumus à te signum videre. Qui respondens, ait illis: † Generatio mala & adultera signum querit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophete. † Sicut enim fuit Iona in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.**

Respondendi verbum, etiam si nulla interrogatio præcessit, vsurpari solet ab Evangelistis pro dicere, & verba habere ad aliquem, secundum quod respondere significat, & ordiri sermonem ad aliquem. Quod autem volunt signum à CHRISTO videre, nihil nouum. Nam vt ait Paulus. 1. Corin. 1. Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Sciens autem CHRISTVS, tentandi tantum gratia, non credendi eos illa petere, obiurgatis illis vocatisque adulteris, vtpote reiecto DEO, cui desponsi erant nullum asserit dandum esse signum, nisi Ionæ prophete, signum scilicet, resurrectionis suæ: Vt quemadmodum à mari absorptus, è ventre ceti ad vitam reuocatus est, incolumis Iona, Ita CHRISTVS in terra sepultus è ventre inferi ad veram vitam & immortalitatem reuocatus est. Hoc est enim euidentissimum diuinitatis CHRISTI testimonium: Sicut Paulus ad Ro. 1. ait: * Qui declaratus est filius DEI ex eo quod resurrexit à mortuis. Quomodo autem CHRISTVS tribus diebus & tribus noctibus fuerit in sepulchro, vide doctores.

* Rom. 1. a. **† Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Iona hic.**

Quia se solos Iudæi pios & iustos censebant, gentes autem auersabantur vt impias, condemnandam eorum impietatem dicit ab Ethnicis, Niniuitis scilicet, & Sabba regina Austri. Quod illi quidem ad prædicationem Ionæ prophete conuersi sint, & resipuerint: At Iudæi post tot miracula CHRISTI & prædicationes, qui superior Iona fuit, (Hoc est enim quod ait: Et ecce plusquam Iona hic, id est, in hoc loco) obstinati permanferunt: Hæc autè ab extremis terræ finibus venit vt sapientiam Salomonis audiret: Iudæi verò vtro oblatam CHRISTI, qui superior Salomone fuerit, sapientiam recusauerint. Quod autem ait Iudæos ab illis condemnandos, intelligendum est, vel quod eorum impœnitentia Niniuitarum pœnitentiæ collata, & Salomonis veri contemptus, affectui reginæ Sabba comparatus, reos arguet & condemnabit Phariseos. Vel intellige quod Niniuitæ se in resipiscentia sua permanferunt, & regina Sabba si in percepta à Salomone sapientia perstiterit, vna cum sanctis aliis cumque CHRISTO condemnabunt Phariseos.

† 3. Re. 10. a. *2. Par. 9. a. Luc. 11. c.* **† Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic.**

Regina Austri, id est, Sabba regionis sitæ ad austrum Iudææ. Quod verò ait: & condemnabit

demnabit eam. Græcus habet κατακρίνει, non est intelligendum quod sententiam ipsa iudicij & condemnationis ferat. Cōdemnare enim obiurgare, sicut & Græca κρινω, sicut & ερεγγίζω apud probatos auctores, non modo iudicij sententiam ferre significat, sed & reipsa cōdemnationis & obiurgationis reos ostendere. Sic Plinius in Epistolis: Nam mala emptio semper ingrata, eo quod exprobrare stultitiam domino videtur. Sic Cicero ad Quintum fratrem. De sumptuosis ædificiis, quanquam ea villa quæ nunc est, tanquam philosophia videtur esse, quæ obiurgat cæterarum villarum insaniam. Sic condemnare Cicero in Pisonem vsurpat, dicens: Quid enim refert an conscientia tuorum scelerum oppressus, nihil ad senatum ausus sis scribere, an amici tui tabulas abdiderint. Idemque silentio suo temeritatem atque audaciam tuam condemnarint, id est, hoc facto reum te ostenderint temeritatis. Sic paulo antè Matthæus de Niniuitis *οὐκ ἔτα κρινέσθαι αὐτῶν*, id est, condemnabunt eam. Et paulo superius, ideo inquit, ipsi vestri iudices erunt, id est, per ea quæ sapienter ac modestè egerunt condemnationis vos reos arguent.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida querens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: † Reuertar in domum meam & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: † Et sunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessima. † De penit. dist. 4. cap. Reuertar. † 2. Pet. 2. d.

Hac similitudine dæmonis ab homine obfesso recedentis, ac rursus deterius inuadentis, Iudæos percellit, qui ante legis perceptionem à dæmone obfessi, ac per eius legis impletionem quandiu DEVM coluerunt, ab eodem liberati sunt. Eiectus autem dæmon per loca arida & deserta (quod ablegari solitum legimus) vagans, Iudæis in deteriora per frequentes Idololatrias prolapsis: ac nouissimè per veri Messie reiectionem, & agnitæ veritatis impugnationem obstinatis, currens ac recurrens cum opportunius sibi domicilium non reperiat, (nam peruersissimum quæque lubens inhabitat) assumptis secum septem dæmoniis, vt difficilius de sua possessione deturbetur. Domum illam Phariseorum scilicet, nationem vacantem & ornatam scopisque mundatam, id est, (allegorica enim est locutio) omnino sibi gratam & placentem reperiens, vi aggreditur & ingreditur. Tunc illi deterius multo contingunt nouissima quam priora. Quod enim de Phariseis loquatur, indicant sequentia verba: Sic erit & generationi huic pessima. τρωπικίος autem de quouis homine intelligi potest, à quo cum DEI virtute superueniente gratia eiectus dæmon ac per deserta loca vagabundus, & requiem quærens nec inueniens, proponit in priorem domum reuerti: quam cum vacantem & ornatam inuenerit, rursus ingreditur. Bene autem dicitur quod in desertis pœnitentiæ locis, id est, pœnitentia tactis animis, vbi molliciei nihil est, sed aspera prorsum vita, requiem dæmon non inuenit. Quandiu enim solitaria vt passer peccata sua plangit anima, nulla illic ei mora esse potest. Si autem eam intinerit vacantem, bonisque destitutam operibus, ornatamque ac scopisque mundatam, id est, delitiis deditam, eo cum deterioribus se septem ingressus, peius illa multo habet quam antea.

† *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris, & querentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant querentes te: At ipse respondens dicenti sibi, ait. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, Ipse meus frater, & soror, & mater est.* † Mar. 3. g. Luc. 8. e.

Quod hoc loco quærentibus se matri & fratribus, id est, cognatis, (sic enim more He-

bræo affines & cognatos scriptura vocat) non statim CHRISTVS adfuit, non arrogantiæ vitium aut contemptus est, sed cum prædicando DEI verbo intentus, à tanto fructu per quendam parentis & consanguineorum nomine interpellaretur, docuit nullius affectionis carnalis gratia à DEI negotio recedendum esse, maioriq; curæ esse debere prædicatori doctori & episcopo committi sibi gregis salutem, quàm temporalem quorumlibet affinium curam. Neque his verbis: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei, matrem esse suam virginem negat: sed aliud esse genus matris, & consanguineorum vtpote spirituum, carnali multò excellentius declarat, cum subdit: Quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater, soror & mater est. Nam quantò præstantior est spiritus corpore, tantò præstantius CHRISTI frater dicitur, qui vna eademq; animi intentione ad perficiendam patris cœlestis voluntatem totus inhiat.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

REGNUM cœlorum comparat CHRISTVS quadruplici semini, tritico Lixania mixto, grano synapis, fermento, thesauro abscondito, margarita, & sagena piscatoris: ut plurimos duceret in admirationem.

† Mar. 4. 4.
Luc. 8. d.



N illo tempore exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatae sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore: & locutus est eis multa in parabolis, dicens.

Domum quandam ingressus cum Pharisæis disputaturus, exiuit ut palam turbas doceret: mare igitur ingressus ut plurimas piscaretur turbas. Mare istud lacus est Genesar, quò de domo CHRISTVS secesserat, tanquam capaciore loco prædicaturus: sed nimia affluente turba, conatus est nauim ascendere, vnde turbæ in littore sedenti parabolas prædicare cœpit.

† dist. 49. ca.
Hic etenim

Ecce, exiit qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, quedam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ, sole autem orto estuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea: Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.

Ex quatuor igitur seminis partibus, vnica ad profectum peruenit, vnde constat plures ad regnum vocari, pauciores verò ad salutem eligi, & tandem saluari. Huius igitur parabola frustra est aliam expositionem asserere, quàm quæ paulò post ipse CHRISTVS affert.

† Mar. 4. b.
Luc. 8. a.
† Inf. 25. e.
Mar. 4. c.
Luc. 8. c. &
19. d.

Qui habet aures audiendi audiat. Et accedentes discipuli dixerunt: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum. Qui enim habet dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, aufertur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes

tes

tes non audiunt neque intelligunt: ut impleatur in eis prophetia Isaia, dicentis: † Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. In crassatum est enim cor populi huius: & auribus grauiter audierunt, & oculos clausurunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant & conuertentur, & sanem eos.

† Isa. 6. c.
Marc. 4. b.
Luc. 8. b.
Joan. 12. f.
Act. 28. f.
Rom. 11. b.

Hoc genere loquendi vti scriptura solet, ut infra parabola Zizaniorum, & præcipue ἀποκάλυψις, cum subobscurum aliquid dignumque attentione inculcare vult auditoribus, quomodo cap. 2. Apoc. frequenter repetit: Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesiis. Similiter & cap. 3. Nunc itaque quia παραβολικῶς turbis loquebatur, volens illas attentas esse, ait: Qui habet aurem audiendi audiat. Rogantibus autem Apostolis cum non palam at παραβολικῶς loqueretur. Quia inquit, vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Vbi sunt qui palam vertendas esse in vulgarem linguam scripturas sacras contendunt. Vbi præter ea quæ ad vitam consequendam æternam omnino necessaria sunt, infinita sunt propè mysteria. Nam in Apocalypsi tot mysteria dicit esse Hieronymus quot verba. Isaia præterea & Ezechielis aliorumque prophetarum, tam obscuras prophetias quorsum expedit in vulgarem sermonem vertere nudas? Cum rei per se obscuræ plus tenebrarum addat vulgare linguæ versio, quàm sit in Hebræa, Græca aut Latina. Porro Salomonis cantica nemo adeò deplorato iudicio est, qui puellis & mulierculis vernaculè versâ legenda exhibere velit: Cum si quis ad illas admittatur spiritu DEI minime tinctus, & imbutus, animi magis inde lasciuiam quam mentis puritatem reportet. Sunt igitur inter scripturæ sacræ libros quorum vulgata versio paucis officere possit: cuiusmodi sunt purè historici libri, purèque morales: quales sunt Salomonis parœmiæ & ecclesiasticus, modò ab homine pio & docto, publicæque ecclesiæ autoritate vertantur. Cui enim versioni stabitur si cuique pro arbitrio vertere licet? Pauli autem epistolas ut de cæteris libris taceam, in quibus Petrus esse dicit quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem: quis ferat vulgari lingua versas, passim rudi plebeculæ fardonibus ac mulierculis legendas obtrudi? cum Paulus ipse ad Hebræos, 5. *perfectorum tantum dicat esse solidum cibum, id est, mysteriorum scripturæ intelligentium, eorum scilicet, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus: Corinthiisque adhuc scripturarum rudibus ac paruulis asserat se *lac potum dedisse, id est, leuia fidei initia, non escam, solidum mysteriorum cibum. Ita & nunc CHRISTVS παραβολικῶς καὶ ἑνυγματικῶς loquitur: quia partem illorum, vtpote rudiores & simplices in scripturis minimè exercitati rerum intellectum ferre non possent. Partim peritiores quidam, sed inuidia obcæcati, ut scribæ & Pharisæi intelligere nollent: De quibus CHRISTVS ait: quia videntes non vident & c. Impleta scilicet, in eis Isaia prophetia: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Videntes autem videre & non videre est, id quod videris faciendumque intelligeris: aut per affectatam inconsiderationem, aut certam malitiam non facere, perinde ac si nihil de illo audieris.

* 2. Pet. 3. d.
* Hebr. 5. d.
* 1. Cor. 3. a.

† Vestri autem beati oculi, quia vident: & aures vestra, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi propheta & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

† Luc. 10. d.

Beatos dicit Apostolorum oculos aurisque beatas, non modò quia CHRISTVM corporaliter videre meruerunt, quem multi iusti & propheta videre cupientes non viderunt: sed etiam quia CHRISTI mysteria, quæ in carne operatus est, aliæque spiritualia mentis oculis atque auribus videre & audire meruerunt, quæ Pharisæi obcæcato mentis oculo, indurataque ceruice, cum viderent, non intellexerunt.



† Mar. 4. b. Vos ergo audite parabolam seminantis. † Omnis qui audit verbum regni,
 Luc. 8. b. & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius:
 hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus
 est, hic est qui verbum Dei audit, & continuo cum gaudio accipit illud:
 non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione
 & persecutione propter verbum continuo scandalizatur.

Quam CHRISTVS exponit parabolam, alia expositione non indiget. Tantum si
 qua difficultas est in verbis, exprimemus. Omnis qui audit verbum regni &c. Græcè omnis
 genitui casus est. Sic enim habent Græca, παντὸς ἀκούσας τὸν λόγον τῆς βασιλείας καὶ μὴ συνιέντας
 ἔρχεται ὁ πόντος. Id est, quis omnium est qui verbum regni audiat quidem, at illi minimè at-
 tendat, venit versutus ille & veterator diabolus, qui quod fatum erat in corde ipsius, DEI
 verbum rapit. Hic est inquit CHRISTVS, qui seminatus est secus viam, id est, hic est
 in quo secus viam duram scilicet, ac tritam, bonisque moribus minimè exultant iactum est
 semen. Seminatur enim semen, id est, verbum DEI vel fides, & seminatur terra, id est, au-
 ditor, qui iuxta attentionem semen suscipit, & fouet semen in se iactatum. Qui autem su-
 per petrosa seminatus est, &c. Id est, in quo super petrosa semen iactum est, is est qui ver-
 bum DEI audit, & auidè & confestim illud apprehendit. At quia propter Petras proximè
 subtus modicam terram latentes, radices altè agere non potest, sed est temporalis Græcè
 πρόσκαιρος, id est, paulisper durans, neque radicatum in charitate satis erat. Orta tribulatione
 ob Euangelium scandalizatur, impingiturque in fide, quam in prosperitate quidem seruare
 potuit, sed in persecutione statim animum despondit.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum Dei audit, & soli-
 citudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & siue fru-
 ctu efficitur.

Satis nota est hæc expositio, quæ nisi à CHRISTO prodiret, nemo crediturus erat
 diuitias quibus nihil est mortalium vitæ insuauius & ingratius spinas dici. At quia nimia
 illarum cura mentem pungit ac suffocat, rectè spinæ dicuntur.

Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, &
 intelligit & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud au-
 tem sexagesimum, aliud verò tricesimum.

Facilis est locus, nisi quòd non planè constat quid fructus centesimus, quid sexagesi-
 mus, quid tricesimus. Certè simplicius est si intelligamus alium quidem centuplum,
 alium sexagecuplum, alium trigecuplum fructum afferre, id est, alium atque alium alio
 maiorem pro fidei portione & gratiæ: quanquam Græci centuplum martyribus sexa-
 gecuplum virginibus, trigecuplum viduis assignant, vt Hierony. virginitati, viduitati &
 nuptiis diuisionem illam ascribit. Ternarius quoque horum numerorum tres ho-
 minum status in ecclesia militante significare potest, perfectorum scilicet, proficientium,
 & incipientium.

† Mar. 4. c. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: † Simile factum est regnum celo-
 rum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormi-
 rent homines, venit inimicus eius, & superseminavit zizania in me-
 dio tritici. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparue-
 runt & zizania.

Et in

Et in hac quoque parabola, quæ dilucidè paulopost dominus explicat, nõ immorabimur
 nisi si quid est in litera, quod breui expositione non indigeat: quale est, creuisset Græcè
 ἐκλάσθη Id est, germinasset, & pullulasset.

Accedentes autem serui patrifamilias, dixerunt ei: Domine, nõne bonum
 semen seminasti in agro tuo: unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus
 homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? Et ait: † Sinite
 Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. † Sinite
 utraque crescere usque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus: que.
 Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, † Sinite
 triticum autem congregate in horreum meum. † Sinite
 Noli rece-
 dere. 23 q. 1.
 ca. 1. 24. q. 3.
 Notandum

Et si quarta pars terre vt patet in prædicta parabola, bona & ferax fructu fecerit, nec eã ta-
 mē inimicus reliquit incorruptã, quæ si fructu nõ tamè puru faceret: Vnde parabolã subdit
 zizanioru, quæ supra ceteras herbas deterius reddüt triticu. Quod agnoscetes orthodoxi ex
 zelo apud dominu cõqueritur, cur hereticos passim inter fideles cū periculo eorũ crescere si
 nat. Quibus dominus iubet eos in bonorũ exercitiu remanere, donec appareat incorrigibi-
 les, nec spes vlla sit resipiscetiæ: quod est tẽpus messis in quo separetur à fidelibus necesse est.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens: † Simile est regnum cælorum grano
 Synapis: quod accipies homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem
 est omnibus seminibus. Cum autem creuerit maius est omnibus oleribus, &
 fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. † Mar. 4. d.
 Luc. 13. d.

Regnum cæloru pro Euãgelio sumi potest, & pro CHRISTO: quia per vtrũq; nobis
 in cælu via patet. Euãgelium autè grano synapis simile est: quia vt synapi semè est pusillu,
 omniũq; fermè minimu, nulliũq; in speciè virtutis. Cum autè seminatu creuerit, in arboris
 penè magnitudinè excrescit, adeoq; cæteris oleribus maius est: vt sub eius ramis habitet &
 nidificet cæli volucres. Ita euãgelium ab initio quidè res vilis erat & minima: at vbi homo
 IESVS in suo suorũq; agro, i. in ecclesia illud prædicado seminavit, paulatim cepit cre-
 scere, adeo vt in omnè terrã rami exierint, sub vmbra quorũ cæli volucres, i. spirituales cœ-
 lestesq; homines habitare cœperint, ac nidificare, vt cœlesti patri spirituales filios generent.
 Si regnũ cæloru CHRISTVM intelligamus, verè CHRISTVS grano synapis similis
 est. Vt enim nihil propè minus est, minorisq; virtutis grano synapis, si externã tãtum faciem
 spectes, at suo tẽpore in magnã crescit arborẽ, vt vmbraclũ sit auibus, tũq; primũ virtus
 illius apparet dũ cõteritur, ita CHRISTO in humanis agẽtẽ, nihil minus abiectũ fuit: vt po-
 te qui vermis & nõ homo diceretur, opprobriũ hominũ & abiectio plebis: At paulatim præ-
 dicationibus suis ac miraculis, maior apparuit. Tũ vero primũ inges eius virtus, & immẽsi
 ad nos fructus prodeũtis vtilitas apparuit, dũ per passionẽ cõtritus, & in terrã sepultus ac se-
 minatus, in arborẽ exurrexit, & excreuit tam magnã, vt sub eius vmbra cæli volucres, cœle-
 stes scilicet, ac spirituales homines habitet. Ibi enim nidificabat Paulus, cùm Galathis dice-
 ret: * Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis CHRISTVS. * Gal. 4. e

Aliam parabolam locutus est eis: † Simile est regnũ cæloru fermẽto, quod ac-
 ceptũ mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum. † Luc. 13. d.

Fermẽtum in scriptura duplex inuenitur, bonũ & malũ, nouũ ac vetus: quod expurgare
 nos iubet * Paulus ad Corinthios: quale erat & Phariseorũ fermẽtu, à quo nos cauere i 6. ca.
 seq. CHRISTVS admonet. Bene autè regnũ cælorum id est, CHRISTI Ecclesia, quæ
 regnũ etiã cæloru dicitur, fermẽto cõparatur. Vt enim modicũ fermẽtum immodicã pastæ
 mẽsuram, cui miscetur, alterat totã: & de insipida sapidam reddit, totãque breui tempore
 F

* Cor. 5. b

permeat: Ita primitiua CHRIS TI Ecclesia, solis constans Apostolis, & aliquot discipulis, vbi gētium Ecclesiae Iudaeorumq; synagogae miseri coepit ac coniungi, qui prius insipidi erant, nullū prae se ferentes gustū sapidos reddidit, Christōq; beneolētes: vt iam cum Paulo dicere possint, CHRIS TI bonus odor fumus DE O. Non est autem necesse, vt omnes parabola alicui simili respondeant. Sufficit quod hic Ecclesia fermēto cōparetur. Quod enim sequitur quod acceptū mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermētatum est totum, non necesse est partem esse parabolae, sed ad parabolā adiectū, ita non est quod immoremur in explicando, quae sit ista mulier, quae tria fata, tantū intelligamus modicum pusillumque CHRIS TI gregem totius penē orbis massae immixtum, totū penē eum iuuasisse, in meliorēque alterasse, & permutasse naturam. Satum autem neutro genere, de quo ait: in satis tribus, genus mensurae est continens modium vnum Italicum & semissem, de quo vide Budaum de Assē. & Georgium agricolam.

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per prophetam, dicentem:
† *Aperiam in parabolis os meū, eructabo abscondita à constitutione mundi.*

† Psal. 77. a
Coloss. 1. d

Hiero. ait quondam lectum fuisse per Isaiam, sed primitus fuisse per Asaph, sed à scio quodam qui ignorabat quis esset Asaph, pro eo positum Isaiam. Psalmus enim 77. vnde sumptum testimonium ab Asaph fertur edibus. Ideo pro eius interpretatione vide psalmodorum expositores.

Tunc dimissis turbis venit in domum, & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Ediffere nobis parabolam ziz aniorum agri. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum autem semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. † Messis vero consummatio seculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatē, & mittent eos in caminū ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. † Tūc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.

† Apocal. 14. d

† Sap. 3. b
Dan. 12. b

Post interpretationem CHRIS TI alio interprete nō est opus. Per zizania autem hypocritas & hæreticos, & quoscunque nequam intelligere debemus: quos fini vult CHRIS T V S crescere vsque ad messem. Latent enim penē semper viros bonos hypocritae & hæretici, prauitatemq; suam dissimulat, quo facilius incautos ad se alliciāt. Vult ergo CHRIS T V S quod vsque ad messem, id est, consummationem seculi, futura sunt in agro Ecclesiae zizania bonis permixta feminibus, id est, bonos malis immixtos: quos frustra prorsum & funditus eradicare coneris. Nam vt saluator ait: *Necesse est vt veniant scandala. Et Paulus: *Oportet hæreses esse: vt qui probati sunt manifesti fiant. Nō putes tamē quod cū CHRIS T V S vetat ante messem colligi zizania, ne fortē & triticū eradicetur, velle inhibere pertinacium hæreticorū, aliorumq; sceleratorū, qui reip. statū perturbāt sublationem, dum incorrigibiles perseuerāt. Idem enim est qui dixit: *Nō patieris maleficos viuere. Hæc paucis dicta volui ob nostrae tempestatis hæreticos, qui impunē volunt cuiq; licere quicquid in senserit rectum an prauum enunciare in vulgus. Itaque ne à magistratu tanquam facinorosi in deumq; blasphemii, ac tranquillitatis reip. euerfores, ad poenam rapiātur, falsō persuadere ex hoc loco conātur nō esse tollendos è medio hæreticos, sed suo iudicio dum meliorem dominus mētē dederit, relinquendos. Zizania autē, i. nequā homines, scandala appellat: eo qd offendiculo

* Matt. 18. a

* I. Cor. 11. b

* Exod. 22. c

offendiculo sint aliis, dum suo exemplo ad similiter agēdum & loquēdum inducunt: quos in caminum ignis, id est, in infernū mittendos dicit: iusti autem inquit tūc, id est, post consummationem seculi, fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, effugata omni poenae & peccati obscuritate. Bene autē regnum DE I, quod futurū est post cōsummationem seculi, regnum patris appellat: quia quod ipse interim dum hic viuimus administrat, patri in finem traditurus est: Dicēte Paulo de ipso CHRIS T O, I. Cor. 15. *Deinde finis: cū tradiderit regnum DE O & patri, cū euacuauerit omnem principatum & potēstatem & virtutem. * I. Cor. 15. e

Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & prae gaudio illius vadit, & vendit uniuersa quae habet, & emit agrum illum.

Bene regnum caelorum thesauro abscondito comparatur: vtpote quō nihil charius esse debet homini, quod omnium rerum nostrarum vel charissimarum, precio, cōparari debet. Ac bene latenti thesauro comparatur: quia thesauri caelestis visē diuitiae mortales latent, dicente Paulo ex Isaiā. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quae prae parauit DE V S diligentibus se. Potest etiam regnum caelorum hic & sequenti parabola, de bono ac precioso margarito, quarum similis est ratio, sumi pro Euangelio. * I. Cor. 2. 5

Iterum simile est regnum caelorum homini negotiatori quæretī bonas margaritas. Inuenta autem una preciosa margarita, abiit, & vendidit omnia quae habuit, & emit eam.

Quod autem ait in hac parabola regnum caelorum simile homini negotiatori, non tam proprie negotiatori, quā in inuento margarito, quod nos vulgo perlam appellamus. Ideo sic debet intelligi textus. Perinde est in regno caelorum, vt cū quis negotiator preciosum margaritum repperit, quod bonorum suorum omnium permutatione comparat.

Iterum simile est regnum caelorum sagena missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cū impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt: Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. † Ibi erit fletus & stridor dentium. † Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam domine. † Infra. 25. e

Sagena quae omnis generis pisces bonos aut malos complectitur, regno caelorum cōparatur, i. ecclesiae militanti: in qua quandiu mortali cōditione viuunt, futuri sunt boni & mali, donec in iudicio cū separabuntur ab improbis iusti, tota mūda ac sine macula remanebit ecclesia. Certē regnum caelorum pro ecclesia triūphante hic sumi non potest, in quam nihil introibit, rugam habens aut maculam: sed munda tantū omnia: secus in Ecclesia militante, quae bonis constat & malis. Vbi sunt igitur qui ecclesiam nobis in terris nouam faciunt inuisibilem, illam in solis iustis, & electis consistentem: quam vnā consulere in dubiis oporteat. Cui autem oculi sunt aded lyncei, vt ab electis reprobos distinguere possit? Scilicet verō nihil non sibi arrogantes hæretici tueri mordicus hæreses suas volunt, dum ab inuisibili illa Ecclesia secus iudicetur atque opinetur. Sed de his satis.

Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

Scribae olim in lege dicebantur scripturarum legisque periti: Nunc autem cū dicat CHRIS T V S, doctus in regno caelorum, Euangelicos prædicatores notasse videtur, quos patrifamilias comparat, qui venientes amicos nihil cælat: sed de thesauro suo noua profert

& vetera. Id est planè quicquid habet, illis aperit. Ita Euangelicus prædicator quicquid ad Euangelicum negocium facit, effundere debet, ac profundere. Quidam per vetera veteram Moyfi legem per noua nouam Euangelij legem interpretantur.

† Mar. 6. a. *Et factum est cum cōsummasset Iesus parabolās istas, transiit inde. † Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum: Ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc & virtutes? Nōne hic est fabri filius? Nōne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas: & sorores eius nōne apud nos omnes sunt? Unde ergo huic omnia ista. † Et scandalizabantur in eo.*


Post parabolās ad populum habitas, digressus inde CHRISTVS venit in patriam suam Nazareth vbi nutritus fuerat: & cōpit docere in synagogis vel vt plures attraheret, vel ne quis eum argueret quod rudes clanculo docens deciperet, non ausus palām docere. Vnde mirarentur ob sermones & signa vt dicerent: Vnde huic sapientia hæc &c. Ad summa diuinitatis opera, tot tamque magnis miraculis patris immoti, Nazaret incolæ (quæ patria CHRISTI dicitur, non ob eius natiuitatem, sed conceptionem & educationem) ad eius doctrinam, quam sine præceptore tenebat, admirabantur, quod fabri Ioseph & Mariæ tenuium hominum filius, illorum sumptibus in literis institui non posset: Fratres autem & sorores illi tanquam viles & ignobiles exprobrant. Quos quidem fratres Hebræo more cognatos & affines appellat, non eodem patre natos. Humilia ergo & externam tantum CHRISTI faciem spectantes, illius ciues admirabantur vnde hæc illi nunquam in literis instituto doctrina: & vnde ædificari oportuerat, scandalizabantur in eo. Id est, propter eum offendebant, vilia tantum de illo cogitantes.

† Luc. 4. d. *Iesus autem dixit eis: † Non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua. † Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.*
† Ioan. 4. f. *† I. q. 1. ca. Pauliani- ste.*
Vnde propter illorum incredulitatem, reiectis illis pauca ibi CHRISTVS patrauit miracula, vulgatum in illo prouerbum vsurpans: Non est propheta inhonoratus nisi domi, & in patria.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

IOANNE ab Herode propter Herodiadem occiso, CHRISTVS in desertum secessit, vbi quinque hominum milia satiauit. Inde rediens super aquas ambulans, Petrum mergentem saluauit, & patria Genesar restitutus, plurimos etiam vesi fimbria tactu sanauit.

† Mar. 6. c. *† Luc. 9. a. **I**n illo tempore † Audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis. Hic est Ioannes baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.*



Hic est Herodes infanticidæ Herodis filius. Post priorem enim Herodem Palestinæ regem, Iudæa ipsa in quatuor partes diuisa est, vnde tetrarcha dictus est, qui resurrectionis non planè ignarus, audita de IESV fama, Ioannem illum esse arbitrabatur, quem decollauerat, à mortuis resuscitatum.

† Luc. 3. d. *† Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et Volens illum occidere, timuit populum: † quia sicut prophetam*
† Inf. 2. 1. c.

prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi † Unde cum iuramento pollicitus est ei ^{† 23. q. 1. ca.} dare quodcumque postulasset ab eo. At illa premonita à matre sua, ^{De homicidio c.} daque mihi inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex: propter iuramentum autem & eos qui pariter recumbebant iussit dari. ^{Cum iurasset q.} & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco: & ^{† Marc. 6. d. Luc. 9. b.} illa attulit matri suæ. Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nunciauerunt Iesu.

Hic Herodes primùm vxorem duxit filiam Arethæ regis: Philippus autem huius Herodis frater, quem & Herodem ipsum nominat Iosephus, vxorem duxerat Herodiadem Aristoboli filiâ, & Agrippæ maioris sororem. Cuius amore captus Herodes, priorem vxorem Arethæ filiam repudiat, & suam Philippo fratri aufert. Cuius adulterij gratia, liberè correptus est à Ioanne: conceptum in ipsum odium, cum propter vulgi metum cui habebatur Ioannes vt propheta, exequi non posset, captata occasione ex promissione facta filiæ Herodiadis, quæ eleganter in eius nataliciis saltauerat, decollari Ioannem iussit. Ideoque miraculorum CHRISTI fama crebrescente, Ioannem illum esse credidit, (vtpote quo neminem sanctiorem viderat) à mortuis suscitatum. Ex hac Ioannis & Herodis historia, duci possunt prædicatoribus loci communes de damnando adulterio, de luxuriosis conuiujs reprehendendis, & de lasciuia saltatione damnanda, deque libera prædicatorum correptione: præsertim vbi peccatum est publicum, quale tunc fuit Herodis.

Quod cum audisset Iesus, secessit inde in nauicula in locum desertū seorsum. Et cum audissent turba, secuta sunt eum pedestres de ciuitatibus. † Et exiens † Ioan. 6. a. vidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum.

Cum audisset Ioannem scilicet occisum, nauicula se recepit in desertum, non quod mortem sibi metueret ab Herode: qui sciebat nondum venisse horam suam. Sed quia vt inquit Lucas, quærebat eum videre Herodes, ipse autem nihil inde fructus venturum sciens, quippe qui curiositate tantum teneri Herodem sciret, nauigio secessit in desertum, vbi secutas turbas curauit à languoribus.

Vespere autem facta, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: † Desertus ^{† Mar. 6. c. Luc. 9. b. Ioan. 6. a.} est locus, & hora iam præterit, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas. Iesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare: Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces: Qui ait eis. Afferte mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cælum, ^{† dist. 36. ca. qui ecclesiastica.} benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus, quinque milia virorum, exceptis mulieribus & paruulis.

Delassatis turbis, & iam ad vesperam ieiuniis: neque propter deserti solitudinē suppetentibus cibariis, cum rogarent Apostoli dimitti illas, vt ex proximis oppidis sibus pararent escas. Ex quinq; panibus & duobus piscibus, qui pro omni cibo Apostolis supererant, præposita gratiarum actione virorum quinque milia, præter mulieres & paruulos abundè pa-

uit: adeo vt fragmentorum duodecim cophini superessent. Ex hac historia digna animaduersione est turbarum fides: quæ non itineris labore, deserti austeritate, ieiunijque inanitate deterretur, quominus ad audiendum verbum CHRISTVM sequatur. Quod autem illic ministrare Apostolos iubet, superantèsque cophinos tollere facit, vt ipsi rei insolentia, miraculique nouitate percussi, maiorem illi deinceps fidem habeant. Docemur quoque huic sperare nihil vnquam defuturum qui DEI verbum cum auiditate suscipit & persequitur. Allegorias hic ponere (quia scholia tantum agimus) quod prolixior res esset, superfedebimus.

† Mar. 6. f. g.
† Luc. 6. b.
Ioan. 6. b.

† Et statim iussit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum traus fretum, donec dimitteret turbas. † Et dimissa turba ascendit in montem solus orare.

Post patratum miraculum turbas fugiens: quia vt inquit Ioannes cap. 6. rapere eum volebant, vt facerent regem, iussis discipulis eum trans fretum præcedere, vt scribit Marcus ad Bethsaidam, & Ioannes in Capharnaum (quos locos postea conciliabimus) solus ascendit in montem oraturus: Insinuans nobis quod bona oratio debet procul esse à turba. Quod Marcus ait discipulos compulsos à domino eum præcedere trans fretum ad Bethsaidam, id certè verum est. Nec pugnat quod Ioannes ait, ipsos transmissio mari venisse Capharnaum, siue antè illò venerint quàm ad Bethsaidam siue postea.

† Mar. 6. g.
Ioan. 6. c.

† Vespere autem factò solus erat ibi, nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Statimq; Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquam. At ipse ait, Veni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi clamauit, dicens: Domine, saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modica fidei quare dubitasti? Et cum ascendisset in nauiculam cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es.

Historia naufragantium Apostolorum absente domine, nota est, ex qua multa docemur. Primum quod absente summo nauclero CHRISTO, non potest non fluctuari Ecclesie nauicula: quodque aliquando longè à suis recedit limitibus: non vt planè destituat, sed vt si bûp̄sis diffidentes omnem in se ponere fiduciam doceat: quod & Petrus fecit, qui ad solum CHRISTI verbum pedibus mare ingressus est. Quod vero exurgente vento valido timuit ac mergi cœpit, hac in re similes habet multos: qui etsi in prosperitate fortes, ac constantes in fide esse videantur, vbi tamen ventus afflictionis exurgere cœperit: & magnatum fauorem nacti fuerint hæretici: tum illos videas tremere animoque destitui, & in pusillanimitatis mergi barathrum. Deinde docemur ob nullam afflictionem animum despondere. Cum enim minima aut certè nulla potius ab homine spes salutis est: tum suis adesse solet IESVS. Sicut & Petrum apprehensum dextra erexit ne mergeretur, & ingressus nauim, ventum iussit quiescere, vt prius agnito periculo maiorem beneficij magnitudinem agnoscerent, & gratias agerent, quod & fecisse testatur Matthæus illos qui erant in nauim.

Et cum


† Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. † Et cum cognouissent eum viri loci illius, miserunt in uniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: & rogabant eum, vt vel simbriam vestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

† Mar. 6. d.
† Sup. 4. d.
Mar. 6. g.

Genesar enim securus interpretatur, vt intelligamus ecclesiam post varias & tyrannorum & hæreticorum persecutiones, duce CHRISTO ad securitatem peruenturam, quam CHRISTVS de persecutione & naufragio liberatam traducat ad littus, & in tranquillo portu quiescere faciat: vel vt ait Hilarius: Finitis legis temporibus, & ex Israel quinque milibus virorum intra ecclesiam collocatis: iam credentium populus occurrit: iam ipse ex lege per fidem saluus, reliquos ex suis infirmos, ægrotosque offerens domino, oblatique simbrias vestimentorum contingere optabant, sani per fidem futuri.

CAPVT QVINDECIMVM.

CHRISTVS Pharisæorum traditiones diuinis aduersari probat: Chananaa filiam per matris fidem à demonio liberat, ac plurimos à varijs morbis sanat, & tandem ex septem panibus & paucis pisciculis quatuor virorum milia cum mulieribus & paruulis satiauit.



† Unc † accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scriba & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus suas cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis.

† Mar. 7. a

Iudæis quibus per frequens varijs vt iustionibus & baptismatis mos inoleuerat, nõ ex Dei præcepto aut Moyfi traditione, sed ex seniorum institutis, priusquã pransum cenatumue irent, manus lauare. Quod cum aliquando non contemptus quidem gratia, sed per imprudentiam illotis manibus discipuli discubissent, vt flagitium ducens Pharisæica hypocrisis, cum re nulla attingere CHRISTVM possent, volentes in eum discipulorum culpam (si tamen culpa fuisset) reicere. Quare inquit, discipuli transgrediuntur legem seniorum. Sperabant autem non nihil aduersus maiorum traditiones dicturum CHRISTVM: atque ita vulgi inuidiam conflaturum. CHRISTVS autem sic responsionem temperat, vt & de traditione maiorum taceat, & de inhumanitate illos coarguat, inquit:

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram: Nam Deus dixit: † honora patrem & matrem. & † qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit. & non honorificabit patrem suum aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocrita, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: † Populus hic labijs me honorat: cor autem eorũ longè est à me. Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

† Exo. 20. b.
Deuter. 5. b.
Mar. 7. b.
Galat. 3. d.
Ephes. 6. a.
† Exod. 21. c.
Leuit. 20. c.
Prou. 20. c.
† Isa. 29. d.
Mar. 7. b.

Præceperat Deus Exodi. 20. patrem & matrem honorare: honoris autem appellatione non vulgarem tantum salutationem intellige, sed omne officium & obsequium illis debitum siue in reuerendis, siue in alendis illis: vt i. ad Timoth. 5. cap. Qui bene præfunt presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura: * Non alligabis os boui trituranti: Dignus est operarius mercede sua. Præceptum

† 1. Cor. 9. b.

quoque dederat de non maledicendo illis, Deutero. 5. Avaritia autem Pharisæica non planè audens iuventutem atterere à subueniendo parentibus, illisque beneficiendo per hypocrisim legem tulit, qua sensim auerterentur à debita erga parentes beneficentia, falsò persuasi si quod impendendum erat parentum necessitati, deo id est, templo, templique ministris offerretur. Atque ita parentibus ablatum, illorum avaritiæ caderet. Ideo dicit: Quicumque dixerit patri vel matri &c. Eclipsis hoc loco est tam Latinis quàm Græcis omnibus: quæ ita suppleri potest. Dicit Deus: Honora patrem & matrè, id est, necessaria illis impende. Dicit avarus Pharisæus: quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque est ex me, id est, quicquid templo templique ministris obtulero tibi profuturum est. Post hæc verba eclipsis est, atque suppleendum: Liber est à subuentione paterna, quæ autem verba sequuntur: & non honorificabit &c. non Pharisæi legem ferentis, sed CHRISTI damnatis sunt, quasi subiungentis: atque ita dum falsò persuasus iniqua vestra lege filius parentes non honorificat, debitumque illis non impendit beneficium, arbitratus se legi diuinæ per vestram impiam satisfecisse, vos irritum mandatum Dei fecistis propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias &c. Prophetia hæc scripta est, Isa. 29. Iisdem penè verbis. Probè autem quod interpret Matthæi habet: Sine causa colunt me, Græca habent: frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Mandata autem & doctrinas hominum caue intelligas cum hæreticis ecclesiasticas traditiones, & institutiones: neque etiam humanas principum leges, quæ inductæ sunt, vt reip. statum, tranquillitatem publicam, rectam conseruent. Cuiusmodi sunt, non vt hoc loco inquit excuculatus quidam & vxoratus sacerdos ac monachus: sacerdotum continentia, sed de vxoribus ducendis libidinosa & effrenis licentia, non de ciborum discrimine traditio, quæ ad temperantiam viam facit, sed permixta quiduis quouis tempore edendi ingluuius. Non auricularis confessio, quæ à peccando nos arcet, & auocat: humana autem traditiones dicuntur à CHRISTO quæ recta aut obliqua cum Dei præcepto pugnant: qualis erat illa Pharisæorum traditio: Quod quis templo obtulerit liber est à prestando parentibus obsequio: Non ea traditio quam hic affert idem Deo ornandis templis & aris: De quo videbis postea ex Chryostomo, ex factò Iudæ indignantis vnguentum Magdalenes effundi in pedes CHRISTI. At si quis legem ferat vbi fuerit ornandum templum, parentibusque subueniendum, relictis illis templo offerendum esse, indubiè traditiones hominum docet, Dei mandato pugnant. Certè nò ambigo, quod dolendum est, à multis pluris fieri manucentes ad Dei mandata superiorum traditiones, quam ipsissima Dei præcepta. Vt sunt qui scortari, & vsque ad ebrietatem crapulari diebus festis leuius ducant, quàm arare aut aliquam operam facere. At hi monendi sunt, vt quoad fieri potest, illi sabbatum, nisi grauis illos causa vrgat obseruent. Cæterum à flagitiis illis de inuisis & abominabilibus summè caueant. An verò sacerdotum continentia Deo odiosa est, quòd plerique sacerdotum contra ordinis sui professionem scortantur? Non ita. Odiosum enim esset connubium quòd libidinosi plerique coniugatorum, nec sua contenti, alienam inuadunt. Sed de his fatis.

† Marc. 7. b. *Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite. † Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominè.*

Huiusmodi verbis uti non solet CHRISTVS, nisi cum nouum aliquid & paradoxum diciturus est, quod hominum mentibus inculcari velit. Itaque cum abundè Pharisæorum interrogationi satisfecisset, temerè ac sine causa discipulos accusantium, volens paulatim ceremonias legis, quibus plus nimio Iudæi fidebant, euertere: cuiusmodi erant de cibis mundis & immundis, subdit: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod exit ab ore coinquinat hominem. Coinquinare verbum idem est quod Græci ex Hebræis sumpserunt κοινῶν. id est, communicare, more Hebræorum dixerunt immundum cibum τὸ κοινῶν, non quòd re vera vllus cibus suapte natura sit immundus: sed quòd Iudæis certis cibis interdictum erat vesci, cuiusmodi erat lepus, nequaquam suapte natura immundum animal: sed quòd certa & vni Deo cognita ratione aliquot cibis vesci illis interdictum erat, quos communes vocauerunt Iudæi, quasi certis gentibus concessos, & vnus sibi veritos. Hinc factum est vt im-

est vt immundi Iudæis cibi communes dicerentur. & κοινῶν communicare diceretur. Sic in Actis Petro adhuc Iudaizanti, & immundos aliquot cibos reputanti, cū iussus esset manducare de cibis coelitus datis inter quos essent communes & immundi, illeque recusaret, dicens: Absit domine, quia nunquàm manducaui omne commune & immundum. Rursum * Act. 10. b. vocem de cælo audiuit, dicentem: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris: id est, impurum & immundum. Cū ergo mordicus huiusmodi ceremonias de immundo cibo non edendo Iudæi tuerentur, adeò vt post acceptum spiritum sanctum in ea sententia permaneret Apostolorum coriphæus Petrus: sciens quàm graue posthac esset Iudæis ab hac opinione discedere, CHRISTVS Iudæorum turbis, quibus mitius erat ac facilius quam superstitiosis Pharisæis ingenium, Audite inquit, & intelligite. Quasi diceret: Rem nouam vobis & quæ initio dura videatur dicturus sum. Indignantur Pharisæi & vitio ducit quòd discipuli mei illotis manibus manducant, rem minimè Dei præcepto inhibitam. Ego autem dico vobis quòd non modò in hoc non male agunt, quinimo si posthac cibos in lege vetitos & immundos comedant, non coinquinabuntur, neque per hoc immundi erunt. Nò enim quod intrat in os coinquinat, id est, immundum reddit hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, id est, quod in os intrat purè externum est, neque boni neque mali rationem in se habens, nullamque secum inuehere malitiam potest, nisi quæ ex corde mentisque affectione prodeat.

Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito Verbo hoc scandalizati sunt? At ille respondens, ait: † Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces caecorū. † Cæcus autè si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadūt. † Ioan. 15. a

Dum enim ex verbo CHRISTI intellexerunt paulatim ceremonias suas labefactari, quanquàm meliora illis longè succedebant pro ceremoniis scilicet, & vmbri, ipsissima lux & veritas, scandalizati sunt scandalo, vt Theologi vocant, accepto non dato: neque enim CHRISTVS neque eius verba occasionem illis vllam dabant offendiculi. Sed ipsi mera inuidia vltro sibi scandalum accersebant. Ideoque negligendum docet huiusmodi hominū scandalum, inquiens: Sinite illos subaudi scandalizari: rationemque subdit. Cæci sunt ex his videlicet, qui videntes videre nolunt, neque intelligentes intelligere. Sinite ergo illos perire, qui scientes ac volentes perire volunt. Ego autem non possum patris mei opera non facere, & necessariam veritatem non prædicare. Et si futurum scio illos inde offendi, nihil ad me de illis, qui adulterina plantatio sunt, quam pater meus non plantauit. Ideoque eradicabuntur ex viua scilicet terra electorum, & domini vinea. Nā adulternæ plantationes nò dabunt radices altas. Ideoque sinite cæcos magistros cum cæcis discipulis, quos docent in æternæ damnationis foueam cadere: cū recta monentibus & salutaria audire nolint.

Respondens autè Petrus, dixit ei: Ediffere nobis parabolam istam. At ille dixit: adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur: Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. † De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia blasphemie. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. † Genes. 6. a

Respondendi verbo vt antè diximus vtuntur Euangelistæ, etiam si nulla interrogatio præcessit. Quomodo hic Petrus, qui nihil antè interrogante CHRISTO, dicit Matth. Respondens Petrus, ait: Ediffere nobis parabolam istam. Vbi notum est parabolæ nomen nò pro similitudine sumi, sed pro obscura aliqua sententia. Quomodo & in Psalmis. * Aperi- * Psal. 77. a riam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Ostendit autem CHRISTVS

quomodo quod intrat in os non coinquinat hominem: quia videlicet sola impietatis sedes mens & cor. Nam quicquid fit non accedente mentis consensione, siue illud stuprum sit, quemadmodum in Loth, culpa caret, siue homicidium fuerit, si verè imprudenti & ignoranti acciderit, non igitur quod in os intrat, sed quæ de corde exeunt mala id est, quæ animo prius patrantur, & concipiuntur, cuiusmodi sunt prauæ cogitationes, ea hominem maculant. Quod autem ait C H R I S T V S: quæ procedunt de ore de corde exeunt: Id est quod

*Matt. 12. c
Luc. 6. g.

Aristoteles ait, *περι ἐπιθυμιῶν*. Voces sunt mentis indices. Et alibi C H R I S T V S: *Ex abundantia cordis os loquitur. Nihil enim loqui solet, nisi quod illis mēs suggerit. Ideo quodcūque peccatum est in voce & ore, cuiusmodi sunt falsa testimonia & blasphemiae, radicem habent à corde. Hic frustra laborant hæretici, contententes de externo ciborum delectu: cū nihil aliud velit C H R I S T V S his verbis quàm cibum nullum ore sumptum per se hominem impurum reddere. Quod vtique concedunt qui quadragesimale ieiunium, ecclesiasticæque alia obseruant.

† Marc. 7. c

† Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Misere mei domine fili David, filia mea male à demonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte illam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi ô mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Egresso Iesu à Genesar, quæ Iudæorum terra est, & in partes gentium scilicet Tyri & Sidonis ingresso: Ecce mulier Chananæa instanter ab illo filiae curationem postulat, suum dicens filiae morbum, dum inquit, Misere mei domine fili David, filia mea male à demonio vexatur. Filium autem David appellat, id est, C H R I S T V M ac Messiam in lege promissum. C H R I S T V S autem audire dissimulans, non respondit ei verbum, nam vt fidei nostræ perseuerantiam teneret, plerunque quod dare instituit, negare simulat. Mulier autem iratum putans dominum, discipulos adit, qui sua causa eum rogent, dicentes: Dimitte illam, quia clamat post nos. In verbo autem clamat, ardentem mulieris affectionem intelligas licet. C H R I S T V S autem rursus dissimulans, nō sum missus inquit, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Quod intellige primū ac principaliter. Nam qui saluti omnium venerat, Iudæorum tamen gratia primū ac principaliter missus erat. Hic mihi temperare non possum, quin pseudoeuangelici cuiusdam rideam sententiam qui suis in hoc loco commentariis sanctorū se intercessionem eneruasse putat, inquiens: Videre hic liceat quàm perierit sapientia sapientum quorundam: qui ex hoc loco intercessionem sanctorum probare conantur: non animaduertentes discipulos quidem pro hac muliercula rogasse, sed nihil impetrasse. An verò nihil impetrat qui non statim assequitur quod optat, ac non magis sic bonitatem suam dispensauit dominus, vt primū roganti mulieri veluti obsurdesceret: vt illa vilitatis suæ, & indignitatis conscia intercessores adhiberet discipulos, illis vero ab ea inductis non concederet quidem, sed neque negaret, vt perseuerantiam tentaret mulieris, quæ non auditos discipulos intelligens, rursus per se venit, & adorauit. Neque rursus exaudita, audiuit à domino: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

*Isaia. 1. a

*Filios Iudæos vocat: De quibus conquerens Isaia, ait: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autē spreuerunt me. Quos & filios regni Matth. 5. vocans C H R I S T V S, predicat eiiciendos. Et certè populus Israeliticus non modò Dei filius dicitur, sed & primogeniti filij nomen clatura

clatura dignatus est Exod. 4. Hæc dicit dominus: *Filius meus primogenitus Israel. Euangelium ergo verbum filiorum, id est, Iudæorum, panem appellat: quod primū ac principaliter missus esset illis. Primūque illis, teste Paulo, prædicatum verbum oportuit. Canes autem infideles gentiles vocat: quibus negat mittendum panem filiorum, prout antè dixit, ca. 7. Nolite sanctum dare canibus. At illa humilitatis suæ conscia, neque catellæ nomen erubescens, tandem filiae sanitatem impetravit.

Et cū transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem sedebat ibi. † Et accesserunt ad eum turbae multæ, habentes secum multos, cecos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turba mirarentur vidētes multos loquētes, claudos ambulantes, cecos videntes: & magnificabant Deum Israel.

Paulò latius tractat hunc locum Marcus, quem & ibidem fufius declarabimus, nunc tantū quæ præter Marcum narranda censemus. Iesus autem interdum dicitur circuire, quasi quærens male habentes quos sanaret. Interdum verò sedere expectans eos quibus cura opus est. Et ita vt inquit Hilarius, variis obsessi morbis, id est, gentiles infideles a fidelibus domino sanandi adducuntur, vt eum adorent, & procidant, quibus salus redditur. atque ad fectiendum, contuendum, laudandum, comitandumque Deum omnia & mentis & corporis ministeria reformantur.

Iesus autem conuocatis discipulis suis, dixit: † Misereor turba: quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos vt saturemus turbam tantam? Et ait illis Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem & paucos pisciculos. † Et præcepit turba vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens fregit, & dedit discipulis, & discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis tulerunt, septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt, quatuor milia hominum extra paruulos & mulieres.

Simile penè miraculum est quod præcedenti cap. tractauit Mattheus. Ne quis autem putet idem miraculum esse repetitum, aliter tractat. In quo occurrunt multa noua tractanda. Vnde Hilarius. Discipuli in priori scilicet miraculo, vnius diei ieiunium miserentes, quinque milia virorum ad coemendos cibos remitti in castella volunt: Nunc in posteriori toto iam triduo tacent. Et deinceps sceno superior turba substernitur, hæc accumbit in terra: illic quinque panes, hic septem offeruntur: illic duo pisces, hic indefinitus sub paucitatis tamen significatione numerus est: illic quinque milia virorum, hic quatuor: illic duodecim cophini, hic septem sportæ repletæ.

Et dimissa turba, ascendit in nauiculam: & venit in fines Magedan.

Græci habent Magdala: pro quo Marcus habet Dalmanutha. Nec dum constat quæ regio sit diuersis nominibus ab Euangelistis nuncupata. Vide num forte ea regio sit iuxta castrum Magdalenes.

Sadduceis & Phariseis celeste signum CHRISTVS negavit, atque ab eorum fermento cauendum docuit. discipulis autem super diuinitate sua confitentibus, suam prædixit post multa fidei documenta passionem & resurrectionem.

† Marc. 8. b
Luc. 12. g.



Et accesserunt ad eum Pharisei & Sadducei tentantes. Et rogauerunt eum, ut signum de celo ostenderet eis. At ille respondens, ait illis: factis vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim caelum. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste caelum.

* 1. Cor. 1. d.

Nimirum * Iudæi teste Paulo signa petunt, Græci autem sapientiam. Quamquam etiã sancti nonnuquam signa sanctè petierint. vt Gedeon. Iudicum. 6. Ezechias, & ipse Achab.

* Isa. 7. b

Quin imo ipse Achaz infidelis damnatur * quod signum à domino petere, recusauerit. Qui verò vt de Dei voluntate certior fiat: eamque impleat, signum petit, non improbè agit. At qui curiositatis tantum gratia, aut diffidentia causa id agit, impius est.

Faciem ergo caeli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis?

Id est, qualis est futura diei crastinae tempestas ex caeli facie, & inspectu discernere nostis, signa autem temporum non potestis. Quæ verò sunt ista temporum signa indicat Lucas cap. 19. Quando mirabundus & miserabundus (ait ad Ierusalem.) * Quia venient dies in te & c. & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognoueris tempus

* Luc. 19. g.

visitationis tuæ, aduentum scilicet Messia. De quo Zacharias pater Ioannis Bapt. * Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Quamquam & tempus visitationis aliquando videtur sumi pro die iudicij. 1. Petr. 2. & 5. Similiter & apud Isaiam & Ieremiam.

* Luc. 1. f

† Generatio mala & adultera signum querit: & signum non dabitur ei, nisi signum Iona prophetae. Et relictis illis, abiit.

† Sup. 12. e

† Ionæ. 2. a
Marc. 8. b

De hoc vide supra Matt. 12. & similiter de signo Ionæ prophetae.

† Luc. 12. a

Et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis: † Intuemini & caute à fermento Phariseorum & Sadduceorum. At illi cogitabant inter se, dicentes: Quia panes non accepimus. Sciens

† Marc. 8. c.

autem Iesus, dixit: † Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum, & quinque milium hominum & quot cophinos sumpsisistis? Neque septem panum, & quinque milium hominum, & quot sportas sumpsisistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Phariseorum & Sadduceorum? Tunc intellexerunt quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Phariseorum & Sadduceorum.

Cum dicit: Cauete à fermento Phariseorum & Sadduceorum, Marcus addit: & Herodis. Paulò antè diximus fermentum nunc pro bona doctrina sumi, nunc pro mala. Quomodo hinc Apostoli ex CHRISTO sumi intellexerunt. Dicuntur & prauis moribus fermentum à Paulo.

tum à Paulo. 1. Corinth. 5. c. * Itaque epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ & nequitia, sed in azimis synceritatis & veritatis. Itaque arbitrati sunt Apostoli dominum prohibuisse, ne & ipsi panes à Phariseis & Sadduceis tanquam excommunicatis acciperent: quod CHRISTVS nec immerito arguit.

† Venit autè Iesus in partes Casaræ & Philippi, & interrogabat discipulos suos, † Marc. 8. c.
dicens: Quæ dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt. Alij Ioannem Luc. 9. c.
Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut unum ex prophetis. De baptismo cap. maiores.

Casaræ ista, nam & aliæ duæ sunt, sita est ad fontem Iordanis, olim dicta Paneas, postea autem à Philippo maioris Herodis filio, & fratre Tetrarchæ Herodis, qui Ioannem decolauit, ampliata, Casaræa est appellata. Quam postea amplius exornans Agrippa in honorem Neronis, Neronianam vocauit. Erat autem finitima regionis Iudæorum, Iudæis & Syris simul habitata.

Dicit illis Iesus: Vos autè quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: † Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: † Luc. 6. g.

Haecenus CHRISTVS humilia tantum de se professus. Quippe qui filium hominis, quo nullus est abieciore titulus, tantum se vocare solitus sit. Nunc quid de se vulgus sentiat, (vulgus enim homines vocat) discipulos interrogat: non quo inanem ab eo gloriam caperet, sed vt altius de se sentire eos qui prædicaturi illum erant, doceat. Quod verò vulgus existimabit aut Ioannem aut Eliam, aliumve ex prophetis esse, cum Iudæis palam resurrectio generalis crederetur. Argumentum est simile cum Pithagoricis qui credebant animas de corpore in corpus migrare solitas. Nò enim existimabant eum esse Ioannem fuscitatum, cuius nuper defuncti lineamenta omnia tenebant, sed animam Ioannis in corpus illud migrasse.

† Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in caelis est. † Dist. 29. c.
Ita dominus.
De maioris.

Quid sit Bar Iona declarat CHRISTVS Ioan. 1. Cum Petro diceret: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Bar enim Hebraicum, filium significat. Iona verò siue Iohanna dicebatur Petri & Andrææ pater, quem Latini Ioannem dicunt. Beatum autem illum pronunciat ob fidei confessionem, quam de CHRISTO habebat, vocans illum Dei viuentis atq; omnia viuificantis filium. Quia caro & sanguis non reuelauit tibi, id est, nullus planè hominum, sicq; enim carnem & sanguinem simul Paulus ad Galat. 1. * Continuo non acquieui, siue non contuli cum carne & sanguine.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam. Et portæ inferi non preualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in caelis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in caelis. † Ioan. 20. e.
† Isa. 12. g. 9.
q. 3. Aliorū.
* Galat. 1. e

Tu es Petrus: Non hinc Petrus Simonis cognomentum significat, sed idem prorsus quod saxum & petra. Idem enim est Græcè ὁ πέτρος πέτρα & πέτρα. Ideo quia tu es Petrus, id est, planè saxum, rupes, & Petra, in nominis mei confessione firmus & solidus. Ideo super hanc petram, id est, super te tam firmum ac solidum, edificabo ecclesiam meam. Nam alienum est quod hinc Buccerus in suis commentariis confiteri nolens Simonem Petrum, siue petram & saxum esse super quod CHRISTVS ædificaturus erat ecclesiam, dicit Petrum quasi petreum siue lapidonem vocari: Neque minus firmum est argumentum, cum ait CHRISTVM dicentem: Et super hanc petram, &c. Non intellexisse de Petro, cum scriptum sit πέτρα ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρῃ, id est, & super hanc patrem, non ἐπὶ τῷ τῷ πέτρῃ.

Nam constat Matthæum qui Hebraicè scripsit, vnicum pro hoc, vocabulū posuisse. Cephas scilicet, id est, saxum & rupes: Neq; vt antè dixi CHRIS TV S dicens: Tu es Petrus, intellexit: Tu vocaris Petrus: sed tu fidei firmitate verū saxum & rupes, veraq; petra es, super quā ædificabo ecclesiam meam. Quod enim de fide intellexerit hanc petram, hinc manifestum est, quod dixit, ædificabo. Semper enim in Dei Christi; fide, siue explicita (vt theologi vocant) siue implicita ædificata & fundata fuit Dei viuētis ecclesia. Sed dū quodāmodo nouā reiecta synagoga ædificaturus esset ecclesiam, primariū secundū se & caput & fundamentū esse voluit Petrum, cui ob id nominatim primario clauēs regni cœlorum traduntur: Cui vni nunc ligandi soluendiq; potestas traditur. Cuique vni & soli pascendi ouilis Christiāni trina repetitione cura committitur, vt Ioan. vltimo docebimus. Vide hoc loco quid portæ inferi, & consule Græcos & Latinos de ligandi soluendiq; potestate. quidue sint clauēs. Portas inferi vocant mala & blasphemias à gentibus & hæreticis in CHRIS TV M & ecclesiam, siue persecutiones & supplicia ab iisdem in Christianos & ecclesiasticos inflicta. De quibus & clauibus dicit hic beatus Hilarius. O in nuncupatione noui nominis felix ecclesie fundamentum, dignaq; illius ædificatione petra: quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio clauēs æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata autoritas sit in cœlo: vt quæ in terris aut ligata sunt aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo.

Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini diceret quia ipse esset Iesus Christus.

Aliquot locis sciens CHRIS TV S nondum venisse horam manifestationis suæ, inhiuit discipulis suis ne manifestum facerent ipsum esse IESVM CHRIS TV M, Deique filium & Saluatorem hominum.

Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis quia oporteret illum ire Ierosolymam & multa pati à senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

Quia futurum erat vt paulò post morti traderetur ignominiosæ, ne tanquam noua & inaudita discipulos turbaret, præmonitos hos voluit se dira passurum ac tandem mortem obiturum simulque consolationem addidit se die tertia resurrecturum.

Et assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: Absit à te domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: † Vade post me Satana: scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ sunt hominum.

Assumentis verbū indicat seorsum ab aliis eductū CHRIS TV M à Petro increpatum, dicente: Absit à te, siue vt Græca habet, propitius tibi sis domine. Increpandi autē verbum, non pro aspera obiurgatione hic sumi debet, sed pro commiseratione potius. Quod indicant verba: propitius tibi sis. Neq; quicquam facit quod CHRIS TV S eū satanam vocat, id est, aduersariū. Nam Petrus licet pio affectu, humano tamen sensu loquens, verè CHRIS TV S aduersabatur, nolens eum iuxta patris voluntatē necessariam humanæ salutis mortem obire. Nihil autem mirum si humana tantum, non item diuina saperet, nondum accepto ad fatietatem diuino spiritu, qui etiā post acceptū non nihil titubauit, vt docet Paul. ad Galat. Vides autem quomodo à peccato defendes cum reiecto illi CHRIS TV S dicat: scandalū mihi es. Quod verò Matthæus ait de CHRIS TV S qui conuersus indicat quod seorsim & clam aliis CHRIS TV S Petrus aduersabatur, voluisset coram aliis reprehendere, vt & cæteri in peccato correcti discerent CHRIS TV S Dei; patris voluntati non aduersari.

† Luc. 14. f. Tunc Iesus dixit discipulis suis: † Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.

Venire post CHRIS TV M est eum imitando sectari, eiusque se præstare discipulū: abnegare

abnegare autem semetipsum, est totum pendere à Deo, omnemque voluntatem suam diuinæ voluntati conformare: tollere crucē suam, est lubenter & ex animo erumnas Deo volente & permitte sibi oblatas propter Deum apprehendere. Quia ideo abhorreere videbatur à cruce Petrus, dum ab ea toleranda CHRIS TV M auertere nititur, omnes vna discipulos docet non modò nō ab ea abhorrendū, sed vltro eā verè suis discipulis apprehendendā.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam. † Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem suam pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius.

Animam suam volens saluam facere, est euangelico negotio dei; causæ vitam suā præferre (hic autem anima pro vita) perdere autem eam propter CHRIS TV M, est leuē eius præ illius amore iacturam facere? quod qui fecerit, & si perdidisse mundo videatur, inueniet eam, id est, saluam faciet, quod ait Marcus. Cū verò potior hominis pars animus sit ad Dei imaginem & similitudinē formatus, quid lucri facere potest cum animi iactura, in quo aut perpetuum beatus, aut æternū miser est futurus? Idcirco nihil charius homini debet esse anima propria, neq; etiam vita. Quandoquidē salua anima æternā potest recuperare vitam: vt autem ad tolerandā pro CHRIS TV S crucem, illos discipulos animet, ostendit non defore olim se sequentibus præmia; quia filius hominis: qui scilicet nunc vilis & abiectus, ac mūdo contemptus, olim in iudicio venturus est cum angelis suis gloria patris ornatus: tuncq; rediturus vnicuique secundum opera eius, iis scilicet, qui se fuerint secuti, vitam æternam: iis verò qui contempserint mortem pro CHRIS TV S, perpetuum cruciatum.

Amen dico vobis, † sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortē, donec videant filium hominis venientem in regno suo.

Aduentum filij hominis in regnum suū, quidam interpretantur in iudiciū, deq; Ioanne Euangelista locum intelligunt, quem non ante moriturum prædicant. Sed quia nihil de hoc certi habent, præstat aduentum suum in regnum intelligere: quando in omnem terram exiuit sonus Apostolorum: ac passim cum magna gloria prædicari cœpit recipique Euangelium: vel inuisis tyrannis ac diabolo, quod factum est circiter annum à passione CHRIS TV S vigesimum. Tunc enim verè regnare cœpit, cum freudentibus tyrannis, passim euerfa est idololatria: quod indubiè multi ex Apostolis viderunt.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Transfiguratus CHRISTVS Moysē & Elia præsentibus, interrogatus à discipulis super Elia aduentu in quorum presentia lunaticum curat, quem discipuli propter incredulitatem curare non poterant, & tandem didrachma Cæsari Petro iubet dari.



T† post dies sex assumpsit Iesus Petrū & Iacobū & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montē excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cū eo loquētes. Respondens autē Petrus, dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse. Si vis faciamus

hæc tria tabernacula tibi unum, Moysi unum, & Elie unum.

Quia abiecta tantum & ignominiosa de se nouissimo capite prædixerat, futurum scilicet, ut post multa opprobria, multasque molestias, tandem probrosa morte occideretur: Petro, & Iacobo, & Ioanni, quos secretorum suorum testes primarios adhibere consuevit, gloriæ futuræ specimen quoddam ostendere voluit, ut non puderet more magistri crucem atque ignominias ferre, quos tanta demum maneret gloria, ut aliquotam eius sintillâ vel vmbra sibi in monte ostensam ferre non possent. Itaque assumptis secum illis in montem, ita transfiguratus est, ut facies eius uti sol resplenderet, & vestimenta eius velut nix candescerent: quæ futuræ nostræ in resurrectione immortalitatis, gloriam & innocentiam repræsentabant. Interim verò oranti CHRISTO in monte apparuerunt Moyses & Elias cum eo loquentes: Cum verò loquerentur, Lucas cap. 9. Indicauit, nimirum de excessu & exitu eius, quem completurus erat Ierusalem. Ut verò ibidem Lucas testatur sic inter se colloquentibus, grauati somno dormiebant Apostoli: quibus excitatis à tantæ gloriæ fulgore, stupefactis illis, tribus illis tria tabernacula fieri Petrus optat: ut tantæ gloriæ ac maiestatis contemplatione diutius fruatur.

† Marc. 1. b. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos. † Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. † Et descendētibz illis de monte præcepit Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionē, donec filius hominis à mortuis resurgat.*

Quia verò secū habebant in quo vno acquiescere perpetuò deberent CHRISTVM Dei filium assumptis in nube prophetis, audita est vox de nube: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacui, ipsum audite. Quasi diceret: Nihil iā vobis Moyses & Elia opus est. Nam lex & prophetæ (ut inquit CHRISTVS) qui per hos duos repræsentantur, vsq; ad Ioannem: CHRISTVS autem legis est perfectio, & consummatio. Exterriti autē paterna voce discipuli, procciderunt in faciem. Quod autem discipulis inhiuit hanc transfigurationis gloriam ante suam resurrectionem cuiquā reuelare: fortasse id fecit, quod humilia tantum in eo mundus considerans, delirare illos & nugari crederet: & quanto maiora de eo prædicarent, tanto difficiliora creditu riderentur, & ita amplius Iudæi exasperarentur: secus post resurrectionem eius.

† Mala. 4. b. *Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: † Quid ergo scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primū venire. At ille respondens, ait eis: Elias quidē venturus est, & restituet omnia. Dico autē vobis: quia Elias iam venit, & non cognouerūt eū: sed fecerūt in eo quæcūq; voluerūt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tūc intellexerūt discipuli quia de Ioanne Baptista dixisset eis.*

Hoc turbabat Apostolos quòd dixerat CHRISTVS donec filius hominis à mortuis resurgat, tanquam non antè ab ipso CHRISTO præmonitos quòd pati ipsum oporteret & tertia die à mortuis resurgere. Ideo aiunt: Quid est quod de resurrectione tua loqueris, cum Scribæ asserant, quòd Eliam antè venire oporteat? Indubiè sanè cum Messia tempus appeteret, varij varia de eo loquebantur. Inter quos Scribæ ex Malachiæ vaticinio asserant ante venturum Eliam, quòd certissimè futurum CHRISTVS respondet, venturum scilicet illum ante secundum eius in iudicium aduentum. Cæterum venisse iam Eliam alium, prioris aduentus ipsius præcursorem, quem non cognouerunt Iudæi, id est, cuius doctrinam

doctrinam monitâque non receperunt ad pœnitentiam inuitantis: sed contra pro mala voluntate sua pessimè tractauerunt ac fortassis per Herodem decollari procurauerunt. Nam aliquoties iunctos Iudæis Herodianos aduersus CHRISTVM legimus, ita fore ut nihil indignius ipsum tractarent, occidiq; procurarent.

† *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur. Nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.*

Lunatici sunt qui morbo comitali laborant: quod qui interlunio nati sunt huic morbo sunt obnoxij, & tales deficiente luna potissimum vexantur, & in ignem & aquam sepe cadunt. Consule hac de re medicos.

O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscū? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus: & exijt ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.

Verisimile non est, quicquid Buccerus dicat, non tam ad patrem lunatici, qui ad discipulos & CHRISTVM venerat ut curaretur filius, aut ad discipulos hæc verba spectare: quorum vtriq; fidem licet non perfectam habebant, quàm ad scribas, qui ea de re cum discipulis disceptabant, ut testatur Marcus ca. 9. qui asserit CHRISTVM inuenisse scribas cōquirentes & altercantes cum discipulis: interrogantiq; CHRISTO quid inter se conquirerent & contenderent, respondisse vnum de turba: magister attuli filium meū ad te habentem spiritum mutum. Tunc IESVS non ad patrem pueri loquens, qui magna fide puerū ad ipsum attulerat, neq; ad discipulos, sed ad altercantes scribas inquit: O generatio incredula & peruersa. Quibus verbis solet CHRISTVS Phariseos & Scribas percellere: ut Matth. 12. Generatio mala & adultera signum quærit, & alibi sæpe. Quod verò ait CHRISTVS illis: quousq; ero vobiscū? quousq; patiar vos? Indignantis sunt verba, quem pertesum sit cum huiusmodi præfractis & incredulis tandiu versari, quasiq; mortem suā à patre accelerari optantis: ne diutius eorum importunitatem & incredulitatem ferre cogatur.

Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerūt: Quare nos non potuimus eijcere illum? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatē Vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granū sinapis, dicetis monti huic: † Transi hinc illuc & transibit: & nihil erit impossibile vobis. Hoc autem genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.

Quare non potuimus eiicere illum, scilicet spiritum malignum, ad hanc discipulorum interrogationem, duas affert causas CHRISTVS, quare dæmonium illud eiicere non potuerint. Prima est propter eorum incredulitatem, id est, nondum plenam & perfectam fidē. Maiori enim fide maioribus in rebus opus est. Sed huic expositioni videntur obuiare verba quæ sequuntur: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c. Nam cum modica fides sicut granum sinapi, sufficiat ad transferendos montes, sufficere potest ad expellendum dæmonium. Ad quod quidam respondent, quòd comparatio fidei ad granum sinapis, non refertur ad exiguitatem, sed ad efficaciam cuius tanta vis est, ut referete Ruelio: Si quis vnum & alterum granum indies masticeret, adprimè illud valeat aduersus apoplexiam. Dicit ergo CHRISTVS: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, id est, tam efficacē sicut est granum sinapis, cuius vel vnum granum tam actuosum est, ut per simile montes transferretis, id est, rem quālibet difficilē perficere possētis. Et enim metaphorica & hyperbolica ista locutio: quamquam etiam in primitiua ecclesia leguntur simplices Christiani montes transtulisse:

vt audiui de coriario quodam aduersus Iulianum Apostatam, Ergo propter defectum duarum causarum non potuerunt eiicere. Prima est ex parte eorum, scilicet incredulitas, id est, imperfecta & insufficientis fides. Secunda est ex parte illius dæmonij, ad quod eiiciendum, nõ sufficit eiicientis fides, sed requiritur ieiuniũ & oratio: Quæ quia nõ adhibuerunt Apostoli, vim illius dæmonij ignorantes, idcirco non eiecerunt. Inquit enim CHRISTVS: Hoc genus dæmonij, non eiicitur nisi per orationem & ieiunium. Sensus ergo est: Primum per incredulitatem vestram & fidem imperfectam, factum est vt hoc genus dæmoniorum non eiiceretur. Deinde si tantæ efficaciz fidem habuissetis, quãtæ est granum sinapis, neque sic eiicissetis. Nam ad hoc eiiciendũ oratio requiritur & ieiunium. Hic est verus sensus. Et vt sic intelligam, facit coniunctio, autem, vt sit sensus verborum: Verum est quod si habueritis fidem sicut granum sinapis, montes transferetis, sed hoc dæmonium non eiicietis nisi ieiunio & oratione. Hic multis multum se torquet Buccerus, vt ostendat ad eiiciendũ dæmonium omnem efficaciam fidei tribui, nihil ieiunio & orationi: & sensum dicit esse eius: Hoc autem genus &c. Quod ad eiiciendum dæmonium requiritur fides tam intensa & vehemens, quæ ieiunium & orationem eliciat. Sed videat lector Christianus quã sit hoc torquere scripturam, quod in aliis summum nehas esse ducit Buccerus.

† Marc. 9. e. † Conuersantibus autem eis in Galilea dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

Luc. 9. e.
Infr. 20. e.

CHRISTVS multiphariam discipulis suis prædicit mortem & resurrectionem, vt illius passionem discipuli eius videntes non scandalizarentur, nec hoc naturæ illius imbecillitati tribuerent: & vt his monitionibus frequenter exercitati, non deficerent cum hæc quæ audierant aduenisse viderent.


Et cum Venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis an ab alienis? Et ille dixit ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.

Didrachma media pars sicli, qui valet quatuor drachmas: cuius mediam partem scilicet didrachma iubentur Iudæi offerre templo, vt habetur Exod. 30. Vt autem ibidem habetur. Siclus valet viginti obolos, & sic didrachma decem: quæ est quinta pars coronati. Hanc autem summam post CHRISTVM Vespasianus Iudæis indixit viritim soluendam, & in capitolium deferendam, siue quod tantundem templo offerre soliti erant, siue fortasse quod parem summam Iudæis Augustus Cæsar exegisset: qui primis illis Cirenio præside censum imperauit. Vnde infert: Ergo liberi sunt filij. Paululum multis incommoda videtur hæc illatio. Cum enim præmississet CHRISTVS: Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis: Petrusque subiunxisset ab alienis, videbatur inferendum: Ergo liberi sunt regum terræ filij. Sed CHRISTVS Petro loquens intelligenti cuius esset per naturam filius. Petrus autem & alij Apostoli per gratiam nempe patris & regis cœlestis filij tantum intulit CHRISTVS: Ergo liberi sunt filij. Nam si regum terræ filij liberi sunt, sunt & filij regis cœlestis. Vitandi tamen scandali gratia, quod nõ debebat, solui iussit: scilicet staterem casu repertam. Est autem stater idem quod siclus, valens bis didrachma. quem pro se & Petro. Pro singulis videlicet didrachma solui iussit.

CAPVT

CAPVT DECIMOCTAVVM.

DIGNITATEM in humilitate CHRISTVS constituit, Ideo superbiam fugientem, & scandalum in fratrem etiam vsque ad membrorum abscissionem. Insuper fratris correptionem præcipit per cuius perditam inuentionem, & ingrati beneficentia serui repetitionem.



† Marc. 9. e. † Illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.

Luc. 9. f.
1. Cor. 14. d

Non placent Buccero qui dicunt huius disputationis causam ortam esse, quod CHRISTVS Petrum in soluenda didrachma cæteris prætulisset, quasi sensim significaret illum aliis præficiendum. Quia inquit, hæc disputatio facta est in itinere ad Capharnaum, vt tractat Marcus cap. 9. Cuius oppositum ex præcedentibus & sequentibus constat. Nempè quia inter pares post eius discessum eligendus esset, qui aliis vice eius præesset. Atqui primus fidem CHRISTI aliis tacentibus confessus est, quidni aliis præficiendum censeret. Ex sequentibus vero, quod Petrus humilimo loco natus, & humiliori arti additus, qualem vult dominus cæteris in ecclesiasticis dignitatibus modò nihil vitiorum obsistat præficiendum. Quandoquidem nisi efficiantur sicut paruuli indigni sunt regno cœlorum. Vbi docet modum quo verè paruuli & humiles efficiamur, si à veteri scilicet homine conuersi morum conuersatione, in nouitatem vitæ transeamus, & abiecta animi elatione, quam pueri nesciunt superbire & indignari dediscamus. Verè puer aut irasci nequit, aut confestim mitigatur. Regnum autem cœlorum aliquando pro Ecclesia sumitur, hic autem sumi videtur pro ipsa cœlesti patria in qua CHRISTVS qui tunc abiectus videbatur, regnaturus erat cum suis: Videturque tunc eos philotimia quædam & ambitio cœpisse de prælatura in vita futura. Ad quæstionem autem eorum respondet CHRISTVS de prælatura in regno cœlorum futura. Quandoquidem nemini datur in regno cœlorum, non modo non præesse, sed nec esse aut illud intrare, nisi prius efficiatur vt paruulus, qui nulla capitur philotimia aut ambitione.

Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Mola asinaria Græcè μύλος ὄνος. Et est molendini mola inferior, quæ Græcè simpliciter ὄνος dicitur. Latinis mola vt superior catillus: et si ὄνος interdum significat asinum.

Vt mundo à scandalis. Necessè est enim vt veniant scandala: veruntamen tunc va homini illi per quem scandalum venit.

† De noui operis nun-

Scandalum generali vocabulo dicitur occasio lapsus & ruinæ alicui: & hoc modo bonis & malis competit. Nam CHRISTVS lapis scandali dicitur, & sana eius doctrina scandalum Phariseis erat. Aretius autem scandalum dicitur quicquid per se malum est: aut si non per se malum, imprudenter tamen neque tempori dictum, aliis inde peccandi occasionem affert, nullam aliunde secum ferens maioris boni occasionem. Væ ergo mundo à scandalis, Id est, infelix & maledictus est mundus ob infinita in eo scandala: tantòque infelicior

cia. cap. Cum ex in-

iuncto. Mar. 9. f. Luc. 17. d. Sup. 5. c

G iij

quanto necesse est ut ea veniant. Necesse quidem non necessitate absoluta, sed conditionata quando scilicet ita corruptus est mundus, ut vix sine scandalo in eo viuat. Necesse est etiam esse scandala eo modo quo Paulus: * Oportet inquit, hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. At ne quis ideo existimet impunè sibi fore, si cuiquam scandalo fuerit, subdit CHRISTVS: Væ homini illi per quem scandalum venit.

† Mar. 9. f. g. *Sup. 5. c.* **† Si autem manus tua vel pes tuus scandalizet te, abscinde eum, & proiice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizet te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.**

Nec ista de corporis membris intelligit, sed parabolicè ut supra cap. 5. dictum est, de sociis amicis vel ministris, quos vice membrorum habemus, & quorum si scandalo nobis sit eorum consortium, non minus fugiendum nobis est, quam aliquod membrorum nostrorum amputaremus, si cæteris vel toti corpori foret noxium. Præstaret enim absque illis saluos fieri quam cum illis in æternum perire.

† Psal. 33. b. *Ecclesiastes 5. b.* **† Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est.**

Reuera pusillos istos, & paruulum quem ad se vocatum IESVS amplexus est, accipere debemus, quod eiusmodi ætas infirma, nihilque in sese opis habens DEO curæ sit, tantoque fortasse maiori, quanto vnde pendeant aliam non habent: quos non modo offendi non vult, sed neque propter infirmitatem contemni: quos tanto ipse dignatur honore, ut angelos eorum faciem patris semper videre asserat. Quod cum de aliis non neget, non tamen asserit. Potest tamen de his pusillis & pueris locus intelligi, qui etsi grandiori sunt ætate, animi tamen abiectione & humilitate vitæque simplicitate & candore pueros referunt, inque propriis oculis abiecti nullam sui curam habent, totos se domino credentes. Vnde constat angelos ad custodiam hominis deputatos, qui quotidie DEVM vident inquit Hilarius. Hic igitur spiritus ad salutem humani generis emissi sunt: neque enim infirmitas nostra nisi datis ad custodiam angelis tot tantisque spiritualium cælestium nequitis obsisteret. Opus ad id fuit naturæ potioris auxilio, & hoc ita esse ex his dictis docemur, quibus trepidum ac patientem Moysen dominus confirmat, dicens: Ecce angelus meus antecedit te. Hæc ille. Hos igitur paruulos & humiles despiciere non est tutum, etsi non propter illos illorumque humilitatem & abiectionem saltem propter illorum custodes, qui tantam apud Deum habent libertatem & conuersationem, ut eius semper faciem videant, & fruantur.

Venit enim filius hominis saluare quod perierat.

† Rom. 11. c. **Quo istud enim referatur difficultas est. Nam si ad ipsum verbum contemnatis referas, cum CHRIS TI tempore totum hominum genus periisset, omniaque DEVS in incredulitate conclusisset, ut omnium misereretur, illi magis videbantur periisse, qui cum maiores natu essent, plura & actualia peccata habebant, quam pusilli & paruuli siue ætate siue morum candore. Ad quod dicere possumus, quod si tunc omnes perierant, illi tamen magis periisse videbantur, qui ne minimum quidem in se adiumenti habebant, vnde aberrantes redire in viam possent, non lumen rationis, quod super vnumquemque signatum est. Nimirum quod in paruulis aut nullum propè est, aut efficaciam quam minimam, quale est in pueris, & ideo ne condemnatis inquit illos. Venit enim filius hominis saluare quod erat abiectius, imprimisque quod planè videbatur periisse: nihilque in sese opis habebat ad consequendam salutem.**

† Quid

† **Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & errauerit una ex eis, nunquid relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit querere eam quæ errauit? et si contigerit ut inueniat eam: amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta nouem, quæ non errauerunt. Sic non est voluntas ante patrem vestrum qui in cælis est, ut pereat vnus de pusillis istis.**

Parabola ouis palabundæ & perditæ super cuius inuentione tantum gaudij possessori accidit, ostendit CHRISTVS non temerè fieri quod curæ sibi sint pueri & pusilli ab omnibus alioquin neglecti, & derelicti. Si enim qui centum oves habet, tam sollicitus est vna relicta ut eius gratia reliquas omittat incustoditas, nihil mirum si inter tot electos patris pueros & pusillos, qui centesima & minima pars electorum sunt, qui præsidio destituti præterquam diuino, sollicitè requirit & studiosè amplexatur CHRISTVS quorum neminem perire vult pater cælestis.

† **Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesie: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.**

Paulus autè vetuit CHRISTVS ne cui scandalo essemus, maximè in pusillis: nunc autem amplius in hac totos nos esse vult, ut quam studiosissimè poterimus fratrum nostrorum salutem queramus: illosque qua fieri poterit diligentia lucrèmur. Quod verò ait: Si peccauerit in te, non est solum intelligendum, de eo peccato quo quis recta & directa fratrem afficit iniuria, sed de omni peccato etiam, siue recta feratur in DEVM, siue in proximum. Qui enim fieri potest, ut verè Christianus quouis peccato fratrem non offendant. Qui enim iubetur DEVM & proximum diligere, quomodo non illorum iniuria affici potest? Nemo enim alterius iniuriam non suam facere debet, & ab ea facienda proximum deterrere tenetur. Primumque & seorsim atque clam testibus peccantem corripere, ut ne indignatus peccatum suum alteri detectum monitionem reiiciat. Qui si audierit magnum corripientiliterum accesserit emendati fratris: si non audire recusauerit, adhibendi testes: quos etiam si contempserit, ecclesie dicendum. Sed hic scrupus est, quid hinc ecclesie nomine intelligere velit CHRISTVS. Non enim ipsam ecclesie vniuersalis congregationem intelligi vult, quam toties congregare difficillimum esset, quoties peccantis fratris conscij sumus: multominus quod vult Buccerus, ecclesiam vicinorum aut familiarium & affinium intelligas: Sed ecclesie præfectum & prælatum, qui hac in re vices gerit ecclesie. Quem scilicet præfectum si proximus peccans non audierit vult CHRISTVS eiusmodi rebellem & præfactum fidelium consortio & communionem abiici (quod est excommunicari & prorsus abiici) quomodo olim Iudæi & ethnicos & publicanos Iudæos abiiciebant despectuique habebant. Qui autem publicani ante dictum est. Ethnicos autem ex lege constat quam aduersarentur Iudæi.

Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.

Vt inculcet hominibus parendum illis, scilicet qui præsent ecclesie, potestatem subdit ipsi concessam, quos scilicet ligauerint, ita ut in ecclesie militantis consortio, eiusque communionem intrare non possint ligati: similiter in ecclesia triumphante, & in cælis existere: & quos super terram soluerint, liberam eis potestatem regrediendi in ecclesiam facientes,

hi similiter soluti sunt & in caelis: tam scilicet efficax est congregata in CHRISTO ecclesiae unio.

^{†Iohan. 8. c.} ^{Dist. 20. ca.} ^{De quibus} ^{24. q. 1. ca.} ^{Audi-} ^{mus.} ^{Alienus.} Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in caelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Nec sola ecclesiae congregatio DEO grata est, quinimo duorum in CHRISTI nomine congregatorum consensus à patre caelesti postulata exigit. Quandoquidem quotiens etiam duo vel tres ad differendum de fide, dogmatibus, & praeceptis diuinis, CHRISTVS praesens semper adest. Verum quia etiam vni iuste viuenti & quae iusta sunt docenti vel scribenti, CHRISTVS adest, vult tamen manifestare, quantum illi placet concordia atque vnanimitas inter fideles, quos in vnione ecclesiae colligare desiderat.

^{†Luc. 17. a.} Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccauerit in me frater meus & dimittam ei? Usque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

Hic certus numerus pro incerto ponitur. Significat enim semper esse remittendam fratris iniuriam, etiam infinities. Vti sexcenta pro numero immenso latinis vsurpari solet. Nam Chrysostomus inquit Septuagies septies non significat determinatum numerum, sed immensam, continuum, & semper. Et est septenarius numerus apud Hebraeos frequens, de quo non est scolastica philosophari.

Ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cepisset rationem ponere, oblatum est ei vnus qui debebat ei decem milia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius venundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quae habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Regnum caelorum ecclesia dicitur, quae quomodo regi homini affimiletur, non facile video, nisi ex capite ipsius, quod est CHRISTVS qui est verus rex regisque filius. Nihil autem aliud vult hac parabola CHRISTVS quam quod ecclesia semper parata sit misericordiam petenti facere, & debita deprecanti remittere: nosque inuicem iniurias ac debita deprecanti dimittere oportere: quia semper remittere oportet, qui semper est paratus respicere: quoniam qui non ignoscit deprecanti, seipsum priuat de misericordia consequenda.

Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi? Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem donec redderet debitum.

Qui verò acceptae gratiae immemor, crudelis in alium extiterit, in eum vult ecclesiam animaduertere. Videtur quoque CHRISTVS per regem istum patrem caelestem intelligere voluisse, cum inquit, pater meus caelestis, sic faciet vobis &c. Quid autem valeant centum denarii, quidque valeant decem milia talenta, vide ex Budeo.

Videntes

Videntes autem conserui eius quae fiebant, contristati sunt valde, & Venerunt, & narrauerunt domino suo omnia quae facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus suus, & ait illi. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, & adusque redderet vniuersum debitum. Sic & pater meus faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Ex his vides quantum compassio DEO placeat, & contra quantum impassibilitas illi displiceat quae nec etiam mansuetis est grata hominibus. Hic autem ingratus priorem nactus gratiam, seipsum condemnauit: qui cum domini sui misericordiam consecutus, sui etiam conserui misericordia non est motus: ideo damnatur ad debiti etiam remissi persolutionem. At si quod remissum est, iterum repetatur, quomodo * sine poenitentia sunt dona DEI? intellige vniuersum debitum ipsum peccatum, quo tantae domini gratiae ingratus, nec exiguum fratri debitum remittere voluit: quod peccatum tam graue fuit, vt illud decem milium talentorum debitum aequauerit. Neque enim formam supplicationis veritus est, qua & ipse misericordiam percepit neque sermone placatus est, quo & ipse seruatus erat.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Probata matrimonij inseparabilitate libelli repudij rationem tentantibus Pharisaeis reddidit. Vnde triplices docet ennuchos, diuites regno caelorum indignos, paruulos vero & pauperes dignos praedicat.



† I factum est cum consummasset Iesus sermones istos, migravit à Galilaea, & venit in fines Iudaeae trans Iordanem: & secuta sunt eum turbae multae, & curauit eos ibi.

Vt plurimum CHRISTVS post doctrinam transit ad miracula, & post sanatas animas sanat & corpora. Quod vt faceret appropinquauit Ierofolymam vt passurus erat, relicta Galilaea vbi tam sancta dogmata feminauerat.

Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suae, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Memores Pharisaei quid de connubio supra ca. 5. docuisset tentant eum, an quoquo pacto liceat coniugium pati diuortium: vt si diceret licere, opponerent illi quod superius docuerat: Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam moechari. Et qui dimissam duxerit, adulterat. Si verò diceret non licere, opponerent illi legem Moyfi, cui si aduersaretur, ipsum accusarent: Dominus autem docet suam doctrinam legi Moyfi conformem, eosque malè illam legem interpretari, nempè quod esset permisso, & non lex: cum dominus ab initio legem tulisset de non separando coniugio dicens: sunt qui di- Erunt duo in carne vna, id est, sic inuicem colligati esse debent mutua amicitia, vt sepa- cuit. scribit.

rari non possint ab inuicem, quippe quia vnum sunt. Quod ergo lex diuina sanxit, humana dissoluere nequit.

† Deuter.
24.
sup. 5. c.

Dicunt illi: † Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras ab initio autem non sic.

Legem igitur Moyfi illi obiiciunt, qua soluebatur matrimonium, quam in caput eorum retorquet, latam videlicet propter eorum impatientiam in uxores & crudelitatem, qui sæpe illas morte afficerent, & ideo ad vitandas cædes hoc tanquam minus malum illis à Moyse permissum est.

† 28. q. 1.
Idololatria.
30. q. 1. Ad
lumina.

Dico autem vobis quia † quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur: & qui dimissam duxerit, mæchatur.

De conuers.
coniug. ca.
Ex publico
ca. Ad apo-
stolicam.
De diuortijs
ca. Gaude-
mus.

Hic notanda sunt multa. Primum, quod non licet dimittere uxorem nisi fornicariam: secundo quod non sic dimittitur, neque ita est verum diuortium, vt liceat viro dimissa fornicaria alteram ducere, cum expressè CHRISTVS dicat: & aliam duxerit, mæchatur. Neque valet dicere quod hic Buccerus, quod hoc intelligitur, qui aliam duxerit priore repudiata sine causa legitima cum expressè CHRISTVS loquatur de eo qui eam dimittit ob fornicationem. Quod licitum quidem facit: sed ita tamen vincit manet, vt aliam superinducere nequeat. Nam si hoc non intelligeret CHRISTVS, non responderent discipuli: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Vide eos qui de hoc scripserunt aduersus Erasmus. Et qui dimissam duxerit, mæchatur. Falsò hic Caietanus dimissam interpretatur non fornicariam cum nulla sit quæstio nisi de dimittenda fornicaria.

Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

Id est, si ita est vincit homo vt dimissa fornicaria ducere aliam nequeat, graue est iugum, iis præsertim qui continere non possunt. Respondit CHRISTVS id verum esse, dicens.

Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

* Sap. 8. d.

Id est, Non omnes continentia capaces sunt, sed quibus datum est. Quemadmodum scriptum est Sap. 8. d. * Quoniam aliter non possum esse continens nisi DEVS det. Nam interpretari vt Buccerus: Quod discipuli existimarent rem grauem & molestam perpetuo adherere uxori scædæ aut morbosæ, falsum illud est. Quippe qui nullam molestiam corporalem ducerent, obdurati animo ad omnia ab aduersariis pro CHRISTO ferenda. Sed graue illud ducerent quod absque speciali DEI dono homo ferre non posset.

Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.

* Ibid.

De eunuchis ait Hilarius: * In vno possint naturam, in altero necessitatem, & in tertio voluntatem. Naturam in eo qui ita nascitur, necessitatem in eo qui ita factus est, & voluntatem in illo qui spe regni cælestis talis esse decreuerit, cui nos similes effici si tamen possimus admonuit. Hæc ille. Hi autem postremi vt expeditius DEO vacent continere proposuerunt de

runt de quibus Paulus. 1. Corin. 7. f. * Qui sine vxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat DEO. Hoc autem cum omnium non sit, sed quibus à DEO datum est, rectè subiungit: Qui potest capere capiat. De morali expositione huius loci, vide Gregorium Nazianzenum. Quod autem ait: Qui potest capere capiat, indicare videtur id quod Paulus 1. Cor. 7. f. ait. Cum hortaretur ad constantiam, & virginitatem: * Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam. Ita CHRISTVS ait: Qui potest capere capiat. Id est, qui continentiam habet à DEO, contineat.

Tunc † oblatis sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus verò ait eis: † Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus abiit inde.

Lucas habet *†* id est, Infantes quibus manus imponeret & oraret. Ista autem manuum CHRISTI impositio & oratio supra pueros tantum puto effectam habuisse quantum postea baptismus nondum institutus. Mirum quod per eam manuum impositionem spiritus sancti gratia conferebatur, quæ baptismo æquiualebat. Quemadmodum actuum octauo scribitur, quod Apostoli imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum. Ita quod post hanc manuum impositionem nondum instituto baptismo, decedentes paruuli etiam incircumcisi saluati fuissent. His itaque verbis conuincuntur anabaptistæ, qui pueros negant baptizandos, quibus tunc erant similes discipuli, qui ex ignorantia & simplicitate pueros ad CHRISTVM adduci nolebant, tanquam impotes & incapaces diuinæ gratiæ: quos CHRISTVS increpat, dicens: Nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim regnum cælorum. Vbi per verbum talium non excluduntur paruuli, sed innuitur, quod tam ipsorum qui doli capaces non sint, & gratiæ gratis oblatae sunt participes, quam talium, id est, eorum qui similem animi candorem habent & innocentiam, est regnum cælorum.

† Et ecce vnus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus deus: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies. Non adulterabis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem tuam. Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Cum quidam iuuenis audisset CHRISTVM promittentem paruulis regnum cælorum, cupidus ipse regni cælorum, dominum rogat nonne & ipse capax esset, & quid illum facere oporteret. Rogat igitur: Magister bone, &c. Cui respondet CHRISTVS: Quid me interrogas de bono? Id est, (sic enim Græca habent) Quid me bonum dicis? Vnus est bonus DEVS. Id est, nemo bonus nisi DEVS. Non quod CHRISTVS negaret quemquam hominum aut CHRISTVM etiam bonum esse. Sed quod verum boni nomen, vt independentem significat bonitatem: & id quod per se naturaque sua non ab alio bonum est, vni DEO competit: neque CHRISTVS quatenus homo propriè & independentem siue essentialiter bonus: Vult autem his verbis docere CHRISTVS: quicquid in nobis boni inest, ne nobis tribuamus, sed vni DEO acceptum ferendum est.

Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vende, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me.

In hac sententia indicat CHRISTVS alia esse præcepta, alia consilia: & quod præ-

cepta quidem seruantibus ingressus in vitam æternam promittitur, ea autem quæ perfectionis sunt, amplectentibus, & vitro omnia propter C H R I S T V M relinquentibus, atque in pauperes elargientibus, amplius quid promittitur quàm vitæ ingressus, scilicet in ea vita & celo thesauri possessio. Non hîc igitur præceptum est, neque enim exigit D E V S possibilem à Christianis perfectionem: sed docet quòd qui eam volet assequi, plura ei esse faciendâ quàm aliis. Consilia enim Euangelica, cuiusmodi sunt de relinquendo pallio auferenti tunicam: eique qui alapa cæsus est, altera gena offerenda, nequaquam præcepta sunt, nisi exigente fidei necessitate, aut summo aliquo bono necessario. Nota autem quòd non ait: Si vis perfectus esse renuncia omnibus quæ habes, & sequere me, quod vulgò boni religiosi faciunt, sed maiorem indicauit perfectionem, cui scilicet, adiuncta sit misericordia voluntariæ paupertati: prius erogatis in pauperes facultatibus omnibus. Et veni inquit, & sequere me. Expeditiùs bene ambulat, qui terrenis facultatibus abiectis, iam deoneratus est, quæ nullus facere potest, nisi qui C H R I S T V M sequi cœperit.

† Mar. 10. c
Luc. 18. d
† Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis. Erat enim habens multas possessiones.

Cum autem iuuenis audiret iactura diuitiarum terrenarum diuitias cœlestes emendas, abiit tristis, quòd pluris faceret diuitias suas, quas plus æquo diligebat, quàm ipsum cœlestem thesaurum. Quod pro prædicatoribus valet: vt auditores moneant, ne tantopere diuitiis animum adiungant, quòd hæc soleant à C H R I S T I regno auertere.

† Mar. 10. c
Luc. 18. c
Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est apud Deum autem omnia possible sunt.

Camelus de se non animal modò significat, sed funem nauticum, quem Galli vocant (chable) Cum autem nullius acus foramen tam magnum sit, vt intrare eo possit Camelus funis. Significatur ὑπερβολικῶς, non quidem impossibilitas, sed magna difficultas vt diues saluetur: quòd vt plurimum qui multa possident, multum hîc afficiuntur, minimum de salute sua solliciti. Apud Marcum autem 10. cap. mitigans hunc locum C H R I S T V S, cum eo discipuli scandalizarentur, interpretamur, dicens: Filioli quàm difficile est confidentem in pecuniis in regnum D E I introire. Quòd autem ait C H R I S T V S: Apud homines hoc impossibile est, non est intelligendum quòd simpliciter sint impossibile: Cum Abraham & alij diuites saluati sint: sed intelligendum est impossibile admodum difficile, quemadmodum Paulus ad Hebr. ait cap. 6. * Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. Aut intellige quòd apud homines autem impossibile est, Id est, sola hominis virtute.

† Mar. 10. d
Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis.

Vel hinc liquet non malum esse spe retributionis bonum agere: Iuxta illud Psal. inclinam cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.

Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,

Regenerationem vocat resurrectionem, cum ad vitam immortalem omnes resurgent, neque

neque enim vita præsens tam generis est & generatio, quàm ἡ ἄρα & interitus.

Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

Non modò hîc iudicantes condemnantes significat: sed iudicare hîc pro iudicaria potestate sumitur, qua non modò impiis supplicia, sed iustis etiam assignantur præmia: quòd indubiè iudicanti C H R I S T O tanquam assessores futuri sunt Apostoli.

† Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. † Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. † Mar. 10. d

Nimirum multa plura accipiet etiam in hoc seculo, qui tot reliquerit temporalia sed propter D E V M: quia nec centuplum solum, numerus enim certus pro incerto ponitur. Nam minimum bonum spirituale, vtpote gratia, maioris est momenti quolibet temporali bono.

C A P V T V I G E S I M V M.

Æqualis laborantibus in vinea domini redditur merces: mater filiorum Zebedæi cum filiis suis patitur repulsam, unde indignatos ceteros discipulos CHRISTVS iuxta cuiusque simplicitatem ordinat, inde exiens duos cecos in Iericho illuminat.



Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cū operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis: illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid his statis tota die ociosi? dicunt ei: quia nemo nos conducit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

In fine præcedentis capituli dixerat: Erunt primi nouissimi & nouissimi primi, id est, multi qui in oculis suis sunt sibi abiecti, ac vix loco nouissimo digni reputati, qualis publicanus, primi erunt in regno cœlorum, etiam præmio vitæ æternæ digni. Qui autem primi sunt, primoque loco & magna dignitate ac merito censentur apud homines, vt Pharisei, nouissimi erunt in regno & præmio. Hoc autem nunc præsens parabola probat. Regnum itaque cœlorum hîc aut pro rege cœlesti D E O sumitur, qui in præmiorum distributione parabola huius patrifamilias imitatur: qui quanta & qualia, quibusque vult laborantibus in vinea, id est, in ecclesia domini præmia largitur. Quod si regnum cœlorum pro rege ipso sumatur, sic intelligitur: Simile est regnum cœlorum, id est, similis fit in regno cœlorum præmiorum distributio, quomodo in hac parabola operantibus in vinea patrifamilias distribuit: cui tantum dare placuit nouissima hora ad operandum venientibus, quantum his qui prima hora venerunt. Sic latroni qui nouissima hora ad operandum venit, cœlestis præmij denarium largitus est, quemadmodum & his qui totam penè vitam ex virtute etiam

D E O vixerunt. Igitur paterfamilias iste D E V S pater est, qui exit operarios conducere in vineam suam, id est, spiritu suo sancto atque diuino instinctu ad fructificandum in ecclesia sua inuitat. Quod autem alios primo mane, alios tertia, sexta, nona, & vndecima hora conducit, significat quod citius alios, alios tardius ad bene viuendum & operandum conuertit. Quod autem conuenit & paciscitur cum operariis ex denario diurno, id est, pro diurna vniuscuiusque diei opera, intellige per diem qua vnusquisque operatur, vitam praesentem, propter cuius breuitatem dies potius quam vita dicitur. Quoniam teste Dauide:

*Psa. 89. a *Mille anni ante oculos domini, tanquam dies hesternae quae praeteriit. Denarius autem pactum diurnae operae vita aeterna est, quam pactus est dare D E V S totum diem, id est, totam vitam in vinea ecclesiae suae laborantibus atque operantibus. Scriptum est autem istud pactum & conuentum capite praecedente: Si vis ad vitam ingredi serua mandata, id est, operare in vinea mea, & fac quod tibi praecipio, & vitam aeternae denarium tibi dabo. Cum autem paulo post subdit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, voluit indicare alia esse praecipia, quae nos omnes obligent, alia consilia, quae solum obligent seipsum obligantes. Quod vero hora tertia, sexta nona, & vndecima egressus, ociosos stantes in foro operarios inuenit: significatur quod antequam, dominus per gratiam praeuientem, & inspirationem suorum corda ad bene operandum inuitauerit, quantacunque naturalium bonitate & gratia valeant, ociosi stant in mundi huius foro, nundinationeque ac strepitu ab omni opere bono vacantes: Vbi autem pollicita mercede in vineam mittit, id est, ad fructificandum in ecclesia sua, inspirat, confestim abeunt. Nescit enim tarda molimina spiritus sancti gratia. Vnde recte oij causam interrogati respondent, quia nemo nos conducit. Quibus verbis innuitur contra Luteranos quod spe praemij liceat ad bene operandum accedere, sicut cap. praecedenti diximus, cum & iustam istorum excusationem accipiat dominus. Praetereaque iustam mercedem operantibus polliceatur. Tanta est enim hominum naturae imbecillitas ac fragilitas quod nisi ad bene agendum & operandum, prior D E V S nos inuitaret, insuper & praemium adiceret, totam diem, id est, totam vitam ociosi staremus, atque ab omni opere feriaremur.

Cum autem sero factum esset, dixit dominus vineae procuratori suo: *Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens a nouissimis usque ad primos. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & estus.*

Cum diem totam esse hominis vitam dixerimus, huius diei sero cuiusque mors est. Siquidem ad singulos respiciamus, si ad vniuersa, tempus est iudicij. Cum vineae dominus D E V S pater procuratori suo, bonorumque suorum dispensatori C H R I S T O iubet vnicuique operario in morte, iubebitque amplius in iudicio extremo mercedem suam reddere. At quod qui vndecima hora venerant singulos denarios acceperunt, quemadmodum & qui prima, significat gratuitam esse D E I remunerationem: neque sic eum alligari nostris operibus, vt minus ei tribuat, qui minus operatus est. Nam vt August. ait: Sua dona facit D E V S, in nobis nostra merita (Hic tractat quomodo debeamus mereri, & quid ad con dignum.) Quod autem primi murmurant indignantes parem illis mercedem numeratam, qui vnam tantum horam laborauerant, non inuidiae istud est, sed indignationis humana tantum sapientis. Quomodo & Dauidem, & plerisque viros sanctos indignari, & vt ita dicam aduersus D E V M postulare videmus, cumq; D E I prouidentia velut ex postulare, quod impiorum res in hoc seculo vt plurimum feliciter succedant, piorum vero infeliciter. Ideo concludit Euangelium nemini fieri iniuriam, cum ei qui minus laborauit, plus datur quam ei qui plus. Siquidem ei quod ex pacto & conuento debeatur, redditur. Itaq; recte concludit Euangelium

Euangelium. Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi: quia qui nouissimi venerant, absque vili iniuria tantumdem praemiati sunt, quantum & primi.

At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.

Denarius idem quod drachma, valens decimam partem coronati nostri, id est, vt mihi quidem videtur tres solidos cum quatuor denariis, aut dimidiato.

† Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: multi enim sunt Vocati, pauci vero electi. † sup. 19. d
Mar. 10. c
Luc. 13. f

Quod autem concludit: multi sunt vocati, pauci vero electi, superioribus sic aduerte. Causa cur qui primi erant, nouissimi fiant, haec est: quod etsi vocati sint tam multi suo tamen vitio non eligantur, praeter paucos: praedicit igitur duo, & gentes praecessuras, & paucos e Iudaeis saluandos. Hic locus facit vt ambigamus de iis qui prima hora conducti sunt, an electi sint an reprobi. Quod si denarium vitam aeternam interpretamur, reprobi esse non possunt, quippe quibus est redditus denarius. Si autem dicamus illos reprobos esse, necesse est denarium aequiuoce sumere, ideo attentius vide locum.

Et ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum: & tertia die resurget. † sup. 16. c
Mar. 10. c
Luc. 18. f

Bene ait: ascendens, quia a Galilaea in Ierusalem semper ascenditur. Quod autem secreto discipulos assumpsit de passione sua illis praedicturus, indicat non palam ac passim cuius diuulganda esse C H R I S T I mysteria, sed iis tantum qui solidi cibi capaces exercitatos habent sensus in scripturis. Et hic locus applicari potest contra eos qui dicunt passim omnibus vulgari lingua tradendam esse sacram scripturam. Praemonet autem eos passionis: ne superueniens nec opinatos illos nimium perturbaret. Rursus autem & resurrectionis meminit, vt leuiorem faciat de passione tristitiam.

† Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei? Quid vis? † Mar. 10. e

Audierant Apostoli ex scripturis prophetarum C H R I S T V M fore regem in Israel: quem & passim audiebant regem vocari. Et rursus audierant promissam sibi iudiciariam sedem, quia reliquissent omnia & secuti illum fuerant. Quod intelligentes duo filij Zebedaei Iacobus & Ioannes cognati eius arbitrati sunt quod inter ceteros in dignitatibus essent praeferendi, ideo matri persuaferunt primas in regno eius dignitates.

Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis.

Animo igitur propter audita elati, altumque sapientes praeferri cupiunt reliquis Iacobus

& Ioannes Zebedæi filij: quod ita dispensatum esse à DEO credimus, vt occasionem inde captaret CHRIS TVS reprimendæ illorum ambitionis, dicens: Nescitis quid petatis. Præmium enim petebant ante meritum, finemque obtinere volebant ante pertransitum medium. Aut enim stolidi mater, adhuc rudes discipuli carnalis affinitatis qua CHRIS TVM attingebant ratione prælaturam affectabant. Potes hunc locum applicare aduersus eos qui ecclesiastica officia atque beneficia hac affinitatis ratione ab affinis suis ambiunt, neque præbitate præditis, neque literarum studio instructis atque præsidio.

Potes tis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

Hic calix non tam vas ipsum quàm poculum, seu magis potionem significat: sicut 23. cap. ipsum vas significat, cum dicit: Mundatis quod de foris est calicis, & paropsidis. Est autem metaphorica locutio, vt calix pro afflictionibus & perpeffionibus sumatur. Sic infra 24. ca. Transeat à me calix iste. Sic etiam vulgò Gallis vsurpari solet parœmia cum dicunt: *Il luy a brassé vn breuaigne, mais il le boyra luy mesmes.* cum innuere volunt in malum alicuius cessura, quæ illi alteri moliebatur. Græci hoc loco addunt quod & Marcus habet: aut baptifmate quo ego baptizor, baptizari quod idem est cum præcedente. Nam CHRIS TI mors & calix siue poculum dicitur & baptismus. At poculum quidem quod inebriet & dormire faciat. Inebriat enim quemadmodum testatur Dauid de CHRIS TO loquens psal. 22. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est. Dormire autem eum passionis eius calix & poculum fecit quod illa potius somnus fuit quàm mors: vt ipse de se CHRIS TVS ait, psal. 3. *Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia dominus suscepit me. Baptifma autem dicitur, quod animas nostras sanguine suo purificauerit CHRIS TVS, vt Apocalyp. 1. dicitur: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Hinc factum est vt conformiter ad CHRIS TVM Paulus baptizare vsurpauerit pro affligere 1. Cor. 15. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Cuius loci explicationem vide suo loco in scholiis nostris super Paulum.

Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo.

Hoc est, mortem quidem pro me sustinebitis: & vt Græci hoc loco addunt vt supra baptismate quo ego baptizor, baptizabimini, id est, afflictiones ac supplicia, perinde atque ego feretis, sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis. Cuius ergo est, dicat aliquis, si CHRIS TI non est? Quidam dicunt hoc loco superfluere, quò vobis, & ideo dicunt quòd non est CHRIS TI quatenus hominis id donare: neque à patre, quòd ab æterno pater decreuit qui ad dexteram & ad sinistram sint sessuri. Quòd si vera hæc ratio, neque quicquam à patre CHRIS TVS orare debuit, aut donare quicquam potuit. Nihil enim à patre definitum non est ab æterno. Cum autem sequatur: sed quibus paratum est à patre meo, præstat vt legamus vobis, & exponamus cum Chrystomo. Non est meum dare vobis, qui carnales estis, atque ambitiosi: sed humilibus quibus paratum est à patre meo: aut non est meum, quatenus homo sum, quem nondum planè DEVM creditis, cuius temporale regumen suspicamini, ad illudque aspiratis.

† Mar. 10. f. † Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: † Scitis quia principes Gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos: † sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Deliquerant

Deliquerant duo fratres spe ambitionis, reliqui vero indignationis, & prope inuidiæ cuiusdam peccato tanguntur: quos ideo labi CHRIS TVS finit, vt misereri discant aliorum fragilitatis, ipsi suæ conscij. Inter quos & seculares grande vult esse discrimen. Nequaquam tamen damnat CHRIS TVS iudiciariam ac bene ordinatam Christianorum potestatem: quippe quæ à domino Deo est, sed vult discipulos suos adeoque Christianos illum reicere infidelium principum factum, qui arrogati & insolenti dominatione vtuntur in suos: sed vicissim alterutris inferuire ac ministrare. Admonentur autem hoc loco præcipue episcopi, ceteriq; ecclesiastici prælati ne insolenti potestate abutantur in subditos: sed Paulum potius imitantur CHRIS TI imitorem, Corinthiis dicentem: *Cum essem liber, omnium me seruum feci, vt omnes lucrifacerem.

Sicut filius hominis non Venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

Animam sumi pro vita non modo in scripturis sanctis, sed & prophanis inuenimus. Pro vocabulo redemptionis Græci dicunt λυτρώσις quod precium est, quo redimuntur captiui aut serui: nos autem serui peccati, captiuiq; & vincti diaboli eramus.

† Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa: † Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret: & clamauerunt, dicentes:


De horum cæcorum miraculo quod hic tractatur, di cemus Marci. 10. & Lucæ. 18.

Domine miserere nostri fili Dauid. Turba autem increpabat eos vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid. Et stetit Iesus, & vocauit eos. & ait: Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri: Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & securi sunt eum.

Dauidis illum filiū appellant, & indubiè illum Messiam esse confitentur. Iam enim vulgò receptum erat CHRIS TVM ac Messiam ex Dauidis genere nasciturum. In hac historia tractare potes de sensu mystico ac morali: & de concordia Matthæi & Lucæ.

C A P V T V I G E S I M V M P R I M V M.

CHRIS TVS cum pompa Ierusalem ingressus, eiectis è templo negotiatoribus reuertitur Bethaniam: Vnde redeundo sicui maledixit in templo autem Iudæos multis parabolis conuincit.



† Et cum appropinquasset Ierosolymis, & venisset Bethphage, ad montem oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: Soluite, & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet. & confestim dimittet eos.

Bethphage viculus est sacerdotum ad radices montis Oliueti: qui interpretatur domus oris: & fidei confessionem significare potest: Quia vt Paulus Romanis ait: *Cordè creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ite in castellum. Pro castelli vocabulo

H iij

Græcè est *τὸν οὐλον*, quod villam castellum & pagum significat. Cùmq; loci nomen Evangelistæ taceant, non est de eo temerè pronuntiandum. Certè omnes castellum hoc Ierusalem interpretantur, abiectionis gratia ita nominatum. Vbi autem Latinus habet quod cōtra vos est, Græci habent *τὸν ἀπέναντι*, quod quidem magis significat quod ante vos est, & in cōspectu vestro, siue è regione, quomodo & contrà Latini vsurpāt. Dicite quia dominus his opus habet. Non ait: dominus vester, sed simpliciter dominus, vt vniuersi dominū esse intelligāt.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem:

Ne putares eum vectoris opera indignisse aselli & asinæ, ostendit cuius gratia ad se illos adduci iubeat. Nempe vt adimpletam doceret Zachariæ, quam de ipso prædixerat cap. 9. prophetiam, vel suo prophetæ Iudæi crederent, ac tandem Messiam illū esse confiterentur.

† Zach. 9. b. † *Dicite filia Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedēs super asinam & pullū filiū subiugalis. Euntēs autē discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus.*

† Mar. 11. b. † *Tō filia hoc loco dandi casus est, non vocandi pluralis numeri. Filia Sion vero hoc loco Hebraismus est, non plus significat quàm Sionios, quemadmodum filia Tyri Psalm. 44. pro Tyriis. Et filia Aegypti Iere. 46. pro Aegyptiis. Sic Threno. 2. Filia Ierusalem & filia Sion. Et Isaiæ. 1. Derelinquetur filia Sion vt vmbra in vinea. Prophetia autem Zachariæ iuxta Hebræum sic habet: Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Hoc loco confer septuaginta cum Hebræis: Evangelista autem magis recitauit prophetæ verba iuxta versionem Septuaginta aut Chaldaicam, quàm iuxta Hebræum, nonnullis ex Hebræo omisiss: vt puta verbis illis iustus & Saluator. Quod autem propheta dicit pauper, pro quo Hebræa vox pauperem & afflictum significat: & Evangelista dixit, mansuetus, parūm refert, cūm Hebræa vox mansuetum etiam significet: neque mansuetus verè dici possit, qui non & ipse afflictus videatur. Vnde & mansuetudinem suam possit ostendere. Consydera cum docto Hebræo, & magistro Matthæo Beroaldo.*

† Mar. 11. b. † *Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.*

Non admodum refert sese hic torquere an CHRISTVS super vtranque asinam & pullum successiuè sederit, quod dicere videtur Matthæus, an super pullum tantū, quod dicere videtur Marcus, Lucas & Ioannes: qui tacent de asina, & de pullo tantū loquuntur. Nam dicere possumus, quod vel super vtranque sedit, vel quod Matthæus synecdochicè locutus est, plurali numero vtens pro singulari, vel quod reliquis Evangelistis suffecit de pullo recitasse. Quod autem super asinæ filium subiugalis indomitū, videlicet vt nec ad vehendum bellè commodum sedit. Non laboro si eo referas, vt inde significare dicas Indomita quæq; CHRISTO tandem paritura, quāquam verbum hoc Hebraicū pro quo hic noster interpres habet pullum, non tam indomitum significet asinum, quàm vocationi iam idoneum. De quo consule Hebræos. De allegorico autem & morali sensu postea.

† Mar. 11. a. † *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cedebant ramos de arboribus, & sternerant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna filio David: benedictus qui venit in nomine domini.*

† Mar. 11. b. † *Quod CHRISTVS nequaquam regio more splendenti aut feroci equo vectus, sed vili asino, tanto omnium plausu excipitur, vt non modò vestimentis iumenta sternerentur ab ipsis Apostolis, quod vnum illi facere poterant: quodque vestes qui habebant sternerent in via,*

in via, qui non haberent, arborum frondes. Quod gratulabunda illi obuiam exiit turba cum ramis palmarum: quod fœlicia illi precantur, & acclamant, dicentes: Benedictus qui venit in nomine domini, osanna in excelsis: argumentum erat Latentis in CHRISTO diuinitatis, quæ in sui admirationem ac laudationem habitum alioqui plebei & abiecti gerentis tam subito conuertit. De hac acclamatione osanna, consule Hebræos. De sensu allegorico vide Chrysostrum & alios.

Et cū intrasset Ierolimam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autē dicebant: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilææ.

Iam fama increbuerat per totam Iudæam propediem adfore Messiam, ideo tantūm populi occursum & aggratulationem, qui illi obuiam prodierat intelligentes, hi qui in ciuitate manserant, admirabundi interrogant, dicentes: quis est hic?

† *Et intrauit Iesus in templū Dei, & eiecit omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: Et dixit eis: Scriptum est:*

† *Templum Dei hoc loco templa tria intelligere debemus, vt ad orandum & psallendum plebs conueniebat: & ea quibus opus erat ad sacrificandum, vt paratiora essent palam veniebat. At cū licitis ceremoniis tunc Pharisei ad quæstum, non ad Dei cultum abuterentur, non ferens dominus iis nundinationibus cōspurcari templum Dei, omnes prorsus eiecit: in quo rursū potestatis suæ & autoritatis signum illis exhibuit: nondum priore correptione quam similiter biennio antè fecerat, emendatis. Amplius autem de hoc factō tractabimus Ioan. 2. & an diuersa sit eius & Matthæi historia.*

† *Domus mea domus orationis vocabitur, & vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eū cæci & claudi in templo, & sanauit eos.*

† *Vel hinc concludere licet materialia templa & oratoria, quod ad Deum orādum & psallendum fideles conueniunt, Deo ingrata non esse, qua de re fusè & eleganter tractat Petrus venerabilis abbas Clumacen. in libro contra Hemricianorum & Petroboulianorum hæreses. Vel hinc apparet CHRISTVM non damnaſſe simplicem illam eorum quæ ad sacrificia pertinebant, venditionem: modo fieret extra templum & septa templi: cū tunc lex illa exigeret, sed quæstūm illum ac rapinam, qua emptores vexabāt, ab illis nimium precium exigentes. Neq; similiter faciunt, qui candelas quotidie in valuis ecclesiarū vendunt, quod perperam dixit Caietanus Ioan. 2. cū ea in re nulla sit exactio, nec emere quispia cogatur.*

† *Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicētes: Osanna filio David, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Utique.*

† *Inuidēt Pharisei & sacerdotum principes factis à CHRISTO miraculis: Et qui vna cū pueris acclamantibus osanna filio David, laudare deberent, indignantur, & ei laudationem inuidēt illorum puerorum. Audis inquit, quid isti dicunt? quasi dicerent: Isti te Messie honore dignantur, num tu illud feres? Iesus autem prudenti responsione illorum os obturat, dicens.*

† *Nunquàm legistis: quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudē? & psal. 8. a. Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam: ibique mansit.*

† *Quasi dicere vellet: Quod me pueri laudant, nequaquam à me procuratum est, sed à*

† 1. q. 1. cap. Quibusdā. † Mar. 11. b. Luc. 19. g. Ioan. 2. c.

† 1. 6. q. 7. ca. Et hac diximus.

† 1. a. 56. c. † 1. q. 3. cap. saluator. Ex multis. † 1. a. 56. c. Iere. 7. b.

† psal. 8. a.

spiritu sancto & patre: qui cum suam ducat filij gloriam, in mei laudationem pueros facit erumpere. Iuxta Davidis prophetiam, quia à nullo melius laudatur Deus quam à pueris, & humilibus. Confer autem locum psalmorum cum Hebræo.

† Mar. 11. d. † Mane autē reuertens in ciuitatē: esurijt: Et vidēs fici arborē vnā secus
Luc. 19. g. viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantū, & ait illi: Nū-
quā ex te fructus nascatur in sempiternū. Et arefacta est cōtinuo ficulnea.

Hic Matthæus post expulsos vendentes & ementes è templo, in Bethaniam diuertisse
CHRISTVM narrat, maneq; reuertentem esurisse, & ficui maledixisse: Marcus verò re-
citāt post maledictam ficum in templum venisse, vendentesque & ementes inde eiecisse.
De maledictione autem ficus dicemus Marc. 11. & inde quendam tractatum quem de eo
fecimus in gratiam domini de Chemant.

† Mar. 11. d. † Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: quomodo continuo aruit? Re-
spondens autem Iesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non
hesitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis:

† Mar. 11. d. tolle & iacta te in mare fiet. † Et omnia quaecunque petieritis in oratione
Luc. 20. a. credentes, accipietis.
Iacob. 1. a.

Quod si Apostoli montes non transtulerunt, non fuit illis impossibilitas: quia non fuit
ad hoc vrgens necessitas. Fides autem talis oritur ex voluntatis ad Deum libertate, non au-
tem ad credendum etiam Deum esse, sed etiam ex dono miraculorum faciendorum. Sed &
firmiter credentes, omnia digna accipietis, non ad curiositatem, & fastum.

† Mar. 11. f. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentes principes sacer-
Luc. 20. a. dotum & seniores populi, dicentes: † In qua potestate hæc facis, & quis tibi de-
Ioan. 15. a. dit hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit eis: Interrogabo vos &
ego vnum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua po-
testate hæc faciam: Baptismus Ioannis unde erat: è cælo an ex hominibus?

Cum duo IESVS in templo fecisse dicatur, vendentes inquam & ementes templo eie-
cisse, & cæcos & claudos sanasse, non puto de secundo interrogasse, quod per se bonū erat,
nullamq; mali speciem habebat, sed & solius diuinæ potestatis, alias stulta esset illorū respō-
sio, & diuino indigna responso. quia talia nullus vnquam signa fecerat nisi propheta & ho-
mo Deo dignus. Ideo relinquitur vt quærant qua ratione vendentes eiecerit, quod vendere
in templo quæ ad sacrificia facerent, liceret. Hanc autem quæstionem tanquam etiā respon-
sione indignam, alia quæstione de baptismo Ioannis soluit.

At illi cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus è cælo, dicet nobis: quare er-
go non credidistis illi: Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam.

† sup. 14. a. † Omnes enim habebant Ioannē sicut prophetam. Et respōdetes Iesu, dixerūt:
Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Solutionem in eos alia quæstione retorquet, quæ cum eos perplexos reddidisset: Ita vt
dicere se nescirent, quod si respondissent, baptismum Ioannis è cælo & deo esse dicet nobis:
quare ergo non credidistis illi: qui scilicet tantum, ac tam euidentem tulit testimonium. Ita ne-
que propositæ quæstionis solutionem illis CHRISTVS reddidit.

Quid autem vobis videtur: Homo quidam habebat duos filios: & acce-
dens ad

dens ad primum dixit: Fili, vade hodie operari in vinea mea. Ille autem
respondens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens au-
tem ad alterum, dixit similiter: At ille respondens, ait: Eo domine, & non
iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris. Dicunt ei: Primus. Dixit illis
Iesus: Amen dico vobis: quia publicani & meretrices præcedent vos in re-
gno Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei,
publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœ-
nitentiam habuistis postea, vt crederetis ei.

Nota est ex se & CHRISTI explicatione parabola hæc & similitudo, qua CHRIS-
TUS similes Phariseos facit nouissimo filio: qui cum patri madata illius se facturum esse
respondisset, non tamen fecit: prior autem qui ab initio facere recufasset, postmodum pœ-
nitentia ductus ea peregerat. Sacerdotes enim & Pharisei, vt professione ita simulato opere,
se Dei mandata facere simulabant, nequaquam tamen faciebant: vel Ioannis prædicatione
admoniti, vt illis exprobrat CHRISTVS. Publicani autem & meretrices, qui nihil mi-
nus quam virtutem & resipiscentiam amplexturi videbantur, & si fortasse ad primā Ioan-
nis prædicationem conuersi non sunt: postea tamen pœnitentia ducti ad meliorem frugem
sunt reuersi, quod præcipue aperit hæc parabola.

Aliam parabolam audite: † Homo erat paterfamilias, qui plantauit vi-
neam & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificauit turrim,
& locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum autem tempus fru-
ctuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fru-
ctus eius. Et agricola apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occi-
derunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus,
& fecerunt illis similiter.

Quod ad sensum literalem attinet clarus est. Quem verò sensum CHRISTVS præ-
tendit hac parabola, hic est. Paterfamilias Deus pater est. Vineam quam plantauit populus
est Israeliticus. Sicut Isaiæ. 5. dicitur: *Vinea enim domini exercituum domus Israel est. Huic
& sepem circumdedit in ea, fodit torcular, id est altare & turrim, templum & sepem
circumdedit, hoc est, legem, quæ vineam Iudaicam tueretur, quemadmodum te-
statur Isaias, dicēs: *Vinea facta est dilecto meo, & sepiunt eam, & lapides elegit ex ea: & plā-
tauit vineam electam & edificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea: id est, om-
nibus armamentis, quæ ad vineæ cultum fructuumque collectionem faciunt, eam extru-
xit. Nihil enim quod ad fructum Deo faciendum spectare posset Israelitico populo Deus
non dedit. Si quis curiosius velit torcular, turrim & sepem anagogicè interpretari, nihil mo-
ror, vt sepem dicamus circuncisionis interstitium fuisse, quo à cæteris gentibus Iudæi di-
stingerentur. At sic alia alij interpretantur: simplicior tamen est prior sensus. Agricola
verò quibus hanc vineam locauit, & colendam dedit paterfamilias Deus, sacerdotes erant
ac synagogæ principes. Quod autem peregrè paterfamilias proficiscitur, significat Deum
nonnunquam cum diutius gratia eius abusi fuerimus, eamq; neglexerimus plerunque à no-
bis recedere per gratiæ subtractionem. Hoc est enim Deum à nobis peregrinari, ac se elon-
gare. Nam cum Psalm. 70. Deum David aut patrem potius obtestetur CHRISTVS, di-
cens: Deus ne elongeris à me. Quid sit Deum se elongare ab aliquo, declarat Psalm. 21. Tu
autem domine ne elongaueris auxilium tuum à me. Tempus autem fructuum semper fuit:
quia nunquam non Deo fructificare vinea debuit, ideo diuersis temporibus diuersos misit
seruos ad fructus colligendos, sibiq; recedendos, diuersos scilicet, diuersis temporibus pro-

phetas, quorum illi partim ceciderunt, alium occiderunt. Ieremiam, Isaiam, & Zachariam. Vide de his vndecimum caput ad Hebræos, alium verò lapidauerunt.

Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens. Verebuntur fortè filium meum. Agricolaè autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, & occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

Filius autem quem nouissimè misit ad eos vt fructū ex vinea colligeret CHRISTVS est, qui se testatur non esse missum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Agricolaè autem sacerdotès & Pharisei CHRISTVM videntes, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, cum consilio inter se clam inito & collecto, perimere eum deliberauerunt consulente Caipha: Quia expedit vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens peccet. Quid enim aliud est dicere: expedit vt vnus homo moriatur, & non tota gens peccet, quam dicere occidamus eum & habebimus, id est, vt habeamus & retineamus hereditatem. Et quid est autem quòd apprehensum filium eiecerunt extra vineam & occiderunt, quam quòd reiectum Messiam suum, extra ciuitatem crucifigendum curauerunt.

Cum autem venerit dominus vinea, quid faciet agricolis illis? aiunt illi: Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.

Responsonem ex eorum ore exigere dominus voluit vt suo se ore ipsi damnarent, dicentes: Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, veris scilicet Christianis, qui suo tempore fructum illi reddent. De cõcordia responsonis huius cum Luca, suo apud Lucam loco tractabitur.

† Psal. 117. c.
Act. 4. b.
Rom. 9. g.
Isa. 28. d.
1. Petr. 2. 4.
Luc. 19. g.
20. c. 22. 4.

Nunquam legistis in scripturis: † Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic est factus in caput anguli. A domino factum est istud. & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis: quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius.

Ne confidentiam fortassis prætextu huius parabolæ caperent CHRISTVM funditus euertendi, ostendit, Licet multimodè affligerent, ac demum ignominiosa morte occiderent, non tamen eum extinguerunt: Quippe qui lapis ille sit, de quo Psalm. Dauid. 117. qui vsque adeo reprobatus est à Scribis, Phariseis & Pontificibus, ecclesiastici ædificij lapis angularis factus est, qui & Iudæos & Gentes in se credentes in vnum ædificium conuinceret. Quod & à domino factum esse testatur Dauid, vt euasis tot illorum post resurrectionem periculis lapis fieret ἀπορριπίσ. Ideo dico vobis, id quod. 13. cap. Act. Aposto. Iudæis Paulus exprobrat: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Auferetur à vobis regnum Dei. Regnum enim Dei plerunque scripturæ sacræ verâ intelligentiam significat: quæ ablata est à Iudæis, posita super cor eorum velamine, ne audientes audirent, & intelligentes intelligerent. Quæ autem Iudæis ablata est, Genti data est facienti fructus eius, id est: Genti-bus ad Deum conuersis, & illi fructificantibus.

Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Et cum audissent principes sacerdotum & Pharisea: parabolæ eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret. † Et queretes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

Duo hic describuntur peccatorum genera duoque poenarum. Quidam in lapidem angularem

gularem CHRISTVM ex infirmitate & fragilitate siue imprudentia offendunt: & quem admodum lapidem qui durus est, offendere quis non potest, quin lædatur fracta aut mutilata, & quoquomodo læsa corporis sui parte aliqua, ita in CHRISTVM offendere quis non potest, quin poena eum aliqua sequatur: misericorditer tamen Deo agente nobiscum, qui infirmitates nostras supportare nouit. Aliud genus est eorum qui continuè peccant, obduranturq; in malis, Deiq; & CHRISTI patientia abutuntur, ad poenitentiam se expectantis, super illos lapis iste cadere dicitur, cum totum suæ iræ & vindictæ pondus in eos CHRISTVS exerit: non luxatos modò, & aliqua sui parte mutilatos & con fractos: quod facere solet ingens lapis ex alto cadens, sed planè contritos: quod his verbis Iudæis futurum prædicit CHRISTVS: qui neque Ioannis prædicatione, neque tot CHRISTI beneficiis, ac miraculis respicere voluerunt, neque in eum credere.

CAPVT VIGESIMVM SECVDVM.

Reprobatis tanquam indignis nuptiarum contemptoribus, nuptiali veste carento eiecto, Casarei census exploratores exprobrat: Sadducæos super mortuorum resurrectione, & Phariseos super præceptorum obseruatione conuincit, ac seipsum Dauidis filium probat.



Respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis, dicens: † Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & volebant venire.

† Luc. 14. d.
Apoc. 19. 6

In fine prioris capituli dixit Matthæus Phariseos agnouisse de seipsis dici parabolæ, magis tamen ob hoc aduersus CHRISTVM irritatos. Ideo quo magis conscientiam illorum pungeret, alia vitur parabola: qua illos admonet futuræ tandem vindictæ, quæ illos omnèsq; Dei gratiam reiicientes manet. Regnum itaq; cælorum, sicut in præcedenti capite, pro rege cælesti Deo patre sumi potest, qui assimilatur homini regi, & c. & pro cælesti patria. Si pro ipsa cælesti patria accipias, sic intellige assimilari, quòd in eo fit ingratorum hominum poenitentia, & indignorum à Deo patre abiectio, qualem ab homine rege factam docet parabola. Homo iste rex est cælestis rex Deus pater, qui filio suo CHRISTO nuptias fecit, cum per incarnationem sponsæ suæ ecclesiæ ipsum copulauit. Inuitati ad nuptias imprimis Iudæi erant per prophetas, quorū præcipuè gratia CHRISTVS venerat illorū patribus promissus. Ad hos autem homo rex Deus seruos suos misit, Ioannem scilicet, & Apostolos, cum missi sunt per vniuersam Iudæam prædicare, vetitiquè in viam Gentium abire. Bene autem dicit vocare inuitatos, & non inuitare: quia ad celebrandas CHRISTI nuptias, credendamque eius incarnationem, iam ante per prophetes erant inuitati, per Ioannem autem & Apostolos vocati. Quòd autem illi vocati venire noluerūt, nihil aliud quàm quòd CHRISTO incarnato credere noluerunt.

Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum parauit: tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.

Indicat quòd post CHRISTI passionem præter Apostolos alios etiam misit: vt pote Leuitas & discipulos septuagintaduos, qui Iudæis indicarent paratum prandium, tauros altiliaq; occisa esse, adeoq; omnia parata, vt fide tantum illis fuerit opus, qua venirent ad has nuptias. Si vis singulas parabolæ partes mysticè explicare, potes quidem, modò id cum ratione fiat, ac piè: de quo vide doctores.

Illi autè neglexerūt, & abierūt: alius in villam suam, alius verò ad negotiatione suâ: † reliqui verò tenuerūt seruos eius, & cõtumelijs affectos occiderūt. † sup. 21. f.

Iudæorum nonnulli cōmodi suo gratia venire ad nuptias, id est, in C H R I S T V M credere noluerunt temporalibus additi commodis, nullamq; rerum suarum iacturam propter C H R I S T V M facere volentes. Et hi quidē minus in culpa, reliqui verò ex malignitate & invidia veritatem quidem intelligentes, eiusq; Christi; prædicatores Apostolos, qui ad nuptias eos inuitabāt C H R I S T I & Ecclesiæ, tenuerūt, id est, vinctos incarcerationerunt: quēadmodū in Actis Apostolicis: & cōtumeliis affectos occiderūt, vt Stephanū & vtrūq; Iacobū.

Rex autē cū audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatē illorū succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni, ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias. Egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Quorum intellecta & audita malitia, id est, diutius quā par erat, tolerata: Iratus rex, missis exercitibus suis Romanorum videlicet, quorum voluntates in Iudæorum vindictam illò direxit, ciuitatem illorum Ierusalem succendit igni, funditus scilicet euersis & pessundatis Ierosolymis. Tunc dispersis quoquò terrarum Iudæis, & ab eo nuptiarum connubio sua malitia exclusis, seruis suis inquit: Qui inuitati erant, non fuerunt digni. Sic Iudæis dicit Paulus Act. 13. * Vobis oportebat primū loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quod verò post abiectos Iudæos, egressi serui in vias, quotquot inuenerunt bonos & malos congregauerunt, significat omnes indifferenter ad fidem esse vocatos.

* Act. 13.g

Intrauit autem rex vt videret discumbentes: & vidit ibi hominē nō vestitū veste nuptiali. Et ait illi, Amice, quomodo huc intraisti non habēs vestē nuptialem. At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

† 35. dist. ca. Ecclesiæ. Infr. 25.c.

Quod autem impletis nuptiis ingressus rex, vt discumbentes lustraret: Hominem non nuptiali veste indutum eiici iubet, & in tenebras exteriores mitti: significat quod in fine nuptiarum quo ad eum, si quem in morte inuenerit ad fidem vocatum, nuptiali tamen charitatis veste carentem, ab æterno conuiuio excludet, in tenebras amandatum exteriores. Vbi per fletum & stridorem dentium, metaphoricè damnatorum poenæ describuntur. Vide hoc loco amplius de hac veste nuptiali, quam falsò hæretici dicunt esse fidem, quam pij quique doctores dicunt esse charitatem: sine qua vt testatur Paulus nihil prodest fides. Vnde Chryso. in Ioan. Homil. 9. Nolimus igitur, nolimus inquam, dilectissimi, fidem nobis ad salutem factis esse existimare: Nam nisi vitam puram exhibuerimus, & hac cœlesti vocatione digna nos induerimus charitatis vestimenta, cum illo misero excludemur. Et Grego. Homil. 38. Si enim vestem nuptialem baptismata vel fidem dicimus, quis sine fide & baptismate has nuptias intrauit? Eo enim ipso foris est, quia necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere vestem nuptialem nisi charitatem? Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit vestem esse nuptialem.

Tunc abeuntes Pharisei, consiliū inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum: Dic ergo nobis quid tibi videtur: licet censum dare Cæsari an non?

† Marc. 12. b. c. Luc. 20. d.

In fine

In fine prioris capituli recitauit Matthæus, quod indignati Pharisei lubetes vim C H R I S T O intulissent, nisi turbas metuissent: nunc dolo capere eum, & illaqueare volunt sua responsione. Verè quidem eum laudantes, sed ex adulatione, rogantēq; num licitū esset censum pendere Cæsari? Extiterat enim temporibus Augusti Iudas quidam Galannites, qui assereret non licere populo fideli, ethnico principi censum pendere. Itaque vtramuis in partem responderet, tenere eum arbitrabantur. Nam si licere responderet, infensum eum populo, cui ingratum illud est, reddere sperabant. Sin non licere, illum apud Pilatum seditionis & monopolij expostularent, traderentque eum præfidi, tanquam defectionem à Cæsare, bellūque consulentem.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

† Rom. 13. c. De cleric. coniuga. ca. Ex parte.

C H R I S T V S autem postulato numismate, vana eorum dissipauit consilia: iubens eos si quod Cæsari debeant pendere, similiter & cultum Deo debitum. Non autem dicit dandum Cæsari censum, quod verbum ab eius ore venari tentabant, sed Cæsari reddendum quod suum est, & similiter quod suum est Deo: in quibus nulla fit iniuria. Simul autem vtrumque latenter posse fieri docens, nec tamen modesta responsione aut populum offendens, aut Romanos irritans.

† Marc. 12. b. Luc. 20. d.

In illo die accesserunt ad eū Sadducei, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius uxorem illius: & suscipiat semen fratri suo. Erant apud nos septem fratres: & primus uxore ducta defunctus est, & non habens semen reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septē uxor? Omnes enim habuerunt eam.

† Act. 23. b.

† Deut. 25. b. Marc. 12. b.

De iis ante dictum est, quorum interrogatio legem præsupponit Deutero. 25. præscriptam qua superstes frater iubetur defuncti fratris uxorem accipere, eique semen suscitare. Interrogatio autem eorum quod ad literam attinet, facilis & clara eò præcipue tendebat, vt siue vniū siue pluriū hanc mulierem uxorem foret responderet C H R I S T V S, ex hoc inferrent futuram vitam huic similem esse: vtpote quia nuptiæ essent, pariter essent puerperia, nutritiones, labores, affectus, bella & mortes: quod si hæc vita huic sit futura similis, quare resurrectio erit, vt rursus moriatur?

Respondens autem Iesus ait illis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cælo. De resurrectione autem mortuorum num legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius.

† Exod. 3. b. Marc. 12. c.

Hanc igitur interrogationem refellit C H R I S T V S, dicens: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Et virtutem quidem Dei nesciebant, putantes non posse deū absq;

I ij

esu & potu, cæterisque carnalibus actibus hominum genus sustentare, neque sine propagatione carnali posse illud in alia vita consistere, cū opus non sit, vt respondet illis CHRIS TVS, in resurrectione vt viri vxores ducant, aut vxores nubant viris: sed tunc futuri sint sicut angeli Dei, omnibus scilicet corporeis actibus carentes. Cū autem sciret deridiculam esse eorum quæstionem dominus, quippe qui resurrectionem fore non crederent, fore illam probat Exod. 3. Ego sum Deus Abraham, &c. Ex quo loco entimema assumit dominus ad probandam huiusmodi resurrectionem. Deus non est mortuorum Deus, sed viuentium. Quod ad syllogismum ita reduci potest. Profitetur Deus se esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob, iamdudum mortuorum, sed Deus non est mortuorum Deus, sed viuentium. Non ergo planè mortui sunt Abraham Isaac & Iacob, sed viuunt in spe resurrectionis: Atqui argumentū istud non procederet contra nostræ tempestatis hæreticos, qui nihil adduci volunt ex scriptura sancta, quomodo non expressè contineatur in illa. Nec enim in loco quem CHRIS TVS allegat, expressè mortuorum resurrectio asseritur, sed ex eo in bona consequentia deducitur. Quemadmodum in argumento quod theologi faciunt ad probandam confessionē esse faciendam sacerdoti. Hoc argumento dixit CHRIS TVS Apostolis & eius sequacibus. Quæcunq; remiseritis, remissa erunt in cælis, & quæcunq; retineatis retenta erunt, sed remittere & retinere peccata alicuius sacerdos non potest, si non indicantur illi, ergo sunt illi sacerdoti indicanda antequam remittantur vel retineantur.

Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadduceis, conueniunt in unum: & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum:

Magister, † Quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.

† Mar. 12. c.
Luc. 20. a.
Dist. 3. ca. fi.
Deute. 6. a.

De præcipuo mandato interrogat. Cui respondet dominus: Diliges dominum Deum tuum, &c. Certè si hîc totum sumatur vt ab omni alia creatura, vel minimam partem amoris nostri, & affectionis excludat, fieri hîc neque potest, neque debet quando sic Deum diligere debemus, vt & proximum etiam diligamus. Id autem fiet in cælesti, quando sic toti in Deum rapiemur, vt præter eum nihil diligamus. Toto verò corde tota anima diligere, nihil aliud puto quàm contra eū nihil, ac præter eum nihil, aut supra eum diligere. Philosophicū autem magis puto quàm theologum, sed animæ facultates hoc loco distinguendæ.

Secundum autem simile est huic. † Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & propheta.

† 23. q. 5. ca.
Si non licet.
Mar. 12. c.
Luc. 20. d.
Ioan. 2. b.

Id est, sicut tibi bene cupis esse, ita proximo tuo semper bene velis: & quod tibi fieri nolis, proximo tuo ne feceris: in his enim mādatis inquit dominus, vniuersa lex pēdet & propheta. Quandoquidē ad illa duo dilectionis præcepta referuntur quæcunq; scripta sunt.

Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum dominum, dicens: † Dixit dominus domino meo sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.


† Psal. 109. a.
Mar. 12. f.
Luc. 20. g.

Cū carnales Iudæi tantum hominem Messiam, humanumque eius regnum & carnale expectarent, eleuat eos quod in se est ad agnoscendam Messia diuinitatem. Nō negauit quidem dominus

dem dominus quod erat per assumptam naturam Dauidis se esse filium: sed maius quid se esse pronunciauit: quibus verbis Pharisæorum ora obturauit CHRIS TVS, cū pulcherrimum de diuinitate sua afferret testimonium, quod illi refellere non potuerunt, nec soluerent, cū mysterium incarnationis non caperent: quod si intellexissent, CHRIS TVM Dauidis filium secundum humanitatem, patrem verò eius secundum diuinitatem, facile illi credidissent, & eum tanquam verum Messiam recepissent.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Approbata Pharisæorum & scribarum autoritate & doctrina, eorum mores & vitam multis reprobat maledictis, pro quibus finale illis comminatur exitium, & sui loci desertionem.



† Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. † Omnia quæcunq; dixerint vobis seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.

† 16. q. 7. ca.
Et hoc diximus.
Dist. 19. ca.
Secundum.
† 1. q. 1. cano.
Nō quales.
3. q. 7. cap.
Sacerdos.

Cū scribæ & Pharisæi prorsus viderentur incorrigibiles, reliquum erat monere turbas ne eorum mores & opera imitarentur, ab autoritate verò eorum & doctrina ne discederent cū ipsi super Moysi cathedram sederent. Id est, in docendi numere legemq; interpretandi Moysi successerunt scribæ & Pharisæi: Ideo quodcunq; vobis dixerint ex ea videlicet Moysi doctrina facite & seruate, secundum verò opera eorum nolite facere: quoniam futurum erat vt Pharisæorum hypocrisim peruersamq; vitam argueret. Ad eos autem spectabat populū instruere & recta legiq; Moysi cōuenientia docere turbas. quas ideo admonet CHRIS TVS vt illis in ea doctrina pareant & attendant, etsi vitam suis prædicationibus degant contrariā, praua verò illorum vitæ opera non imitentur. Quod si probè perpendissent nostræ ætatis hæretici, non tam efferatè debaccharentur in summum pontificem, episcopos aut sacerdotes, (quorum doctrinam moribus parem falsò existimant) sed potius monerent populum illis parendum esse: quatenus ex delegata à domino Deo potestate recta præcipiunt & honesta. Potest & hic locus applicari contra eos qui negant malos prælatos & sacerdotes autoritate à Deo sibi concessa vti posse. Nam si ius prædicandi per improbam suam vitam scribæ & Pharisæi non amittebant, multominus Christiani, quibus eatenus parendum est quatenus rectum & honestum, nihilq; Deo contrarium præcipiunt.

† Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.

† 26. q. 7. ca.
Alligant.

De statutis dicit, non à Moyse cōstitutis, sed ab ipfismet ob lucrum & quæstum iuuentis, vel ea statuta dicit, quæ cū implere populus vix posset, à quibus tamen exigebant æreū illum, transgressæ legis tenerent, an tanquam etiam in lege Moysi, si ad vim spectas humane facultatis & fragilitatis, nonnulla erant penè factu impossibilia, quemadmodum testatur Petrus Act. 15. Cū à Christianis ex Gentibus factis Pharisæi facti Christiani circumcisionem legisque obseruationem exigerent: Nunc ergo inquit, Quid tentatis iugum imponere super ceruices discipulorum: quod neque nos neque patres nostri portare potuimus. Grandia igitur & admodum difficilia legis mandata à vulgo & plebecula exigebant, cū illa neq; digito ipsi mouere vellent, id est, ne vel modicum quidem ad ea peragenda conari, & quod deterius est, non modò ipsi graua mandata non faciunt, sed lenia etiam (non vt par est) faciunt. Omnium enim eorum operum seopus, illis non gloria Dei, sed hominum erat: siue precarentur, siue legis ieiunia ieiunarent, siue eleemosynam largirentur, aut aliud quid per se

laudabile facerent. Hic docentur viri Christiani imposita à maioribus suis præcepta, etiam si duriuscula videantur, nequaquam ferre iniquius, aut cum insolentia reicere: sed cum animi modestia & abiectione quod in se erit illis parere. Pergit autem C H R I S T V S hoc loco Phariseorum inanem gloriationem ostendere, ne similiter Christiani faciant.

Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi.

† Mar. 12. d
Luc. 21. f.

Ad hoc intelligendum repetendum est id quod habetur Deuteron. 6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & in ostiis domus tuæ. His autem verbis cum aliud nihil vellet dominus quam vt decalogi præcepta frequentius & sibi & suis inculcarent, semperque in animo haberent, versarenturque continuè illis ob oculos, frontalia ex membranis faciebant, decalogum continentia quæ complicata & ligata in fronte gerebant: latioraque illa faciebant, quo citius viderentur à populo. Hoc est quod inquit Saluator: Dilatant phylacteria sua, id est, frontalia & membranas decalogi conseruatorias. *φυλακτήρια* enim Græcè *ἀπὸ τῆς φυλάκην*, id est, à custodiendo, Latine conseruatoria dicuntur. Sed & magnificant fimbrias. De quibus Numeri. 15. dicit dominus Moyse: Loquere filiis Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hiacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum domini. Has ergo fimbrias magnificabant, id est, plus æquo maiores faciebant: vt externis illis fimbriis & phylacteriis, legis se obseruantes fingerent, cum nihil minus in mente & animo quam legem haberent, vana tantum de se opinione hominum bonaque existimatione contenti. Satis enim illis erat si probi haberentur, primi que aut inter primos censerentur: quippe qui & primi sederent in conuiuuiis, & protocathedras amarent in synagogis: pulchrumque ducerent ac iucundum salutare in foro, & à reliquis rabbi, id est, doctoris titulo insigniri. Quibus in rebus damnat C H R I S T V S inanem illum gloriæ affectum, quo cedere nemini vellent.

† 1. Cor. 3. 4.
† 1. Cor. 4. 6.
† Luc. 14. c.
18. e.

Vos autem nolite Vocari rabbi. Vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite Vocare vobis super terram. Vnus est enim pater vester, qui in cælis est. Nec Vocemini magistri: quia magister vester Vnus est Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.

Nequaquam his verbis simpliciter huiusmodi appellationibus vti vetat C H R I S T V S: cum & Paulus, ideo doctoris titulum non aueretur vt. 1. Timot. 2. de eo gloriatur dicens: *In quo positus sum prædicator & Apostolus, veritatem dico non mentior doctor Gentium in fide & veritate: neque simpliciter vetat C H R I S T V S ne quenquam patrem vocemus. Nam & carnalis generationis patres sic appellare licet: & spirituales patres bonorum morum formatores. Sic Paulus Roma. 4. Abraham patrem omnium credentium appellat. & 1. Timot. 5. Presbyteros & seniores increpari nõ vult, sed obsecrari vt patres. Vult ergo hoc loco C H R I S T V S ne huiusmodi titulis, siquidem nobis tribuuntur, inaniter gloriemur atque vt ita dicam authoritatiuè illõs vsurpemus. sed vt non sic in aliis magisterium vsurpemus, quin magistrum vnum C H R I S T V M agnoscamus, quem cæteris præferamus. Nosque inuicem fratres esse intelligamus, patremque vnum amplexemur Deum, à quo vno pendeamus, bonaque omnia nostra speremus: in summa superbiendi occasionem omnè tollere voluit, cum subdidit: Qui maior est vestrum, erit minister vester, id est, si quis inter vos hoc Dei munere præditus est, vt doctor & magister aliorum esse possit, non affectet tamen neque vsurpet ex inani gloria huiusmodi titulum: neque magisterium in illos, sed aliis ipse potius mini-*

tius ministret: Quoniam qui se exaltauerit, humiliabitur, & contra.

Va autem vobis scribae & Pharisei hypocritæ: qui clauditis regnum cælorum ante homines: Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

† Luc. 11. g

Verè Pharisei reliquis Iudæis regnum cælorum claudebant, dum ab Euangelio reliquos Iudæos arcerent, neque per C H R I S T V M qui est ostium regni cælorum, ipsi introire, neque volentes introire sinentes cum per illum solum pateat aditus.

Va vobis scribae & Pharisei hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium.

Verbum Græcum *κατρώμετε*, plus significat quam comeditis, scilicet, deuoratis. Eorum itaque auaritiam notat & gulam, qui viduarum domos circuncursantes religionis & prolixarum orationum prætextu: quicquid poterant inde corradebant: propter quod maioris illos dicit iudicij reos. Pro eo autem quod latini habent: orationes longas orantes, Græci habent *πρόφοροι μακρὰ πρὸς οὐχόμηνον*, id est, in speciem seu simulatoriè prolixius orantes.

Va vobis scribae & Pharisei hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus faciatis eum filium gehennæ, duplo quam vos.

Proselytus siue aduena dicebatur qui ex gentilitia impietate ad legem Iudæorum transibat. Pharisei autè & vt gloriarentur, ea de re mare & aridam circuibant, id est, omnia loca lustrabant, nullumque lapidem non mouebant, vt vnum talem facerent: Et cum factus fuerit inquit, faciatis eum filium gehennæ duplo magis quam vos. Id est, multo vobis deterio-rem faciatis. Nam cum ex praua vestra conuersatione boni nihil ac virtutis haurire possit, & eorum quæ à vobis didicit flagitiorum reus est, & idololatriæ quam talibus vsus magistris dediscere non potest.

Va vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum an templum quod sanctificat aurum? Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quid enim maius est, donum an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt, & quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.

Vide num iurare in auro templi sit iurare aurum templo se oblatum. Pharisei hypocritæ & avari, quo oblationem quæ templo fit, maioris momenti & ponderis esse vulgo persuaderent, atque ita ad facilius offerendum inuitarent, iuramentum quod per templum fieret, nullius valoris esse dicebant, nulliusque obligationis. Id est enim quod ait, nihil est. At iuramentum quod per aurum aliudue quid, templo aut altari oblatum fieret, multi ponderis esse dicebant, persuadere volentes maiorem esse in rebus oblati, quam in ipso templo & altari sanctitatem, quo scilicet vulgus facilius & lubentius ad offerendum inuitarent. Contra quorum opinionem asserit C H R I S T V S, & templum & altare auro rebusque oblati maiora esse, nempe à quibus oblata quandam significationem externam accipiant: quemadmodum sacrum & sanctum vocamus quicquid DEO seu ecclesiæ semel oblatum fuerit. Similiter ostendit quod qui per altare & templum iurat, verè iurat, validumque est iuramen-

tum. Quod qui per ea iurat in omnibus etiam quæ ad ea spectant, iurat. Qui per altare in omnibus oblationibus & sacrificiis. Et qui per templum iurat per DEI thronum, & per habitantem sedentemque in eo DEVM iurat. Quod autem dicit & in eo qui habitat in ipso, ostendit non corporaliter, sed suo modo habitare in templis DEVM: Licet hinc Bucerus tantum vult intelligi ante publicatum Euangelium. De quo vide Petrum Clumacen.

†Luc. 11. f. *Væ vobis scribæ & Pharisei hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ sunt graviora legis iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Scribas & Phariseos hypocritas arguit, qui cum abundè legis præuaricatores essent, in minimis tamen & his quæ palàm fiebant, eam seruebant: decimas scilicet, tam exactè soluentes, ut vel de minimis herbulis, menta, anetho, & cymino, illas persolverent, maxima vero præcepta negligerent, scilicet iudicium & misericordiam, quæ facere volebant. Hæc tamen facere inquit CHRISTVS, oportuit: & illa non omittere. Quo ex loco constat CHRIS- TVM decimarum persolutionem approbare. Utinam verò quàm solliciti sumus de iure percipiendi tuendo, tam laboraremus in officio peragendo, illasque quibus superant, rectè elargiendo.

Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Ad idem refertur hæc metaphora, qua notantur Pharisei, qui minima quidem vitia diligenter euitant, quo probitatis non nihil præ se ferre videantur: grauiissima verò peccata deuitare negligunt. Per excolantes culicem mundiciei studiosos intellige & curiosos homines, quibus non satis est priusquam bibant, lapsum culicem è poculo extrahere, nisi vinum totum percoler, quo nulla ex culice immundicia maneat. Excolare enim culicem dixit, pro eo quod est excolare vinum quo culex incidit. Per camelum autem glutientes, intellige e contrario nullius mundicie studiosos. Intellige ergo notari Phariseos, & rideri, qui in excolandis culicibus, maximam adhibent diligentiam, in glutendis verò camelis summa est incuria, peccata videlicet leuia diligenter vitando, grauiia verò negligenter. Dum de minimis quibusque conscientiam faciunt, grauiissima autem flagitia & delicta committere non verentur, tanquam illis assueti. Veluti si quis conscientiam faceret die non festo abesse à sacro, & interim rapinæ & blasphemie cæterisque enormibus vitiis totum diem se addiceret: quomodo faciebant Pharisei, quos postea arguit, dicens:

†sup. 15. b. *Væ vobis scribæ & Pharisei hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisee cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis: ut fiat & id quod de foris est, mundum.*

Græca habent ὅτι καταρίζετε τὸ ἔξωθεν τῶν ποτηρίων καὶ τῆς περὶ ὤφθαλμοῦ ἑσώθεν δὲ γέμυσσιν ἐξ ἀρπαγῆς καὶ ἀκαθαρσίας. Id est, quia calicem & catinum quidem mundatis, interiora autem eorum plena sunt rapinæ & immunditiæ siue incontinentiæ. Quo loco miror audacem nimium Caietani viri alioqui in theologia scholastica eruditi licentiam & stoliditatem, qui cum Latine quidem perparum, Hebraicè autem & Græcè planè nihil sciret, ad Iudæorum aliquot arbitrium & Græculorum, veterem semper translationem carpere audet. At non intelligebat vir bonus aut secum illos plerumque delirare, aut sibi de industria ab illis imponi. Nam pro quo Græcus habet ἀκαθαρσίας, quod incontinentiam, luxuriam, & vitus intemperantiam significat, nostrerque interpres immunditiam non malè vertit, ipse iniustitiam reponit. Vide igitur Christiane lector, quàm periculosum sit imperito homini præsertim in rebus sacris alieno ore niti ac fidere. Hæc autem metaphora & parabola Phariseos CHRIS- TVS arguit, qui externum quidem corporis habitum ab externis fordibus mundare solliciti nimium erant & curiosi,

& curiosi, crebris vtentes abluitionibus & baptismatibus: Internas autem animi fordes rapinam, immunditiam, inuidiam, hypocrisim, ac similia eluere negligentes: haud dissimiles illis, qui calicis & paropsidis siue catini (Idem enim sunt, & hoc Græcum illud Latinum) exteriora studiosè mundant, interiora autem vnde periculum est, mundare negligunt, quos e contrario facere oportuisse CHRIS- TVS asserit quia* homo videt quæ parent, dominus autem intuetur cor. 1. Reg. 16.

Væ vobis scribæ & Pharisei hypocritæ: quia similis estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ: sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

Hac similitudine rursus Phariseorum hypocrisim notat, qui religionem quidem & probitatem per hypocrisim præ se ferebant, intus autem omni vitiorum genere pleni essent, in hoc similes sepulchris dealbatis & marmoreis, quibus nihil est in speciem quidem venustius, ac pulchrius: quæ si aperueris, intròque aspexeris, plena omni foetore & spurcitiâ mortuorumque ossibus inuenies. Non secus si externum tantum Phariseorum habitum spectas nihil religiosius ac sanctius, nihil iustius, quod si intus eos scrutatus fueris, omni iniquitate & hypocrisi plenos inuenies.

†Væ vobis scribæ & Pharisei hypocritæ, qui edificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. †Luc. 11. f.

Nequaquam eis maledicit ob id quod occisis prophetis sepulchra illis ædificarent, alioqui damnarentur discipuli Ioannis, qui occisum ab Herode Ioannem sepelierunt. Ad totam ergo copulatiuam refertur maledictio, ut sit sensus: Væ vobis hypocritæ qui cum nihilo meliores sitis patribus vestris prophetarum homicidis, nihilominus ad tegendam impietatem vestram & sæuitiam qua me prophetarum maximum ac meos ad mortem quæritis, veterumque sepulchra edificatis, & edificata ornatis, simulque hunc vestræ impietatis & sæuitiæ prætextum afferentes dicitis: Si patrum nostrorum tempore vixissetis, nequaquam confissemus in mortem prophetarum, quorum sepulchra tantopere ornamus.

Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui prophetas occiderunt.

Id est, dum per hypocrisim sæuitiam & impietatem vestram cælare vultis eis quos patres vestri occiderunt, sepulchra ædificando, testamini vos homicidarum illorum filios esse, tum natura & genere, dum patres vestros appellatis, tum imitatione, dum in meam meorumque mortem totis animis ac viribus inhiatis.

Et vos implete mensuram patrum vestrorum. † Serpentes, & gemimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? †sup. 3. c. Luc. 3. b.

Quia filij parentum similes esse solent, idcirco impletis mensuram patrum vestrorum, hoc est, nondum ad summam impietatem peruenerat patrum veterorum iniquitas, vos qui nihilo illis meliores estis, Imò deteriores, ad summum impietatis caput iamdiu molimini, ut me scilicet saluatorem vestrum occidatis. Implete igitur patrum vestrorum mensuram, neque à parentum vestrorum degenerate moribus, & quod superest faciendum, ut consummetur omnis impietas, peragite. Verba autem isthæc nō sunt imperantis, sed permittentis, quomodo Iudæ dixit: Quod facis, fac citius. Quàm autem non rectè faciant, ostendit dicens secururam illos gehennæ penam: quos viperarum gemimina, id est, viperarum progeniem

vocat: quia quemadmodum nascentes viperæ fetus matrem dicuntur occidere, ita ipsi parentem suum CHRISTVM patremque benignissimum occiderunt.

† Luc. 11. g
Hebr. 11. 4 Ideo dico vobis: † Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequimini de civitate in civitatem:

Prædicit futuram in suos sævitiam, quorum partim prophetas appellat, siue qui scripturas interpretantur, quomodo Paulus 1. Cor. 14. appellat, siue qui futura prædicarent, quales Antiochiæ fuissæ dicuntur. Act. 13. Partim sapientes, qui dono sapientiæ præditi essent, quales vnâ cum Stephano electos esse legimus, ad ministrandum mensis viros boni testimonij septem plenos spiritu sancto & sapientia. Scribas autem non veteris legis scribas dicit, sed in lege CHRISTI & Euangelio doctos Apostolos: quos fore dicit vt perfequantur & flagellent, ac demum occidant.

† 2. Paralip. 24 f Ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachia, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis venient hæc omnia super generationem istam.

τὸ vt, hoc loco non finem dicit: neque enim ob id occiderunt, sperantes requirendum ab eis illorum sanguinem, sed vt rei consequentiam dicit, & euentum, id est, & propter hoc veniet super vos, hoc est, exigetur à vobis poena de omni sanguine iusto, qui super terram effusus est, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachia, quem occidistis inter templum & altare? Sed hic difficultas est cum scriptum sit: quoniam filius non portabit iniquitatem patris, quomodo exigendam dicit ab eis esse poenam ob eorum necem, quos patres illorum occiderunt. Dicendum quod cum impunita non maneant authorum suorum scelera, sua etiam illos homicidas poena secuta est. At cum insignem DEI & publicam vindictam mererentur, tam longè Iudæorum impietates, completa consummataque patrum iniquitate, per tempestatis illius Iudæos, visum est DEO insignem & de presentibus & de præteritis Iudæorum omnium flagitiis vindictam per Titum & Vespasianum facere: Et hoc est quod ait: vt veniat super vos omnis sanguis iustus: quia in generali illa vindicta non modò vitus est se DEVS, de Iudæorum eius ætatis, sed de omnibus ante à reliquis patris flagitiis. Sed occurrit alia difficultas, cum post Zachariam, Ieremiam, & alios Iudæi occiderunt, cur requirendi sanguinis termini constituantur ab Abel vsque ad Zachariam? Nec video qui difficultas ista solvatur, nisi dicamus hos duos tantum esse recitatos, quod mortui quidem Abelis sanguis vindictam postulat à domino. Sed cur à DEO de Iudæis vindictam sanguinis Abel postulat, non video magis quàm de aliis. Similiter & Zacharias moriens, vt scribitur 2. Paralip. 24. qui cum moreretur ait: Videat dominus & requirat. Barachias autem cuius hic esse filius Zacharias dicitur, illic Ioiada nominatur, puto binominem fuisse quemadmodum & multos alios. Puto etiam & Zachariæ pontificis meminisse, quia similiter pontificem nostrum, animarumque nostrarum episcopum, qui celos penetravit Iesum paulopost erant occisuri. Quod autem hic dicitur: Inter templum & altare in paralipomeno dicitur in atrio domus domini. Vide destructionem templi. Quidam dicunt in atrio templi fuisse altare holocaustorum: quodque inter templum & altare illud fuerit occisus Zacharias.

† Luc. 13. g
† 4. Esdr. 1. c † Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt † quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Prædicta

Prædicta Iudæorum euerfione commiserendo ostendit non per eum stetisse quominus respicerent, futurumque supplicium euaderent. Quippe qui à diabolo in diuersa flagitia dispersos sub alarum suarum tegmen congregare voluerit ab infestatione diaboli protegendos: quod cum noluerint, fore vt defoletur pestundeturque Ierusalem.

Dico enim vobis: non me videbitis à modo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine domini.

Difficultas est quod tempus referat τὸ à modo: quia & crucifigi postea CHRISTVM viderunt: & post istud idem, quo Lucas narrat, sæpè cum Pharisæis est locutus: nisi dicere velimus, non seruasse historiæ ordinem: Et quod Matthæus nouissimè factum dicit, Lucas multò antè recitat. Nec tamen solutus est scrupus: quia postea illum viderunt, nisi dicamus, id factum quod isthic Matthæus recitat pridè quàm Ierusalem pompaticè ingressus esset. Quando autem dicturi sint: Benedictus qui venit in nomine domini, grandis etiam difficultas est: nisi quia dicturi sunt in secundo aduentu, cum se sua spe fraudatos agnoscent.

C A P V T V I G E S I M V M Q V A R T V M .

siſcitantibus Apostolis super eius aduentu secundo & fine seculi, CHRISTVS illis multa sugienda, & multa imitanda prædicit.



† Egressus Iesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei adificationes templi: Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat. † Mar. 13. a
Luc. 19. g.
21. b

Minatus est CHRISTVS in fine superioris capitis Ierosolymorum & templi sui excidium, vnde templum egressus à discipulis stupefactis propter verba illa, & structuras mirabiles demonstrantibus, respondit: Non relinquetur lapis super lapidem, saltem vsque ad fundamenta quin destruat. Nec illud erat templum quod fecerat Esdras vt ait Iosephus, * sed quod fecerat Herodes, quale non est visum in vniuerso mundo nec auditum est quod aliquis rex tale potuerit in toto orbe facere ædificium. * Ioseph. Antiq. Iud. daic. lib. 15.

Sedente autem eo super montem oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? cap. 14.

Audientes discipuli Ierosolymorum futuram euerfionem, & arbitantes post hæc futuram mundi consummationem, gloriosumque domini aduentum, interrogant quando futura sit hæc Ierosolymorum subuersio, quanque signum aduentus eius & consummationis seculi sit futurum. Quibus non statim respondet dominus, sed de his primum, quæ hanc Ierosolymorum subuersionem, mundi que consummationem præcessura sunt: quæ illos primum scire oportebat, vt ab illis maxime sibi cauerent, & quæ ad salutem suam multum conducerent, ipsi imprimis curarent, nec ab his calamitatibus turbarentur.

Et respondens Iesus dixit eis: † Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: ego sum Christus: & multos seducent. † Mar. 13. b
Luc. 21. b
Ephes. 5. b

Quidam dicunt hæc & sequentia verba vsque ad τὸ, Tunc veniet consummatio, intelligi de signis præcedentibus iudicium. Alij, inter quos Chrysofomus & Eusebius de signis præcedentibus Ierosolymorum subuersionem: quomodo primum exponemus. Videte inquit, ne quis vos seducat: Quia antequam fiat Ierosolymorum subuersio, multi venient in nomine meo se CHRISTVM & Messiam esse fatentes, sed & mentientes: Quod autem

Colos. 2. d

huiusmodi seductores extiterint ante Ierosolymorum subuersionem, docet Iosephus libro **Ioseph. Ant. tiqu. Iudaic. lib. 20. ca. 4. *Idē. Eod. lib. cap. 11. *Idem. Eod. lib. cap. 14. *Act. 8. b* Antiquita. Iudaic. 20. cap. 4. ** Qui magnum quendam Theodam refert magnam populi partem seduxisse, eisque persuasisse, vt sumptis facultatibus suis ad Iordanem egredierentur, quem mandato solo diuisurus esset. Hic captus à Cuspiofado res Iudæorum administrante, capitis pœna multatus est. * Eodem quoque libro. cap. 11. scribit magorum turbam, qui pseudopropheta erant, surrexisse * Eodem lib. cap. 14. quendam scribit insurrexisse, qui se Messiam assereret: populoque se in desertum sequenti, salutem promitteret, & malorum requiem. Extitit * & Simon magus, qui se virtutem DEI magnam nominaret. Itaque cum plerisque tales ante Ierosolymorum euersionem fore sciret dominus, iubet discipulos suos magis sollicitos esse, vt ab huiusmodi pseudochristis cauerent, quam vt tempora illa noscerent.*

Audituri enim estis prelia & opiniones preliorum. Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum.

Id est, antequam euertatur Ierusalem, non modò prelia preliorumque rumores audientur, propter quos tamen suos terreri non vult: sed vni DEO fidere ac niti quorum non modo rumores fore asserit, sed futurum vt gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum insurgeret, bella autem & rumores bellorum, ac tumultus, vt refert Iosephus Antiquita. 20. cap. 6. & Belli Iudaici, 2. cap. 11. Coeperunt primùm præside Cumano, qui Tiberio Alexandro successerat, exorto tumultu ob militis cuiusdam insolentiam, qui in festiuitate azymorum Iudæo cuidam relictis genitalibus, illuserat: in quo tumultu perierunt viginti milia. Gens quoque aduersus gentem insurrexit, orto inter Iudæos & Samaritas tumultu: vbi magna hominum strages, locorumque secuta est desolatio: similes quoque multi tumultus fuisse leguntur: & in Actis, & de bello Iudaico apud Iosephum quòd regnum quoque contra regnum insurrexit, ex eodem clarum est. Nam Cæsaræ schitepoli, Ascalon Ptolomai Alexandriæ, multi extitere dolorum tumultus. Videte ibidem Iosephum.

Et erunt pestilentia & fames, & terremotus per loca: Hæc autem omnia, initia sunt dolorum.

Cum ferè fiat, vt grauissima bella pestilentia sequantur, totque clades extiterint & corporum strages, indubium est secutam esse pestem. De terremotibus an extiterint nihil dicit Iosephus. Fortè quòd præ aliis malis leuicula illa duceret. Quòd autem fames oppreserit, docet Iosephus De bello Iudaic. lib. 1. cap. 2. Scribitur & Actuum 11. prædictum ab Agabo futuram famem sub Claudio imperatore: quæ res discipulos mouit, vt per manus Barnabæ & Sauli fratribus in Iudæa habitantibus necessaria mitterent. Colligit autem his verbis dominus miseras omnes & calamitates, quæ omnes ante Ierosolymorum subuersionem manebant: vt ostenderet exigendam ab eis esse omnem etiam per alios Iudæos iusti sanguinis effusionem. Quas tamen omnes calamitates non finem, sed initia tantum dolorum appellat: quòd in euersione ipsa longè grauiora perpeffuri erant.

*† Marc. 13. b
Luc. 21. c
Ioan. 15. f
16. a
Sup. 10. e* *† Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.*

Tunc id est, sub id tempus à CHRISTI resurrectione scilicet vsque ad Ierosolymorum subuersionem, quanta eo tempore perpeffi sunt discipuli, docet discipulorum à nece Stephani dispersio per totam Iudæam ac Samariam: Docetur & ex multis locis Actuum & Pauli Epistolis & scandalizabuntur ex his plurimi, & de his præcipuè intelligit qui aut afflictionum metu, aut pollicitationibus à fide recessuri erant. Magna enim erat Christianis futura

nis futura afflictio, dum viderent suos à fide & CHRISTO recedere: qua de re conqueritur Paulus 2. Timoth. 4. ** Demas enim me dereliquit diligens hoc seculum. Similiter conqueritur Ioannes 1. Epist. cap. 2. de his qui à fide recesserant Antichristi facti: Dicens: * ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis mansissent vtique nobiscum.* ** 2. Timoth. 4. b
* 1. Ioan. 2. c*

Et multi pseudopropheta surgent, & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum. † Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. *† Rom. 12. c
Mar. 13. b*

Magos illos & pseudopphetas intelligit, de quibus antè diximus ex Antiquitatum Iosephi lib. 20. capit. 11. De Aegypto quoque pseudoppheta intelligi potest: de quo Iosephus lib. 2. de bello Iudaico. cap. 12. De quibus diximus paulò antè: & de quibus etiam totiens conqueritur in suis Epistolis Paulus.

Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus & tunc veniet consummatio.

Ante Ierosolymorum subuersionem prædicatum fuisse Euangelium per vniuersum orbem, ita vt impletum fuerit illud de Apostolis dictum: ** In omnem terram exiit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum: Et Paulus ad Collocenses primo, testatur iam tum Euangelij notitiam & fructum in mundum vniuersum permanasse, dicens: * De Euangelio quod peruenit ad nos, sicut in vniuerso mundo est, & fructificat & crescit. Quòd verò ait in testimonium omnibus gentibus, intelligendum est, vt omnes gentes in testimonio sint receptum à se Euangelium, quod Iudæi abiecerint: & post hæc omnia veniet consummatio: Id est, vrbis Ierusalem desolatio. Et de ea quidem intelligunt Chrysofomus & Eusebius: Quòd si quis de consummatione seculi intelligere malit, non repugno. Nam si prædicta ante Ierosolymorum subuersionem impleta sunt, multo magis ante mundi consummationem. Certè vt magis accedam ad opinionem Chrysofomi, facit quod apud Lucam non interrogant discipuli de consummatione seculi: & enumeratis illis quæ Mattheus dixit, statim subiungit de euersione Ierusalem, inquiring: Cum autem videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Neque valet quod hic asserit Caietanus, quòd CHRISTVS absolute dixit: tunc veniet consummatio, & non consummatio huius vel illius. Nam Marcus de qua consummatione CHRISTVS intelligat, ostendit: Cum enim de lapidibus & structuris templi dixisset fore, vt non relinqueretur lapis super lapidem, interrogabant illum Petrus Ioannes & Andreas: Dic nobis quando ista fient, & quòd signum erit quando hæc omnia incipient consummari? vbi non de generali consummatione seculi, sed de particulari ipsius templi interrogant.*

† Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad mōtes, & qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. † Ve autem prægnantibus & nutrientibus in diebus illis. *† Mar. 13. b
Luc. 12. d
† Dani. 9. g
† Isa. 13. b*

Abominatio desolationis quid sit, multi multa sentiunt. Quidam Antichristum, alij imaginem Cæsaris quam Pylatus posuit in templo, cæteri imaginem Hadriani, quæ

adhuc Hieronymi tempore erat Ierolymis. Mihi simplicius abominatio desolationis fumi videtur, pro abominanda desolatione, qua Romanorum exercitus Ierusalem obsedit. Sic enim interpretari videtur Lucas. 21. dicens: * Cùm autem videritis Circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Idem enim subiungit Matthæus. Paulò antè prædixit ea quæ præcessura erant euerfionem Ierusalem, nunc de ipsa dicit: Cùm videritis abominandum gentium exercitum vrbi sanctæ imminentem. Illud enim est quod ait: stantem in loco sancto, hoc est, firmo proposito illam euerfendi, ibi manentem: tunc qui in Iudæa sunt, id est, in tribu Iudæ, fugiant ad montes: quia armatorum militum tota tribus plena erat. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua, id est, cùm obsidionem vrbi viderit, nihil aliud quàm subitam fugam meditetur: vel cum rerum omnium suarum iactura. Et quia prægnantes & nutrices ob onus infantium, quos gestant, aut in ventre aut inter vlnas, ideo væ inquit, illis.

† *Mar. 13. d* **Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbato: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ob initio mundi usque modo, neque fiet.**

Similiter quia in hyeme ob molestiam tempestatum, expeditè fugere non licet, neque sabbato longius ire ob legis edictum, ideo orate inquit, ne tempus fugiendi accidat hyeme aut sabbato. Quoniam tanta tum erit afflictio, quanta neque fuit, neque post futura est. Quòd autem de afflictione, quæ tunc erit in Ierusalem loquatur dominus, manifestò apparet ex verbis Lucæ: qui loco eorum verborum, ait: Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic: quod Matthæus vehementer expressit, dicens: qualis nec fuit, nec futura est. Neque hîc valet, quod contra hoc affert Caietanus, dicens: quia non constat tribulationem Ierusalem fuisse maiorem omnibus præteritis. Nam ex collatione omnium historiarum facilè id constat. Multo minus valet quòd ait: Non constat nullam post futuram talem. De futuro enim constare non potest, nisi quia ita prædixit dominus: quanquam conici de illo potest ob imminatam obsidionem.

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

Quia nisi decurtatum esset obsidionis illud belli tempus, non fieret salua omnis caro, id est, nullus omnino Iudæorum saluus euasisset, sed periissent tunc omnes: sed propter electos breuiabuntur dies illi, id est, quia inter Iudæos supererant electi, qui in me credituri sunt, licet nunc non credant, neque statim credituri sint: ne simul cum illis reprobis pereant, breuiabuntur illius obsidionis & desolationis dies: Huiusmodi autem Ierusalem vastatio & desolatio prædicitur à Daniele capit. 9. Dum ait: * Et post hebdomadas septuaginta duas occidetur CHRIS TV S, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas: & post finem belli statuta desolatio. Quia verò in Daniele sequitur: Et erit in templo abominatio desolationis. Quem locum quidam interpretati sunt de erigenda in templo statua. Quidam interpretati sunt abominationem desolationis in loco sancto stantem, statuam quandam aut Idolum in templo erectum, sed simplicius est quod diximus.

† *Luc. 17. e*

† *1. q. 3. sal-*

tor.

† *Mar. 13. c*

† *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudopropheta: & dabunt signa magna & prodigia,*

& prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.

Tunc, quidam referunt ad subuersionem Ierusalem, quod aptius est: quidam ad mundi consummationem. Iudæi enim qui superfuerunt desolationi, non minus obstinati erant præcedentibus: adeoque nec dubium quin impostores fuerint inter eos, qui se CHRIS TV M mentirentur, falsòque prophetas haberent. Qualis Aegyptius ille, qui sub felice præfide, quem Iudæi Ben Cusiba vocant, qui & pseudopropheta habuit nomine Rabbi Aquiba: qui tot seduxit, ut triginta ferme milia Iudæorum congregaret: quos ex solitudine in montem ducens Oliuarum, Ierusalem capere visus fuerat, quique vt Act. 21. scribitur, paulò antè eduxerat in desertum quatuor milia siccariorum. Si ergo dixerint vobis, Ecce, in deserto est, vt ille Aegyptius, nolite exire, & in penetralibus, nolite credere: vel ecce in deserto gentilium, vt eos in idololatriam inducant, vt in penetralibus hæreticorum vt eos in errorem inducant, & hæresim quibus non est adhibenda fides.

Sicut enim fulgur exit ab oriente, & patet usque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. † Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.

† *2. q. 1. c. 6.*
Quoniam
vetus.

Id est, non erit latens, aut clancularius CHRIS TV M in mundum aduentus, sed sicut fulgur aut fulgetra ab oriente exiens, iis qui in occidente sunt subito videtur in aere: Ita manifestus erit omnibus orbis incolis CHRIS TV M aduentus. Ad eum nempe (statim vt aderit) confluentibus suis. Quomodo inquit Paulus, 1. ad Thessalonicen. 4. * Quoniam ipse Dominus in iussu & voce Archangeli, & in tuba DE I descendet de cælo, & mortui qui in CHRIS TO sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aera. Hoc est enim quod ait Euangelista: Vbicunque enim fuerit corpus siue cadauer, illic congregabuntur Aquilæ quo se pascant. Ita statim vbi CHRIS TV M adesse senserint, verum & vnum electorum cibum, ad eum statim congregabuntur, & aduolabunt pij: Qui verò Aquilæ dicuntur, quòd relictis terrenis omnibus in aere, hoc est in cælo versari consueuerunt.

Statim autem post tribulationem dierum illorum † sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.

† *Ex ec. 32. b*
Isa. 13. b
Joel. 3. c
Marc. 13. f.

Qui volunt præcedentes locos: tunc erit tribulatio magna: & nisi breuiati fuissent dies, &c. exponi de consummatione seculi, tuentur se ob id quod dicitur statim post tribulationem illorum dierum, &c. quia dicunt si statim ergo loci præcedentes nequaquam de Ierolymitana tribulatione loquuntur, quæ longè antè præcesserit. Porro etiam cùm secunda ad Thessalonicen. 2. tollere nititur opinionem qua persuasi erant Thessalonicenses instare aduentum domini. Non ergo statim post tribulationem illorum dierum, si de Ierolymitana intelligamus, apparebit signum filij hominis. Qui aliam tuentur opinionem, dicunt statim post non plus significare quàm quod Marcus habet in illis diebus. Sed hoc videtur gratis dictum. Ideo præstaret dicere: quòd hoc loco CHRIS TV S volens suos in perpetua custodia & vigilia esse, quasi quotidie venturus sit dominus: non quòd re vera tam citò ac statim sit venturus:

sed quod tam attentos nos esse velit, quam si statim esset venturus. Qui re vera etsi ante mille annos adhuc non veniret, statim tamen quod ad se est, venire diceretur. * Nam apud dominum mille anni tanquam dies hesternæ quæ præterit. Alioqui propè adfore consummationem seculi Petrus recitat 1. Canonica cap. 4. inquit. * Omnium autè finis appropinquauit. Quod autem sol dicatur obscurari, non per eclipsim intelligas naturalem, sed miraculosam per luminis defectionem: quomodo & stellæ de cælo casuræ dicuntur: quia tunc lumen suum non sunt daturæ. Et virtutes cælorum mouebuntur, siue concutientur vt Græci habent. Virtutes cælorum quidam vocant astra & planetas, quidam interpretantur corporum cælestium facultates & potentias: quæ quidem tunc nullas habebunt confusis tumultuatisque omnibus rebus.

† Apoc. 1. b
Luc. 21. f
Et tunc parebit signum filij hominis: † Et tunc plangent omnes tribus terra: † Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute sua & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna: † congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum usque ad terminos eorum.

Hoc signum crucem CHRISTI esse, aut crucis ipsius signum, quod terrori sit futurum, & crucifixoribus Iudæis, & iis qui crucifigi procurauerunt dæmonibus: & in summa omnibus qui crucis huius ac passionis fructu vti neglexerunt. Sed in hoc aduentu plangent omnes tribus terræ, quod de bonis intelligas ac malis, qui præ motu tanti iudicis peccata sua tondent ac plangent, præsertim impij videntes filium hominis in aere cum tam magna potentia venientem & gloria. Et mittet angelos suos prius tamen quam signum crucis apparuerit: Euangelista autem non seruat ordinem euentus, sed narrat quæ futura sunt. Angelos autem mittet cum tuba & voce magna. Sic enim Græca habent *μὲτ' ἀσάλπιγγος καὶ φωνῆς μεγάλης*. quanquam Caietanus asserat legendum esse in tuba vocis magnæ; metuens ne vox quædam articulata intelligeretur: quod non putat, quia non subditur quid illa vox diceret, quasi necesse fuerit vt ipse putat aut vocem aut sensibilem quendam sonum audientium auribus insonuisse, corporaque ipsa resurrectione iam donata sensibili sono indiguerint, ac non potius tuba illa efficacissima fuerit viuorum & mortuorum ad CHRISTI iudicium conuocatio ipsius iussu angelorumque ministerio. Quod autem à quatuor ventis congregandos, & à summo cælorum usque ad terminos, significat vnde cunque conuocandos electos vbicunque fuerint eorum animæ, vt sua corpora recipiant glorificanda in vitam æternam.

† Luc. 21. f
† Ab arbore autem fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia propè est in Ianuis.

Ex similitudine eorum quæ nobis continuè accidunt, auct nos in aduentus illius notitiam & cautionem. Cognoscendi autem inquit Hilarius, temporis signum in similitudine ficus arboris posuit, cuius cum ramus tener fuerit, atque fronduerit, tum propè esse æstas intelligitur, ita cum prædicta euenerint, propediem futura est mundi consummatio.

Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

Difficultas est magna quid significet ac demonstret τὸ γένος, generatio hæc. Quisdam vult τὸ γένος, quod interpres vertit generatio, significare ætatem, & centum annorum seculum: pro quo etiam fortasse, licet minus latinè, generatio dicitur hominis vnus: pater videlicet, cum sua sobole, qui ferè centum annos viuere soleant. Hunc ergo sensum facit

facit non præteribit hæc generatio, id est, hæc ætas, hoc seculum, id est, quin ante centum annos præteritos hæc omnia fiant. Ac certè ante illud tempus effluxum præterita dicere possimus omnia illa præter seculi consummationem: de qua cum ante CHRIS TVS locutus sit, non video quomodo verificetur illud, donec hæc omnia fiant. Caietanus interpretatur: non præteribit generatio hæc electorum: at non video cur electorum potius quam reprobatorum intelligat: Nam sumere generationem electorum pro plenitudine completorque eorum numero, non video quàm rectè fiat. Mihi videtur non incommodè generatio hæc gentem significare Iudaicam: quam cum dixisset tantopere affligendam quod parùm abfuturum erat quin omnes perirent: Subdidit non præterituram illam, sed duraturam donec ea omnia complerentur: dum scilicet congregatis omnibus electis, tam ex gentibus quam Iudæis, fiat vnus ouile & vnus pastor. Certè simplicius vt generationem centum annorum interpretemur, citò omnia intelligamus præter seculi consummationem, vt scilicet sit sensus: hæc omnia quæ consummationem seculi præcedent, fiant hæc ætate & generatione, id est, intra centum annos.

† Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

† 2. 9. 10.
ca. Frater-

Non quod ad substantiam attinet, sed quod ad motum sicut dicit Petrus, 2. cano. cap. 3. Adueniet autem dies domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur, terra autem, & quæ in ea sunt opera exurentur. Quod etsi cæli transitori sunt, & mutandi, verba autem mea inquit, non transibunt, id est, vera semper manebunt. Nam quod ad prolationem quidem verborum attinet, transierunt, iam & illa effluerunt simulatque prolata sunt, rei tamen significatæ veritas semper manebit.

De die autem illa & hora, nemo scit neque angeli cælorum, nisi solus pater.

Quia non nihil de signis præcedentibus iudicium prædixerat, sciebátque fore coniectatores qui certò tempus illius definire præsumerent, dixit: De die autem illa & hora, nemo scit, neque angeli cælorum: quod intelligit naturali notitia, qua neque ipse CHRIS TVS quatenus homo nouit, vt Marcus ait. Nunquid ait Hilarius, DEVS pater cognitionem diei cælendi filium proposito abnegauit, cum dictum ab eo sit: Omnia mihi à patre meo tradita sunt: Ergo non omnia sunt, si est aliquid quod negatur: sed quia ad nos omnia à patre accepta deueheret, dei que verbum, non tam futuri in se fidem contineat quam facti, ideo extra definitionem dies posita est: vt largum licet DEVS pœnitentiæ nobis tempus indulgens, incerti tamen metu semper nos sollicitos detineret, & ipse nulli loquendo voluntatem dandi huius diei nulla dicti sui definitione cohiberet, hæc ille ibidem.

† Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim † Gen. 7. b
erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam: & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis.

Id est, quemadmodum nihil tale opinantes, sed incurios, rebúsque suis tantum vacantes diluuium reperit, ita & aduentus filij hominis, nec inopinantibus nobis superueniet. Nam vt Paulus ait. 1. Thessalonic. 5. * Dies domini sicut fur in nocte ita veniet, Cum enim dixerit pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. * Sic & Petrus. 2. canoni. 3. capit. Quod enim CHRIS TVS dixit: Erant comedentes & bibentes, id est, quod Paulus ait: Cum dixerint pax & securitas, hoc est, cum tota ac secura omnia sibi pollicebuntur.

† Luc. 17. 8. † Tunc duo erunt in agro, unus assumetur & unus relinquetur: dua molentes in mola: una assumetur & una relinquetur. Duo in lecto, unus assumetur & unus relinquetur.

Significat his verbis electos à CHRISTO in regnum cœlorum assumendos, reprobos autem abiiciendos. Duo enim in agro, dua molentes, & duo in lecto, duo hominum genera significant, electos scilicet, ac reprobos. Cùm ergo nec opinantibus nobis aduentus domini sit venturus, iubet nos semper esse paratos. Ideo subdit.

† Mar. 13. d. † Vigilate ergo, quia nescitis qua hora dominus noster venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. † Ideo & vos estote parati: quia nescitis qua hora, filius hominis venturus est.

† Luc. 12. e.
† Apoc. 3. a.

Parabola autem patrisfamilias iubet nos vigilare. Nam uti cùm is noctu domos furem circuncursare intellexit: si sciret qua hora fur veniret vigilaret utique. Cùm ergo more patrisfamilias venturum sciamus, qua hora nesciamus: Iubet nos paratos esse: ne imparatis nobis & inopinatis superueniat.

Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam ut det illi cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: Veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. † Illic erit fletus, & stridor dentium.

† sup. 8. b.
13. f. g. e.
22. b.
Inf. 25. e.

Duo facit CHRISTVS hac parabola seruorum genera, fidelis & infidelis: quibus duo genera prælatorum intelliguntur, quibus familiæ suæ dispensandum cibum suo tempore dominus committit. Ecclesiæ enim suæ prælatos ordinauit dominus: qui cœlestis doctrinæ pane familiam suam alant: quam si cuique prout illis commodum est, suo tempore dispensauerint, boni serui præmium accipiant, super omnia domini sui bona constituti, id est, in regni cœlestis bonorumque omnium consortium assumpti. Qui verò per absentiam domini tardantis, id est, per DEI patientiam peccata punire differentis cœperit percutere confortes, id est, iniurius esse contra proximum, neque aliud quam luxui vacet & delitiis, veniet dominus hora ab eo non expectata, occidatque & medium dissecat, in gehennamque retrudet, pari forte & pœna cum hypocritis puniendum. Admone-mur quoque hac parabola, ne ob moram tardantis iudicij iucurij simus, benèque viuendi negligentes, alioqui similes cum malo seruo pœnas luemus.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

Futurum iudicium CHRISTVS per decem virginum opera, & decem talentorum distributiones & profectus præfiguratur. In iudicio verò iustorum & iniustorum discrimen per opera & situm designat.

Tunc



Hinc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ.

† Quinque autem ex eis erant fatuæ & quinque prudentes. † Quinque autem fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. † Prudentes verò acceperunt oleum in vasibus suis cum lampadibus.

† 1. q. 1. c. 1.
Quod quinque. s. Item dominus.

† De sacra. vntio. cap.

Cū venisset.

2. Thef. 5. a.

* Psal. 4. d.

In quinque enim prudentibus virginibus & in quinque fatuis constituta est omnium fidelium & infidelium animarum distinctio. Omnes enim animæ, virgines atq; incorruptæ conditæ sunt, & lumen à Deo acceperunt, de quo dicitur Psal. 4. * Signatū est super nos lumen vultus tui domine, quod quæ prudentes sunt nutriūt vt perseuerent: Imprudentes verò negligunt, sed vera & expectata Dei fides non ambigue spei meritū cōsequetur. Hilar. ibid.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei: Tūc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

Cùm adierit dies eudicij & aduentus domini, similiter fiet in exclusionem malorum & admissionem bonorum in regnum cœlorum: quod factum legitur in hac parabola in admissione quinque virginum prudentium ad nuptias sponsi & sponsæ: & in expulsionem quinque fatuarum, vt scilicet qui moram faciente sponso, id est, Dei tardante iudicio vigilauerunt aduersus mundi & carnis insidias & astutias: ita vt venienti CHRISTO ad iudicium vltro obuiam prodire possint lampade instructi & oleo, id est, fide bonorum operum copia reluctente in regnum cœleste ad cœlestis agni nuptias, & sponsi intromittantur. Qui verò more fatuarum virginum ociofi dormitauerint, negligenterq; vixerint, cœlesti ianua exclusi, nihil sibi profuisse lampades suas iactabunt, id est, frustra fidē suam allegabunt, tum carentes oleo inuentæ sunt, id est, fidem habuerint tantummodo mortuam bonis operibus carentes.

Fatuæ autem sapientibus dixerunt. Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte nō sufficiat nobis & vobis. Ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias: & clausa est ianua.

Tum frustra postulabunt fatuæ à sapientibus oleum: quia tunc nihil proderunt aliena merita & opera, si nostra defuerint. Quod hic dictum est de die aduentus vniuersalis & iudicij, potest etiam applicari ad iudicium vniuersiuique particulare in morte, quando medio tempore dormiunt virgines omnes prudentes & fatuæ: hoc est, omnes tam boni quam mali somnolentiam patiuntur & negligentiam venialia incurrendo.

Novissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. † Vigilate † Marc. 13. d. itaque, quia nescitis diem neque horam.

Quia verò media nocte, hora scilicet qua non putamus, clamor excitatur, vel repentina ruina, vel egritudinis longioris, tunc qui parati sunt, lucernas perferentes bonorum operum ac fidei oleo plenas, ac reluctentes intromittuntur: qui verò mortuam quandam & hypocriticā fidem præferunt, extinctis defectu olei bonorum operum lampadibus excluduntur. Quia cùm iam pœnitentiæ non est tempus, fatuæ occurrunt, aperiri sibi aditum rogant.

K iij

Quibus respondetur à sponso, quia nescio vos. Non enim in officio aduenientis affuerant neque ad vocem tubæ exitantis occurrerant, neque introeuntium comitatu adhæserant, sed morantes & indignæ introeundi ad nuptias tempus amiserant. Hilar. ibid.

† Luc. 19. b. † Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.

Eos qui negligentes salutis propriæ fuerunt, arguit præcedens parabola, hic autem arguuntur, qui acceptis à Deo beneficiis male vtuntur: nec ea in gratiam proximorum & cōmoda impendunt. Græcè est *ἀποδοῦναι*, cui respondere debebat ad finem parabola *ἀποδοῦναι*, quod tamen deest & Græcè & Latinè. Idcirco supplendum est ad finem parabolæ: Ita qui accepta talenta multiplicauerit, præmia inde feret: qui verò multiplicare neglexerit, supplicia. Homo iste peregrè proficiscens, vt quibusdam videtur, CHRISTVS est die ascensionis in cœlum pergens, quod quidem humanæ carnis locus peregrinus: neq; illi proprius, nisi per eius à verbo assumptionem. Sed coactor videtur ista expositio. Idcirco vide an ad Deum simpliciter possit referri. Deus enim vocat seruos suos, fidem illis inspirando & gratiam. Nec contentus fide illos insigniuisse & gratia, reliqua quoque bona sua eis tradit, ac veluti talenta dispensanda committit: non quidem æquè omnibus, sed prout illi visum est, ac quantum unicuique illorum vtendi facultas suppetit. Et ideo dicitur quod vni quinque dedit, alij duo, alij vnum talentum, unicuique secundum propriam virtutem, id est, quantum cuiusq; valet facultas. Quæ quidem talenta Paulus ad Romanos repetit, dicens: *Multi vnum corpus sumus in CHRISTO, singuli autem alter alterius membra habemus. habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differentes. Siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet, in doctrina: qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest, in sollicitudine, qui miseratur in hilaritate. Similiter. 1. Cor. 12. a. *Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus, &c. quæ ibidem sequuntur & enumerantur dona gratiarum. Quod autem distributis in seruos viritum talentis peregrè proficiscitur, significat Deum cū libero nos arbitrio donauerit, insuper gratiam & fidem inspirauerit: & alij quidem prophetandi munus, alteri verò prædicandi gratiam, alij docendi & interpretandi dedit: & unicuique prout illi visum est, gratias suas elargitus fuerit, operari per se nos cum gratia sua finit, testaturus videlicet num rectè illis vsuri simus an non.

*Rom. 12. b

† 1. Cor. 12. a

Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo: Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

Qui autem frugi ac diligentes serui fuerint, domini sui talenta ociosa esse non sinunt, sed multiplicant cum acceptis donis ac gratis in proximorum vtilitatem & ædificationem vtuntur. Malis autem & inutilis seruus, qui vnicui à domino talentum acceptum fodit in terra dominiq; sui pecuniam abscondit, is est qui totus terrenis addictus, cœlestia planè vbi fodere deberet & thesaurizare, non curat, & cū per acceptum à domino talentum commodare proximis posset: aut eis inseruiens, aut eos bono exemplo ædificans, eo non vtitur perinde ac si non accepisset. Hoc est enim tantum pecuniam abscondere, in nullam eam neque sui neque proximi vsum applicare.

Post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque

quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius. † Euge serue bone & fidelis. † Luc. 19. e. quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam. Intra in gaudium domini tui.

Si hominem istum CHRISTVM intelligamus, post multum tempore venit creditorum talentorum rationem exacturus. Post multum quidem tempus, quia in die iudicij, vbi interim somnolentis & negligentibus peregrinari videtur, & à nobis abesse: quia statim malefacta & negligentias hominum non punit. Quemadmodum autem in parabola qui talenta multiplicauerunt, fidelitatis suæ præmiū accipiunt, dum gaudij domini sui fiunt participes: Ita qui accepta à Deo beneficia. In sui proximorumque, vtilitatem & ædificationem dispensauerint, æterni gaudij fiunt participes. Potes etiam dicere quod homo iste, sine CHRISTVS est, siue Deus pater, post multum tempore venit, quia tempore iudicij vniuersalis, siue etiam iudicij particularis cuiusque in morte.

Accesit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo super lucratus sum. Ait illi dominus eius. Euge serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: Intra in gaudium domini tui.

Sicut prior seruus ex quinque librorum Moysei doctrina decem præcepta retulit, ita gentilis populus qui fide & cōfessione filij & patris iustificatus CHRISTVM spiritu & carne confessus est. Nam corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hæc ergo duo inquit Hilarius, sunt talenta cōmissa. Sed vt prior ille omne sacramentū in quinque talentis, id est, in lege cognouerit, idq; fide Euangelij duplicauerat: ita iste incremento duorum talentorum, atq; operatione promeruit: ratione ac reditu dissimili: par tamè à domino munus, amborum est, vt gentium fidem exequatam credētium ex lege scientiæ nosceremus: Nam cū laudatione eadem iubetur in gaudium domini introire. Hæc ille.

Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti: & congregas vbi non sparsisti: & timens abij & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem vtiq; quod meum est cum vsura.

Malus ac negligens seruus, non modo crimen non confitetur, nec veniam deprecatur, quod facere debuerat: sed negligentia etiam suæ crimen in dominum reiicit. Quippe qui etiam quod suum nō est, exigit. Id est enim quod ait: metis vbi non seminasti. & colligis vbi non sparsisti. Non est necesse semper singulas parabolæ partes rei assimilare partibus respondere, vt hoc loco clarum est. Nec enim Deus pater aut CHRISTVS durior est ac seuerior, qui supra condignum præmiat, punitque semper citra condignum. Refert autem malus seruus & negligens eorum personam qui Dei iustitias oderunt, & qui cū negligentes semper degant, Deum misericordem requirunt indultorem, iustum oderunt vltorem. Itaq; abscondum domini talentum integrum reddere se putat, ac propterea satisfacere qui eo quidem male vsus non est: sed cū in aliorum vtilitatem multiplicare deberet, non facit: idcirco ab irato domino audit: Serue male & piger, Sciebas quia meto vbi non semino, &c. Non quod re vera nimium durus aut austerus esset dominus, aut non sua exigeret, sed ad excusationem serui illud excusantis ita loquitur. Quasi diceret: In credito tibi talento operari formidabas, quod me seueriorem quam par est exactorem crederes, tanto magis cauere oport-

tebat, ne infensum me haberes, & nulla per te industria valeres, pecuniam meam numulariis, ut vel tantillum lucrum ex ea facerem, committere oportebat. Si enim talem me existimabas qualis tamē nō eram, debuisti talentū meū exponere his qui bona à malis nouerunt discernere, (quos vocat numularios) Oportebat igitur quod in te erat fecisse, docuisse inquam cōsuluisse, increpasse, arguisse, obsecrasse, cetera autē difficiliora mihi reliquisse.

Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.

Si de iudicio extremo sumatur parabola, difficile videtur quomodo tollatur à malo seruo talentum, & detur habenti decem: cum iam postea futurum non sit operandi tempus ac merendi: nisi dicamus quod talentum adeptum vni & datum alteri, isthic sumitur pro premio, quod debitum fuisset seruo pigro, si probè dispensasset.

† *Sup. 13. b. Marc. 4. c. Luc. 8. c. 19. d.* **†** *Omni enim habenti dabitur & abundabit: ei autem qui non habet & quod videtur habere auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & stridor dentium.*

Id est, omni habenti gratiam & merita, dabitur gloria per quam abundabit. ei autē qui non habet, id est, qui data gratia acceptisque beneficiis bene vsus non est, etiam id quod habere videtur, (Græci habent etiam id quod habet) id est gratia quam primitius acceperat, auferetur. Certè Marcus cap. 4. & Matth. 13. habent etiā id quod habet & Lucas cap. 8. habet. καὶ ὁ λόγος ἐστίν, id est, & quod habere videtur: quod forte ab aliquo translatum est in hunc Matthæi locum.

† *Ap. 19. d.* **†** *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis sue: & congregabuntur ante eū omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet quidem oves à dextris suis, hædos autem à sinistris.*

Qualem se sit exhibiturus in extremo iudicio dominus hoc loco docet: Nempe bonorum operum præmiatorem, malorum verò vltorem. Quomodo autem sit sessurus in iudicio CHRISTVS, an visibili forma an non, certum non est. Sessio verò hic sumitur pro autoritate iudicandi, quam vocat sedem maiestatis. Non est autem putandū hic esse parabolam, sed cum oves & hædos nominat *ματθ. 23. c. 12.* loquitur, oves pios ac mansuetos Christianos appellans electos, hædos verò reprobos malorum operum sordibus fetidos.

† *Isa. 58. b. Ezec. 18. b. Disti. 24. cap. 1. Eccl. 7. d.* **†** *Tunc dicet Rex qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. † Esuriui enim & distis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere: † hospes eram, & collegistis me: nudus eram, & operuistis me. † Infirmus & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus, sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis: quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Quò verò magis hæc intelligamus, sciendum est prædestinationis nostræ nullam esse in Deo causam præter eius voluntatē, non quæuis bona opera nostra, non fidem deniq; ipsam. Ipsius

Ipsius autem prædestinationis effectus, est beatitudinis collatio & gloria: cuius quidem causa præcipua est & bona opera quæ cum fide & gratia faciamus. Et propterea bene dicit CHRISTVS: Venite, possidete regnum: quia cum esurirem, me pauistis, cum sitirem, potastis, & cetera sequentia quæ sibi esse facta dicit, dum minimis & abiectis pauperibus propter eum impensa fuerint. Velit autem nolit Buccerus, fatendum est hoc loco bonis operibus, quæ tamen fidem consequuntur & charitatem (alioqui digna non sunt) deberi præmia nosque iis, non ex operum nudorum dignitate, sed largitoris Dei benignitate, cui ita nobiscum pacisci placuit, vitam æternam mereri. Nihil enim vetat & nos eam ex pacto mereri, & mera Dei liberalitate donari nobis: qui (ut ait Augustinus) sua in nobis dona facit merita, & illa coronat.

Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: † Discedite à me maledicti in ignem † psal. 6. d. eternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non distis mihi manducare: Sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: quandiu nō fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. † Et ibunt hi in supplicium eternum: iusti autem in vitam eternam. † *Ioan. 5. c.*

Vides regnum æternum hominibus quidem paratum, ignem verò dæmonibus, nō igitur primò paratus fuerat ignis hominibus, sed ipsi illum sibi præparauerunt, eos quibus paratus erat imitando, & ea quæ regno digna sunt relinquendo. Nec enim improperat inopiæ omnimodum subleuamen, aut à carcere liberationem, sed quæ facilliora erant, & inopiæ necessaria, & quæ cuiusque vires non excedebat. Ideo sicut misericordibus regnum concessit æternum, ita immisericordibus ignem æternum, quem meruerunt.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

Concilio super morte CHRISTI à Iudæis inito, & discipularum ob unguentum effusum indignatione, CHRISTVS cœna in cœnaculo, & Eucharistia institutione celebrata, à Iudæis traditus, à quibus morte damnatur, elluditur, & ceditur, & tandem à Petro negatur.



† *factum cum cōsummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur.* † *Mar. 14. c. Luc. 22. a. Ioan. 12. a.*

Quo die Iudæi eo anno pascha celebrarint, & quo CHRISTVS, vide Paulum Burgensem in additionibus ad Matthæum. Pascha autem non *ἡ πασχα*, id est, à patiendo dictum putat Hieron. sed à Phasē quod transitum significat. Et tamen Phasi seu Pascha festiuitas à Deo instituta, in memoriam quod pertransiens angelus castra Aegyptiorum & Aegypti primogenita occidens, ab Hebræis absumit, in cuius rei memoriam iussit eos dominus septem dies azimos absque pane fermentato celebrare, & decima quarta die ad vesperam agnum immolare. ut est Exodi. 12. quod Iudæi quibusdam patrum traditionibus irretiti, in sequentem diem distulerunt. vide Burgensem & post eum Muntherum in Calendario suo, & super Matthæum.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium prin-

cipis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

Vult Chrysofostomus ea ætate contra legis institutionem, quæ vnicum volebat esse sacerdotem plures fuisse: aiuntque nonnulli plurali illo numero Annam & Caipham intelligi: qui multa summa sacerdotum redemerant, quod animis exercerent vicibus. Mihi simplicior sensus videtur, si principes sacerdotum intelligamus principes ac primarios sacerdotes, qui multa inter reliquos autoritate valeret & gratia, nimirum eos qui à Dauide ordinati sunt 1. Paralip. 24. Nam statim de summo principe subdit in atrium principis sacerdotum. Per seniores autem populi, qui Græcè πρεσβύτεροι dicuntur, dubium est an πρεσβύτεροι hoc est, Iudaici populi sacerdotes intelligere debeamus, an seniores aliquot ex populo, ætate scilicet venerandos, & longa rerum experientia præditos, ac præterea in rerum agendarum consiliū adhiberi solitos. Hi omnes inuito aduersus CHRIS TV M domini cōsilio, consultant quomodo CHRIS TV M dolo captum occiderent. Id imprimis cautum volentes ne die festo fieret, non religionis gratia, sed quod conuenientibus in templum die festo turbis, vbi penè semper versabatur CHRIS TV S, metuebant ne pertumultum CHRIS TV M quem suspiciebant, ac venerabantur sibi eriperent. Vide autem quomodo stat, vt in die festo non sit occisus CHRIS TV S, cum die paschæ videatur occisus.

† Mar. 14. a. † *Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti preciosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.*
Ioan. 12. a.
Luc. 7. f.

Hunc Simonem leprosum quidam dicunt fuisse patrem Lazari, quem à lepra dominus extraxerat nomen adhuc leprosi retinentem. Sed vide si quid certi de hoc haberi potest. Huius domum ferunt peregrini adhuc Bethaniæ monstrari, noménque eius retinere Bethania, de qua hic, villa est in latere montis Oliueti quindecim quasi stadiis, id est, duobus ferè miliaribus distans ab Ierusalem: mulier autem quæ super caput CHRIS TI recumbentis alabastrum unguenti effudit, Maria est Magdalena foror Lazari. Videtur autem hæc eadem esse cum ea de qua Ioannis 12. quæ ibidem nominatur, non hic. Primum autem putem eandem esse mulierem de qua hic Matthæus, & Marcus 14. & Ioan. 12. facit Bethaniæ locus: deinde quod Simon leprosus aut pater vt quidam dicunt, aut certè affinis erat ac notus Lazaro & fororibus. Ego autem vti censeo vnam eandemque fuisse mulierem, ita vt diuersas fuisse putem vnctiones. Moneor quod Ioannes vnctionem quam recitat, sex dies ante festum Paschæ fuisse dicit: Matthæus autem & Marcus tantum duos, quodque apud Ioannem pedes tantum vnxisse dicitur, apud Matthæum & Marcum caput. Nam primum caput attingere non aucta pedes tantum adiit: quarto verò postea die auctior facta, quod supererat unguenti sui in caput effudit. Nam dicere vtraque die factum, cum sex dies ante festum Paschæ scribat Ioannes, Matthæus & Marcus duos tantum, videtur merè gratis dictū. Deinde Rupertus qui vnam tantum de tribus Magdalenam efficit, aliterit eam de qua Ioan. 12. & eam de qua Luc. 7. eandem esse quæ à Luca peccatrix dicitur, & ab Ioanne & Luca pedes tantum vnxisse dicitur, & capillis extersisse. Neque validum est argumentum quod contra affert Bucerus vnctionem Lucæ longè ante passionem factam fuisse dicit, Ioannes autem sex dies ante: cum plerunque si quis occurrat scrupus ambiguus, inter Euangelistas non dubitet dicere quod vnus Euangelista vno tempore vnoque loco factum dicit: Idem alius Euangelista alio. Quippe quod curiosi non fuerunt locorum & temporum obseruationis, vti reuera plerunque non fuerunt. Certè nulli Euangelistæ in describenda historia sua verū temporis ordinem seruare studuerunt. Itaque quod sex dies ante Pascha factum recitat Ioannes in Bethania, Lucas nulla temporis aut loci facta mentione cum ibi visum est, factum recitauit historiae ordine neglecto. sed ne longior sim remitto te ad eos qui de vnica Magdalena aduersus Fabrum scripserunt: quem audio olim cum Romæ esset, in bibliotheca Romana tractatum

tractatum inuenisse de tribus & vnica Magdalena differentem, ac demum pro vnica concludentem, eum autem qui semper studiosus nouitatis fuisset, eum tantum qui pro tribus differeret, adiectis & inuerfis, quæ illi visum est, ne agnosceretur inuulgasse, quanquam ei postea doctè responderunt viri aliquot docti: Atque imprimis Iudocus Chitoneus, Fabri vt audio quondam discipulus, & ipsius alioqui obseruatissimus. Maria itaque effudit unguenti preciosi alabastrum delicatum pixidis genus, quo in genere vasis optimè seruantur unguenta, sic appellatum, ἐξ τῆς λαβίδος, id est, prehendere: & à primitiua particula, quod ob leuorem sui prehendi nequeat. Quod hic Matthæus unguentum preciosum effudisse super caput dicit, non contrariatur ei quod dicit Ioannes super pedes. Nam etsi eadem mulier duæ tamen vnctiones sunt. Nam vt Rupertus ait, quam Ioannes ante sex dies Paschæ super pedes domini effudisse recitat, eadem est idemque factum quod Lucas 7. cap. narrat. Nempe quod ad pedes domini primum venit mulier peccatrix, quatuor autem dies postea iustificata prius & tunc accepta à CHRIS TO peccatorum venia, ad ipsum vsque caput aucta est attingere. Magnam verò hic Mariæ fidem, & in CHRIS TV M affectionem considerare oportet: quæ tam preciosum unguentū, quo vti solebat in deliciis, tam largiter primum in pedes, deinde verò in caput CHRIS TI effuderit.

† *Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* † Mar. 14. a.
Luc. 7. f.

Non est hoc contrarium ei quod recitat Ioannes solum Iudam indignatum esse: siue quod vnus Iudas fecerit synecdochicos, Matthæus & Marcus reliquis tribuunt: siue quod omnes indignati sunt, vni Iudæ Ioannes tribuit, qui plus cæteris indignatus est, ac si dicamus eiusdem mulieris diuersas fuisse actiones, quod verisimilius puto, nihil est contrarium. Nam apud Ioannem ob primam unguenti effusionem, solus mouetur Iudas & indignatur, reliqui tacent, mulieris factum piè interpretantes. At cum paulò post rursus effundi videt, non nihil adhuc carnale sapientes indignantur, nō quidem domino benefactum inuidentes, sed arbitantes gratius fore domino, si in pauperes unguenti precium infunderetur. Indignantibus autem discipulis, aut Iudæ potius unguenti effusionem grauitè ferenti, eamque prætextu elemosynæ damnati. Similes sunt huius tempestatis hæretici, cultum & ornatum templorum, & ea quæ in vsum diuini sacrificij impenduntur, elemosynæ prætextu tollere volentes. Contra quos dicit hoc loco Theophilactus ex Chrysofostomo: Quando quis igitur offerret Deo donum ne auerferis illum, neque confringas alacritatem eius, abducens illum vt det pauperibus: sed sine implere oblationem. Decet enim vt honorem quem Deo debemus, omnibus præferamus, etiam misericordiæ operibus.

Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

Pro bonum, Græcè est καλόν, id est, egregium. Notatur autem his verbis, quod plerunque licet non habita ratione pauperum, sua in cultum diuinum impendere, maxime si non premit & vrget ingens pauperum necessitas: Quod autem bonum opus sit operata, ratione probat. Nam pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Quasi diceret: Poterit ipsa semper, poteritis & vos misericordiam impendere in pauperes, in me autem non semper: quia non semper me habebitis vobiscum, corporali scilicet, ac visibili præsentia. Deinde ne indignantur, ostendit non temerè, sed diuina dispensatione effusum unguentum, dicens: Mittens enim hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit, id est, instigante spiritu sancto unguendum corpus meum suscepit, sepeliendum innuens, & sepulturæ munus præueniens, ne posset illud suo tempore præstare,

Amen dico vobis, ubicunque predicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.

Vltra spiritualem retributionem, temporalem quoque dicit fore, perpetuam scilicet eius facti in eius laudem & narrationem, memoriam. Præfigurabat autem hæc mulier ecclesiam, quæ prius erat peccatrix: vnguentum verò fidem, quam in CHRIS TV M effudit, dum audiuit à domino: Fides tua te saluam fecit. Et idcirco inquit Hilarius, vbi prædicabitur hoc Euangelium narrabitur opus eius: quia cessante Israel, Euangelij gloria fide gentium prædicabitur. Quia æmulatione in Iudæ persona, Israel prophanus accensus, omni odio, ad extinguendum uonem domini incitatur.

† Zach. 11. e. † *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Scharioth ad principes sacerdotum & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam: At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat oportunitatem vt eum traderet.*

Sic autem dicebatur Iudas Ischariothes ab Ischara oppido Iudæ, vnde ortus erat: quod cognomentum addidit Euangelista, ad differentiam Iudæ Lebbei, qui & ipse ex duodenario erat numero. Iudas autem de prodendo magistro cum Phariseis paciscitur precio triginta argenteorum. Vide si vis de argenteis Budæum & Agricolam.

† Mar. 14. b. † *Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatē ad quendam, & dicite ei: Magister dixit:*

Prima dies azimorum erat decima quarta dies primi mēsis, qui Hebræis Nisan dicitur, apud Latinos partim Martio partim Aprili correspondēs. in prima videlicet Luna post æqui noctium: Ad cuius diei 14. vesperam immolabatur Agnus. Nam vt Exodi 12. dicitur: iuebantur Iudæi decima die Nisan tollere & segregare agnū anniculū, & vsq; ad decimā quartam mensis seruare: & eo die ad vesperā immolare, ab eaq; vespera fermentatis abstinentes azimos panes edere incipiebāt. Ea igitur die, quæ dies iouis erat, ad vesperam, rogant discipuli dominum vbi velit comedere Pascha, id est, agnum Paschalē. Neq; enim vbiuis edere licebat: neq; alibi quàm Ierosolymis. Itaq; cum in Bethania versaretur, rogāt in qua domo, nimirum Ierosolymorum, velit edere. Ipse autem ait: Ite ad quendam, Græcè πρὸς τὸν, quo verbo Græci certum hominem significant, at notum, quem tamen nominare noluit.

Tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha.

Id est, tempus meæ mortis proximum ante quam & legale Pascha cum discipulis celebrare volo: & ego ipse verum Pascha, agnūque immaculatus pro mundi delictis immolari cupio, vt legale finiatur.

† 2. q. 1. cap. † *Vespere autem facto, discumbebat cū duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cæperunt singuli dicere: Nunquid ego sum domine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.*

† 2. q. 1. cap. † *Vnus ex vobis.*
De off. ord. si sacerdos.
Sup. 11. b. † *Cum ex lege iuberentur Iudæi stantes agnū paschalem edere, hic autē dicatur CHRIS TV S non sedens sed discumbens, dicit Theophylactus quod CHRIS TV S & discipuli ex more legis agnum typicum stantes comederint, & peracto Pascha discubuerint, alios cibos manducantes, ac palam ibi de proditore locutus, ita vt sufficienter Iudam exprimeret proditor.*

ret proditorem, dicens: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet, à reliquis tamen intellectus non est, de tanto facinore nimis turbatis & contristatis. Quod autē interpres habet paropside, Græci habent τῷ τρυβλίῳ. de quo vide Bayphium de vasis culmariis.

Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas qui tradidit eum dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

Pro vadit, Græcè est ὑπάγει. & idem Marcus habet. Lucas verò προέρχεται, quod vulgari more sumitur pro eo quod est abire vita: quomodo nos Galli de moriente homine dicimus *Il sen vad.*

† *Cœnantibus autem illis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.*

† 1. Cor. 11. c.
Marc. 14. c.
Luc. 22. b.
Ioan. 6. f.

Pro cœnantibus Græcè est κοινωνία quod indifferenter & prandium & cœnam significat. Nam κοινωνία est cōiuuium, & cōiuuium celebrare. De veritate corporis & sanguinis domini in venerabili Sacramento, quod hic institutum est, plura hîc dicere superfedeo quod piis & Christianis tantum scholiasticos ista scribimus: non hoc loco aduersum hæreticos scribere instituimus: quod piè & eleganter æditiis libris multi scripserint. Satis erit nobis vnum iustini martyris testimonium adduxisse: quod ex libraria regia, aut à domino Danesio sumere oportet. Pro eo autem quod Latinis habet: & benedixit, Græcè est ευχαριστίας, id est, habitis Deo gratias. Quod autem dicit: Fregit, deditq; discipulis suis: non intelligendum est quod corpus fregerit, quia CHRIS TV S in Sacramento sumitur non fractus nec diuisus. Ideo difficultas est quod referatur τὸ fregit. Thomas & alij dicunt: quod accepto pane benedixit Iesus, dicens: Hoc est corpus meum: deinde, fregit dicens: Accipite & manducate. Atque ita species tantum, specierumque dimensiones fregit. Notandum est autem quod illæ voces CHRIS TV S, hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus noui testamenti, eam habeant virtutem, quod statim panis, alterata natura panis, similiter & vini substantiæ in corpus & sanguinem mutata, sunt manentibus tantum speciebus. Nec eam modo habuit virtutem CHRIS TV S vox, sed ministrorum sacerdotum idem, quod ille tunc facere intendentium: vi tamen verborum illorum à CHRIS TV S prolatorum. Et de hoc ait Chrysostomus: Sicut illa vox quæ dixit crescite, & multiplicamini, & replete terram: Semel quidem dicta est: sed in omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: Ita & vox ista semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiæ vsque in hodiernum diem, & vsque ad CHRIS TV S aduentum præstat sacrificio firmitatem.

† *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

† De celebr. missa. cap. Cū martha. De reliquijs & vne. In Clementinis cap. 1. 1. Cor. 11. c.

Non dicit de corpore: Hoc est corpus noui testamenti, sed de sanguine τὸ τῆς νέης διαθήκης, id est, qui ad nouum fœdus & pactum spectat. Quia sicut veteris legis testamenta & pacta, quod Paulus ad Hebræ. 9. ait: Non sine sanguine dedicata sunt. Et olim Gentiles in confirmationem fœderum suorum, sanguinis ytenbantur effusione, mactatis eam in rem animalibus. Ita ad confirmanda nouæ legis pacta & testamenta sanguine opus fuit mactati & immolati CHRIS TV S. Quia sicut ait Paulus ad Hebr. 9. Vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Ideo quia ad confirmanda pacta & testamenta interuenire CHRIS TV S mortē oportuit, bene dicit de sanguine suo: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis effundetur. Græcè est ἐκχυνώμενος, id est, effunditur, quod in præsentī di-

citur ab Euangelista: non quod reuera iam effunderetur, sed quod iam passionis eius mysterium inceperat: quippe quem Iudas tradere pactus esset.

Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.

Supplet Lucas quod hic Matthæus omittit: quod scilicet tradito discipulis agno Paschali, dixerit: Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Vbi notandum, quod manducatio ista, de qua solus Lucas, & potus de genimine vitis, de quo tres Euangelistæ, non intelliguntur de manducatione corporis Domini, neque de potu sanguinis: quia aperte Lucas recitat post illa verba C H R I S T V M accepto pane & vino corpus & sanguinem suum consecrasse, ac discipulis tradidisse: Ita quod inter manducandum Pascha legale, hæc verba dixerit: Licet Matthæus & Marcus, qui curiosi non fuerunt historię ordinem seruare, quod C H R I S T V S antè dixit, post oblatum calicem dictum repetens. Mihi autem simpliciter his verbis dixisse videtur C H R I S T V S dum nouissimum Pascha legale cum suis discipulis celebraret, non bibam amodo, id est, finito Paschali hoc conuiuio, non amplius vobiscum bibam vsq; in diem illum scilicet postquam resurrexero, tum bibam illud vobiscum nouum in regno patris mei, id est, in resurrectione mea: quam regnum patris appellat. Quod verè tunc post resurrectionem subiugata morte & inferno regnare cœperit. Quod autem dicit: illud nouum, significat quod nouo modo bibiturus esset, scilicet iam immortalis factus, nulloque cibo aut potu indigens. Similiter quod & Lucas ait: Non manducabo, &c. Intelligit se non manducaturum amplius cum illis ante resurrectionem.

† Mar. 14. b. *† Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.*
Ioan. 18. a.

Paulus Burgenis ex Iudæo Christianus, legisque inter Iudæos peritissimus, vetustum Iudæis morem fuisse ait, vt cum à mensa surrexissent, psalmum illum, Laudate pueri dominum, & sequentes vsque ad Psalmum: Beati immaculati, recitarent: quos etiam Psalms C H R I S T V M cecinisse putat.

Tunc dixit illis Iesus:

Tò, tunc, vt quidam putant, non demonstrat id quod præcessit, exierunt in montem Oliueti, cum Lucas indicet ante egressum dominum, discipulis suis dixisse quæ sequuntur. Ideo aiunt Tò, tunc, referre illud inter cœnandum: quanquam propior videtur sensus Matthæi & Marci, si dicamus hymno dicto C H R I S T V M egressum, & inter proficiscendum ea verba cum discipulis habuisse, & post finem verborum in villam quæ dicitur Gethsemani, appulisse, sicut Matthæus postea ait: Tunc venit cum illis in villam Gethsemani. Et Marcus: Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani. Atqui nõ admodum refert post an ante. Nam Euangelistæ sæpe quod ante factum est, postea recitant, & quod postea longè antè.

† Mar. 14. b. *† Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte: Scriptum est enim:*
† Zach. 3. c. *† Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.*
Ioan. 16. g.

Sciens fore C H R I S T V S vt in eum discipuli omnes offenderent & impingerent, relicto eo fugientes præmonet eos huius lapsus, ne lapsi animum desponderent. Porro etiam non sine Dei dispensatione huiusmodi lapsus fore ait: quippe quorum lapsus, simulque percussorem suam prædixisset Zacharias.

† Mar. 14. c. *† Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilaam.*
c. 16. b.

Cum scandalum eorum & dispersionem simulq; mortem suam à propheta prædictam ostendisset, ne desperarent tanquam pallantes semper futuri, nunquamque congregandi, & se resurrexturum prædixit, & eos in Galilæa congregaturum.

Respondens

Respondens autè Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Animosior quàm par esset Petrus, neque prophetiæ fidem habet, neque C H R I S T O ab eo se negandum prædicenti: sed dispensatione Dei totum factum est, ne nimum nobis ipsi fidere discamus, sed Dei nos totos arbitrio præmittamus.

† Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse. † Mar. 14. d. Luc. 22. d. Ioan. 18. a.

Gethsemani prædium quoddam est ad radices montis Oliueti: quod vnà cum discipulis profectus C H R I S T V S, assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, Iacobo scilicet & Iōanne, paululum vt ait Lucas, quantum scilicet, est iactus lapidis, secessit à reliquis: Et coram tribus illis cœpit tristari & mœstus esse, nimirum infirmitatis testes assumens, quos in monte Tabor gloriæ testes adhibuerat, ac maiestatis.

Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate mecum. Et progressus pusillum procidit in facie suam, orans & dicens: † Mar. 14. d. De celebra. missa. ca. In quadam.

Indubiè vera & naturalis in C H R I S T O tristitia erat, cum tã prope esset naturæ humanæ discoueniens ac displicens mortis obiectum: duriusculum verò est quod hic philosophatur Caietanus, C H R I S T I animam tristem fuisse vsq; ad mortem intensiue, propter magnitudinem tristitiæ, & extensiue, quia continuè vsque ad horam mortis contristatus est animo. Non enim minoris fuisse virtutis C H R I S T I animam hominis, quàm multorum philosophorum, qui ad primam mortis apprehensionem vehementer quidem contristantur, sed semel apprehensa componunt tandem sese, vt patientes eam ferant: ita non dubito cū oraturū in orto C H R I S T V M proximæ mortis horror subiit, quin vehemens eū angustia atq; animi tristitia cœperit, adeo vt in agonia factus, quemadmodum recitat Lucas, guttas sanguinis sudauerit. Postea verò vt idem Lucas recitat, cum angelus de cœlo illi astitisset confortans eum, quin animum receperit, non dubito, ac se iuxta patris voluntatem ad patienter & non querulè ferendum mortem composuerit. Itaq; cum dicit Euangelista, C H R I S T I animam ad mortem vsq; tristatam fuisse, magnitudinem tristitiæ indicare voluit: quæ tunc non minor esset, quàm si præsens illi mors intentaretur.

† Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. † Mar. 14. d. Luc. 22. c. Ioan. 12. d.

Non dubitabat C H R I S T V S possibile esse absque calicis huius potione, id est, passionis tolerantia, saluari posse genus humanum, potentia quidem extraordinaria: contra verò sciebat potentia ordinaria fieri non posse quin pateretur, & mortis exhauriret poculum. Quippe qui postea dixerit: Oportebat C H R I S T V M pati, & ita intrare in gloriã suam: sed affectu hominis hic loquitur C H R I S T V S secundum portionem inferiorem, mortem (siquidem fieri potest, potentia à Deo patre ordinata) deprecantis, quam tamen si ita visum est patri lubenter se perpeffurum promittit.

Et venit ad discipulos, & inuenit eos dormientes. Et dicit Petro: sic nõ potuisti vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt nõ intretis in tentationem.

Nimirum & præ tristitia & multa (vt credere par est) vigilia: dixitque omnibus ad personam C H R I S T I loquens: Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? adeo ne vel vnã

horam vigilare mecum non potuistis? Vigilare inquit itaq; & orate, vt non intretis in tentationem. Non enim vigilare sufficit, nisi inter vigilandum orationi instemus. Vnde Paul. ad Collocenf. 4. Orationi inquit, instate, vigilates in ea. Rationem autē addit cur vigilandū sit.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Duplicem habet hic locus sensum. Primum vt spiritum intelligamus superiorem animi portionem, ac rationem cui appetitus subest ac sensualitas, & ea animi pars quam carnem theologo vocat. Et hoc modo sensus est: Non dubito spiritus vobis adesse atque animos, qui prompti sint tentationi resistere: sed quoniam non deest carnis oppugnatio maligni spiritus adiuta auxilio, quæ quidem caro licet potens sit ad oppugnandum, infirma tamen est ad resistendum. Ideo non sufficiunt nostri illi animi ac spiritus, quos nuper vna cum Petro iactabatis, dicentes: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Vigilare itaque opus est ac orare. Ideo nominatim Petrum alloquitur, quasi diceret: Tu ne ille qui nuper tanta iactabas, & mecum vnam horam vigilare non potuisti? Alio modo spiritus, & Græcè τὸ πνεῦμα, pro tentatore & maligno spiritu sumitur: quomodo Lucæ. 9. Vir quidem de turba dicit: Respice in filium meum, quia vnicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & dissipat eum cum spuma. Paulò post autem sequitur quod adductum ad Iesum filiū, dæmonium illisit & dissipauit. Et Lucæ 10. Cùm gaudentes discipuli domino dixissent: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Dixit illis CHRIS TV S paulò post: in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur. Planè insinuans spirituum nomine se dæmones intelligere. Hoc modo potest spiritus sumi pro tentatore spiritu: propter quem iubet vigiliis & orationi attentos esse discipulos dominus: quippe qui potentem aduersarium habeant ac promptum suapte natura: homines autem & carnales & infirmi sint ad resistendum. Quia inquit, spiritus promptus est, id est, potens atque alacer ad tentandum, caro autē infirma, id est, nos carnales & infirmi ad resistendum. Vnde & similiter huic loco nos admonet Petrus 1. Cano. cap. 5. Sobrii estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quem deuoret.

Iterum secundo abiit, & orauit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum abiit, & orauit tertio eundem sermonem dicens:

Non sunt enim hæc omnino metuentis verba, sed annuentis & designantis quæ assumpta esset passura humanitas, vt qui mortem timere potuit, & mori possit. In Deo autem nihil mori potuit, neq; ideo ex se metus Deo vllus est. Ideo nisi esset hæc mors CHRIS TI necessaria, non se periculis gratis obiecisset, & suos ad talia induxisset, quia in CHRIS TO Deus mundum sibi reconciliare decreuerat, CHRIS TV S ex patris voluntate omnē metum superauit, & illi ad mortem vsque obediuit.

† Mar. 14. e. *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis. † Dormite iam & requiescite. Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorū. Surgite eamus. Ecce appropinquabit qui me tradet.*

Ironica videtur hæc locatio ad somnolentos discipulos. q. d. dormite iam. Num Iudam non videtis quomodo non dormit, quamque peruiigiles oculos habet auaritia? num dormiendi tempus est cū passionis meæ hora appropinquat? statimque in manus impiorum tradendus est filius hominis. Tamen nefugere mortem videretur, petentibus se ad mortem obuiam secum illos procedere iubet, dicens: surgite, eamus: ecce appropinquabit qui me tradet, Iudas scilicet Ischariotes.

† Ibidem. e.
Luc. 22. e.
Ioan. 18. d.

† Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa

multa cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi: Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens:

Non pudet Euangelistas Iudam annuneri inter duodecim Apostolos CHRIS TI, & de primo ordine vnum. Veritati enim student, negligentes pudorem. Ipse autem Iudas CHRIS TI vires agnoscens plurimā turbam secum adduxit cum signo traditurus & forte signum pollicitus, quia audierat eum in monte transfiguratum, ideo timebat ne simili transformatione elaberetur.

Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum.

Ferunt Iacobum qui frater domini dictus est, domino similem fuisse, ideo veritum Iudam, vt in tenebris fieri affolet (nam ad capiendum IESVM noctu venerant) ni propius inspiceret, Iacobum illis loco CHRIS TI traderet, signum eis dedisse vt quemcumque ipse oscularetur, eum illi apprehenderent. Ideoque propius CHRIS TO accedentem eum salutasse & osculatum esse, CHRIS TV M autem animo amico respondisse.

Dixit illi Iesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.

Græci habent ἐταῖρος ἢ φίλος ἢ παρῆς Quia gratia huc ades sodalis? ἑταῖρος enim plus quam amicum significat. Nempè eos qui eadem ætate eademque vitæ consuetudine, & actione diu inter se vixerunt, quales CHRIS TV S & Apostoli. παρῆς etiam ἀπὸ τοῦ ἀμι præterquam quod adesse significat, etiam accedere & aduenire. Vnde παρῆς τῶν χριστῶν sumitur à Matthæo 24. cap. pro aduentu ipsius in iudicium. Perinde est igitur hoc ac si diceret: Si vt amicus & sodalis huc ades, quorsum gladius & fustibus? sin vt inimicus, quorsum oscula? Admonet autem nos hoc factò CHRIS TV S, vt agnitos etiam inimicos, qualem esse Iudam nouerat, & illi prædixerat, nequaquam aspero amarouæ animo obiurgare velimus, sed blandè ac leuiter tanquam à peccato reuocaturi corripiamus.

† Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc dicit illi Iesus.

† Mar. 14. e.
Luc. 22. e.
Ioan. 18. b

Dixerat paulò antè CHRIS TV S Luc. 22. Qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. Cui responderunt: Domine, ecce duo gladij hinc. Receptis igitur animis Petrus eo quòd prostratos à CHRIS TO Iudæos in terram viderat, contra armatam manum audeat magistrum defendere. Itaque exerto gladio auriculam eius, Lucas & Ioannes addunt dexteram, Malcho pontificis seruo amputasse. Passus est autem CHRIS TV S Petrum gladio ferire, vt eum inde corripiens omnem vlscendi sui cupiditatem ex suorum animis auferret, increpato videlicet Petro, & adiecta sententia: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt: Quem sumpsisse videtur ex Genes. cap. 9. vbi dicit dominus: Qui-cunque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius. Non est autem putandum ad literam, quòd omnes qui gladio ceciderint, gladio sint perituri. De eis autem intelligendum est, qui propria autoritate & temerè alios percusserint. Neque rursus intelligendum est, quòd omnes gladio materiali sint percutiendi: sed partim materiali, partim spirituali, quod est DEI iudicium. De quo gladio dicit Ioannes Apocal. 19. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipso percuciat gentes. Verum itaque est fore vt omnes qui temerè gladio ceciderunt, aut gladio materiali percuciantur, aut spirituali, dum iusto DEI iudicio quouismodo puniantur. Ideo dicit illi dominus:

† 23.9.1.ca. † *Conuerte gladium tuum in locum suum. † Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturae, quia sic oportet fieri?*

† 1.9.4.cap. *Dñi ista.9.8. cap.1. & cano. Cum à Iudæis.*
 † Gene.9.4 *Longè diuersa est vox ista ab ea quam nuper tristis & angustiatas in horto emittebat.*
 † Apoc.13.c *Confirmati enim & non ad mortem vsque, vt Caietanus putat, contristati animi sunt hæc verba. Illic enim pro carnis trepidantisque animi affectu loquebatur, hic pro confirmati corroboratiq; animi etiam in manu hostium, ab angelo asserens nihil si vellet valituros aduersus eum militum animos: aduersum quos à patre plus duodecim milium legionum impetrare posse: sed velle se decreto patris obedire, & iussa eius in salutè generis humani exequi, scripturâq; prophetarum implere.*

In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos sedebam, docens in templo & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturae prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.

Quod Matthæus ait IESVM turbis dixisse, Lucas dixisse ait ad principes sacerdotum, & magistratus templi & seniores. Non autem sumendum hic est turba pro multitudine illa populi, quæ confluere ad CHRIS TVM prædicationes solebat, sed pro turbulento illo militum cõsistitu & exercitu, Iudæorumque illorum illos adducentium, ad quos præcipuè verba habet: ostendens non fuisse in eorum potestate illum tenere, quem plerumque in templo docentem, intrepidèque illos arguentem comprehendere noluerunt. At non potuerunt. Itaque quòd se tenere ab eis finit, facit vt scripturæ, quæ capiendum & crucifigendum prædixerat, statuto à patre tempore implerentur. Quod audientes discipuli, nec vllam amplius eius sperarent liberationem, imò quòd ipse sponte manibus inimicorum se subiiceret, relicto eo omnes fugam arripiunt.

† 1sa.53.6. *At illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant.*

† Thren.4.d *Sic scribunt Marcus & Lucas: at Ioannes qui omnibus his præsens aderat, diligentius obseruare potuit quæ tunc agebantur. Quoniam primùm ad Annam CHRIS TVM fuisse ductum scribit, vt Caiphæ deferrent, qui gener esset Annæ, & inde post multa missum ad Caipham, vt videbitur suo loco.*

Petrus autem sequebatur eum à longè vsque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intrò sedebat cum ministris vt videret finem.

Et si apprehenso domino cum reliquis Petrus fugeret, non tamen planè CHRIS TVM deferuisse videtur, quem à longè secutus est in atrium vsque pontificis, finem expectaturus. Et quorsum tragediæ huius exitus euaderet spectaturus.

Princeps autem sacerdotum & omne concilium querebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent. Et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent.

Quomodo vero non inuenerunt, cum statim postea recitat Matthæus, cum multi falsi testes accessissent, & paulò post: Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, &c. Dicendum ad hoc

ad hoc quòd non simpliciter querebant falsum testimonium, sed tale vt sufficiens esset ad CHRIS TVM opprimendum, ac morti tradendum. Et ideo dicit, quòd non inuenerunt cum multi falsi testes accessissent. Græci hic præponunt τὸ πρῶτον rursusque repetunt οὕτως ἔτι, id est, & cum multi falsi testes accessissent, non inuenerunt commodum, scilicet testimonium ad Iesum opprimendum.

Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: † Possum destruere templum Dei, & post triduum reaedificare illud. Et surgens princeps sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat.

Falsi indubiè isti sunt, qui & CHRIS TVM verba immutant, & ad alium sensum detorquent. Verba enim quæ CHRIS TVS Ioannis 2. Iudæis dixerat, hæc erant. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Aliud autem est: Possum destruere, & soluere, & possum reaedificare, & excitabo, siue suscitabo illud. Apud Ioannem enim de templo corporis loquebatur, quòd morte soluturi erant Iudæi. Ipse autem post triduum à morte suscitaturus.

Et princeps sacerdotum ait: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei? Dixit illi Iesus: Tu dixisti. Veruntamen dico vobis, Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.

Caiphas qui ex CHRIS TVM actis ignorare non poterat ipsum esse Messiam, præterea ex scripturis intelligebat Messiam filium DEI fore, Per DEVM viuum CHRIS TVM adiurat, vt verè ac siue fuco dicat, num Messias esset, ac CHRIS TVS DEI filius: quia adiuratum per DEVM patrem CHRIS TVM, quòd verum est sciebat ipsum responsurum: atque inde blasphemiam aduersus CHRIS TVM occasionem captabat: quòd qui vulgo tantum homo crederetur, DEI se filium faceret. Euenit autem vt optabat Caiphas. Nam & CHRIS TVS ad votum Caiphæ respondit, professus se filium DEI esse, dum ait: Tu dixisti. Id est, id quòd verè est, tu dixisti me esse DEI filium. Nam hunc locum Matthæi interpretas Marcus ait CHRIS TVM Caiphæ interroganti: num, filius DEI benedicti esset, respondisse ego sum: & quia illum hætenus despectui in primo aduentu habuerant velut abiectum & inglorium, asserit se in secundo aduentu venturum in nubibus cæli, hoc est, in aere ad iudicandum, quando filium hominis, id est, quem vilem & abiectum existimauerunt, videbunt à dextris virtutis DEI sedentem, id est, æqualem cum patre iudicandi potestatem habentem.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus tibus? Ecce nunc audictis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. † Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiz a nobis Christe, quis est qui te percussit.

Mos erat Iudæis cum aduersi quid illis accideret, ac maximè contra DEI honorem & gloriam, in detestationem & doloris sui testimonium vestimenta scindere. Quemadmodum numeri 14. Murmurantibus aduersum Moysen & Aaron Iudæis, vestimenta sua scidit Iosue. Et idem Iosue 7. Percussis triginta sex hominibus in oppugnatione Hai, vestimenta sua scidit. Sic iudicum 11. Iepte. Sic Dauid 2. Reg. 1. audita morte Saulis & Ionathæ: multique aliis scripturæ locis. Ita & hoc per hypocrisim, quasi aliquod indignum facimus acci-

† sup. 16. d
 2. Thess. 4. d
 Rom. 14. b

† 1sa. 50. c.
 & 53. c.
 Mar. 14. g
 Luc. 22. f
 Ioan. 18. c

diffet, vereque CHRIS TVS blasphemasset, vestimenta sua scidit Caiphas. Et quia convenientia aduersus CHRIS TVM testimonia afferre non poterat, quid adhuc inquit, egemus testibus? quem aduersus DE VM blasphemantem audistis. Ad præiudicium verò pontificis consentiens Iudæorum & Phariseorum turba, reum mortis CHRIS TVM esse pronunciat, iis iniuriis quas postea Matthæus recitat, illum afficientes: Implentes illud Isaïæ de CHRIS TO prædictum cap. 50. b. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.

*Isa 50. b

Petrus autem sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negavit cum iuramento, quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es. Nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cepit detestari & iurare quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit.

Nota est ad literam hæc Petri historia, quapropter restat tantum admonendum ut Petri exemplo tantum viribus nostris fidamus, cum ille CHRIS TO tam dilectus ac familiaris, atque ab eodem casus sui & lapsus præmonitus, statim ut à CHRIS TO discedit, & eius gratia speciali destituitur, primum ad vnus ancillæ vocē simpliciter CHRIS TVM abnegat: Deinde ad alterius cum iuramento, demum ad ministrorum testimonium, cum detestatione & adiuratione, quem petri lapsum præterquam quod ex metu vano accidit, DE I etiam dispensatione factum puto: ut scilicet impleretur illud CHRIS TI: *Simon, ecce satanas expetiuit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te ut non deficiet fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: ipseque princeps ecclesiæ futurus, lapsus sui immemor, delinquentium fratrum commiserescere disceret.

*Luc. 22. c

Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amarè.

† 50. dist. ca. Ponderet. ca.

† Et constiteretur.

Nota humanam infirmitatem, in quam lapsus Petrus breui adeo tempore dominum suum tertio negauerit, non quæstionibus examinatus, sed ab ancillis & famulis interrogatus: vnde per gallum admonitus foras exiit, noxam expiaturus. In atrio enim pontificis non poterat agere. pœnitentiam, egreditur foras de impiorum concilio, ut pauidæ negationis sordes amoris fletibus lauet.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

CHRIS TVM à Iudæis vinctum tanquam reum Pilato traditum videns Iudas laqueo se suspendit. Apud Pilatum CHRIS TVS accusatus, flagellatus, & illusus, Barraba dimisso, ad mortem damnatus, ad locum pœnarum ducitur, crucifigitur, illuditur, mortuus à cruce deponitur, sepelitur, & Iudæorum custodia committitur.

† Mar. 15. a
Luc. 23. a
Ioan. 18. c

† Anè autem factò, consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

Non dubium

Non dubium quin totam noctem præcedentem in blasphemando cædendo & illudendo CHRIS TO impenderint, manè autem inito consilio, sufficiens se habere testimonium putantes duorum testium de templi subuersione loquentium. Similiter & ex sermone CHRIS TI, qui se filium DE I professus erat, vinctum illum Pontio Pilato præsidi steterunt, conuentis prius in consilio suo impio causis, quæ Pilato præsidi probabiles viderentur, sufficientesque ad eum damnandum, cuiusmodi esse poterant, quod populi seductor esset, quod tributa Cæsari dari prohiberet, quod se regem fecisset, & palàm se ita salutari passus esset.

Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, † pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens:

† De pœnit. dist. 6. cap. Qui vult.

Si tunc referat certum illud tempus, quo præsidi eum steterunt, damnatus intelligendum est, quod Phariseorum ac sacerdotum præiudicio ac testimonio, iam erat damnatus, quomodo vulgò dicimus eum qui morti proximus est, ac damnationi. Gallicè. *C'est fait de luy, il est mort la ou il est.* Itaque pœnitentia ductus Iudas, sed infructuosa, quippe quam misericordia non est consecuta, quam quærere neglexit, retulit principibus & senioribus triginta argenteos.

† Peccavi tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos, tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recepit: † & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbanam, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito † emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc † vocatus est ager ille Acheldemac, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

† De pœnit. dist. 3. cap. Inter hac.

ca. Iudas pœnituit.

† 1. q. 1. cano. Qui studet.

† Iere. 32. b
Zacha. 11. c

Initium bonæ confessionis erat peccati agnitio, siquidem misericordiam postulasset. Peccatum suum agnoscit, CHRIS TI fatetur innocentiam, pecuniam scelestis Phariseis vult reddere, quam quum primum recipere recusassent, abiectam in templo reliquit: Illi autem simulata religione & hypocrisis, magis quam pietate, in corbanam, id est, in gazophylacium suum mittere nolunt, precio sanguinis gazophylacium suum prophanatum iri credentes, se autem iusti & innoxij sanguinis effusione impiari non intelligentes: corbana quod erat illis thesaurus sacer pluris facientes, quam suam conscientiam. Itaque ex ea pecunia emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Et bene ait peregrinorum, quoniam Iudæis qui filij erant, & ciues ac domestici DE I, foras eiectis, in vsum peregrinorum, id est, Gentilium, qui longè ante aberant à DE O, cessit precium sanguinis CHRIS TI. *Consepulti enim cum CHRIS TO omnes Christiani sumus.

* Roma. 6. a
1. Cor. 2. b

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium apreciati, quem appreciauerunt à filiis Israel. & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus. † Iesus autem stetit ante præsidem.

† Mar. 15. a
Luc. 23. a

Ioan. 18. f

In libris Ieremiæ qui nunc extant, non est huiusmodi prophetia: sed Zachariæ 11. similia propè habentur de mercede triginta argenteorum in domo DE I proiectorum. Ideo putat Hieronymus errorem librorum inualuisse, ut pro Zachariam Ieremiam ascriptum sit. Et Euseb. de demonstrat. lib. 10. ca. 4. dubitat an per quandam malitiam sublatum fuisse à textu Iere. 32. an per librarij erratum alterum pro altero sit positum nomen. Certè

Hiero. asserit, se Ieremiæ librum vidiſſe, vbi ea euangelistę verba essent: quaquam illum librum αποκρυφον censet: & ideo Matthæum opinatur apocryphi testimonio non vsum esse. Tametsi istud nouum videri non debet: cum 2. Timoth. 3. apocryphum illud Iamnes & Mambres paulus recitat: nec dubitet Iudas in sua canonica in testimonium adducere apocryphum Enoc prophetiam. Porro nõ dubium est tunc plura fuisse veteris testamēti quàm nunc, quæ si extarent, apocrypha non essent, sed recepta.

† Ioan. 19. b Et interrogauit eum præses, dicens. † Tu es rex Iudæorum. Dicit illi Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dixit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia?

Vel hinc patet accusatum apud Pilatum fuisse **C H R I S T V M**, quod se contra Cæsaris auctoritatem Iudæorum regem fecisset: Ideo interroganti Pilato: Num tu es rex Iudæorum? Responder: tu dicis. Quod quidam exponunt: Tu reuera id quod est, dicis. Alij exponunt: Tu quidem dicis: ego autem talem me non profiteor. Sed præstat prima expositio. Cui accedit **C H R I S T I** responsio apud Ioannem: Tu dicis, quia rex sum ego. Id est, verè dicis, sum enim rex. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Id est, verè tu dicis me regem esse. Ego enim veni in mundum, vt veritati testimonium perhibeam. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt in electis meis regnem.

† Mar. 15. a Per diem, autem solennem consueuerat præses populo dimittere unum vinctum quem voluissent. Habebat autem tunc unum vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis autem illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barrabam an Iesum qui dicitur Christus?

Interroganti Pilato de falsis Iudæorum testimoniis in **C H R I S T V M**, quod falsa illa essent nihil respondet **C H R I S T V S**. Cui de re vera interroganti num scilicet Iudæorum rex foret, respondit. Per diem autem solennem Græcè est, κατὰ τὸ εἶρη. Id est, die autem festo, vbi autonbmatice ac per excellentiam diei festi nomine pascha intelligitur. Vnde autem vnde manauerit consuetudo vt die festo donaretur populo vinctus vnus. Quidam dicunt quod in memoriam occisorum Aegyptiorum & saluatorum Hebræorum, in festo phase solebant Iudæi vnum ex reis morti proximum liberare aliis interfectis. Quodque id pro more obseruatum, à Romanis impetrauerant. Vnde id quod dicit Matthæus consueuerat, Lucas dicit: necesse habebat dimittere. Oblatis igitur populo insigni latrone Barraba & **C H R I S T O**, vtrum ex illis dimitti vellent, persuasæ à principibus & senioribus populi turbæ, quæ nuper tanto honore venientem **C H R I S T V M** exceperant, Barrabam dimitti postulanti **I E S V M** verò crucifigi.

Sedente ante protribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

Non dubium quin agnoscentes **C H R I S T I** morte spoliandos inferos dæmones, vxori Pilati persuaserint maritum à **C H R I S T I** condemnatione auertere, quod facere illa nititur, dicens: Nil tibi & iusto illi. Id est, nihil tibi sit cum illo tam iusto.

Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populis vt peterent Barrabam, Iesum vero perderent. Respondens autem præses ait illis:

lis: Quem vultis igitur vobis de duobus dimitti: At illi dixerunt: Barrabam. Dixit illis Pilatus:

Quantūvis persuaserint primates turbis præoptare Barrabam, Pilatus tamen sollicitè curabat eos à tanto scelere liberare: sed quanto ipsi studio, quantaque opera afficerentur, vt nihil intentatum relinquerent, tanta ipse diligentia resistere nitebatur, miratus certè quod illum qui communi omnium fama & homicida & latro, sed & insignis latro pro confesso habebatur, vellent liberari & sibi dimitti, illum verò quem non nisi inuidia & falsis & seductis testibus superati, damnari tanto affectu peterent.

† Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præses. Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dices: Crucifigatur.

Græcè, τι, ὃν ποιῶσιν τὸν ἰησοῦν τὸν λεγόμενον χριστόν; Quid Iesu faciam. Nam Græcam phrasim per ablatiuum etiam siue præpositione Latini expriment. Sic Cicero pro Cluentio: Quid hoc homine factum est: quaquam interpres non malè verterit, quid de Iesu.

Vidēs autē Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus corā populo, dices: Innocēs ego sum à sanguine huius iusti.

Vidēs inquit, quod nihil proficeret, id est, frustra persuasum à principibus & senioribus populum pacare contenderet, accepta aqua lauit manus coram populo, sicut putabat innocentiam suam professus. Sed quid lauisse manus profuit, illotam mentem habenti? Vos inquit, videbitis: Id est, considerate quidnam de eo futuri estis, & videte quid.

Et rñdēs vniuersus populus, dixit: † Sanguis eius sup nos & sup filios nostros.

Id est, si qua sumenda sunt pro sanguinis illius effusione supplicia, nos filiique nostri pendemus, & culpam, si qua in ea re est, præstabitimus.

Tūc dimisit illis Barrabā, Iesum autē flagellatū tradidit eis vt crucifigeretur.

Quidam dicunt sic de industria flagellari ipsum **C H R I S T V M** voluisse Pilatum: vt vel saltem eo supplicio contentus à morte eius procuranda abstineret. Quidam dicunt, moris fuisse morti damnatos prius flagellare.

Tūc milites præsidis suscipiētes Iesum in pratoriu, cōgregauerūt ad eū vniuersam cohortē. Et exuētes eū, chlamydē coccineam circudederūt ei: & plectētes coronā de spinis posuerūt super caput eius, & arundinē in dextera eius: & genu flexo ante eū, illudebant ei, dices: † Ave rex Iudæorū. Et expuētes in eū, acceperūt arūdinē, & pcutiebāt caput eius. Et postquam illuserūt ei, exuerūt eū chlamydē, & induerūt eū vestimēta eius, & duxerūt eū vt crucifigerēt.

Vel ex hoc loco manifestū est, tunc, non semper indicare tēpus rei, quæ tum fieret. Nam ex Ioannis 19. cap. apertum est quod simul atque milites Pilati iussu **C H R I S T V M** flagellauerunt, iis etiā opprobriis, quæ hīc Matthæus recitat, ei illuserūt: sicq; flagellatū & illusum, ac tam malè habitū, Pilatus populo representauit, vt ad cōmiserationem moueret, multisque rationibus, vt in Ioanne habetur, quod eum liberaret, cōtendit. Tandem verò turbarū vociferatione, ac Cæsaris metu victus, tradidit iis crucifigendum. Itaq; quod ante factum est, postea recitat Matthæus, quod frequens est in omnibus Euāgelistis: Sed & antea chlamydē coccineam circudederunt ei, in argumentum scilicet, maioris irrisionis: quasi senatus populūque Romanus illi vt regi inigne regnum misissent. Quos nanque Romani reges appellassent & salutassent, togam illis purpuream, quæ & picta dicebatur, dono mittebant. Chlamys enim coccinea vt ait Matthæus, purpurea vestis est.

† Mar. 15 c
Luc. 23. d
† *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem. Hic angariauerunt ut tolleret crucem eius.*

Simon iste gentilis erat, ex Cyrene quæ est in Lybia Africæ, Alexandri & Ruffi CHRIS-
TI discipulorum pater. Eum cum ferendo oneri crucis CHRISTVS non esset tot iam
afflictionibus & miseris delassatus, ad subeundum onus crucis, cum CHRISTO angaria-
uerunt, id est, coegerunt: DEI autem dispositione ita factum est, ut negligentibus CHRIS-
TVM sequi, crucemque eius post eum portare Iudæis, dignus inuentus est qui id faceret,
gentilitius Christianorum populus.

† *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluarie locus. Et de-
derunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset noluit bibere.*

† De poenit.
dist. 2. ca.
Citius.

Ioan. 19. d

Golgotha Syra vox est, ex Hebræa non nihil habes, & Chaldaica, quam Matthæus inter-
pretatur Caluarie locum. Ex quo loco Græcè scilicet doctus & Hebraicè Caietanus, argu-
mentum efficax sumit Matthæum Græcè scripsisse, & non Hebraicè: quasi verò vocem Sy-
ram Golgotha duobus Hebraicis nominibus explicare non potuerit, quæ interpret Græcus
Græcè Interpretatus fuerit. Consule Chaldaicos. Imò sequitur oppositum. Vt quid Hebræa
Græcis miscuisset, si Græcè scripsisset.

† Mar. 15. d

Luc. 23. c

Ioan. 19. d

† Psal. 21. c

Ioan. 19. d

† *Postquam autem crucifixi erunt eum, diuiserunt sibi vestimenta eius sorte mittentes.
ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta
mea, & super vestem meam miserunt sortem: & sedentes seruabant eum.*

Quod autem vestimenta CHRISTI sibi diuiserunt, suâ discordiâ & errore, regni que diui-
sionem figurauerunt futurâ. quæ autem vestis incôsutilis nõ diuiserunt, sed sorte super eam miserunt,
ecclesiæ cõcordiâ inter veros fideles, & apud hæreticos illusionem significauerunt. Vel vestimenta
diuisa scripturas sacras & ecclesiæ sacramenta significant, quæ per hæreses diuidi potuerunt,
& hac præcipue tempestate diuiduntur: sed tunica desuper contexta, charitas scilicet, quam
nemo adhuc diuisit, sed nec diuidere potest, quæ per totum Christianissimum contexta est
de cœlo à patre, & filio & spiritu sancto. Sacramenta enim hæretici sibi diuiserunt, & vix duo
probauerunt, charitatis verò vnitatem diuidere nondum potuerunt, & ideo recesserunt.

† *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est rex Iudæorū.*

Causa hoc loco, pro quo Græci habent *αὐτῶν*, accusationem significat. Ita nẽpè crimen, de
quo apud Pilatū Iudæi CHRISTVM accusauerunt, nẽpè quod se regem Iudæorum faceret.

† *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris & unus à sinistris.*

† Ioan. 2. d
sup. 26. f

† sup. 2. f

† Mar. 15. c

Luc. 23. e

† *Præterentes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah
qui destruis templū Dei, & in triduo illud reedificas. Salua temetipsum. Si fi-
lius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotū illudentes eum
cum senioribus & scribis, dicebant: Alios saluos fecit, seipsum nõ potest sal-
uum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confi-
dit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim, quia filius Dei sum.*

Mouere caput, apud Hebræos est subsannare aliquem, & aperte eum ridere: vt psal. 21. &
43. Significat etiam criminari. Iere. 18. ca.

† *Id ipsum autem & latrones qui crucifixi sunt cum eo improperebant ei.*

Quod à latronibus factum dicit Matthæus, cum ceteri à conuerso latrone obiurgatum
alterum dicant, hoc dicendum est, locutionem Matthæi more Hebraico, & synecdochicòs
sumendum

sumendum esse, latrones scilicet pro altero ex latronibus. Aut dicendum est ambos latrones
ab initio conuictos esse, sed altero plus iusto in iniurias & blasphemias prorumpente, alter
sub finem conuersus est.

† *A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram us-
que ad horam nonam.*

Iudæi diem ab ortu solis ad occasum auspicantur, more Babyloniorum. Proinde primam
horam dices à solis ortu hinc ad horam vnam, sexta verò circa meridiem, nonam circa ter-
tiam, & has vocant astrologi horas inæquales: ab hac igitur sexta factas esse tenebras dicit
Matthæus super vniuersam terram: quod nonnulli intepretantur super vniuersam terram
Iudæorum tantum, cum tamen textus habeat simpliciter super vniuersam terram: &
communis ecclesia sic teneat, præstat sic intelligere. Nec valet dicere quod si vniuersalis fuis-
set solis obtenebratio, de eo historici non tacuissent: quanquam non est necesse tam longam
fuisse vbiq; terrarum quàm Ierosolymis. Quapropter non aduersantibus multis & cre-
dentibus communem fuisse eclipsim, pauci de ea meminere: quanquam mentionem facit de
ea Dionysius Areopagita: asserens in Aegypto se ea atate eclipsim vidisse minimè natura-
lem. Eusebius quoque asserit quod tunc in Bitinia tenebræ fuerunt ita densæ vt stellæ vide-
rentur in cœlo circa meridiem. Paulus Orosius dicit tunc Romæ extitisse tenebras. Hiero-
nymus putat hanc solis obscuracionem virtute diuina factam, cum sol radios suos retraxis-
set, patiente verò sole, Origenes propter tenebrarum densitatem, quales per triduum fuere
in Aegypto sub Moyse.

† *Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, La-
maz abatani? Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.*

† Psal. 21. d
Mar. 15. e

CHRISTVS tanquam vulgaris homo inter vulgares homines vulgari lingua hoc est,
Chaldaica vel Syriaca locutus, qua communiter vulgò loquebantur Iudæi à regressu è Baby-
lonica captiuitate: qua lingua in cruce hanc querelam expressit: Eli, Eli, Lamazabatani,
quemadmodum habent vetusta etiam latina exemplaria. In quo fabrum oppugna, dicentem
hic CHRISTVM desperasse. Verum hic apud patrē quæstus est se in manibus impiorum
hostium ad omnem illorum libidinem derelictum à patre secundum hominem afficiendum,
quanquam volens spiritu omnia libenter perferret. In quo se DEVM & hominem euideter
probat. Quod autem Caietanus dicit, hinc esse argumentum Matthæum Græcè scripsisse, non
Hebraicè, quia interpretatus est Hebraica verba, dicens, hoc est: DEVS meus, Deus meus
vt quid dereliquisti me: Fiuolum est admodum istud, nec impugnatione dignū. Nam Græ-
cus interpres Matthei ex Hebræo in Græcum, ex officio interpretis verba illa Hebraica non
modo Græcè vertit, sed Hebraica seruanda esse duxit: Alioqui non seruasset allusionem eo-
rum qui dicebant: Eliam vocat iste. Qui quidem Gentiles cum essent, Hebrææque lingue
ignari, dum CHRISTVM Eli sonantem intelligerent, Eliam vocari putabant.

† *Et continuo currens unus ex eis acceptam sponsam impleuit aceto, & im-
posuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine, videamus
an veniat Elias liberans eum.*

† Mar. 15. f
Luc. 23. e
Ioan. 19. e

Quidam dicunt quod ad afflictionis cumulum, quispiam ex eis propinauit illi, acetum,
quanquam dici posset etiam quod commiserationis gratia dederit, ad accelerandam iam diu
languentis mortem. Gentilis enim erat iste, neque odio quemadmodum Iudæi mouebatur
in CHRISTVM. Certè Plutarchus recitat iam vulneratis acetum mortem accelerare.

† De cele-
bra Missa.
ca. In quadã
Mar. 15. e

† *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.*

Græcè est κρᾶζας. κρᾶζω autem vociferari significat. Cum ergo voce magna, id quod Lucas
recitat, clamasset: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, Id est, vitam fudit.

Luc. 23. f
Ioan. 19. e

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum.

Vide hic definitionem templi, vt explices quid sit velum. Erat autem illud velum inter sanctuarium & sanctum sanctorum, nec ociose scriptum est illud scissum esse, quod summa templi mysteria tegebat. Nempè vt indicaretur veteris testamenti arcana omnia, & mysteria prius abstrusa, C H R I S T I morte reuelata esse. Finis enim & perfectio legis est vt Paulus ait, C H R I S T V S. Similiter vt doceretur abrogatas esse C H R I S T I morte veteris legis ceremonias. De velo lege 3. Reg. 6. vnde pendeat.

† *Apoc. 6. c. Et terra mota est, & petra scissae sunt.*

Quamquam reuera ad literam, ita factum est, indicabat tamen commonendum Euangelica praedicatione vniuersum orbem terrarum, duraque & saxea peccatorum corda per poenitentiam scindenda.

Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terrae motu, & his quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.

Sic aperta docet Matthæus vt tamen mortuo C H R I S T O, & die mortis eius resurrexisset: quemadmodum petra scissae sunt, ita & monumenta sunt aperta: sed tantum die resurrectionis C H R I S T I corpora sanctorum resurrexissent, non amplius moritura. Ideo subdit: Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius. Neque enim verisimile est ante C H R I S T V M vi resurrectionis eius alios resurrexissent, cum ipse sit primitiæ resurgentium, cum ipse tertia die ab inferis rediens, fructus secum triduanæ peregrinationis viuentibus reportauit: & vt omnes eum ab inferis regredi crederent, testes secum ad superos, & pracones subactæ mortis exhibuit: qui tunc venerunt in sanctam ciuitatem Ierusalem, & apparentes multis narrauerunt quæ gesta erant. Ideo id quod dicitur corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, intelligendum per anticipationem dici.

† *Mar. 15. f. Luc. 23. g. Erant autem ibi mulieres multae à longè, quae secutae erant Iesum à Galilea ministrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedaei.*

Vide libellum de genealogia trium Mariarum, in fine libri Vita Christi.

† *Mar. 15. d. Luc. 23. g. Ioan. 19. g. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathia nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore Ioseph, inuoluit illud in scindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria sedentes contra sepulchrum.*

Arimathæa ciuitatis nomen est, quam & Ramatha fuisse dicunt, siue Ramathaim, ciuitas tribus Manasse separata Leuitis, & ciuitas Samuelis in Thamnitica regione montis Ephraim, procul ab Ierofolymis 20. Miliaribus. Græcè enim non per, id est, neque per, sed per scribitur: sic Arimathæa. Hinc erat Ioseph iste. Qui cum aperte ob Pharisæorum violentiam C H R I S T I se discipulum profiteri non auderet, arbitratus ipsius morte extinctum

inctum illorum odium, quod viuo præstare obsequium non audebat, mortuo impendit, impetrato scilicet à Pilato ad sepeliendum mortui corpore, quod munda syndone inuolutum in monumento suo nouo posuit: quod nuper in rupe excavauerat, magnumque saxum, ne quis corpus auferret, ad ostium aduoluit.

Altera autem die quæ est post Parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum, & Pharisei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi surrexit à mortuis: & erit nouissimus error prior. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam. Ite custodite sicuti scitis.

Cum parasceue sit præparatio ad festiuitatem paschatis, videtur hæc dies fuisse aut die paschæ, aut die sequenti: sed de hoc amplius considera. Ideo rogant custodiri sepulchrum. Pro custodiri est verbum Græcè *ἀσφαλιόνειν*, quod significat munire, & pessulo obfirmare. Petunt autem à Pilato vt militum præsidio muniat, quibus Pilatus ait: Ite, custodite sicuti scitis.

Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, & signantes lapidem cum custodibus.

Pro signantes Græcè est *σφραγισαίντες*. Id est, sigillantes lapidem, quem ad ostium monumenti Ioseph aduoluerat. Neque enim contenti mole illa lapidea, quam multi homines vix mouere poterant, publicum adhuc prætoris sigillum, apponi curauerunt vna cum militum custodia, veriti scilicet, ne corrupti milites lapidem auferrent, quem adhibito prætoris sigillo, ausi non essent auferre.

C A P V T V I G E S I M V M O C T A V V M.

C H R I S T V S absque sepulchri fractura resurgens custodes perterritus: resurrectionem suam per angelos mulieribus, & per mulieres discipulis ostendit: Iudæi vero data custodibus pecunia vt calarent, calare non potuerunt.



Esperare autem sabbati, quæ lucefcit in prima sabbati, & venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus enim domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.

Vide quomodo vespere sabbati incescere possit prima dies sabbati. Nempè quia vespere illius hebdomadæ nocte fortè media cum iam diluculum primæ diei lucefceret. quod Marcus dicit valde manè orto iam sole, Ioannes autem manè dicit: cum adhuc tenebræ essent: sub ipsa scilicet aurora, mulieres quæ feria sexta dominum fuerant secutæ, die sabbato parauerunt aromata, quæ die dominica attulerunt ad dominicum corpus vngendum. Angelum autem domini inuenerunt à patre missum, inuenerunt resurrectionem eius annunciantem, qui prius illius nunciauerat incarnationem.

Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim

† Mar. 16. c
Luc. 24. b
quod Iesum qui crucifixus est, queritis. † Non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite & videte locum ubi positus erat dominus. Et cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit: Et ecce praecedet vos in Galilaam. Ibi eum videbitis, ecce, praedixi vobis. † Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Et ecce Iesus occurrit illis dicens: Auete. Illae autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilaam: Ibi me videbunt.

Angelus à patre missus resurrectionis ordinem manifestat, reuoluto lapide, illi affidet, mulieres ad discipulos mittit vt de resurrectione fiant certiores: Ipsis autem euntibus occurrit illis dominus, & quae iusserat angelus, id ipsum & ipse iubet.

Quae cum abiissent, ecce quidam de custodibus, venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia quae facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à praeside, nos suadebimus & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudaeos usque in hodiernum diem.

Custodes miraculum confitentur, ad urbem conciti redeunt, nunciant principibus sacerdotum quae viderint quae facta conspexerint. Illi qui conuerti debuerant ad poenitentiam, & Iesum quærere resurgentem, perseuerant in malitia, & pecuniam ad vsus templi datam, vertunt in redemptionem mendacij. Hiero. Ibidem.

Undecim autem discipuli abierunt in Galilaam, in montem ubi constituerat illis Iesus.

Hunc montem non describit Euangelista, sed videtur esse Thabor inter montes Galilaeae celeberrimus, & transfiguratione, & orationibus CHRISTI laudabilis. In quo etiam praecleara veteris testamenti gesta referuntur facta in locis Hebraicis.

† sup. 11. g
Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens. † Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra.

Ex hoc apparet quod haec apparitio nequaquam facta est solis undecim, quia iam tum non dubitabant, cum iam confirmasset Thomam CHRISTVS. Quapropter putant nonnulli hanc apparitionem maximam fuisse de qua Apostolus 1. Corinth. 15. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. Nisi dixeris paruulam circa nonnulla fuisse in quibusdam dubitationem, quam illis in die ascensionis exprobrauit vt Marci vltimo. Nouissimè autem recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

† Mar. 16. c
32. 9. 4. ca.
Recurrat. 5.
His ita.
De consecra. dist. 4. cap.
Proprie. † Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecunque mandauimus vobis.

Ne putemus

Ne putemus inquit Hieron. leuia esse quae iussa sunt & pauca, addidit: Omnia quaecunque mandauimus vobis: vt quicumque crediderint, qui in trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quae praeccepta sunt. Hinc manifestum est quaedam praeter fidei articulos & baptismum seruari oportere, nec sufficere fidem, & baptismum, sed & consequenter exigi fidei & charitatis opera.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

Vel hinc patet duraturam vsque ad CHRISTI aduentum ecclesiam, cui se adfore promittit perpetuum non visibiliter sed spiritualiter: licet etiam corporaliter affuturus sit in iugi sacramento & sacrificio Eucharistiae, sed non visibiliter.

FINIS Annotationum in Mattheum.

INCIPIT EVANGELIUM SECUNDVM MARCVM.

Ioannes baptizans & praedicans in deserto poenitentiae baptismum, CHRISTVM cum turbis baptizat: CHRISTVS autem post ieiunium tentatorem deuincit, ac Ioanne in vincula coniecto discipulos congregat, daemonicum soluit, Petri socrum, & leprosum mundat.



nitium Euangelij Iesu Christi filij Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta.

Marci Euangelium epithome Matthaei est, ideo quae in Matthaeo dicta sunt illuc remittimus lectores: tantum declarabimus quibus in verbis non nihil importantibus à Matthaeo discedere videtur. Quasi initio dicere vellet: Ego ab Euangelizatione IESU CHRISTI, & à publica annunciatione eius, quae per Ioannem baptistam facta est, ordiri meam historiam volo. Sicut scriptum est in Isaia. Graeci codices habent *ἐν τοῖς προφηταῖς*, id est, in prophetis, scilicet Isaiae. 31. & 40. & Malachiae. 3. Id est, ab eo ordiar, scilicet, à CHRISTI angelo, & eius nuncio Ioanne, de quo scripserunt prophetae, & signanter Malachias, dicens:

† Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. † Vox clamantis in deserto: Parate viam domini, rectas facite semitas eius.

Vbi in Malachia habetur, faciem meam. Sed in propheta inducitur CHRISTVS de Ioanne, dicens: Mitto angelum meum, id est, nuncium meum ante faciem meam. Marcus vero veluti Deum patrem inducit filio loquentem, dicens: Mitto angelum meum ante faciem tuam.

Fuit Ioannes in deserto baptizans, & praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. † Et egrediebatur ad eum omnis Iudaea regio, & Ierosolymita & uniuersi: & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine confidentes peccata sua.

CHRISTVS in principio erat verbum, sed Ioannes vox fuit conuersans in deserto, despiciens homines, deferens vrbes, in solitudine quaerit CHRISTVM, quem ibi inuenit.

M iij

Hic baptizabat & baptismum prædicabat, & baptismum quidem pœnitentiæ in remissionem peccatorum, non dicit baptismum pœnitentiæ & remissionis peccatorum, neque enim peccata remittit, sed præparatio quædam erat pœnitentiæ ad baptismum CHRISTI, cuius erat remittere peccata. Et egrediebatur ad eum omnis Iudæa, in figurâ totius orbis concursus ad CHRISTVM, mediante baptismo & pœnitentiâ.

Et erat Ioannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel sylvestre edebat.

Contextis videlicet, vt verò simile est, ruditer in modum ciliciorum. Nam dicere quòd similem cum reliquis deserti incolis habitum gestaret, eodémque victu viueret, verum non puto: cum præter cæteros ab asperitate victus & vestitus CHRISTVS eum commendet. Locustas autem quas edebat, quidam animalia putant: quibus Aethiopes quosdam viuere ait Plinius lib. 6. cap. 13. fumo & sale duratis: Quidam summa arborum tenera, qualia pascuntur capræ, & vaccæ. Græci vocant ἀκρίβιας, indifferens ad locustas vel arborum cauliculos. Mel autem sylvestre quid sit vide Plinium & medicos. Colligunt autē illud apes sylvestres, & reponunt inter petras, vbi inuenitur, & scio me ibidem aliquando gustasse pluries.

† *Mat. 3. c.* *Et predicabat, dicens: Veniet fortior me post me: cuius nō sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. † Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos spiritu sancto.*

† *Ioan. 1. d.*
† *Ioan. 1. d.*
† *Act. 19. a*
† *Matth. 3. f.*

Hoc est maximæ humilitatis indicium, vt qui ab omnibus tanquam summus haberetur propheta, nec adhuc CHRISTVM viderat, tamen nondum se existimabat dignum seruitio eius: qui non erat dignus minimo famulatio eius, vt scilicet solueret corrigiam calceamentorum eius. Vbi videas eius superfluere, nisi dicere velles: cuius ipsius non sum dignus corrigiam calceamentorum soluere. Sed est Hebraismus sacris scripturis frequens. Quòd verò Matthæus simpliciter dicit: cuius non sum dignus portare calceamenta, expressius dicit Marcus, maiorem Ioannis humilitatem exprimens his verbis, procumbens, & corrigiam calceamenti soluere.

Et factum est in diebus illis, venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua vidit celos apertos, & spiritum sanctum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso.

Matthæus dixerat simpliciter CHRISTVM à Galilæa venisse, Marcus verò non tacuit urbē, scilicet Nazareth, in qua hætenus fuerat nutritus. Baptizatur itaq; CHRISTVS qui peccatū non fecerat, & tamen baptizatus vidit celos apertos, patrē audiuit loquentem.

† *Mat. 3. g.* *Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.*

† *Mat. 3. g.*

Græcus habet εἰ ἐνδοκίμαστος, id est, in quo mihi complacuit, in quo acquiescit spiritus meus & animus meus, quem probavi, tot enim modis vertit Budeus.

† *Mat. 4. a.*

† *Mat. 4. a.* *Et statim spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à satana.*

† *Luc. 4. d.*

Vbi dicit interpres expulit eum, Græcus habet ἐκβάλλει, id est, expellit, siue eiicit. Nec dubito quin spiritus sanctus, & non malignus eum egerit in desertum. Significat autem præstitutum à patre tempus quo mundum sibi per CHRISTVM reconciliaturus erat, iam præsens adesse.

Erátque

Erátque cum bestijs, & angeli ministrabant illi.

Græcè μετὰ τῶν θηρίων. Est autem θήριον venenata bestia propriè, quales fere sunt serpentes & viperæ. Vnde constat desertum istud, quòd fuit desertum Ioannis, vel pars illius deserti, cum vtrunque in Iudæa fuerit. Nam dicit Matth. cap. 3. Iesum venisse à Galilæa ad Ioannem in Iordanem baptizandum ab eo: deinde abiisse in desertum: Vnde cum audisset Ioannem traditum secessit in Galilæam. Quapropter verisimile est idem fuisse desertum Ioannis & CHRISTI. Cum ergo Marcus asserat desertum istud idem fuisse & Ioannis & CHRISTI, verum fuisse desertum incultum & horridum: in quo nimirum τὰ θήρια, id est, feræ & serpentes habitarent, verisimile est qui asperiores cultum ac victum sibi delegerat, etiam in abdita & horrida deserti loca secessisse: non vt quidam putat, proximè domum paternam habitasse, ac paululùm aliquando in desertum progressum ad prædicandum venisse: cum dicat Matthæus: quòd exibat ad eum omnis Ierosolyma & Iudæa, sed vellet ille veros eremicolas nullum in sanctis hominibus austerioris vitæ & cultus atque habitationis exemplum habere.

† *Postquam autē traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei, pœnitementi, & credite Evangelio.*

† *Mat. 4. b.*
† *Luc. 4. e.*
† *Ioan. 4. f.*

Lex & propheta vsque ad Ioannem, ideo postquam inclusa & absconsa est lex & propheta, nec præteritam habet libertatem, palàm profert Evangelium. Ideo in Galilæa Gentium venit CHRISTVS, iuxta Isaia vaticinium, non in Iudæam aut Ierosolymam. vbi euangelizauit regnum cælorum, quod neque lex, neque propheta vnquam euangelizauerunt, aut promiserunt. Et hoc Matth. 11. promisit. A diebus inquit, Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

† *Et præteriens secus mare Galilææ vidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes rhetia in mare, (erant enim piscatores) & dixit eis Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis rhetibus, secuti sunt eum. † Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes rhetia in navi, & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenarijs, secuti sunt eum.*

† *Mat. 4. e.*
† *Luc. 5. a.*

† *Mat. 4. e.*
† *Luc. 5. b.*

Vidit igitur Simonem qui nondum diceretur Petrus, quia nondum secutus erat Petrā, nec ideo tanto nomine dignus. Dicit enim eos rhetia in mare misisse, sed ante resurrectionem non dixit eos aliquid cœpisse, veruntamen vt caperent illū, imitantur absque rhetibus, quem cū rhetibus sequi non poterant. Alios inuenit non in solido stantes littore, sed in mari cum patre, cum rhetibus sed ruptis, nec igitur in illis quid capiebant, sed vt caperent illa fartiebant. Qui vt vocati sunt, secuti sunt eum.

† *Et ingrediuntur Capharnaum, & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. † Et stupebant super doctrina eius.*

† *Mat. 4. f.*
† *Luc. 4. c.*

† *Luc. 2. g.*
† *Mat. 4. e.*

Hoc est, in singulis sabbatis ingressus in synagogam, vel singulis diebus festis. Nam præter diem septimum sabbata dicebantur Iudæis, dies festi in quibus quiescerēt. Feriari oportebat in quamcunque illi feriam incidissent. Ingressus igitur synagogam, quo in loco scribæ & legisperiti populum legem docere solebant, docebat eos.

† *Erat enim docens quasi potestatem habens, & non sicut scribæ.*

† *Luc. 4. f.*

Græci habent pro potestatem ἐξουσίαν, quod significat ius, auctoritatem, & potestatem: magisq; hoc loco quadrabit auctoritatem quam potestatem. Auctoritatem enim sibi apud turbas pepererat, quod non scribæ, idcirco ad doctrinam eius stupebant: vulgò diceremus: *Comme ayant credit & autorité enuers le peuple.*

Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti ante tempus perdere nos? Scio quòd sis sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutefce, & exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exijt ab eo.

Spiritus ideo immundus dictus est, quòd omni vitiorum immunditiæ deditus sit. Vnus est qui loquitur, sed se & suos intelligit superatos. Exclamat autem: Quid nobis & tibi Iesu, &c. id est, quid nobis tecum est, vel quid nobiscum tibi commune est. Nihil enim cum CHRISTO commune habere volunt dæmones. Scit hic dæmon verum, & tamen non vult confiteri: quia ut Ioannis 8. *In veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est & pater eius. Ideo CHRISTVS illum iussit tacere. Vbi Græcus habet *φυσιοῦντι*: tanquam freno cohibere ne loquaris. Lucas hanc historiam tractans cap. 4. de hoc dæmonio dicit, quòd cum dæmonium hunc hominem proiecisset in medium, exijt ab illo, nihilq; illi nocuit. Sed si nihil illum læsit, ut dicit Lucas, quomodo eum discerpit, quòd ait Marcus, si discerpit quomodo nihil læsit: Caietanus interpretatur, quòd discerpit quidem non corpus, sed vires corporis. Dionysius ait: quòd dæmon quidem eum discerpit, sed egresso eo, huiusmodi afflictio diuina virtute cessauit. Et quòd Lucas ait: Nihil ei nocuit, idem interpretandum est.

Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se, dicens: Quid nam est hoc? quanam doctrina hæc noua: quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei: Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.

Quasi dicerent: quàm differens est hæc doctrina à doctrina Ioanis, & scribarum, utpote quòd illi solum doceant, hic verò etiam dæmones auctoritate eiicit, & doctrinam suam pluribus confirmat signis & miraculis.

† *Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis & Andree cum Iacobo & Ioanne. Recumbat autem socrus Simonis febricitans, & statim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit eam apprehensa manu eius: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.*

CHRISTVM alij pro focu Simonis deprecari iunt, & sanata est, nempe quòd CHRISTVS ob aliorum fidem sepius confert sanitatem, quando præcipue qui curantur sunt tandem credituri, ut patet de filia Chananæ, de paralytico & plurimis alijs.

† *Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & demonia habentes. & erat omnis ciuitas cōgregata ad ianuam. Et curauit multos qui vexabantur varijs languoribus.*

Matthæus dicit quòd omnes curauit, Marcus quòd multos: similiter quòd multa eiicit dæmonia, Matthæus verò, quòd omnes immundos spiritus eiicit. Vnde dicit:

Et demonia multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

Quoniam

Quoniam sciebant eum. Quidam Græci codices addunt, esse CHRISTVM, quidam non habent. Intellige autè quòd non simpliciter verabat ea loqui: sed quoniam sciebant ipsum esse CHRISTVM, & latere adhuc volebat: quia nondum venerat eius hora: siue etiam quia nollet ab impijs predicari: propterea non sinebat ea loqui, id est, se prædicare.

Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

Factis pluribus mirabilibus CHRISTVS, de his gratias patri acturus in desertum discessit, nos inde docens, si quando aliqua gratia digni gratias domino acturi sumus, hominum confortia fugiamus.

Et persecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum dixerunt: Quia omnes quærunt te. Et ait illis: Eamus in proximos vicus, & ciuitates: ut & ibi prædicem, ad hoc enim veni. Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & demonia eiiciens.

Lucas dicit abiisse eum in desertum: quòd autem clam Petro aliisque discipulis abierit, solus Marcus recitat. Verum quòd Petrus ceterique discipuli persecuti sint eum, solus ait Marcus, quòd verò turbæ Lucas refert. Et verisimile est quòd primò discipuli, & post eos turbæ quæsierunt eum: Ut autem sermonem confirmaret, à doctrina transit ad miracula, ut quos non attrahit fermo, attrahat miraculum, & firmet animum.

† *Et venit ad eum leprosus deprecans eum, & genu flexo dixit ei: Si vis potes me mundare. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam, & tangens eum ait illi: Volo: Mundare. Et cum dixisset statim discessit ab eo. Leprosus autem mundatus est. Et comminatus est ei, statimq; eiecit eum, & dixit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro mundatione tua quæ præcepit Moyses in testimonium illis.*

De hac historia vide Matthæi 8. qui tamen dicit hunc leprosum mundatum in descensu montis, antequam Petri focrum curaret. Marcus verò & Lucas post eam curatam, dicunt hunc mundatum Leprosum, non multum tempus curantes, quòd parum conferret historiæ. Vbi autem interpres dicit principi sacerdotum, Græca enim habent: *ἱερέα*, id est, sacerdoti.


† *Et egressus cepit prædicare, & diffamare sermonem, ita ut iam non posset introire in ciuitatem, sed foris in desertis locis esset, & conueniebant ad eum undique.*

Quòd iuterpres habet diffamare, & Græcè *δρακναιζεν*, intellige pro diulgare, siue rumorem in vulgus spargere. Nam & Ouidius dicit, adulterium diffamatum, pro in vulgum sparsum. Et Tacitus diffamatus à Nerone probrofo crimine, id est, eius criminis reus in vulgum iudicatus.

CAPVT SECYNDVM.

Sanato paralytico per tectum demisso murmurantibus scribis, sanum cum grabata emittit eum. Matthæum vocat, & suam cum peccatoribus conuersationem apud eundem excusat: Discipulos non ieiunantes & spicas fame pressi vellentes, apud scribas & phariseos murmurantes excusat.

† Matt. 9. a.
Luc. 5. d.



† *Iterum intravit Capharnaum post dies octo, & auditum est quod in domo esset, & conuenerunt multi, ita ut non caperet, neque ad ianuam, & loquebatur eis uerbum.*

Post dies, Græcè δὲ ἡμερῶν. δὲ uero Budæus aliquando vertit post ex Isocrate δὲ τριακοσίων ἑστών. post trecentos annos. & uetus lectio habet post dies octo: sed Stephanus cum in Græcis quæ nunc extant, non haberetur octo, temere rasit, cum nullus sit sensus: Intravit post dies, nisi indefinitè sumamus, id est, post dies aliquot: hoc est, præteritis aliquot diebus: ita ut non caperet, quidam codices habent caperent eos. Græcè tamen legitur ὅστε μὴ κέρι χερῶν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, id est, ut non caperet eos vestibulum, uel ianua. Nam τὰ πρὸς τὴν θύραν, locus est ante ianuam domus. Est autem vestibulum locus ante ianuam domus uacuum. Siquidem olim quibus ampliores domos habere licebat, ij ante ianuam locum relinquebant, qui medius inter uiam & fores domus esset: qui locus erat statio saluatorum. Ut Pilatus: Viden vestibulum ante ædes, & ambulacrum cuiusmodi? Tot autem conuenisse dicitur ad Iesum, ut eos vestibulum non caperet: puto autem interpretem scripsisse: ita ut non caperent eos, subaudi, neque ad ianuam, id est, neque ea loca, quæ circa ianuam & ante ianuam erant, at olim sciolus quispiam, cum nondum diphtongi scriberentur, putauit secundum quæ, superfluere.

Et uenerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus iacebat.

Cum non possent offerre eum illi. Græcè προσγγισαι ἀντὶ τοῦ, id est, ut non possent appropinquare illi. Interpretes uero magis sensum quam uerba retulit. Quod enim ad IESUM accedere optabant, erat ut illi paralyticum offerrent.

† Luc. 7. g. *Cum autem uidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de scribis sedentes, & cogitantes*
† Isa. 43. d. *in cordibus suis. Quid hic sic loquitur? blasphemat. † Quis potest dimittere*
† Ioan. 14. a. *peccata, nisi solus Deus?*

Cum dicit, ait paralytico, per parenthesis ista legēda sunt, neque enim uerba CHRISTI sunt, sed Euangelistæ, cum uero dicit blasphemat, Græcè est: τὸ εἶναι λαλεῖ βλασφημίας, id est, quid sibi uult quod iste tam blasphema loquitur? siue quia loquitur blasphemias? Interpretes legit pro βλασφημίας βλασφημεί, sine interrogante. & præposuit interrogationem τὸ βλασφημεί.

Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus uestris? Quid est facilius, dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, tolle grabatū tuū, & ambula?

In hoc conuincit eos in quo arguebant eum: quod uidelicet dimittere peccata, quod solius Dei est. Se igitur Deum patri æqualem probat, eorum agnoscendo cogitationes, & erigendo paralyticum: & utrunque coram eis agit.

† Matt. 9. a.
Luc. 5. c.
† Matt. 9. b.
Luc. 5. c.
Ioan. 5. b.
† *Ut autem cognoscatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimit-*
tendi peccata (ait paralytico) tibi dico surge, † tolle grabatum tuum, &
uade in domum tuam.
Quia remittere peccata occultum erat, ideo manifesta probatione egebat, ideo sua au-

thoritate

thoritate sanauit paralyticum manifestè, & uidentibus cunctis, sed ne fantasticum illud arguerent, iussit paralyticum tollere lectum in domum suam, ut uideretur sanis membris & solidatis ambulare.

Et statim surrexit ille, & sublato grabato, abiit inde coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: quia nunquam sic uidimus.

Quod dicit: Ita ut mirarentur omnes, Græcus habet ὡς ἐξίσταδι πάντας, quod uerbum paulo amplius significat quam admiror uel stupeo: scilicet præ admiratione non esse apud se: & quasi animo abalienari.

† *Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba ueniebat ad eum, & doce-*
bat eos. Et cum præteriret, uidit Leui Alphaei sedentem ad telonium, & ait
illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factū est cum accumberet in
domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu
& discipulis eius. Erant enim multi qui sequebantur eum.

Telonium Græcè τελώνιον, mensa est, aut locus publicanorum ubi colligunt uestigal, quod Græcè τέλος dicitur. Totam autem historiam uocationis Matthæi, uide Matth. 9.

† *Et scribæ & Pharisei uidetes quia manducaret cū publicanis & pecca-*
toribus, dixerūt discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus man-
ducat & bibit magister uester? Hoc audito Iesus ait illis: Nō necesse habent
sani medico, sed qui malè habēt. † Nō enī ueni uocare iustos, sed peccatores.

Hic scribæ & Pharisei quicquid CHRISTVS agat conuertunt in malum. Siue enim hic uideatur illis quid sinistrum egisse, cōqueruntur discipulis, ut inter hos & illū discordiā feminent, sicut si quid uideatur illis discipulos iniustum egisse, apud illum conuerunt, ut ab inuicem separent eos. Quibus CHRISTVS planè satisfecit, dicens: Medici ut plurimum sanos non frequentant, sed ægrotos. Ego autem non ueni nisi pro ægrotis, cuiusmodi sunt isti peccatores. Nec igitur mihi debetis indignari, si conuerter cum illis.

Et erant discipuli Ioannis & Pharisei ieiunantes, & ueniunt, & dicunt
illi: † Quare discipuli Ioannis & Phariseorum ieiunant, tui autem discipu-
li non ieiunant? Et ait illis Iesus: Nunquid possunt filii nuptiarum quandiu
sponsus cum illis est ieiunare? Quanto tempore secum habent sponsum, non
possunt ieiunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsum, & tunc
ieiunabunt in illis diebus.

Quasi diceret: Si tibi tanquam medico conceditur ægrotos ad curationem eorum frequentare & cum illis edere & bibere, quare concedis discipulis tuis comestationibus vacare, cum discipuli Ioannis & nostri sæpius ieiuent. Se igitur prius medicum, nunc autem sponsum in magna mysteria uocat. Hos enim multis poterat impropertis arguere peccatorum, quæ non secum patiuntur ieiunia. Vtpote inanis gloriæ cupidos, inuidos, omni repletos iniquitate, odio proximi, imò fortè & morti vacantes: quæ ieiunij fructum maxime impediunt. Ab hoc loco quidam ieiunandi modum aucupantur, ut vacarent ab hypocrisi, & inani gloria, scilicet, cum per mortem ab eis auferetur sponsum, quo præsentē nuptiis & non ieiunio uacandum est.

N

Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum novum à veteri, & maior scissura fit. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribit: Sed vinum novum in utres novos mitti debet.

De hac parabola & sequente, vide etiam Matth. 9. & quod ad literam attinet.

† *Mat. 12. a* *Luc. 6. a.* **† Et factum est iterum, cum dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius cœperunt progredi, & vellere spicas. Pharisei autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt discipuli tui sabbatis quod non licet?**

Discipuli fame compulsi, per sata transeuntes cœperunt spicas euellere & manibus terere vt ederent. Vnde indignati Pharisei, occasionem querelæ ex sabbato sumunt, ac si grâde opus fecissent, & **C H R I S T V M** alloquentes impropere illi discipulorum suorum irreuerentiam: quod scilicet sabbata non obseruarent.

† *1. Reg. 21. b.* *Mat. 12. a.* *Luc. 6. a.* **† Et ait illis: Nunquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit: Et esurijt ipse & hi qui cum eo erant, & intrauit in domum Dei, sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit, quos non licebat nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant.**

Sub Abiathar principe sacerdotum 1. Reg. 21. Narratur historia hæc facta esset sub Achimelech sacerdote, non sub Abiathar: sed cum Abiathar filius fuerit Achimelech, verisimile est ipsum tunc fuisse cum patre cum Dauidi panes propositionis dederit. Nam & Achimelech occiso mandato Saulis Abiathar, cum Dauide fugit, à quo postea princeps sacerdotum factus est. Quid autem sint panes & mensa propositionis, vide in Matthæo. 12. cap.

† *Mat. 12. a* *Luc. 6. a.* **† Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. † Itaque dominus est filius hominis etiam sabbati.**

Quasi diceret: Sabbati requiem & ocium ad hominis vtilitatem instituit dominus, & non contrâ, sicut etiam cæteræ hebdomadæ dies sabbatum præcedentes, ad hominis vtilitatem instituti sunt.

CAPVT TERTIVM.

C H R I S T V S restituta arida manu, secessit ad mare, quem vndique secuta est innumera turba, qui agris sanatis demonibus silentium imposuit, duodecim Apostolos elegit & eos ad prædicandum misit: scribarum blasphemias in eum latas coercuit, & parentes suos manifestauit.

† *Mat. 12. c*
Luc. 6. b.



† **† T** introiuit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam.

Hic autem animaduerte quod præter alios Euangelistas Marcus addit: Et circumspectans eos cum duodecim contristatus est super cæcitate cordis eorū. Vbi τὸ στυγερόν, quod interpret rectè vertit contristatus, Erasmus, malè condolecens, cum λύπη tristitiam significet: & cum prædixisset **C H R I S T V M** eos circumspectasse cum iracundia, rectè subdit **C H R I S T V M** indignatum & contristatum super cæcitate cordis eorum. Vnde sequitur:

Et obseruabant eum si sabbatis curaret, vt accusarent illum.

Mira cæcitas

Mira cæcitas superstitiosorum hominum absque scientia & prudentia: Quibus deerat quod Paulus dolet illis defuisse: Aemulationem quidem habent inquit, sed non secundum scientiam. Et Deutero. 32. * Gens absque consilio & sine prudentia, vtinam saperent & * Deut. 32. b intelligerent, ac nouissima prouiderent.

Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. Et dicit eis: † Li- † Luc. 13. c. cet sabbatis benefacere an malè? animam saluam facere an perdere? At illi 14. a. tacebant. Et circumspectans eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorū, dicit homini: Extende manū tuam: & extendit, & restituta est manus illi.

Statuto in medium egroto interrogat necessariam quæstionem, an videlicet beneficiendum sit an malè, an occidendus sit homo an à morte liberandus vel eripiendus. Cuius solutionem propter cæcitatem & inuidiam eorum, soluere non potuerunt: quæ tamen ex lege naturæ profecta est, ideo non sine causa contristatus est cum ira super cæcitate eorum. Vt eos palam confunderet, & coram eis & multitudine, manum integram sicut alteram restituit. Vbi autem habet interpret: restituta est manus illi, Græci addunt ὅτι ἡ εὐχὴ ἡ ἀλάθεια, id est, sana vt altera.

† *Mat. 12. b.* *Ioan. 10. d.* **† Exeuntes autem Pharisei, statim cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent.**

Herodiani quandam constituerunt sectam, quæ primùm prædicaret Herodem fuisse verum Messiam, vt pote qui rex institutus est Iudæorum primus alienigena, postquam ablatum est sceptrum de Iuda, & dux de scemore eius: cum quibus Pharisei inierunt consilium quomodo **C H R I S T V M** perderent, Græcè ὡς ἴσως, quod Erasmus maluit vertere per vt. At mihi videtur cum iam pridem deliberatum esset apud Phariseos, Herodianos & cæteros Iudæos de modo perdendi **C H R I S T V M**, magis inter se consultasse quomodo perderent eum, quàm vt perderent eum.

† *Mat. 4. g.* *Luc. 4. c.* **† Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, & multa turba à Galilæa, & Iudæa secuta est eum: & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem.**

Trans Iordanem Græci dicunt, καὶ πέραν τὸν ἰορδάνον. Similiter autè verterunt Erasmus & interpret: Et hoc modo sensus esset: quod turba illa secuta esset eum trās Iordanē. Quod nō puto: sed cum dixisset ἀπὸ τῆς ἰουδαίας, καὶ ἀπὸ ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς ἰδουμαίας, καὶ πέραν τῆς ἰορδάνου, Iterum supplendum ἀπὸ. scilicet ἀπὸ πέραν τῆς ἰορδάνου, vt **C H R I S T V M** secuti sunt etiam ab ea regione quæ est trans Iordanem.

Et qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat venerunt ad eum.

Græcè καὶ οἱ περὶ τὸρον καὶ σιδῶνα, mihi verti posse videtur, Tyrionum & Sidoniorū multitudo magna, quod aptius videtur quàm quomodo vertit Erasmus. & qui circa Tyrū habitabant & Sidonem, hominum multitudo magna. Cui de suo Erasmus addidit hominū: Et qui Græcè norunt, agnoscunt Atticam phrasim elegantem οἱ περὶ τύρον pro Tyrii.

Et dixit Iesus discipulis suis, vt in nauicula sibi deseruirent propter turbam, ne comprimerent eum.

Ita Græca habent καὶ εἶπον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἵνα τὸ λοιπὸν προσκαρτερῶν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον ἵνα μηδὲν ᾖ αὐτόν. Id est, iussit discipulos suos vt sibi presto semper nauicula esset: siue ne nauicula abef-

set ab eo propter turbam, ne eum præmerent. Videns enim affluentem vndecunq; turbam, iussit præsto semper adesse nauiculam, quò se premente turba reciperet. προσκαρτερῆν autem quo Marcus vtitur, interpretæque deseruire vertit, est incumbere, assiduúmque & multum in re aliqua esse, vt curatores operum inde non abscedentes.

Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent, quotquot habebant plagas.

Plagas interpres dicit quas Græcus μωτηας, quas morbos intelligit, quibus nos quasi flagellis quotidie cædit Deus.

† Luc. 4. g. † *Et spiritus immundi cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant, dicentes: Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.*

Vide CHRISTI mansuetudinem, qui manult gloriam suam occultari, quàm prauis etiam per prauos prædicari, ne prauos ad maiorem accendat insaniam.

† Mat. 10. a † *Et ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum. Et fecit vt essent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi demonia.*

Addit Lucas, quia exiit CHRISTVS in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum factus esset dies, vocauit eos ad se, & elegit quos voluit, quos & Apostolos nominauit, quibus dedit potestatem in corpora prius & exinde in animas, illos præcipuè ornando donis spiritus sancti: quæ Paulus enarrat. 1. Corint. 12. Et fecit vt essent duodecim cum illo. de hac vocatione duodecim Apostolorum, vide Matth. 10. cap.

† Mat. 10. a † *Et imposuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem*
Luc. 6. a. † *fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, † quod est filij tonitruui,*
† 93. dist. ca. † *& Andream & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, &*
Legimus. † *Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Chananæum,*
† *& Iudam Iscarioten, qui & tradidit illum.*

Nota autem quod dicit: Et imposuit Simoni nomē Petrus: quia tunc impleuit CHRISTVS quod apud Ioannem Petro promiserat, dicens: Tu vocaberis Cephas. Cephas enim Hebraica aut potius Syriaca dictio: petram & saxum significat. Boanerges autem, quo nomine vocatos dicit à CHRISTO Ioannem & Iacobum fratres, quod filios tonitruui interpretatur Euangelista, consule Hebræos vnde dicatur. Duos autem Iacobos distinguit ex nomine patrum: cum alterum Ioannis fratrem Zebedæi, alterum Alphæi filium nominat. Vide autem quis sit iste Alphæus. Similiter & Simones distinguit: Chananæum vnum à Chana Galilææ, alterum Petrum cognominās. Iudam autem fortasse ad differentiā Thaddæi, qui & Iudas nominatur, Iscarioten appellans, ab Iscara vico Galilææ.

Et veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non posset neque panem manducare.

Tanta enim ad eum turba affluebat & accurrebat, vt præ desyderio quod habebat prædicandi illis Euangelij, neque sumendi cibi occasionem sumere posset. Manducare enim panem Hebræi dicunt, pro eo quod est solitam refectioem capere. Tantam ergo confluisse turbam ait, quæ desyderio audiendi verbi conuenerat, vt ne CHRISTO quidem & Apostolis

Apostolis sumendi cibi ocium superesset. Nam dicere quòd tanta turba conuenerit, vt ne quidem alendæ panes sufficerent ἀποδοῦναι est. Tantum enim semel atque iterum turbas pauisse legitur CHRISTVS.

Et cum audissent sui, exierunt tenere eum. Dicebant enim, quoniam in furorē versus est. Et scribæ qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet: & quia in principe demoniorum eijcit demonia.

Græcè sic habetur, ἦν δὲ ἀνοήτους ὁ πῶς αὐτῶν. quod mihi quidem melius reddidisse videtur interpres, quàm Erasmus, vertens & cum audissent qui ad illum attinebāt. Suos enim affines & domesticos vocat, qui videntes eum cibi oblitum, relictis omnibus ad prædicandū currere exierunt, vt eum tenerent atque apprehenderent. Dicebant enim quoniam in furorē versus est. Sic enim interpres, & Erasmus verterunt verbum Græcum ἔβησεν, sicut vt alij legunt ἔβησεν, quod tamen verbum mihi hoc loco modestius vertendum videtur. Neque enim furor videri poterat, consueti cibi, aut oblitum aut negligentem ad prædicandū Euangelium currere, sed mentis tantum motio quædam, & ab alienatio videri poterat. Vnde vertendum putarem: mente ab alienatus est.

Et conuocatis eis in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam eijcere? Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dissipatur, non potest domus illa stare. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dissipatus est, & non poterit stare, sed finem habet. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem aliget, & tunc domum eius diripiet.

Hæc latius interpretata sunt. Matth. 12.

† *Amen dico vobis quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemia quibus blasphemauerunt: qui autem blasphemauerit in spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: quoniam dicebant spiritum immundum habet.*

De blasphemia in spiritum sanctum, vbi interpres habet: reus erit æterni delicti, Græcè est ἁμαρτία, id est, iudicij. Quapropter suo tempore aliter legisse interpretem oportet.

Et veniunt mater eius & fratres, & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum. Et sedebat circa eum turba: & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris querunt te. Et respondens eis, ait: Quæ est mater mea & fratres mei? Et circumspectus eos: qui in circuitu eius sedebant, ait: Ecce mater mea & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

Et hæc historia planè Matthæi 12. exposita est.

CAPVT QVARTVM.

CHRISTVS in nauis super mare sedens regnum cælorum quadruplici comparat semini, & lucerne palam ardenti, & sementi cui inimicus super seminat zizania, similiter & grano sinapis. Inde transiens mare obdormit, qui excitatus ventos sedat & tempestatem cum admiratione præsentium.

† Matt. 13. a.
Luc. 8. a.

† *T* iterum cepit docere ad mare, & congregata est ad eum turba multa: ita ut nauim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat, & docebat eos in parabolis multa: & dicebat illis in doctrina sua.

Docebat eos in parabolis multa non omnia, quoniam quidam similitudinum capaces erant, cæteri fanioris doctrinæ. Et ut eos in conspectu haberet, & illum etiam in facie viderent, ascendit in nauim, turba in littore audiente, & expectante. Hic autem locus cum parabola seminantis vsque ad locum: Nunquid venit lucerna, tractatus est Matth. 13. restant explicanda si qua sint ad literam.

† Matt. 13. a.
Luc. 8. a.

Audite, ecce exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud.

Hæc prima parabola auditores ad studiosè audiendum reddit attentos: cum semen non nisi in terra bona fructificare doceat. Dum verò dixit Exiit, Græcè est ἐξῆλθεν. Erasmus maluit in præteritum imperfectum vertere aoriston, dicens: Exibat. Mihi melius interpres videtur vertisse.

Aliud verò cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ: & quando exortus est sol, exæstauit: & ex eo quòd non habebat radicem exaruit.

Exæstauit Græcè dicitur ἐκκενύθη. κενύω autem licet æstare significet, tamè hîc fumi puto præ nimio calore arefcere. Aestare enim dicuntur, quæ habitū sudum, & calidū emittunt. Quomodo non seges quæ calidum non sudat præ æstu, sed arefcit planè.

Et aliud accedit in spinas, & ascenderunt spinæ, & suffocauerunt illud, & fructum non dedit.

Spinæ CHRISTVS exponit diuitias quæ sua sollicitudine animam pungunt, & lacertant, sed etiam plurima alia peccata non minus animum torquēt, vt inanis gloria, delitiæ, & vinolentia, quæ non minus quàm spinæ molesta sunt, & affligunt animam.

Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem & crescentem: & afferebat unum trigesimum, & unum sexagesimū, & unū centesimum. Et dicebat: Qui habet aures audiendi audiat.

Terram bonam CHRISTVS vocat animam his spinis carentem ne fructum suffocare, & ad messem peruenire nō sinant. Sicut enim pereuntium tres astruit differentias, inanes iuxta viam pusillanimes, in locis petrosis, & auaros inter spinas: sic in saluadis tres alias. Incipientium, proficientium, & perfectorum, siue nuptarum, viduarum, & virginum. Ideo quisque sui compos attendat cuius sit conditionis, vnde dicit: Qui habet aures audiendi audiat. Quasi diceret: Qui habet intellectum ad intelligendum, intelligat cuius sit vocacionis, an saluandorum an pereuntium.

† Matt. 13. b.
Luc. 8. b.

Ioan. 12. f.

Isa. 6. c.

Rom. 11. b.
Act. 28. d.

Et cum esset singularis, interrogauerunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam. Et dicebat eis: † Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia sunt: ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant, nequando conuertantur,

uertantur, & dimittantur eis peccata.

Græcè dicitur ὁ τε ἀρχὴν το κατὰ μόνους. Erasmus vertit: cum esse cœpisset solus: mihi melius videtur, cum esset solus. Aliquando enim soli esse incipimus, cum soli non sumus, vt pote paulatim discedentibus à nobis qui nobiscum erant: CHRISTVS autem solus, solis Apostolis parabolam explicare voluit, cum indigni essent reliqui.

Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? Et quomodo omnes parabolæ cognoscetis? † Qui seminat, verbum seminat.

† Matt. 13. c.
Luc. 8. b.

Cum hæc parabola admodum facilis sit & vulgaris, quam si non capitis, quomodo cæteras & quæ sum dicturus, & quæ dici possent capietis. Nonne verbum facile semini comparatur, quòd sint eiusdem vel proximæ rationis. Non igitur immeritò seminare dicitur qui prædicat: quia qui seminat, verbum seminat.

Hi autem qui circa viam, ubi seminatur verbum: & cum audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.

Græcè οὐκί δε εἶπεν δι πάρα τῶν δδόν ὅπως σω εἶρεται ὁ λόγος. Quid demonstret τὸ οὐκί, & τὸ οὐκί, non video. & ideo puto esse ecūpsim, vt supplendum sit: Qui autem seminantur hi sunt, qui scilicet circa viam seminantur. Et ideo vbi habetur κατὰ ὄταν, legendum εἰ ὄταν: sicut postea repetit οἱ ὄταν. Et sic sensus est Græcè οὐκί δε εἶπεν δι πάρα τῶν δδόν ὅπως σω εἶρεται ὁ λόγος, σπαρεντες. sub. εἰ ὄταν ἀκυσωσιν, &c. Id est, Hi verò sunt circa viam vbi seminatur verbum, seminati, qui cum audierint, statim venit satanas, &c.

Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: & non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione, & persecutione propter verbum confestim scandalizantur.

Hi autem sunt temporales Græcè πρόσημοι, id est, temporarij, siue ad tempus durantes, in quibus scilicet ad modicum tempus verbum Euangelij manet, sed non permanet, quia quanto facilè suscipit verbum, tanto facilè cum tentatur, reicit.

Et alij sunt qui in spinis seminantur: hi sunt qui verbum audiunt, & erumna seculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua cōcupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.

His locis seminantur, sumendum est tanquam si diceremus in quibus gramen seminatur. Nam & seminatur granum, & seminatur ager. Intelligendum ergo, ij qui super petrosa seminantur, hi in quibus super petrosa semen seminatur. Et ita de spinis dicendum, quæ cum deceptiones pariunt & cæteras cupiditates, non minus omne nociuum quærūt desiderium. Ideo sine fructu efficiuntur. Græcè ἀργὸς ὁ γίνεσθαι. Quod Erasmus vertit: Infructifer redditur qui si latinè loqui voluisset, Infructuosus dixisset, non infructifer.

Et hi sunt qui super bonam terram seminati sunt: qui audiunt verbum & suscipiunt, & fructificant, unum tricesimum, unum sexagesimum, & unum centesimum.

Hæc parabola pariter suprâ discussa est.

†^{Math. 3. b} Et dicebat illis: ^{Luc. 8. c} ^{II. c} ^{†^{Mat. 10. c}} ^{Luc. 8. c} ^{16. d} *Nunquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, quod non veniat in palam. Si quis habet aures audiendi audiat.*

Græci codices qui nunc extant, pro venit habent ^{ἔσται} id est, accenditur. vnde oportet interpretem suo tempore aliud legisse ^{ἔσται}, aut ^{ἔσται}, aut aliud simile. Nihil autem vult aliud ista parabola ^{CHRISTVS}, quam vt quæ illis patefaciebat arcana, si quando opus esset, in vulgus indicarent aut enunciarent. Quasi diceret: Ego vobis parabolarum mearum lucem accendi, id est, intelligentiæ lumen præbui, non vt sub modio ponatur, aut lecto, id est, vt maneat eius intellectus. Non enim est aliquid absconditum quod non manifestetur, id est, nullam ego vobis doctrinam abscondi, quam non manifestari velim, quodque vobis seorsum dixi, quod alij nondum capaces essent, volo vt palam aliis faciatis.

†^{Math. 7. a} Et dicebat illis: ^{Luc. 6. f} *Videte quid audiat. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adicietur vobis.*

Hoc est, videte, & attendite ad ea quæ me prædicante auditis. In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis, id est, si abundè atque auidè Euangelij verbum susceperitis, in ea remetietur etiam vobis: quia abundè etiam vobis ministrabitur, & adicietur vobis, plus scilicet quàm mensi fueritis. Hinc mihi Caietanus de Vio delirare videtur dicens, & explicans illud adicietur vobis, ait intelligitur tam in bono quàm in malo, hoc est, tam in præmio quàm in pœna. Nam tamen ^{DEVS} dixerit: ^{DEVS} secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus, quod in iudicio temporali obseruari solet, quoad fieri potest, in æterno tamen iudicio, ^{DEVS} nunquam adicit pœnam grauiorem delicto: Cùm ^{DEVS} vt aiunt theologi, supra condignum præmii, puniat autem citra.

Qui enim habet dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.

Hoc est, qui verbum meum fideliter retinuerit, dabitur ei illius cognitio, etiam cùm fœnore: Et qui non habet, id est, qui illud non retinet (Nam tenere & retinere ^{ῥεῖν} significat) etiam quod habet, auferetur ab eo, id est, ipsa etiam verbi cognitio auferetur ab eo.

†^{Mat. 13. b} ^{25. c} ^{De panit.} ^{Dum san-} ^{nam.} Et dicebat. [†] *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat. & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increſcat dum nescit ille. Ultrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. Et cùm ex se produxerit fructus, statim mittit falcem: quoniam adest mœsis.*

Regnum ^{DEI} hîc pro Euangelica prædicatione mihi sumi videtur: vt sit sensus: Quemadmodum agricolæ curæ nihil esse debet, nisi vt bene cultæ terræ bonam sementem committat, illa autem vel sine ampliori feminantis cura, primum herbam fructificat, deinde spicam, ac postmodum frumentum: deinde cùm maturuerit, falce demetitur: Ita cùm ^{DEI} verbum bene cultæ terræ, hoc est, ex cultis piorum animis diuina operante gratia, etiam si postea prædicatori agricolæ curæ non sint, ^{DEI} tamen gratia fructificant: Ita primaria prædicatorum esse cura debet, vt in bona ac bene culta piorum terra ^{DEI} verbum seminet, cætera ^{DEVS} sua prouidentia peraget, qui incrementum est daturus, si mysticè hoc placet exponere, vide vt piè ac religiosè id facias: mihi scholasticæ agentis, non vacat in istis ludere: cuius primum institutum est, literalem sensum explicare.

Et dice-

Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabola comparabimus illud. [†] Sicut granum sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terra, ^{†^{Mat. 13. c}} ^{Luc. 13. d} *minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra: & cùm natum fuerit, ascendit in arborem, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt possint sub umbra eius aues cæli habitare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.*

Hæc parabola ^{Mat. 13.} explicatur. Nisi quia interpres vertit aues cæli habitare, quod Græcè dicitur ^{ἡγετασκηνοῦν}, quod Erasmus maluit vertere per nidificare: quanquam non modo nidificandi gratia subter arbore aues habitent ^{ἡγετασκηνοῦν} verbo vsus est Marcus, quod frondosæ arboris rami sint veluti tabernaculum & tentorium.

Sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disse-

bat omnia. Prædixit quod turbis sine parabola non loquebatur, discipulis autem suis omnia disse-

[†] *Et ait illis in illa die cùm sero esset factum: Transeamus contra. Et dimittentes turbas assumunt eum, ita vt erat in nauis, & alie naues erant ^{†^{Mat. 8. c}} ^{Luc. 8. d} cum illo.*

Cum Græcè sit ^{ἔραν}, non dubito quin interpres verterit vltra, vel alia habuerit exemplaria: licet perparum varietur sensus.

Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens, & excitant eum, & dicunt illi:

Græcè ^{τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλεν εἰς τὸ πλοῖον}. vbi interpres noster ^{τὰ κύματα} accusandi casum fecit, suppositum ^{τὸ ἐπέβαλεν} fecit procella magna vēti, vt sit sensus, quod magna procella vēti immittebat fluctus in nauim: Erasmus ^{ἐπέβαλε} neutraliter sumpsit, cui suppositum fecit more attico, ^{τὰ κύματα}. vt sit sensus: quod fluctus irruebant in nauim.

Magister, non ad te pertinet quia perimus?

Græcè, ^{ὄμηλες σοι}. Id est, nihilne tibi curæ est? non est tibi curæ quod perimus?

Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutescere: & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna.

Comminatus est vento, Græcè dicitur. ^{ἐπετιμωσεν}, id est, increpauit ventum, siue obiurgauit siue imperauit vento.

Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: [†] Quis putas est iste, quia ventus & ^{†^{Mat. 8. g}} mare obediunt ei?

Græci addunt ^{ἔως}, id est, Quid adeo timidi estis? Quod vero subdit: necdum habetis fidem. Quidam Græci codices habent ^{ἔως}. id est, nondum, & sic bene vertit interpres. Alij habent ^{ἔως} quod Erasmus vertit: qui fit vt non habeatis fiduciam? Mihi melius

verti posse videtur, & commodius ad sensum: Nōne fiduciam habetis? vt sit sensus: Quid adeo timidi estis? non in me fiduciam habetis? Quæ verba non tam interrogatis sunt, quam increpantis. Budæus enim Demosthenicum illud *ἢ οὐκ ἀδύνατοι*, vertit: Nōne tu improbus es? Cætera patent Matth. 8.

CAPVT QVINTVM.

CHRISTVS trans fretum eiecit à daminiaco in porcos legione, reuersus est in terram suam: vbi hemorrhoiſſa sanata archiſynagogi filiam suscitauit.

† Matth. 8. d
Luc. 8. d



† T Venerunt trans fretū maris in regionem Gerasenorum.

Marcus Græcus similiter, & Lucas habent τῶν γαδανῶν. id est, Gadarenorum: & videtur interpres, ita transtulisse, vt patet in plerisque antiquioribus exemplaribus. Sed quia Matthæus habet hoc loco, γεργασηνῶν, id est, Gergessenorum, pro quo posuerunt Gerasenorum: ita hoc loco in Marco cū posuisset interpres Gadarenorum, arbitrati sunt reponendum esse Gerasenorum, quemadmodum Matthæus habet. Puto eandem esse regionem Gadarenorum, Gergessenorum & Gerasenorum, quæ est trans Genesar contra Galilæam, in qua est oppidum Gazara nomine, cuius meminit Iosephus: à qua regionem Gadarenorum Marcus & Lucas vocauerunt. Est & oppidum Gergessa, à quo Gergessenorum regionem Matthæus nominauit. Ergo illic pro Gerasenorum reponendum puto Gergessenorum.

Et exeunti ei de nauī statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpè compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset: & nemo poterat eum domare: & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapibus.

Matthæus duos ponit dæmoniacos. Marcus & Lucas vnus tantum meminerunt, vtpote eorum notioris, & maioris inter eos nominis, vtpote qui legio dicebatur, de quo multa formidanda dicunt, quem fortè alter sequebatur, & propterea illum præteriere. Cætera videbis Matth. 8. cap.

Videns autem Iesum à longè, cucurrit, & adorauit eum: & clamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi Iesu fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum ne me torqueas. (Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine isto.) Et interrogabat eum:

Nunc tantum explicemus ad literam: Quid mihi & tibi. Id est, Quid tibi mecum, siue quid mihi negocij exhibes aut molestus es: sumpta metaphora ab iis, qui ob res & facultates inter se lites habent, & controuersias. Nota autem quod hoc miraculo, cū dicit CHRISTVS: Exi spiritus immunde, multis simul imperat dæmonibus ac si vnicus esset, propter eorum imbecillitatem.

† Matth. 8. g
Luc. 8. e

Quod tibi nomen est? Et dicit ei: † Legio mihi nomen est: quia multi sumus. De legione quid sit, quem numerum contineat, vide Budæum de Assæ, & eos qui de re militari scripserunt, de quo melius tractabitur in Actis, vbi de legione militari agitur. Hinc est quod Aul. Gel. lib. 16. ca. 4. In legione inquit, sunt cæturiz sexaginta, manipuli triginta, cohortes

cohortes decem. Manipulus autem continet milites 25. Cohors, 50. manipulos. Centuria, centum milites: Mihi simpliciter legio hic sumi videtur pro numero magno, vt sit certus scilicet numerus pro incerto: aut etiam dæmon id significat, dicens: mihi legio nomen est, quoniam multi sumus.

Et deprecabantur eum multum, ne se expelleret extra regionem.

Hinc apparet affectus dæmonum esse ad diuersas regiones: sed vide vnde illis iste affectus, nisi fortè sicut diuersis patriis tutelares sunt genij & angeli, quos speciatim iuuat suæ regioni beneficos esse: ita etiam dæmonibus certæ regiones vexandæ permittuntur.

Erat autem ibi circa montem, grex porcorum magnus pasceus in agris. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus.

Nata est maligna dæmonum natura ad alteri nocendum, vnde ab eo quem vexant, exire nolunt sine dispendio aliorum, sine iactura scilicet porcorum, quos illorum potestati permittit ob delicta fortasse accolarum illius regionis.

Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo milia, & suffocati sunt in mari. Qui autem pascebant eos, fugerunt: & nunciauerunt in ciuitatem & in agros.

Vbi legimus magno impetu grex præcipitatus est in mare, Græci legunt, καὶ ὄρμησεν ἰς θάλασσαν κατὰ τὸ κρημνὸν. Erasmus vertit: Et ferebatur grex per præceps in mare. Deinde ait: Magno addidit interpres de suo. Mihi autem salua Erasmi pace, melius reddidisse videtur interpres Erasmo. Nam si interpres de suo addidit magno, vt putat Erasmus, quod tamen ego puto pro vero rei significato additum. Nam ὄρμησεν est vehementi studio & impetu ad aliquid ferri: Erasmus quoque de suo omisit impetu. Plus est autem impetu ferri ad aliquid quam simpliciter ferri. Et quod Erasmus vertit: ferebatur per præceps, interpres longè melius magno impetu præcipitatus est: cum ὄρμησεν aoristus sit, non præteritum imperfectum. Hoc adnotatum volui, vt docerem quanto studio carpendi interpretis, quem tamen docebo multis locis perperam carpisse: atque id quod carpere studebat perperam vertisse. Quod autè Erasmus vertit per præceps, Græcè, κατὰ τὸ κρημνὸν, melius verti poterat per præcipitia, & prærupta montis, loca mari adiacentia, scilicet per montium latera, vbi porci pascebant. Certè ferre aut ferri per præceps, Latinè dici non inuenio: bene præcipitem ferri & deferri, & dari in præceps.

Et egressi sunt videre quid esset facti: & venerunt ad Iesum: & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.

Quod dicit sanæ mentis, Græci addunt: τὸν ἐκμητότερον λεγόντα. id est, eum qui habebat legionem: Inuenerunt autem eum accolæ regionis sedentem ad pedes IESV, vt inquit Lucas.

Et narrauerunt illis qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat & de porcis. Et rogare cœperunt eum, vt discederet de finibus eorum.

Accolæ regionis CHRISTVM videntes, rogauerunt vt descenderet ab eis: quibus statim paruit, quandoquidem nec præsentia eius, nec doctrina digni erant.

Cumque ascenderet nauim, cepit illum deprecari, qui à demonio vexatus fuerat, ut esset cum illo, & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi dominus fecerit, & misertus sit tui. Et abiit, & cepit predicare in decapoli quanta sibi fecisset Iesus: & omnes mirabantur.

Græcè ἐμβαντός, id est, & ingresso I E S V nauim, cepit illum deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat, δαιμονιστής, quod bene vertit interpres: Erasmus contradicendi studio, maluit correptus, quamquam corripuntur plerunque à dæmone qui non vexantur: Iste autem admodum vexabatur, qui die ac nocte in monumentis erat & montibus clamans, & concidens se. Deprecabatur autem I E S V M ut esset cum illo. Græcè ἵνα ἢ μετ' αὐτοῦ, mihi aptius videbatur reddendum secum aut cum eo, quam ut interpretatus est Erasmus cum illo. Mihi autem ita verti posse videbitur locus, ut cum eo proficisceretur, & posthac in comitatu eius esset. Nam hic τὸ ἢ, venire puto ab ἰνυ, id est, vado. Quod autem sequitur: & non admisit eum, Græcè οὐκ ἔειπεν, quod Erasmus vertit, non permisit, rectè interpres rem ipsam expressit, dicens: non admisit eum, id est, non recepit eum in contubernium suum, rectè autem in confortium suum non admisit dominus, non tanquam indignum, sed malens eum manere ad instruendos suos, deique beneficia annuncianda: quod non ingratus diuini beneficii statim fecit: abiit statim in Decapolim, D E I beneficium annunciaturus. Est autem Decapolis regio decem ciuitatum trans Iordanem, ad Orientem Iudææ: cuius meminit Plinius lib. 5. cap. 18. & Hiero. de locis Hebraicis circa Hippum & Pellam, & Gadaram.

† Matth. 9. c
Luc. 8. f † Et cum ascendisset Iesus in nauim rursus trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

Græcè διαπεράσωντος, quod plerunque interpres vertere solet, transfretare, quod hic magis quadrabat.

† Matth. 9. d
Luc. 8. f Et venit quidam de archisynagogis nomine Iairus, & videns eum procidit ad pedes eius & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est: Veni, impone manum tuam super eam, ut salua sit, & uiuat. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

De sanata Iairi filia, & muliere Hemorrhoiſſa, Vide Matth. 9. & amplius in Luca tractabitur.

Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multum perpeſſa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat: sed magis deterius habebat: cum audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius: Dicebat enim: quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero.

Cum CHRISTVS ad archisynagogum iret vocatus, hæc mulier præuenit tot annis passa profluuium quot annis puella illa erat ætatis.

Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore, quia sanata esset à plaga. Et statim Iesus in semetipſo cognoscens virtutem quæ exierat de illo,

de illo, conuersus ad turbas aiebat: Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? Et circumſpiciebat videre eam quæ hoc fecerat.

Quia sanata esset à plaga, Græcè μάστιγος. Quod Erasmus mauult vertere à flagello, deterius puto quam interpres. Nam flagellum dici Latine non inuenio pro calamitate alicui obueniente, quomodo plaga pro calamitate & damno alicui superueniente sæpè ponitur, etiam si nullum sit vulnus. Nam decem μάστιγας αἰνῶντες, quas etiam Latini, decem plagas Aegypti nominat, fortasse non perperam, sed μεταφορικῶς, tamen flagella appellare possumus: quod iis veluti flagris ac virgis paternè primum castigare, atque ad meliorem frugem reducere Pharaonem voluerit dominus. A plaga ergo intellige à morbo suo.

Mulier verò timens ac tremens, sciens quod factum esset in se, venit, & procedit ante eum & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: Vade in pace, & esto sana à plaga tua.

Timebat mulier ac tremebat quasi furata fuisset sanitatem, cum se sentiret fanatam, & CHRISTVS maudiret dicentem: Nam & ego noui virtutem de me exiisse, ut addit Lucas.

Adhuc eo loquente veniunt nuncij ad archisynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua est: Quid ultra vexas Magistrum? Iesus autem audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere, tantummodo crede.

Serui itaque archisynagogi modicam fidem habebant in CHRISTVS, ita ut infirmitates & languores curare posset, (quod plerunque viderant & audierunt,) mortuos verò suscitare non posset, ideo dicebant: frustra vexas Magistrum, quia iam filia tua mortua est: quum nullum adhuc mortuum suscitasse ipsum audissent. Fidem tamè principis firmat, dicens tantummodo crede.

Et non admisit quenquam se sequi, nisi Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Et veniunt in domum archisynagogi: & vidit tumultum & flentes, & eiulantes multum. Et ingressus ait illis: Quid turbamini & ploratis? Puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum. Ipse verò eietis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingrediuntur ubi puella erat iacens.

Hos tres tanquam cæteris præstantiores solitus erat CHRISTVS secum assumere, utpote in trāsfiguratione, in horto Oliueti, ut etiam cæteris ansam daret illos imitandi: Ingressus autem domum archisynagogi, consolatur mœstos & flentes, qui quasi mortuam flerent, quæ tamen apud ipsum dormiebat, & quod etiam mortem tanquam somnum post quem sequeretur aliquando resurrectio, designaret, & qui dominus esset vitæ & mortis. Huc ergo ingrediens eiecit omnes præter parentes puellæ & tres coassumptos Apostolos.

Et tenes manum puellæ, ait illi: † Tabitha cumi: quod est interpretatū, Puella (tibi dico) surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. Erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret: Et iussit dari illi manducare.


Ignorant plerique an Hebraicè an Chaldaicè puellam significet, an proprium nomen puellæ fuerit Tabitha. Tamen Marci interpretatio, qui interpretatus est puellam, fa-

cit vt puellam putem significare. Apud Marcum enim inuenimus **C H R I S T V M** vulgari lingua ad puellam locutum **טליתא קומי**. Talitha cumi quod significat: Puella surge. Quod si Hebraico vsus fuisset sermone, dixisset: **קומי**. & non **טליתא**, quia voluit vt sermone, qui etiam à plebeis intelligeretur. Miror autem sciorum impressorum, qui cum in Græcis codicibus, Talitha haberent, statim Thabita reponendum putauerunt, non intelligentes dictiones Hebraicas longè secus à Græcis proferri quàm Hebræis, qui Mariam dicunt, quod Hebræi Miriam, Salomon, quod Hebræi schlomo. Præsertim cum Hieronymus ad Damachum dicat, Thabita verbum esse Syrum. Nota autem duo verba ista, tibi dico, non esse **C H R I S T I**, sed Euangelistæ vel interpretis, quemadmodum paulò antè quæ in sanatione paralytici dicta sunt: ait paralytico. Quod autem iussit illi dare ad manducandum, veram indicauit resurrectionem. Quemadmodum enim ipse ad faciendam suæ resurrectionis fidem, petiit ab Apostolis si quid haberent pulmenti, tunc obtulerunt illi partem piscis assi & fauum mellis, & comedit in probationem suæ resurrectionis, ita & huic puellæ, ne phantasma & illusio esse videretur.

CAPVT SEXTVM.

C H R I S T V S patriæ redditus, pauca admodum fecit miracula, Apostolos misit ad prædicandum: huius doctrinam & mirabilia. Herodes admiratus, credidit Ioannem quem occiderat, suscitatum. Rursus in desertum **C H R I S T V S** secessit, ex quinque panibus & duobus piscibus multa milia satiauit: reuersus super aquas ambulans, multos sedat fluctus, & tandem multos sanauit.

† Matth. 13. g
Luc. 4. c
Ioan. 4. f



† **E**gressus inde, abiit in patriam suam, & sequebantur eum discipuli sui. Et factò sabbato, cæpit in synagoga docere. & multi audientes admirabatur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph & Iudæ & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?

Non agrè tulit regredi Nazareth, vbi nutritus fuerat, quamuis se sciret illic habendum multis despectui, sed vt doceret eos, ita vt essent inexcusabiles, de quibus amplius Matth. 13.

Et scandalizabantur in illo.

Id est, offendebant in eum, sinistrè de illo cogitantes, ob generis eius ignobilitatem: in quo potius si sapuissent, erat gaudendum, quod patriam suam tot ornaret virtutibus, doctrinis & miraculis.

† Matth. 13. g
Ioan. 4. f
Et dicebat illis Iesus: † Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua.

Etiam apud quos propheta propter doctrinam & signa videbatur, despectui habebatur, imò apud domesticos, & consanguineos: qui eius inuidebant prosperitati & famæ.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere: nisi paucos infirmos impositis manibus curauit. Et mirabatur propter incredulitatem eorum: & circuibat castella in circuitu docens.

Quod

Quod autem non poterat virtutem vllam facere, id est, miraculum vllum, id erat non ex defectu potentie, sed ex subiecti indispositione. Sicut enim agens naturale non agit in passum, nisi bene dispositum, ita neque diuinum de potentia ordinata. Indispositi autem illi erant per defectum fidei. Et ita cum ad curationem duo præcipua concurrere debeant, & fides eius qui curatur, & curantis potestas: cum alterutrum deesset, æquum non erat, vt curationis munus exhiberetur.

† Et vocauit duodecim: & cæpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum. Et præcepit illis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona es, sed calceatos sandaliis: & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exatis inde. Et quicumque non receperint vos, nec audierint, exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis.

De vocatione & missione Apostolorum vsque adhuc locum: Et audiuit rex Herodes, vide Matth. 10. cap. Vbi verò dicitur in testimonium illis, Græci addunt: Amen dico vobis: Tolerabilius erit Sodomis & Gomorrhæis in die iudicij, quàm illi ciuitati.

Et exeuntes prædicabant vt penitentiam agerent, & demonia multa euiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur.

Cum dicitur & sanabantur, Græcè ἐθεράπευον. Id est, sanabant, scilicet Apostoli, non sanabant oleum, vti perperam intellexit Caietanus: qui ignorauit ἐθεράπευον hic esse pluralis numeri.

Et audiuit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat: quia Ioannes baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo: alij autem dicebant: quia Elias est. Alij verò dicebant: Quia propheta est, quasi vnus ex prophetis. † Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Ioannem, hic à mortuis resurrexit. Ipse enim Herodes misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.

De his vide Matth. cap. 14. De Ioanne verò baptista, sic habet Iosephus lib. 18. cap. 10. Antiquita. Iudaic. Apud Iudæos autem fuit opinio: Iusta vltione numinis deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui baptista cognominatus est. Hunc enim tetrarcha necauit virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum studia, & imprimis pietatis ac iustitiæ, simulque ad baptismi lauacrum: quod ita demum deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantum alteroue peccato abstineant, sed animis per iustitiam prius mundatis, addant & puritatem corporis. Cumque magni concursus ad eum fierent, plebe talis doctrinæ auida, Herodes veritus ne tanta hominis autoritas defectionem aliquam pareret, quod viderentur nihil non facturi ex eius consilio, iudicauit satius esse prius quam noui aliquid exoriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis seram penitentiam agere. Itaque vinctum in Macheruntem missum, illic occidi imperat. Quod factum secuta est Iudæorum existimatio, ab irato deo perditum esse Herodis exercitum. Hæc ille.

† Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris

O ij

tui: Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum: & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

Quoniam Ioannes Herodem arguebat quod Herodiadem fratris sui uxorem duxisset, Herodias eum odio habuit, & vitæ eius insidiabatur: Herodes autem non permittebat eum ab Herodiade occidi, quem sciebat virum iustum & sanctum, & ideo eum sæpius audiebat. Herodiadis tandem molestia victus, Ioannem incarcerationi non audens eum occidere propter populum, qui eum tanquam prophetam habebat. Et ideo vinctum custodiebat. Græcè *ἔσθ' ἠκούσθη*, id est, conseruabat eum, siue factum testem custodiebat.

Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cùmque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puella: Pete à me quod vis & dabo tibi. Et iurauit illi, quia quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.

O magnam dementiam, & quod natalem suam cum tanta pompa celebrare contendere & saltantem filiam adeo magnificaret, vt etiam regni sui dimidium vni saltui æquipararet: quod nemo nisi demens vnquam admitteret.

Quæ cum exiisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis baptistæ. Cùmque introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit, dicens: volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis baptistæ.

Iamdudum Herodias percita in Ioannem inuidia, tempus natale opportunum, quæ Ioannis necem dimidio regno præferrebat, filia caput Ioannis postulare consuluit, ne post exactum natalis conuiuium Herodem fortè promissi poeniteret.

Et contristatus est rex propter iusurandum, & propter simul discumbentes, noluit eam contristare: sed misso spiculatore, præcepit afferi caput eius in disco: & decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco, & dedit illud puellæ & puella dedit matri suæ.

Quod contristatus est rex, Græcè dicitur *ἐπιλυπώσας ἑαυτὸν*, quod multo melius vertit interpres quàm Erasinus, dolore affectus. Quod verò dicit: Noluit eam contristare, indubiè interpres legit *ἀποστρέψας*, quemadmodum habet Matthæus: Græca tamen quæ nunc extant, habent *ἀπέστειλε* quod aspernari significat, quasi dicat, noluit eam aspernari, ac contemptibilem reddere: quod facturus videbatur si promissa non præstitisset. Mihi aspernari magis proprium videtur quam reicere, nisi dicas, reicere postulata.

Quo audito discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.

Interpres legit *σῶμα*, id est corpus, constanter tamen omnes Græci codices habent *πτῶμα*, id est, cadaver.

Et conuenientes Apostoli ad Iesum renunciauerunt ei omnia quæ egerant

rant & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.

Hic locus iungendus est cum eo qui præcessit: Et exeuntes prædicabant, &c. Obiter enim decollati Ioannis narrat historiam. Docentur autem hoc Apostolorum facto, qui CHRISTO quidnam prædicando egerint renunciant, bono episcopo villicationis ac prædicationis suæ rationem reddere.

Erant enim qui veniebant, & redibant multi. & nec spacium manducandi habebant. Et ascendentes in nauim abierunt in desertum locum seorsum. Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedestres de omnibus ciuitatibus cucurrerunt illuc, & præuenerunt eos. † Et exiens vidit turbam multam Iesus: & misertus est super eos: quia erant sicut oves non habentes pastorem, & cepit illos docere multa.

Cùm tanta turba ad CHRISTVM afflueret, vt ne sumendi quidem cibi spacium ipse & discipuli haberent, iubet seorsum in desertum secedere, vt paululum ibi requiescerent, quò ingressi nauim abierunt. Græcè tantum est, abiit CHRISTVS. Sed intelligendum est cum suo comitatu, quod expressit interpres.

Et cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius, dicentes: † desertus est locus hic, & iam hora præterit, dimitte illos, vt exeuntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos quos manducant. Et respondens, ait illis: Date illis manducare.

Græcè, *ἦδη ἄρα πολλοὶ ἡμερῶν*. Galli dicerent, *estant desjà haulte heure*. Hanc autem historiam de satiatis quinque millibus, Vide Matth. 14. Quod autem ait in proximas villas, Græcè *εἰς τὰς κυκλῶ ἀγροὺς*, id est, in circumiacentes villas.

Et dixerunt ei: Eunt es emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare. Et dicit eis: Quot panes habetis? Ite & videte. Et cùm cognouissent, dicunt: Quinque, & duos pisces. Et præcepit illis vt accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum.

Ducenti denarij valent viginti coronatos, siue sex obolos, denarij autem 4. faciunt siclum & 25. sicli libram. 60. verò libræ, talentum.

Et discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos: Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in cælum benedixit, & fregit panes: & dedit discipulis suis vt ponerent ante eos. Et duos pisces diuisit omnibus. Et manducauerunt omnes & saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui manducauerunt, quinque milia virorum.

Græcè *ἀνέπεσον πρὸς τοὺς περὶ αὐτὸν ἀνὰ πέντε ἑκατὸν, καὶ ἀνὰ πέντε ἑκατὸν*, id est, discubuerunt per areolas, siue vt ita dicam areolatim centeni & quinquageni, ita vt aliæ areolæ caperent centum, aliæ quinquaginta. Gallicè *par bendes, cent à cent, & cinquante à cinquante*

autem significat areolam viridem siue viridiorum.

Et statim coegit discipulos suos ascendere nauim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, cum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos,

† *Matt. 14. c.* † abiit in montem orare.

Luc. 6. b

Ioan. 6. b

Iussit igitur discipulos cum fragmentis solos discedere, & ipsum trans fretum præcedere ut ipsi soli veritatem agnoscerent miraculi: & ut ipse ostenderet aliquando opportunum turbis immisceri, aliquando pro D E I seruitio separari.

Et cum sero esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando, (erat enim ventus contrarius eis,) & circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos ambulans supra mare: & volebat

† *Matt. 14. d.* præterire eos. † At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt: omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dicit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. Et plus magis intra se stupebant: Non enim intellexerunt de panibus. Erat enim eorum obcæcatum.

Prius erat præsens C H R I S T V S sed dormiens, & discipuli vexati sunt & agitati fluctibus, nunc vero absens est, & tamen iisdem agitantur fluctibus: ut cum essent imperfectiores, & ad perfectum tenderent, ipse licet dormiens præsens erat: cum vero profecissent & ipse abesset, neque eos absque consolatione modicum passes reliquit, ut & ipsi redderentur fortiores, & scirent dominum in necessariis semper affuturum. Neque enim adhuc erant perfecti, nec de panibus perfecte miraculum intellexerunt, nec C H R I S T I potestatem in multiplicatione panum agnouerant: propterea videtur dominus turbasse mare, ut vel sic agnoscerent eum.

Et cum transfret assent venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt.

† *Matt. 14. d.* † Cùmque egressissent de nauim, continuo cognouerunt eum, & percurrentes uniuersam regionem illam, cæperunt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre, ubi audiebant eum esse. Et quocumque introbat in vicus vel in villas aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum ut vel simbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

Vsu sæpius venit, ut plerique in summa rerum felicitate D E I erga se beneficentiam non agnoscant, qui demum plurimis attriti malis eum agnoscere incipiant. Hinc Apostoli tam euidentis miraculum cuius etiam fuerant participes non obseruantes permitti sunt aliquandiu fluctibus agitari, ut tandem dominum agnoscerent & plurimis aliis proficerent miraculis.

C A P V T S E P T I M V M .

Pharisæos arguentes discipulos quòd illotis ederent manibus consutat, hominum etiam traditiones diuinis aduersas reprobat, & qua hominem inquinant & qua non, declarat. Chananaa in precatione perseverantis filiam à demonio liberat, & surdum ac mutum sanat.

Et conueniunt



† *Matt. 15. a* T conueniunt ad eum Pharisei, & quidam de scribis venientes ab Ierosolymis.

Nec abs re Phariseos & scribas ab Ierosolymis venientes describit, qui cæteris essent ut plurimum nequiores: sicut plerunque contingit maiorum urbium incolas cæteris malitia præstare: licet à qualibet tribu eiusmodi Pharisei & scribae, & à qualibet vrbe Iudææ essent, & talem sectam profiterentur.

Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius cõmunibus manibus, id est, nõ lotis, manducare panes, vituperauerunt.

Quoniam in C H R I S T O nihil reprehensione dignum videbant, discipulos eius superstitutionis arguebant, quòd seniorum videlicet tradiones non obseruarent, sed communibus manibus manducarent. Commune enim Hebraei immundum vocant, quòd multa quæ à Gentibus tractare licebat, Iudeis non liceret: per quorum tactum & esum, immundi censebantur: propterea communes cibos, immundos vocant, sicut communes manus immundas dicunt, quæ videlicet, illotæ sunt. Itaque quorum vsus cæteris gentibus communis ac permixtus erat, sibi vero per legem aut traditionem interdictus, immundum censebant. Idq; cum aliis commune esset ac licitum, sibi illicitum, factum est ut τὸ ναῖος, & τὸ κοινὸν scriptura vsurpauerit pro immundo, & τὸ κοινὸν ac Latinum communicare, pro inquinare, cuius significati vsus tantum est in sacris. Sed & manducare panes Hebraismus est, pro, solitum prandium siue cœnam sumere. Vituperauerunt autem Græcè dicitur ἐπιτιμῶν id est, incusauerunt, vitio verterunt, conuesti sunt.

Pharisei enim & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, nõ manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro venientes nisi baptizentur, nõ comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruanda.

Vetus interpres dicit à foro venientes: & quia Græcè deerat venientes, quod tamen exprimens gratia interpres rectè addidit. Quidam verò sciolus librarius à textu veteris translationis expunxit, cum tamen relinquere deberet, adnotas ad marginem Græcis deesse, nisi studio textum nostrum corrumpere voluisset. Sensus ergo est huius loci, quòd Pharisei cum à foro redeunt, quo passim Iudæi permixti Gentibus cõueniunt: quoniam necesse est multa contrectare quæ Gentiles contingunt, quorum attrectatione immundos se putant: nunquam cibum sumunt nisi se abluerint. Id enim significat verbu baptizetur: quod plus significat quàm abluere. βαπτίζω enim significat immergere se, & totum corpus abluere: quod per hypocrisis faciebant Pharisei, ne qua videlicet corporis pars immunda remaneret ex contactu Gentiliorum, cum totam mentem sordidam haberet. Sed & alia multa tradita sunt à senioribus.

Baptismata calicum, & vrceorum, & aramentorum & lectorum.

Id est, ablutiones omnium poculorum quibus ad bibendum vtimur, & vrceorum, Græcè ἐσοτῶν. Sunt autem lignea pocula & vasa. Et aramentorum, id est, vasorum omnium quæ ex ære fiunt: cuiusmodi sunt lebetes, patellæ, & eiusmodi instrumenta. Et lectorum, Græcè κλιῶν. Quòd cum κλῖν, lectum significet vbi decubabant, similiter vbi accumbentes prandebant ac cœnabant, similiter etiam & mensam significat, pro quo significato hic commodius sumitur. Neque enim totum lectum vbi discumbebant commodè abluere potuissent, sed pocula & vasa omnia, similiter ac mensam, quæ ad vsu sumendi cibi apta erant, abluabant: & ut verba Marci vtat, qui baptismata dixit, plus indicans quàm simplices ablutiones. βαπτίζω id est, tota in aquam immergendo.

Et interrogabant eum Pharisei & scribae: Quare discipuli tui nõ ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

O iiij

Vide Matth. 15. vsque ad hunc locum: Et inde surgens abiit.

† Isa. 19. d. *At ille respondens dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, Baptismata urceorum & calicum, & similia his facitis multa. Bene irritum fecistis præceptum Dei, Ut traditionem vestram seruetis.*

Irritū fecistis: Græcè est in præsentī ἀκεραῖα, quod proprie significat repellitis, siue reiicitis.

† Exo. 20. c. *Moses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam: & Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri Corban, (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit: & ultra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: & similia huiusmodi multa facitis.*

Vbi dicit rescindentes verbum Dei, Græcè αὐτοῦτες quod etiam significat abrogates, siue antiquantes, & rescindentes eo significato, quo rescindere & ratū habere contraria sunt. Toto autem hoc loco communicare, & Græcè κοινῶν, significat inquinare.

Et aduocans iterū turbas, dicebat illis: Audite me omnes & intelligite: Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare: sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. Si quis habet aures audiendi audiat.

Q. d. Sordes manuum illotarum, non inquinant hominem, sicut neque manibus illotis sumpti cibi, quia nec animam tangunt, sed quod foedum est solum peccatum, quod animam immundam reddit & fordidam, & Deo displicentem.

Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli eius parabolam. Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare: quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes

† Matth. 15. c. *escas? Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Abintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furti, auaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.*

Hæc vitia satis nota sunt apud morales philosophos: & quædam eorum exteriora, quædam verò interiora, in Deum & in proximum.

Omnia hæc mala abintus procedunt, & communicant hominem.

Horum itaque vitiorum principia à concupiscentiis & corde oriuntur: & ea sunt quæ contaminant hominem, imò omnia animam, & eorum quædam corpus.

† Et inde

† Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim ut audiuit de eo, cuius filia habebat spiritū immūdum, intravit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier Gentilis Syrophenissa genere.

Hic Marcus addit quod alij non habent, quod latere voluit: sed non potuerat propter Chananzam, quam Syrophenissam appellat. Syrophenice autem est pars Syriæ, in qua est Damascus: quod ex ea parte esset in qua est Phœnicia.

Et rogabat eum ut dæmonium eijceret de filia eius. Qui dixit illi: Sine prius saturati filios. Non est enim bonum sumere panem filiorum & dare canibus. At illa respondit, & dixit illi: Utique domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc sermonē vade: exijt dæmonium à filia tua. Et cum abiisset domum, inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

Panis filiorum est, quo manducant qui merentur filios Dei fieri, qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt: qualem hanc CHRISTVS mulierem probat: & quia talem protestata est fidei, hanc dignam petitione CHRISTVS approbat. Itaque à CHRISTO meretur audire propter sermonem scilicet fidei & humilitatis, exijt dæmonium à filia tua. Et rediens domum inuenit filiam iacentem super lectum, quam dæmon ingrediendo, & possidendo, ita vexauerat, ut vix vel modico tempore quieuerat: & sic discedente dæmone quiescebat.

† Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilæe inter medios fines decapoleos: & adducunt ei surdum & mutum: & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait: Ephetha, quod est adaperire.

Vide quid sibi vult quod in curatione surdi miserit digitos in auriculas, & expuerit, & quid nobis innuat iste quem surdum & mutum Marcus appellat: qui non planè mutus fuit, sed tardè & egrè loqueus, ac linguæ impeditæ: quod significat verbum Græcum μωλύδωσ. Similiter Ephetha, quod alij proferunt Epphetha, alij. ΕΠΗΘΑ Ephphatha imperatiuus passiuus primæ coniugationis Chaldæorum: quod significat idem quod apertus esto, siue adaperire sicut interpres notat.

Et statim apertæ sunt aures eius: & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus predicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Homo rectè loqui dicitur, qui quæ Dei sunt, loquitur, nec quid in Deum vel proximum, sinistrè loquitur. Audit verò qui di&is obedit, ad interrogata rectè respondet, & iussis obedit. Reliqua apud Matth. reperies, cap. 15.

*Quatuor hominum milibus ex septem panibus paucisque pisciculis satiatis, signum
Phariseis negat: à quorum fermento discipulos arcet, cæcū illuminat, ac disci-
pulos super sua conditione rogat, quibus suam prædicat passionem,
& sequacibus suis pollicetur in regno suo mercedem.*

† *Matth. 15 d
Supr. 7. c.*



† *N* diebus illis iterum cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis: *Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficiet in uia: quidam enim ex eis de longè uenerunt.*

Miraculum de cibatione quatuor milium hominum satis tractatur Matth. 15. nec eadem est, cum ea quæ Matth. 14. de quinque milibus hominum, tractatur. vide ibidem explanationem. Quod autem dicit: triduo sustinent me, Græcè habetur *πρὸς μὲν ὅσιν ἡμεῖς*. Quod Erasmus vertit manent apud me: mihi melius videretur: perseverant mecum, quod melius interpreti consonat. Iam enim triduum, assidueque sustinebant intenti prædicationi. Non enim manebant apud *CHRISTVM*, neque apud eum hospitabantur, qui diuersorium nullum habebat proprium, vixq; sibi ac discipulis commodato sibi reperire poterat.

Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hinc saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turba discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent: & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi.

Nec innuitur *CHRISTVS* interrogauit quasi ignorans, sed vt euidentius monstraret quid esset factururus: discipuli verò tanquam solis assueti naturalibus, quæ naturalia sunt cogitant, nec possunt diuinæ virtutis gratiam cōsiderare. Ideo simile respōdent, quod prius, cum de quinque panibus quæstio fieret. Si quis allegoriam quærat, distributus turbæ panis super terram, ordo est militantis ecclesiæ, cui distribuuntur à discipulis *CHRISTO*, qui sunt prælati & sacerdotes, septem diuina sacramenta.

Et manducauerunt & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducauerant, quasi quatuor millia, & dimisit eos.

Sporta genus quoddam vasis ex fiscella contextum, idem quod apud Matthæum dicitur cophinum. Vide Matth. 16. cap.

† *Matth. 16. a
Luc. 12. g.*

† *Et statim ascendens nauim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. Et exierunt Pharisei, & cœperunt conquirere cum eo, querentes ab illo signum de cælo, tentantes eum.*

Pro Dalmanutha Matthæus dicit Magedan, Græci verò Magdala. Verisimile est illorum quodlibet cognomen esse illius regionis. Magdalum autem vrbs præclara inter lacum Genesar & montem Thabor sita: Pro conquirere, Græci habent *ἐπιζητεῖν*, quod significat altercari, quemadmodum sophistæ, & minus creduli solent. Altercabantur autem non credituri nisi signum

nisi signum de cælo æderet. De hac autem signi postulatione, vide Matth. 16. cap.

Et ingemiscens spiritu ait: Quid generatio ista signum querit? Amen dico uobis, si dabitur generationi isti signum.

Cum dicit si dabitur signum, Hebraismus est, pro non dabitur, vt Psal. * *Quibus iurauero in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

† *Et dimittens eos ascendit iterum in nauim, & abiit trans fretum.*

† *Matth. 12. f*

Quia tentatores erant, ideo responso indigni erant, propterea his relictis trans mare abscellit.

Luc. 11. d.

Ioan. 6. d.

Et oblitum sunt panem sumere: & nisi unum panem non habebant secum in naui. Et præcipiebat eis dicens: Videte & caute à fermento Phariseorum, & fermento Herodis.

Obliti sunt secum sumere qui sufficeret, panem: fortè fidentes miraculis quinque panum & septem panum. Fermentum autem vocat improbos mores peruersamque doctrinam Phariseorum, cum quibus Sadducæi & Herodiani societatem inierant ad perdendum *CHRISTVM*. De quibus & eorum fermento, dictum est Matth. 16.

Et cogitabant ad alterutrum dicentes: Quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Iesus: Quid cogitatis quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cecatum habetis cor uestrum? oculos habentes non uidetis? & aures habentes non auditis? nec recordamini quādo quinque panes fregi in quinque millia?

† *Ioan. 6. d.*

Matth. 16. b.

Luc. 12. d.

Tempus impropèrandi duplex expectauit: primum de duplici miraculo panum in quo nondum agnouerunt illum. Tum etiam vt eos solos argueret, ne coram multitudine eos cōfunderet, increpat itaq; eos ab omnibus sensibus, qui fidei cognitioni subferuire poterāt.

Et quot cophinos fragmentorū plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Quādo & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

Ea duo præcipue miracula impropèrat & in memoriam reuocat, quibus eius virtutem intelligere debuerant, & illum agnoscere. Quasi diceret: Quomodo hæc duo miracula panum non intelligitis diuinæ esse virtutis?

Et ueniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum: & rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogauit eum si quid uideret.

De hac curatione cæci solus Marcus loquitur. In qua pulchrè philosophatur Caietanus de suo addens, quod cæcus iste non fuerit cæcus à natura: cum tamen de eo scriptura nihil dicat. Et ideo quod ea quæ erant faciliora Iesus difficilius curat: utpote non solo verbo, sed adhibito aut tactu, aut alio extrinseco: quasi verò cæcum illum à natiuitate sputo & luto adhibitis curauerit.

Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes.

Græci habent: Video homines: quoniam velut arbores video ambulantes. Imperfectè enim videbat, nec verè sciebat an homines essent, quos videbat veluti arbores. Coniiciebat tamen homines esse quos ambulantes videret. Ambulantes autem non debet referri ad arbores: quoniam Græcum verbum *ὄρα* quod significat arbores, neutri generis est, & *παιδάριον*, id est, ambulantes masculini.

Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, ita ut clarè videret omnia.

Aliud legisse videtur interpres. Nam Græca habent: *καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέπειν*, id est: Et fecit eum respicere. Paululàm enim videre cœperat: cum verò rursus manus imposuisset, planè videre fecit.

Et misit illum in domum suam, dicens: Uade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris.

Cum vicum dicit, Græcè est, *κώμην*, quod significat vicum, oppidulum, villam, aut pagum. Græci codices tamen hîc variant. Quidam habent *μὴ εἰς τὴν κώμην εἰσελθῆς μὴ εἰπῆς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ*, id est, neque in vicum ingrediaris, neque cuiquam in vico dixeris. Noster autè interpres legit: *καὶ εἰς τὴν κώμην εἰσελθῆς μηδὲν εἰπῆς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ*, id est, & si vicu ingressus fueris, nemini dixeris, ne in vico quidem. Cæcum autè curaturus dominus extra vicum & pagum eduxit, nolens tunc eiusmodi miraculum innotescere: curatùmque in domum remisit. Quod si in se pagum rediret, vetuit cuiquàm miraculum indicare. Certè nulla causa videtur cur ab ingressu pagi *C H R I S T V S* eum arceret, qui fortasse pagi illius incola erat. Et si ingressum in pagum prohiberet, non subderet nemini dixeris in pago. Cur autem accepta à se beneficia aliquos *C H R I S T V S* voluit cælare, alios palàm prædicare, solus ipse nouit. Ideo altiori egent indagine.

† *Mat. 16. d. Luc. 9. c.* Et ingressus est Iesus & discipuli eius in castella Cæsaræ & Philippi: & in via interrogauit discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? Qui responderunt illi, dicentes: Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij verò quasi unum de prophetis. Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei: Tu es Christus.

Apostolos extra Iudææ fines educit, ut ab eis fidei cōfessionem liberam acciperet, ne inter Phariseos talem fateri formidarent. Et primùm rogat eos de opinione populari, non Phariseorum quos sola inuidia duci videbat: & inde super eorum opinione interrogat, ad quod Petrus tanquam ardentior primus respōdit: Tu es ille *C H R I S T V S*, & verus Messias hætenus expectatus. Matthæus addit, tu es *C H R I S T V S* filius Dei viui.

Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo.

Quauis in Iudæa palàm discipuli confiterentur *C H R I S T V M* esse Deum, prohibentur tamen ipsum inter gentes talem esse, donec tempus congruum adueniret prædicare, ut post sancti spiritus missionem ad hoc ipsos mitteret: & ut doceret humilitatem, & mundi principem falleret.

† *Mat. 16. g.* Et cœpit docere eos quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus & scribis, & occidi: & post tres dies resurgere.

Quoniam per mortem perueniendum erat ad gloriam, mortis periculū *C H R I S T V S* discipulos

discipulos docuit non esse formidandum, sed post mortem eius prædicandum, & illis subeundum.

Et palàm verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. Qui conuersus, & videns discipulos suos comminatus est Petro, dicens: Uade retrò post me satana, quoniam non sapi quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Palàm loquebatur Græcè *παρρησια*, id est, liberè & magna cum fiducia, ac manifestè siue quouis tegumento anuntiabat illis suam mortem & resurrectionem. Quem cum increpasset Petrus, & Petrum ipse increpauit, dicens: Uade post me fatana, q. d. Cur mihi aduersarius es, qui me paulò antè Dei filium confitebaris, sequere sententiam meam. Volens enim præire, scandalum mihi es.

Et conuocata turba cum discipulis suis, dixit eis: † Si quis vult me sequi, denegat semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam.

Hic seipsum denegat, qui quod fuit in peccatis solitum vitat in spiritus nouitate. Si fuerit superbus, fiat humilis, siluxuriosus, fiat castus, & sic de quacunque impietatis culpa: sed & quemadmodum *C H R I S T V S* ut saluam faceret animam nostram, animam suam & vitam exposuit: ita qui voluerit animam suam in futura saluare gloria, non formidet eam pro fidei tuitione & *C H R I S T I* amore ponere.

Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentū animæ suæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

Si folius animæ salutem præcipuè quærere oportet, quid proderit homini totum mundum lucrari & animam suam perdere: quandoquidem & mundus & omnia quæ in mundo sunt, mortalia & corruptibilia sunt, anima verò immortalis & incorruptibilis, & ideo horum delectatio & voluptas mortalis, animæ verò perditio supplicium cōsequitur perpetuum: propterea saluti animæ nihil comparandum, & vitæ eius æquiparandum.

† Qui enim me confessus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum cum venerit in gloria patris sui cum angelis suis.

Græci legunt *ὅς γὰρ ἀνὴρ ἐπαύξηνθη με*, id est, qui enim confusus fuerit in me, siue quem mei puduerit, sicut plerique legunt. Nec enim credere sufficit, sed & palàm *C H R I S T V M* eiusque fidem in necessitate confiteri, etiam vsque ad mortem & palàm prædicare, non obstante periculo mortis.

CAPVT NONVM.

C H R I S T V S coram tribus discipulis Moysè & Elia testibus transfiguratus est, sub Elia nomine suum præsignat aduentum, Lunaticum curauit, quem discipuli curare non potuerant, quibus passionem suam prædicat, & ordinem inter eos posuit, scandalum vitare præcipiens per abscissionem pedis & o. uli auulsionem.

† Mat. 16. g.
Luc. 9. d.

T dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hinc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

Matthæus dicit: donec videant filium hominis venientem in regno suo, quorum prope eadem est sententia, quæ ibi explicata est: tamē propter ea quæ ibi dicta sunt, quidam hunc locum intelligunt regnum Dei veniens in virtute: quidam intelligunt ipsam CHRIS TI resurrectionem, per quam verè regnare cœpit, de uicta morte ac diabolo, iam non vltra moriturus. Sed restat scrupus, cur diceret: Quidam, cum nulli antè mortui sint. Quare vel de extremo iudicio, ac de Ioanne Euangelista, intelligendus est hic locus: vel de vniuersali Euangelij publicatione, quæ facta est circiter vigesimum annū à passione CHRIS TI: quam quidā ex Apostolis ac discipulis CHRIS TI viderunt, quidā non, vtpote Iacobus Zebedæi, Stephanus, atq; alij multi. Alij ipsam intelligunt transfigurationē, in qua tres illorū viderunt Dei gloriā, in qua venturus est ad iudiciū.

† Mat. 17. a.
Luc. 9. d.
2. Petr. 1. d.

† Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem: & duxit illos in montem excelsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse, & erant loquentes cum Iesu. Et respondens Petrus, ait Iesu: Rabbi, bonum est nos hinc esse: & faciamus tria tabernacula: tibi unum, Moyse unum, & Elie unum.

Neque contrariū est Lucas, dicens: post dies octo, quia primum & postremum nominavit, hos autem Matthæus & Marcus omiserunt. Hos autem tres præ cæteris sicut & aliās, assumpsit, Petrum, quia præ cæteris diligebat eum, Ioannem, quia plus aliis diligebatur ab eo, Iacobum autem propter virtutum excellētiam, & in Iudæos zelum. Et in formam beatorum corpus suum ostendit, manens quidem in eadem figura & essentia, specie tamē eius in Dei & beatorum figura mutata. Et quia vulgus ipsum dicebat vel Moysem vel Eliam vel Ioannem, aut aliquem prophetarum, ideo voluit Moysem & Eliā præcipuos inter prophetas sibi assistere, & tanquam famulos & inferiores seruos sibi famulari: Moysem inquam qui mortuus erat, & Eliam qui nondum mortuus est, vt se mortis ac vitæ dominū assereret.

Non enim sciebat quid diceret: Erant enim timore exterriti.

Nam si tria condidissent tabernacula, quæ fuisset vtilitas, & quomodo condere potuissent, quibus summa paupertas esset, & inopia.

Et facta est nubes obumbrans eos. Et venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus, audite illum. Et statim circumspicientes neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum.

* Psa. 103. 4. Et merito nubes apparuit circundans eum, de qua dicitur Psalm. 103. * Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulat super pennas ventorum. A qua quidem nube pater filii suum contestatus est sicut prius in baptismo eius.

† Mat. 17. c. *† Et descendit illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quod viderent, narrarent, nisi cum filius hominis à mortuis resurrexerit.*

Frustra enim ista narrassent, quia vix persuadere potuissent, nisi prius visā eius post passionem

passionem resurrectione. Et iterum Phariseos & cæteros eius æmulos magis in eius inuidiam exacerbassent & excitassent.

Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cum à mortuis resurrexerit. Quid ergo dicunt Pharisei & scribæ: quia Eliam oportet venire primum.

Quod resurrectionis suæ meminerat, quam non ante aduentum Eliæ fore putabant. Ideo conquirent inter se Græcè οὐκ ἔπιθυμοι, id est, altercantes, & disputantes inter se quid illud esset, cum à mortuis resurrexerit, id est, quid sibi illa verba vellent. De hac autem disputatione, Vide Matth. 17.

Qui respondens, ait illis: Elias cum venerit primò restituet omnia. Et quomodo scriptum est in filium hominis vt multa patiat, & contemnatur. Sed dico vobis quia Elias venit, & fecerunt illi quæcunque voluerunt) sicut scriptum est de eo.

Vt multa patiat & contemnatur, id est, quemadmodum de filio hominis scriptum est, fore vt plurima tolleret, & despectui habeatur, supplenda est hoc loco tam Græcè quam Latine eclipsis, scilicet, ita fiet, aut quid simile. Deinde probat fore vt multa patiat: Sed dico vobis quia Elias venit, & fecerunt illi quæcunque voluerunt, sicut scriptum est de eo, id est, quemadmodum scriptum erat: Elias, id est, Ioannes in spiritu Eliæ veniet, quem occiderunt: ita sicut de filio hominis scriptum est fore vt multa patiat & contemnatur, sic fiet. Nam quod hic scribitur: sicut scriptum est de eo, referri nō debet ad id quod immediatè præcessit: & fecerunt ei quæcunque voluerunt, quod per parentheses legendum est. Sed ad illud Elias venit, sicut scriptum est de eo. Nam Ioannis mortem prophetatam non legimus.

† Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis.

Veniens à monte cum tribus discipulis, coram quibus transfiguratus est, reperit reliquos nouen, quos apprehenderant Scribæ tentātes subuere illos, & auertere à sequela CHRIS TI, cū quibus disputabant de CHRIS TO & eius virtute: vnde dicit conquirentes cum illis, quod Græcè dicitur οὐκ ἔπιθυμοι, id est, altercantes & disputantes cum illis.

Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est, & expauerunt: & accurrentes salutabant eum.

Græcè tantum est ἐξεθαύμαστον, id est, obstupuit, & accurrentes salutabant eum. Hoc insolitum turbæ facimus, solus vt pleraque recitat Marcus, arbitrandum est ex domini transfiguratione reliquias diuini illius splendoris in vultu eius apparuisse, vnde attonitæ turbæ accurrere, & eum salutare cœperunt.

Et interrogauit eos: † Quid inter vos conquiritis? Et respondens vnus de turba, dixit:

Græcè pro eos est γραμματεῖς, id est, Scribas. Interpres legit αὐτοῖς, id est, eos, vt intelligas de scribis & discipulis inter se altercantibus. Pro eo verò quod Interpres vertit: Quid conquiritis inter vos? Interpres legit ἐαυτοῖς, Græca habent αὐτῶν, id est, quid altercamini cum illis? Nihil autem refert quod ad sensum attinet, vtrum legas: quid altercamini cum illis, an quid altercamini inter vos, vel inuicem.

Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubi-

cunq̄ue eum apprehenderit allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arefcit. Et dixi discipulis tuis ut eijcerent illum, & non potuerunt. Qui respondens ei dixit: † O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quandiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum.

† Mat. 17. c.
Luc. 9. c.

Cum non istum CHRISTVS interrogaret, sed aut scribas & discipulos simul altercantes quid inter se altercarentur, bene pro omnibus respōdet Lunatici pater, qui illis altercandi causa fuerat. Cum enim Lunaticum discipulis curandum obtulisset, neque curare illi potuissent, dubium non est quin de hac impotentia præcipuè altercarentur Scribæ cum discipulis. Et ideo non ad patrem Lunatici, non ad discipulos, sed ad perucaces Scribas sermonem vertit dominus: de quo & Lunatici miraculo, & toto contextu Marci, vsq; ad hunc locum. Et inde profecti, vide Matth. 17. d.

Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: Et frequenter eum in ignem, & aquam misit ut eum perderet. Sed si quid potes adiuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illis: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Conturbauit illum Græcè dicitur ἐκταράσσει, id est, discerpfit. Interpres legisse videtur ἐταράσσει, id est, deturbauit, conturbauit. Elisus in terram, Græcè dicitur: ἐπίσσω, id est, cadens in terram volutabatur. Sed sinebat eum CHRISTVS tanta pati, vt pater eius postquam sanum videret filium, agnosceret à quantis calamitatibus videret liberatum filium, confiderato tempore infirmitatis, & periculis quibus subiectus fuerat.

Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. † Et cum vidisset Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exijt ab eo, & factus est sicut mortuus: ita ut multi dicerent: quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.

† Mat. 17. c.

Cognita patris fide, quam voluntati conformabat diuinæ, iussit abire dæmonem, & respiscere dæmoniacum. Vnde clamans spiritus amplius puerum vexabat, quia coactus ab eo recederet. Puerum verò quasi mortuum reddidit, vt magis admirandum redderetur miraculum, quo non solum Lunaticum curat, sed & ipsum fuscitare creditur.

Et cum introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eijcere eum? & dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.

CHRISTVM interrogant, ne forte perdidissent, quam dominus illis prius contulisset virtutem. Oratio autem mentem à terrenis, quibus innititur dæmon, ad celestia erigit, ieiunium verò cerebrum à fumis & vaporibus à stomacho ascendentibus vacuat, quæ maximè mentem perturbant, illamque confundunt. His igitur iunctis mens à talibus phantasmatis redditur libera.

† Et inde

† Et inde profecti prætergredebantur Galilæam, nec volebat quenquam scire. Docebat autè discipulos suos, & dicebat illis: quomodo filius hominis tradetur in manus hominum, & occidetur, & occisus tertia die resurget.

† Mat. 17. d.
Luc. 9. c.

Græcè παρερηγόρευον, παρὰ autem in compositione cum significet clam, significare potest hoc loco, quòd clam per Galilæam iter facerent. Vnde & Marcus subdit: nec volebat quenquam scire.

At illi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum. † Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter se disputauerant quis eorum maior esset.

† Mat. 18. a.
Luc. 9. f.

Id est, ignorabant quid illud esset quod de morte sua & resurrectione CHRISTVS illis dixisset. Miror autem hoc loco Caietani ignorantiam, qui totam hæc sententiam superfluere dicit, neque Græcè haberi. Sed excuso hominis ignorantiam: qui ne Græcè quidè legere nouerat. Fortasse consulto reus, Aldinum tantum exemplar habebat, vbi sententia illa deest: cum cætera exemplaria, tam impressa quàm manu descripta habeant. Magis miror librarium quendam audaculum expunctionis notam, sententiam illam conclusisse: tanquam Græcis deesset. Nec certè superfluit, quod Lucas 9. ca. addit. Quasi diceret CHRISTVS, vt plerunque superius: Ad hoc filius hominis venit vt per mortem & resurrectionem suam mundum viuificet. Quod verbu Dei dispensatione ignorabant, tanquam adhuc minus prouecti, vt nec ad diuinum adhuc possent mysterium peruenire. De morte nõ dubitabant, genus verò mortis ignorabant, & resurrectionem minus tanquam inauditum credebant. Interrogati verò à CHRISTO præ pudore quasi iam conuicti, tacebant.

Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Siquis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset, ait illis: Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscepit, sed eum cui misit me.

Quoniam audierant regni cælorum clauis Petro missas & rursus ipsum cum Iacobo & Ioanne assumptum tanquam à secretis domini, inde cœperunt inter se de primatu cõteri, quasi arbitantes illos tres cæteris præferendos, vel saltem Petrum aliorum prælatum. Quorum ambitionem humilitate curare contendit, puerorum exemplo.

Respondit illi Ioannes, dicens: Magister, vidimus quendã in nomine tuo eijcientẽ dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Iesus autem ait: Nolite prohibere eum. † Nemo est enim qui faciat virtutẽ in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. Qui enim nõ est aduersum vos, pro vobis est.

† I. Cor. 12. a.

Hoc Ioannis factò & CHRISTI responsione, docemur primùm in primitiua ecclesia etiam improbos in CHRISTI nomine miracula fecisse, dæmoniaque eiecisse, nimirum vt latius celeriusque CHRISTI potentia innotesceret: cuius inuocatione à ministris etiam suis dæmon exire compelleretur. Nihil ergo mirum si nunc etiam ab exorcistis sacerdotibus, indignam Christiano vitam degentibus, in CHRISTI nomine dæmones adiuventur, & exire compellantur. Secundo docemur neminem esse prohibendum qui CHRISTI gloriam ac fidem promoueat, quantumcunque perperam ille viuat. Quod & nos docuit Paulus ad Philippenses, 1. dicens: *Quidam propter inuidiam & contentionem, qui-

* Phil. 1. b.

dam autem & propter bonam voluntatem CHRISTVM prædicant: Deinde subdit: Quid enim dum omnimodo siue per occasionem, siue per veritatem CHRISTVS annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Arguit CHRISTVS à minori ad maius, quòd si quis aquam in nomine Dei dederit, mercedem & temporalem & æternam mereri poterit, quanto si panem vel vinum, aut rem maioris æstimationis digniori & maiori mercede dignus efficietur, & erit. Hoc autem Matth. 10. planius interpretatur.

† *Mat. 10. g. Et quisquis scandalizauerit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur. Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam. Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, eijce eum: Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Hieron. ibidem. Rectè igitur qui scandalizari potest, pusillus appellatur, quia magnus quicquid patitur, non declinat à fide. *Secundum ritum prouinciæ loquitur de mola asinaria, quo maiorum criminum ista apud veteres Iudæos poena fuit: vt in profundum, ligato saxo ad collum rei demergerentur. Sensus igitur orationis est: Expedi, id est, multo melius est pro culpa breuem poenam sustinere, quàm æternis seruari cruciatibus. Quàm autem scandala cauere debeamus, insinuat, & imprimis eos qui scandalizant, cum parum distet in vitio fallere vel falli: Scandalizat autem qui dicto vel facto minus recto occasionem dat ruinæ. Quod autem manus, pedis, oculiue scâdalum vitare iubet, non de membris corporis intelligit, sed vel de cognatis, amicis, vel ministris, vel de his cum quibus iniquam degunt vitam, qui membrorum vice communicantur: quos vitare tenemur, si nobis peccati periculum afferant, & cum quibus absque peccato conuiuere non possumus, absque quibus fatius est vitam ingredi perpetuam, quàm cum illis, ignem æternum. Hic autem ignis ardorem poenæ inferni extrinsecus aduenientis designat: vermis verò poenam conscientia intrinsecus mordere non cessantis.

† *Dist. 43. c. Omnis enim igne salietur, & omnis vittrina sale salietur. Bonum est sal: quòd si sal insalsum fuerit, in quo illud condietis. Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.*

Quæ enim victima sale salitur, vermis putredinem arcet: quæ verò igne sale asperso, carnem quoque sale consumit. Sal ergo dulcedinem sapientia, ignis spiritus sancti gratiam designat, & quemadmodum iuxta legem omnis victima sale conditur, sic oportet omnia facta, quæ accepta speramus futura, quasi gratam victimam, diuino sale condiri. Quod autem dicit: habete in vobis sal, & pacem habete inter vos, ad id spectat quod prius discipuli inuicem super primatu disputarent: neque enim maior rerum oritur perturbatio, neque grauiora nascuntur scandala, quàm vbi præesse homines inter se contendunt. Quod vt discipuli inter se

ter se vitent, & curent maximè humilitatem, hortatur eos dominus. Neque abs re salis vitur similitudine. Salis enim est conseruare salita ne putrescant: Ita igne tribulationis saliri oportet electos, ne per prosperitatis elationem putrescant. Et omnis inquit victima sale salitur, id est, quemadmodum in lege omnem victimam sale saliri oportebat, ita omnis verè Christianus viuæ DEI hostia & victima & sale ignis, hoc est tribulationis & sale prudentia saliri debet: reliquum vide Matth. 5. Ibi, Bonum est sal, &c.

CAPVT DECIMUM.

Diortium omnino prohibet, paruulis benedixit, diuites à pauperibus segregat, premium cuncta linquentibus assignat: ex matris filiorum Zebedæi refutatione, docet in dominio non esse quarendam super alios reuerentiam, & tandem Iericho præteriens, cacum illuminat.



† *Inde exurgens, venit in fines Iudææ ultra Iordanem, & conueniunt iterum turbæ ad eum, & sicut consueuerat, iterum docebat illos. Et accedentes Pharisei interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudiij scribere, & dimittere. Quibus respondens Iesus ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud, ab initio autem creaturæ, masculum & fæminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adheret ad uxorem suam, & erunt duo in carne vna. Itaque non sunt duo sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

Quanto Pharisei maiorem pararent calumniam, tanto CHRISTVS suam temperabat responsonem. Tentabant ergo eum an doceret contraria castitati, an concederet contraria legi Moyfi. Interrogant igitur an quauis ex causa homo diortium ab vxore sua face-re licitè possit. Quod si licere respondisset, opposuissent doctrinam eius qua prius hoc docuisset. Sin verò non licere, opposuissent legem de repudio. Vtrūque ita temperauit, vt nec replicæ pateret locus. Quo ad legem inquam, quia illam Moyses statuerat, quasi inuitus ad duritiam cordis eorum, vt maiora mala scilicet vxoricidium vitaret ad quod maximè procliuus essent. Quo verò ad diuinum præceptum non sic erat ab initio creaturæ: In quo creauit fæminam ex viro non fæminas, vt vnus vnâ tantum haberet: quod per DEI præceptum per Adam inductum, & quasi prophetatum. Quia sicut coniunctio animorum per charitatem & mutuam dilectionem vnâ facit animam, iuxta illud act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnus & anima vna: Ita corporum coniunctio, vnâ carnem faceret. Propterea quod DEVS coniunxit per naturam, lex humana dissoluere nequit. Et sic præter naturam ac præter legem, esset diortium.

† *Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mæchatur.*

Cum sicuti & Matth. 19. eadem sit Phariseorum interrogatio quæ & illic, scilicet, virò ne uxorem dimittere liceat, Indubiè certum est responsonem factam à CHRISTO eandem esse, scilicet, quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit

mœchatur. Similiter & hic intelligendum est, ut duo innuantur à CHRISTO. Primum quod nemini licet dimittere uxorem suam, nisi fornicationis causa. Secundò quod dimissa fornicaria, non licet aliam ducere: quod qui aliam ducit, adulterium committit aduersus uxorem priorem dimissam.

† *Matth. 19. b* † *Luc. 18. c* **Et offerrebant illi paruulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Iesus indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat illos.**

Cum iuxta Matthæum CHRISTVS maximè laudasset Eunuchos propter corporis munditiam, existimantes nullos corpore pueris mundiores, nec attendentes munditiam voluntatis & virtutem continentiae plus DEO placere quàm continentiam vel munditiam puerilem corporis, offerrebant illi paruulos ut illis benediceret. Quod cum discipuli indignè ferrent, increpat eos dominus, quia talium, non istorum, nisi perseuerent, & in fine tales & adeò mundi reperiantur, est regnum cœlorum.

† *Mat. 19. d* † *Luc. 18. d* **Et cum egressus esset in via, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens: Magister bone quid faciam ut vitam eternam percipiam? Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus, Deus: Præcepta nosti. Ne adulteres: Ne occidas: Ne fureris: Ne falsum testimonium dixeris: Ne fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem.**

Nec erat hic adolescens dolosus, sed vitæ æternæ cupidus, aliàs CHRISTVS intuens illum non dilexisset. Cum verò CHRISTVM vocasset bonum, non se negat CHRISTVS bonum, sed se DEVM esse significat, sicut nec se magistrum bonum negat, sed nullum absque DEO bonum esse insinuat. Præcepta autem ad proximum magis necessaria illi asserit ad pacificum conuictum, & vitam æternam consequendam.

† *14. quest.* † *1. cap. 1.* † *Matth. 19. c* † *Luc. 12. d* † *18. d* **At ille respondens ait illi: Magister, hæc omnia obseruaui à Iuuetute mea. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest. Vade, quaecunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. Qui contristatus in verbo abiit mœrens. Erat enim habens multas possessiones.**

Nec simpliciter hic mentitus videtur, dicens se hæc mandata secundum legem impleuisse. Lex autem ut inquit Paulus 7. ad Hebr. nihil ad perfectum adduxit, ut igitur perfectus esset hic adolescens, opus erat ipsum sequi CHRISTVM, qui legem perfecit, utpote quæ duceret ad vitam æternam: quod non fecerat lex vetus, quæ terrena promittebat, & possessiones plurimas permittebat. Vnde hic inter vtriusque anxius priscam maluit sequi consuetudinem quàm nouam prosequi.

† *Matth. 6. d* † *Luc. 12. d* † *1. Cor. 7. c* † *Matth. 19. f* † *Luc. 18. c* **Et circumspectus Iesus, ait discipulis suis: Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt? Discipuli autem obstupescabant in verbis eius. At Iesus rursus respondens, ait illis: Filioli, quàm difficile est confidentes in**

tes in pecuniis, in regnum Dei introire?

In hoc quod dicit pecunias Græcè est χρηματα. à verbo. χρεῖσθαι, quod est expendere, consumere, propter χρησθαι, quod est idem quod vsus, quibus igitur pecuniis vtendum est ad necessitatem, nec recondendum propter auaritiam. Quoniam sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtriusque. Ecclesiastici 20. & 41.

Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur dicentes ad semetipsos: Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos Iesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. Omnia enim possibilia sunt apud Deum.

Hic suo more Philosophans Caietanus, transire inquit, pro ingredi: & hinc firmatur quod Matthæi 16. excolendo hæc scripsimus. Foramen acus esse nomen proprium portæ, vel certi angusti transitus. Huic enim consonat vocabulum illud ingredi: quasi verò aut ingredi, aut εἰσελθεῖν dici non possit nisi quod pedes habet. Neque solum per foramen acus ingredi possit, ac ideo necesse sit fingere Ierosolymis portam quandam angustam, per quam ingredi non possit Camelus. Nec si Camelus pro animali sumamus, salua possit esse lectio nisi portam illà fingamus: Cum vt ita dicam impossibile magis sit Camelum animal gibbosum per acus foramen transire, quàm per angustam portam, imò omnino impossibile. Vult enim probare CHRISTVS quòd planè apud homines impossibile sit diuitem saluari, nunc expendamus quæ ad ius capitis literam faciunt. Apud Matthæum autem exposuimus pro fune accipi posse camelum.

Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Respondens Iesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres & sorores, & matres & filios, & agros, cum persecutionibus, & in seculo vitam æternam. Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.

Petrus ex opposito intellexit se plurima cum fociis in futuro seculo assecuturum. Vnde quærat: quid nobis restat futurum, qui reliquimus omnia, sed & secuti sumus te, qui etiam pauca reliquerat, veruntamen quæcunque possidebat. Hoc idcirco quærit pro his qui hanc viam ingressuri essent: Ecce inquit, nec vendidimus omnia nec pauperibus dedimus, ea autem amicis nostris reliquimus, veruntamen quid igitur erit nobis qui te secuti sumus? Quibus respondet CHRISTVS: quòd qui etiam pauca reliquerunt, vt plerique mendicantes, multo plura etiam in hoc seculo quàm vnquam ex paterna fuissent consecuti successione, & tandem si CHRISTVM ritè sequantur, vitam æternam, percipient. Propterea qui in hac vita despiciuntur, non despondeant animum, maiores & priores futuri, quàm qui in hoc seculo & bonis & honoribus ad cœlum vsque extolluntur.

Erant autem in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant: Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & senioribus, & damnabunt eum morte & tradent eum Gentibus, & illudent ei, & con-

Spuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die resurget.

Plerunque suæ passionis & mortis supplicium discipulis suis prædixerat, & suam post hæc resurrectionem, quibus non obstantibus in morte sua scandalizati sunt, quanto magis si non eis reuelasset.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus ut quodcunque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis, ut vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait: Calicem quidem quem ego bibo, bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptiz abimini: sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

†Mat. 20.6

Cùm Iacobus & Ioannes sæpius CHRISTVM audissent regnaturum, ipsi ambitione capti se primos à secretis futuros, sicut & in transfiguratione præter cæteros assumpti fuissent, Petrum tamen timebant. Ideo audientes ascensum CHRISTI in Ierusalem, crediderunt hoc esse causa regnandi, propterea petunt vnum eorum ad dexteram sessurum in regno, alterum ad sinistram. Quibus respondet suam in eos retorquens ambitionem. Potestis inquit, calicem mortis & passionis bibere, & baptismum sanguinis suscipere quos ego breui sum passurus? Quod non intelligentes, tanquam audaculi respondent: Possumus: omnia promitterent, ut petitis fruerentur.

†Mat. 20. f
Luc. 22. c

Et audientes decem indignati sunt de Iacobo & Ioanne Iesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi qui videntur principari Gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis: sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister: & quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Nam & filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret: & daret animam suam redemptionem pro multis.

Non dixerat CHRISTVS duobus fratribus: Non sedebitis ad dexteram meam vel sinistram, ne illos confunderet, sed ut omnes bene sperarent, ceteri tamen super audacia amborum indignati sunt, quãuis etiam passi fuerint repulsam, quantomagis si consecuti fuissent optatum. Quibus CHRISTVS respõdit, aliam esse dominationem secularem, aliam Ecclesiasticam: quod seculares domini maiores vocantur, & cæteris superbia præstant: Ecclesiastici verò quanto sunt altiori constituti gradu, tanto humiliores & serui aliorum esse debent, & cæteris ministrare. Exemplum autem, à se ipso tradit, qui non petierit ab illis famulatum aut ministeriũ, sed oppositũ, quia semper paratum se exhibuerit ad ministrandum.

†Mat. 20. g
Luc. 18. g

Et veniunt Iericho: & proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius, & plurima multitudini filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta viam mendicans. Qui cum audisset quia Iesus Nazarenus est, cepit clamare & dicere: Iesu fili David miserere mei. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David miserere mei.

Quod

Quod hic in vno cæco factum dicit Marcus, in duobus factum Matthæus dicit: neque propterea Marco contrarius est. Cui cùm vnum esset amborum miraculum, sufficere visum est cæci vnus meminisse, nempe celebrioris. Quippe cuius nomen recitat, Bartimæum vocans. Videtur & Lucas nonnihil à Matthæo & Marco dissentire, quem suo loco conciliabimus. Superest ea quæ ad literam faciunt, explicare. Quid sit autem Bartimæus, explicat textus, scilicet filius Timæi. Bar enim filium Hebræis significat.


Et stans, Iesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei: Anima quior esto, surge, vocat te. Qui proiecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. Et respondens Iesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni ut videam. Iesus autem ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

†Mat. 20. g
Luc. 18. g

Stat CHRISTVS quotiens expetitur auxilium eius ut Act. 7. Stephanus inter manus tyrannorum vidit Iesum stantem à dextris virtutis DEI. Tunc iubet poenitentes & egenos ad se venire per Apostolos, & eos qui curam habent inferiorum. Vocantes autem ait: Animæ quior esto, &c. Græcè dicitur *καρπός*, id est, bono animo esto, siue confide. Quoniam filius Dauid vt talis cæcos illuminare non potest, sed filius DEI, opus est igitur filium Dauid credere filium DEI esse, vt oculi illuminentur: quod vt credidit, visum recipere meruit, & à CHRISTO audire: Fides tua te saluum fecit.

CAPVT VNDECIMVM.

CHRISTVS super adductum à discipulis pullum Ierusalem cum honore ingressus reuertitur in Bethaniam: In crastino Ierusalem rediens, sicum maledicens ardescere facit: vendentes & ementes è templo eiicit, nec qua hoc virtute faciat Iudæis aperit.



Et cum appropinquarent Ierolyma & Bethania ad montem oliuarum, mittit duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatũ, super quem nemo adhuc hominum sedit: soluite illum, & adducite. Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc.

†Mat. 21. a
Luc. 19. d
Ioan. 12. b

Quod solus Matthæus asinæ meminit, Marcus & Lucas non, haud propterea contrarij, plerunque enim quod vnum de duobus dixit, alterius autem tantum meminisse alij contenti sunt. Marcus igitur solum pullum nominat. Inuenietis inquit, pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: vt intelligamus omnia hæc tantum mysterij gratia fieri, quod tunc nullo egeret inuento ad iter peragendum, pullum inquam, in figuram Gentilis populi propè ad fidem venturi, & quo CHRISTVS deinceps veheretur: Asinam vero in figuram Gentis Iudaicæ, quæ pullum tandem sequeretur: Iuxta dictum Pauli Rom. 11. Cæcitas ex parte facta est in Israel, donec plenitudo Gentium intraret. Iubentur itaque per doctrinam & miracula soluere pullum, & non solum, sed adducere ad CHRISTVM: quoniam verbum DEI non est alligatum.

Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, & solvunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis soluentes

pullum? Qui dixerunt eis sicut praeceperat illis Iesus, & dimiserunt eis.

Quandoquidem extra Ecclesiam non est salus, ita hic pullus extra portam foris ligatus erat. Gentilem verò populum hic pullus designare dicitur, qui funibus peccatorum idololatriæ, superstitionis, & eiusmodi à dæmone tenebatur ligatus, ad quem soluendum missi Apostoli paucis resistentibus adduxerunt, qui nomine domini audito quieverunt.

†*Matth. 21. b* *Et duxerunt pullum ad Iesum, & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem vestimenta sua strauerunt in via. Alij autem frondes cadebant de arboribus, & sternebant in via. Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna benedictus qui venit in nomine domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri David, Hosanna in excelsis.*

Luc. 19. f
Ioan. 12. b

Matthæus autem dicit, quòd adductis asina & pullo vestimenta sua utrique imposuerant, ignorantes super quem ascendere vellet: quòd ad resurrectionem usque ignorauerunt. Et tunc recolentes quæ dudum viderant, cognouerunt quia secundum prophetiam Zachariæ scriptum erat: *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super pullum asinæ subiuugalis: & ideo super illum vestimenta sua imponunt, & CHRISTVM super pullum federe fecerunt. Alij viam vestimentis, alij ramis, cæteri frondibus & floribus eius triumphum venerantes: Cæteri alta voce clamabant Hosanna in excelsis, &c.

**Zach. 9. b*
Isa. 62. d

†*Matth. 21. b* *Et introiuit Ierosolymam in templum, & circumspexit omnibus, cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.*

Luc. 19. g

Ingressus ciuitatem CHRISTVS, templum prius ingressus, dans cunctis exemplum, ut primum DEI quærant regnum: In quo tanquam illius dominus vndique prospicit expectans tempus aptum correctioni: vnde postea rediens tanquam incorrigibiles ab eo eiecit. Quo viso sub silentio secessit cum suis in Bethaniam.

†*Matth. 21. b* *Et alia die cum exirent à Bethania, esuriit. Cumque vidisset à longè ficum habentem folia, venit, si quid fortè inueniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil inuenit præter folia. Non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius.*

Sicut prius sitiens venerat ad puteum, sic modo esuriens venit ad ficum: ut humanæ carnis & salutis eius probationem exhiberet, cum fidem sitiret Ecclesiæ, & salutem esuriret humanam. Et cum potestatem vltionis haberet sicut beneficentiæ, eam maluit in plantam quam in homines exercere, quòd esset hominis amator ad quem saluandum venerat: & ut Iudaicam plebem infructuosam designaret, & ob id maledictioni subiaceret.

†*Matth. 21. b* *Et veniunt iterum Ierosolymam. Et cum introisset in templum, cepit euicere vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, & non sinebat ut quisquam transferret vas per templum: & docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: quia domus mea domus orationis vocabitur, omnibus gentibus, vos autem fecistis eam speluncam latronum.*

Luc. 19. g
Ioan. 2. c
Isa. 56. c
Ierc. 7. b

Nota

Nota quòd Matthæus & Lucas factum dicunt die palmarum: Marcus autem die sequenti. Nota etiam Marcum hoc loco addere præter cæteros Euangelistas hæc verba: Et non sinebat, ut quisquam transferret, &c. Quod puto intelligi non posse de vasis ad sacrificia necessariis, aut de vasis venalibus, aut de his quæ venum intra vasa proponebantur. Videtur quibusdam de vasis mercationis intellexisse, & non de vasis DEO dicatis. Eiectio vendentium & ementium, atque domus DEI singularitas declarantur Matth. 21.

Quo audito principes sacerdotum & scriba querebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum: quoniam uniuersa turba admirabatur super doctrina eius.

Cum audirent eum ita liberè loquentem, & tam mirabilia facientem, excogitabant inter se quomodo eum perderent: Veruntamen timebant eum propter plebem illi affectam, propter quam temerè illum occidere verebantur.

Et cum vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate, & cum manè transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit. Et respondens Iesus, ait illis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere & mittere in mare, & non hesitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.

†*Matth. 17. e*
21. c

Cum tota die prædicasset, vespere egressus est ciuitatem, & ut putandum est in Bethaniam manè autem reuertentes, viderunt ficum cui maledixerat CHRISTVS, iam aruisse radicitus. Cuius recordatus Petrus, ad CHRISTVM ait: Quomodo ita repente exaruit ficus? Cui respondet CHRISTVS. Si tantam in me fidem habueritis nihil in corde hesitantes, & dixeritis huic monti: tollere, & mittere in mare, fiet quicquid petieritis. Vnde tollere & mittere imperatiua sunt passiuæ. Non est autem hyperbolica locutio. Nam à simplici quodam Christiano tempore Iuliani translatos montes, & in mare iactatos legisse meminimus. Sed & Zacharias in suo monotessero cap. 121. narrat, Gregorium Neocæsariæ Ponti antistitem transtulisse montem, qui constructioni ecclesiæ multum oberat: ut tantum constructioni ecclesiæ loci reliquerit, quantum incolæ exigere spacium optarent.

†*Propterea dico vobis, omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.*

†*Matth. 7. a*
22. c
Luc. 11. b
Ioan. 15. b
†*Matth. 6. b*
Ecclesiastici
28. a

Post fidei commendationem, statim orationem & admissorum in proximum remissionem adhibet, ut eorum hæresis pateat, qui solam fidem sufficere dicunt ad iustificationem, & quod ad offensarum proximi remissionem attinet, perfecta est fides quæ per charitatem operatur: & ut dominica infert oratio: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Et veniunt rursus Ierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & scriba, & seniores, & dicunt ei: In qua potestate hæc facis: & quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias?

†*Matth. 21. c*
Luc. 20. a

Soliti sunt Iudæi cuncta CHRISTI acta variis agitare calumniis, modò in virtute Beelzebub signa facere, modò superstitionis agitari inuocationibus, nunc verò quia hæc frustra

Q

calumniati sunt, nec in his illum carpere potuerunt, de eiectione vendentium & ementium à templo & mensarum euerfione, & vasa per templum deferendi prohibitione: cum sibiipsis solis spectare & licere putarent, arguant, & cuius virtute hæc faciat, inquirunt.

Iesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam: Baptismus Ioannis de caelo erat an ex hominibus? Respondete mihi.

Quoniam Ioannes baptista multa palam de virtutibus & excellentia eius prædicauerat, ideo vt illi suo se confodiant gladio, & sua se responsione confundant, quæstioni illorum non respondet tanquam indigna esset responsio, sed aliam proponit, qua vel suo silentio vel sua sententia condemnentur. An videlicet Baptisma Ioannis à DEO cœlitus esset emissum, an humanitus institutum.


At illi cogitabant secum dicentes: Si dixerimus de caelo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis ei: Si dixerimus ex hominibus, timemus populum. Omnes enim habebant Ioannem, quia verè propheta esset. Et respondentes, dicunt Iesu: Nescimus. Et respondens Iesus, ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

Hac quæstione perplexa quorsum euaderent ignorabant. quod si respondissent è caelo, dicere poterat illis: Si credidissetis ei cum tanta de me prædicaret, nunc non dubitaretis in qua potestate hæc faciam: sin verò dixissent, inuentum esse humanum, totum populum habuissent contrarium, & fortè seditionem in eos mouentem. Ideo dicebant: Timemus populum. Græcè est ἐφοβήθη τὸν λαόν, quod ad verbum significat: timebant populum: quæ est mutatio personæ Hebraica. At vetus interpres rectè personam atque aptè ad nostrum loquendi modum mutauit, vertens timemus. Erasmus autem veritus hoc loco mutare personam, non est veritus paulò antè mutare in eadem propositione vbi vertit ἐρωώμεν, dixissent, quod tamen est verbum primæ personæ pluralis, debuit ergo rectius vertere: Si dixerimus, vel si dicamus: quemadmodum noster vertere voluit interpres, & consequenter alterum sequatur verbum. Nec CHRISTVS illis respondit: Ego nescio quod erat consequens responsioni eorum, sed nec cum illis mentiri voluit veritatem abscondens, sed eos responsione indignos iudicans.

CAPVT DVODECIMVM.

Iudæos sub parabola vineæ agricolis locatæ reprobat: à Phariseis & Herodianis super censu Cæsari reddendo tentatur, Sadduceis super resurrectione, & scriba super primo mandato respondit. Viduam super ceteros duos ara in gazophylacium mittentem, laudat.

† Matt. 21. c
Luc. 20. b
Isa. 5. a
Iere. 2. d



*T*æpit illis in parabolis loqui: † Vineam pastinauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & edificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

* psal. 79. b

Hanc vineam designat per populum Iudaicum, quem pulsus gentibus in Iudæa plantauit, de quo Psal. * Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes & plantaisti eam. Hæc parabola Matth. 21. declarata est.

Et misit ad agricolas in tempore seruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

Et vinea. Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium seruum, & illum in capite vulnerauerunt, & contumeliis affecerunt. Et rursum alium misit, & illum occiderunt: & plures alios, quosdam cadentes, alios verò occidentes.

Fructus illius vineæ, obseruatio erat legis præceptorum & virtutum, ad quas suis temporibus requirendas, variis temporibus misit prophetas, etiam varios quos variis tractabant modis, de quibus Heb. 11. * Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, * Heb. 11. g lapidati sunt, secti sunt, occisione gladij mortui sunt, &c.

Adhuc ergo unum habens filium charissimum, & illum misit ad eos nouissimum, dicens: Quia reuerbuntur filium meum. Coloni autem dixerunt adinuicem: Hic est heres, venite, occidamus eum, & nostra erit hereditas. Et apprehendentes eum, occiderunt, & eiecerunt extra vineam. Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis. Nec scripturam legistis: † Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

† Psal. 117. c
Isa. 28. d
Act. 4. b
Rom. 9. g
1. Pet. 2. a

Iudæi non contenti seruos patris familiæ verberasse, lapidasse, & occidisse, nisi etiam filium heredem à quo pendebat hereditas, occiderent vt hereditate perfecte fruerentur, & liberè gauderent fructibus hereditatis. Vnde ab illis, de tam execrabili crudelitate iudicium exigit, quod contra se ignorantes protulerunt, quod scilicet reprobandi forent, & alij in hereditatem inducendi ad vineæ cultum, qui meliorem laboris sui rationem redderent, iuxta prophetiam psal. 117. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, &c.

† Et querebant eum tenere, & timuerunt turbam. Cognouerunt enim quoniam niam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

† Matt. 21. d
Luc. 19. g
20. c. 22. d

Qui sibi soli sapit hoc malo ducitur, vt malus dici nolit, neque conuinci, sed statim arguentes odio habet, & fertur in vindictam, nisi timore retrahatur. Vnde Iudæi videntes se conuictos, & in se parabolam retorqueri, relicto eo, abierunt: quoniam auersi sunt à bono incommutabili, illud profus relinquentes, & conuersi sunt ad bonum commutabile, illi hætenus in suam perniciem adherentes: & tunc cessit hereditas in possessionem gentium, iuxta illud psal. * Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

* Psal. 2. b

† Et mittunt ad eum quosdam ex Phariseis & Herodianis vt eum caperent in verbo. Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quenquam. Nec enim vides in faciem hominum: sed in veritate viam dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?

† Matt. 22. a
Luc. 20. d

Adulatio eorum ad hoc tendit, vt eum credere faciant, quod ipsi velint esse eius discipuli, ideo fictè vocant magistrum, cuius nollent esse discipuli, & veracem, quem non credunt vera prædicare, sed plebem seducere: ad hoc autem tendunt, vt vel neget censum Cæsari dandum pro libertate patriæ, contra tamen Romanum dominium vel concedat dandum, contra eorum libertatem: vt altero illorum materiam accusationis habeant.

Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi de-

narium ut videam. At illi obtulerunt ei. Et ait illis: Cuius est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Respondens autem Iesus, dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

Pro versutiam, Græci habent *ὑπόκρισιν*, id est, simulationem: Interpres autem legit *πῶς* *ἐπέειπεν*, versutiam, prauitatem. Cognouit itaque quomodo sibi cogniti essent, & quod ad eum interrogandum versutè tenderent, ad eorum tamen respondet quæstionem, petendo tamen denarium, quo ipsi se gladio suo confoderent, quia respondentes ipsum esse Cæsaris, congruum erat ut Cæsari redderetur, sicut quæ DEI sunt, redderent DEO, pietatem scilicet & mandatorum obseruantiam, decimas, primitias, & oblationes quæ lege iubentur.

† *Mat. 22. c* † *Luc. 20. d* † *Deut. 25. b* Et venerunt Sadducæi qui dicunt resurrectionem non esse: & interrogabant eum dicentes: Magister, Moyses nobis scripsit: ut si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater eius uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus est non relicto semine: & secundus accepit eam, & mortuus est, & nec iste reliquit semen. Et tertius similiter. Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Nouissima & omnium defuncta est & mulier: in resurrectione ergo cum resurrexerint, cuius de his erit uxor. Septem enim habuerunt eam uxorem.

Huius tempestatis atheistæ plerique cum Sadducæis negant resurrectionem, quia nec inferni pœnas formidant, nec æterna sperant præmia: Ideo ut suæ liberius vacent libidini & voluptati, negant DEVM, angelos & dæmones esse, sic & animas simul cum corpore interire fatentur, & consequenter resurrectionem fore diffitentur. Vnde Sadducæi quandam CHRISTO proponunt fabulam de resurrectione, quam non credebant, sed nec ut eam crederent, sed magis impugnarent, & ad inconueniens CHRISTVM deducerent de muliere septemvira: quæ si non magis primo quàm alteri tradenda esset nuptui, sequeretur non fore resurrectionem, at si alteri, sequeretur puerperia, nuptiæ, quæstus pecuniarum, ægritudines, & mortes, & huiusmodi inconuenientia, frustra ergo foret resurrectio, ut altera mors sequeretur.

† *Exo. 3. b* † *Mat. 22. d* † *Luc. 20. e* Et respondens Iesus ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes scripturas, neque virtutem Dei? Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cælis: De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi super rubum quomodo dixerit illi Deus inquit: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum sed viuorum. Vos ergo multum erratis.

Indubiè errare facilè potest ignorans scripturas, quæ ducunt ad veritatem DEI, quibus ignoratis, simul & DEI veritas ignoratur: qua ignorata, simul & DEVS ignoratur. Non mirum igitur si plurimi errent & facilè labantur, quoniam ignorant scripturas quas se falso putant intelligere. Hanc itaque Sadducæorum hæresim CHRIVS ortum

ortum habere dicit, sicut de cæteris dicendum est, ex ignorantia scripturarum. Cætera patent Matth. 22.

Et accessit vnus de scribis, qui audierat illos conquirentes. Et videns quoniam illis bene responderit, quod esset primum omnium mandatum. Iesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus vnus est: Et diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Maius horum aliud mandatum non est.

Coniunctis de tributo Cæsari reddendo Phariseis, & Sadducæis de resurrectione, Scribæ suam parant quæstionem, etsi non difficilem, curiosam tamen & captiosam. Cum enim CHRIVS aliquando se dixisset DEVM, quærent de primo mandato, an in se diceret credendum, & illum super omnia amandum, ut accusandi occasionem caperent: in qua responsione vtrunque temperat, nec se DEVM asserens, nec se DEVM negans. Ideo cum eorum esset proximus, ac de eodem genere, hunc tamen non diligerent, sed summo prosequerentur odio, addidit secundum præceptum, quo demonstraret se ab illis diligendum.

Et ait illi Scriba: Bene magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum. Maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis. Iesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.

Hanc scribæ responsionem solus recitat Marcus: videturque laudare factum scribæ, ac non nihil de eo à Matthæo & Luca dissentire: quia Matthæus ait, quod vnus legis doctor, Lucas quod legis peritus: in quo non dissentiunt, quia scribæ legis doctores erant & interpretes: in hoc tamen dissentire videntur: quia Matthæus & Lucas dicunt quod accesserit tentans eum: Marcus, quod cum audisset illos conquirentes, id est, disputantes & altercantes cum CHRIVS, videns quod bene illis respondisset, interrogauit quod esset primum mandatum. Vnde dicendum est, quod tentare hoc loco, non in malam partem sumitur, sed pro eo quod est periculum facere de solutione quæstionis propositæ. Indubiè autem doctus erat iste scriba, qui præter responsionem CHRIVI addidit: Maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis: holocaustomata autè sacrificia sunt, quæ tota incendebantur, id quod verbi *ἑσθαι* sonat. Quapropter à IESV de sapientia laudatus, audiuit ab eo: Non longè es à regno DEI. Id est, ab Euangelij cognitione, quod regnum DEI dicitur, per quam DEVS regnat in cordibus hominum.

Et respondens Iesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt scribæ Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in spiritu sancto: Dixit dominus domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipse ergo David dicit eum dominum: & unde est filius eius? Et multa turba eum libenter audiuit.

Ideo Scribæ primum præceptum ut dictum est, CHRIVS proposuerant, sperantes ipsum aliquid illi additurum de seipso, DEVM seipsum probando, ipsorum tamen fefellerit expectationem. Ne tamen putarent omnino se negasse DEVM, alteram mouet quæstionem.

Cum omnes Iudæi CHRISTVM ex scripturis prophetarum, & ex dictis ipsius expectarent ex David semine nasciturum, ipse autem contra videtur negare, quærendo ab eis: Si CHRISTVS quem expectatis sit futurus filius David, quomodo David in spiritu sancto vocat eum dominum suum: Quod si sapuissent, rectè intellexissent CHRISTVM quatenus DEI verbum, David fuisse dominum, & ex consequenti DEVM, sin verò quatenus humanum, verè Davidis filium, & ex eius semine & carne natum. Nec enim David se negat filium, sed quoniam ipsum CHRISTVM suum vocavit dominum confessus est eum esse DEVM.

†^{Mat. 23.4}
†^{Luc. 11. f}
†^{20. g} Et dicebat eis in doctrina sua. † *Cauete à scribis, qui volunt in stolis ambulare, & saluari in foro, & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cænis: qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius iudicium.*


Vide de his Matth. 23. Multa tamen addit Marcus: vt in stolis ambulare. Stola præterquam quod omnis generis vestes significat, sumitur etiam pro mulieris atque etiam viri ad talos vsque Toga veste, in quo vestis genere, obambulare Pharisei gloriabantur. Has autem vestes Matthæus pallia dicens: Dilatant Phylacteria sua, & magnificant simbrias.

†^{Luc. 21. a}
†^{24. q. 1. ca.}
†^{Odi & proieci.}
†^{De panit. di. 5. cano. I in fi.} Et sedens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactaret es in gazophylacium: & multi diuites iactabant multa. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrās. Et conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium: omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum.

Gazophylacium locus erat in maiore atrio templi, quo oblatæ templo pecuniæ iactabantur. Aduerte autem cum dicat Euangelista: Aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, ingratam DEO & CHRISTO non esse quæ templo fit, oblationem: in qua viduæ liberalitatem cæteris præfert, quippè quæ totam substantiam suam, duo videlicet æra minuta in gazophylacium iactauerit, cæteri facultatum suarum vel minimam particulam. Cum igitur diuites de eo quo non egent ad maximam vitæ necessitatem impendunt, minus apud DEVM reputatur quadrante.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

CHRISTVS super templi euerfione interrogatus & mundi consummatione, plurima signa prædicit futura, post quæ filius hominis veniet ad iudicium cum potestate & gloria, excitatis prius mortuis à quatuor partibus orbis, ideo vigilare præcipit.

†^{Mat. 24. a}
†^{Luc. 19. e}
†^{21. b}  T cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structura. Et respondens Iesus ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruat.

Cum iuxta Matthæum comminatus esset CHRISTVS Iudæis, dicens: Ecce relinquetur

quetur vobis domus vestra deserta, stupefacti discipuli à CHRISTO expetunt, quomodo hoc sit possibile, propter lapidum & constructionis tam admirabile ædificium, & structuras eius. Quibus respondit has omnes ædificationes & compositiones funditus diruendas cum Iudaismo, ne debiles in fide scandalizentur ab illis.

Et cum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas: Dic nobis quando ista fient, & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari?

Marcus vnum ex discipulis dicit CHRISTVM interrogasse super structura templi, Matthæus verò & Lucas introducunt omnes accessisse, & ostendisse ædificationes templi. Accesserunt quidem omnes vt audirent, Petrum autem Iacobum, Ioannem, & Andream Marcus inducit vt interrogarent. Cum igitur sederet in monte Oliuarum contra templum, quod idem est atque è regione templi. Quod verò dicit, incipient consummari: Græcè est, *μὲν οὖν ὁ κατασκευαζόμενον*, id est, quando consummari debent, vel quando consummanda sunt.

Et respondens Iesus, cæpit dicere illis: † *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum, & multos seducent. Cum audieritis autem bella & opiniones bellorū, ne timueritis, oportet enim hæc fieri, sed nondū finis. Exurget enim gens cōtra gentem, & regnum super regnum. Et erunt terremotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.*

Pseudopphetas dicit futuros, qui seducent incantos, à quibus prædicit cauendum, sed & signa magna futura, quæ Ierofolymorum præcedent excidium, de quibus satis apertè scribit Iosephus de bello Iudaico. Opiniones autem bellorum Græcè dicunt, *ἀκούεις*, quod magis significat rumores: Ne timueritis etiam Græc. *μὴ φοβῆσθε*, quod magis significat ne turbemini, ne consternamini. Regnum autem super regnum Græc. *βασιλείαν ἐπὶ βασιλείαν*, id est, regnum aduersus regnum: videlicet Romani cum sint aduersus Ierofolymitas, & cæteras Palestinæ ciuitates.

Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis vapulabitis. Et ante præfides & reges stabitis propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium.

Græcè *ῥηπέτετε καὶ ὑμεῖς ἑαυτοῖς*. Erasmus vertit: Cauete vos vobis, quod dicendi genus nō puto admodum Latinum, mallem interpretari vosipsi rationem vestri habetote, ne scilicet, metu aut dolo seducamini. In testimonium illis, id est, vt testimonio mihi sitis aduersus illos qui cum testimonium de me per vos audierint, recipere tamen noluerunt. Neque quis vobis ob stare poterit, quin prædicetis hoc Euangelium in omnes gentes, quod cedere potest in consolationem vestram & magnam vestri laboris fiduciam & expectationem.

† *Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datum vobis fuerit in illa hora id loquamini. Non enim vos estis loquentes, sed spiritus sanctus. † Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.*

Pro nolite præcogitare Græci habent *προμερινῶτε*, hoc est, ne antè nimium sitis solliciti neque anxij. Adcunt insuper *μὴ μελετᾶτε*, neque præmeditemini quid loquamini. Q^{iiij}

itaque Apostolos aduersus omnes hostiū inimicitias. q. d. audientes praelia subite, ego pro vobis praelabor, nec nimium curate responsiones, ego pro vobis & loquar & respondebo. Eritis odio parentibus, fratribus, domesticis, amicis, regibus, subditis & generaliter omnibus qui non Euangelium meum curabunt. Sed horum odia cedant vobis in salutem: quoniam in talium patientia possidebitis animas vestras.

† *Mat. 10. c.* *Et 24. b.* *Daniel. 9. g.* *† Mat. 24. c.* *Luc. 21. d. e.* *† Mat. 24. c.* *Luc. 21. d. e.*
† Cum autem videritis abominationem desolationis stantem vbi non debet, (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes: & qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua: & qui in agro erit, non reuertatur retro, tollere vestimentum suū. † Vt autem pręnantibus & nutrientibus in diebus illis.

Græci addunt, το ρίθον ὑπὸ ἀκνίη τῆ προφητῆς, i. dictum à Daniele propheta stantem vbi non debet: pro debet Græci habent ἀεῖ, id est, oportet. Matthæus autem habet stantem in loco sancto. Quod putant quidam intelligi de Antichristo, alij de imagine Cæsaris, quam noctu velatam Ierosolymam introferri iussit, & in templum statui. De qua Iosep. lib. 2. ca. 8. de bello Iudaico. Alij intelligunt de statua Adriani quam in templo reedificato, & in sancta sanctorum induxit, & multo ibi tempore stetit. Et tunc, id est, imminente Ierosolymorum obsidione, dum Romani milites passim grassantur per Iudæam, qui sunt in ciuitate, fugiant, si pateat illis fuga. qui fuerint extra non reuertantur, si pateat occultationis locus. Vt etiam pręnantibus & lactantibus, sarcina vteri & brachiorum grauatis, ne fugę pateat illis locus securus.

Orate verò ut hyeme non fiant. Erunt enim dies illi tribulationes tales quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc, neque fient. Et nisi breuiasset dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos quos elegit, breuiavit dies.

Timenda præcipue hyems erat ad fugam propter temporis impedimentum, tum propter morę in desertis difficultatem. Tribulationes autem quas enumerat, scripsit Iosephus de bello Iudaico. lib. 7. cap. 7. & 8. Cætera patent. Matth. 24.

† *Mat. 24. d.* *Luc. 17. e.*
† Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce, hic est Christus, ecce illic: ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & dabunt signa & portenta ad seducendos si fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte, ecce prædixi vobis omnia.

Hæc autem illis prædicit ad cautionem periculorum, & vt sequentes hæc doceant: & sibi à talibus falsis & fallentibus prophetis, magis & superstitiosis hominibus, de quibus nos docet consequenter Petrus. 2. Petr. 2. *Fuerunt pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, &c.

† *Ezec. 32. b.* *Isa. 13. b.* *Iere. 25. f.* *Ioel. 2. g. 3. c.* *† Mat. 24. d.* *Luc. 21. c.*
† Sed in illis diebus post tribulationem illam, sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum: & stelle cæli erunt decidentes, & virtutes quę in cælis sunt, mouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos, à quatuor ventis, à summo terrę usque ad summū cæli.

Hæc autem sequentia signa Antichristi, sequentur tribulationem in iustos & pios
 CHRISTI

CHRISTI fideles per Antichristi seductores & tyrannos. Signa verò sunt hæc: Primum erit crux CHRISTI, qua victoriam de inimicis suis sumpsit: consequenter sol, luna, & stelle in die iudicij, suo priuabuntur solito lumine, adueniente maiori lumine: de quibus Isaia 24. dicitur. *Erubescet luna & confundetur sol, cum regnauerit dominus exercituum in monte Sion & Ierusalem: & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus. Mittet autem prius angelos ad quatuor cardines terrę, vocaturos cuiuscunq; conditionis homines ad iudicium, & tunc cum virtute & triumpho tremantibus cunctis præcedente cruce accedet.

† *A ficu autem discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas. Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quòd in proximo sit in ostantis. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

CHRISTVS à rebus naturalibus quæ infallibiliter accidunt, exempla vt plurimum sumere solet. Nam quemadmodum ficus atque cæteræ arbores gemmas emittunt & folia, signum est proximæ æstatis futuræ: ita cum videbuntur tot prædictæ tribulationes, & afflictiones, quæ sunt secundi aduentus signa, iudicandum est proximè aduentum futurum. Nam cælum aerium vbi volitant cæli volucres, sicut terra igne cremabitur & quo ad figuram transibunt, quo ad essentiam verò perpetuo manebunt: verba autem CHRISTI implebuntur, vt Matth. 5. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælus & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.

De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius, nisi pater. Videte, vigilate, & orate: Nescitis enim quando tempus sit. † Sicut homo qui peregrè profectus, reliquit domum suam: & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit ut vigilet. † Vigilate ergo, (nescitis enim quādo dominus domus veniat: sero, an media nocte, an gallicantu, an mane) ne cum venerit repente inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.

Non duxit expediens CHRISTVS, Apostolos suos sicut & sequaces diem & horam iudicij scire, vt semper de futuris temporibus incerti, viuant cum timore, & vigilantes illam expectent. Hortatur igitur eos ad attentionem, vigiliam, & orationem. Quod autem se dicit nescire diem iudicij, intellige quatenus homo est, vel filius hominis est. Vnde Augustinus de verb. do. in capite. Vtique cum dixit pater scit, ideo hoc dixit, quia in patre est filius, hoc scit. Nescit tamen filius, hoc est, corpus eius in terra positum, quod est ecclesia. Hinc Hieron. in minori breuiario, Psalm. 138. Humanitas filij dixit in Euangelio se ignorare finem huius mundi. Grego. in registro. Eulogio patriarchæ: Nouit vnigenitus Dei horam iudicij, sed non ex natura humanitatis. Quòd autem dicit: Sicut homo qui peregrè profectus. Hoc loco est euidentissima eclipsis, cui nisi suppleatur, est, imperfectus est sensus: videtur ergo hic esse sensus: CHRISTVS est sicut homo qui peregrè profectus, reliquit domum suam, &c. Ita CHRISTVS Deus & homo in ascensione, domum suam ecclesiam relinquens, & peregrè in cælum longè à domo sua, ecclesia scilicet militante profectus, dedit seruis suis, Christianis scilicet & fidelibus omnibus potestatem cuiusque operis, quo loco Græci habent ἐξουσίαν καὶ ἐκράτω τὸ ἐπὶ πάντων, id est, potestatem scilicet in bona sua relicta, & vnicuique opus suum, & vnicuique munus suum peragendum. Id autem est quod Apostolus ad Ephes. 4. ait. *Ascendens in altum dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Et ianitori præcepit vt vigilet, ianitores autem ecclesiarum sunt Episcopi, quos vt singulos vigilare ac sibi

attendere præcepit, dum à peregrinatione ad iudicium rediret. Ita ianitoribus & episcopis specialius vigilare, nec vni sibi modo, sed vniuerso gregi attendere præcepit. Cuius officij *Act. 20. admonens eos Paul. Act. 20. ait. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ut autem ne putarem solis ianitoribus & episcopis vigilandum, subdit in vniuersum omnibus dicens: Vigilate ergo: Nescitis enim quando dominus domus veniat ad iudicium, tam vniuersale quam particulare cuiusque in morte.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Conspirantibus in CHRISTVM Iudæis à muliere murmurantibus discipulis vngitur, vnde à Iuda venditur, in cœna Eucharistia instituit sacramentum, prædicat omnium in se scandalum, & trinam Petri negationem. In monte post trinam orationem traditur à Iuda discipulis fugientibus, coram Caipha accusatus & mortis reus iudicatus conspicitur & caditur, & ter à Petro negatur, quorum tamen pœnitet.

† Mat. 26. a
Luc. 22. a.
Ioan. 12. a.



† *Rat autem pascha & azyma post biduum: & quærebant summi sacerdotes & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent & occiderent. Dicebant enim: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.*

Hæc itaque feria tertia dicta sunt, & feria quinta sequente ad vesperam comedit agnū & azyma: interea autem Iudæi quærebant occasionem occidendi dominum suum: nolebant autem morti eius in die festo cōsentire, propter populi tumultum, cui tamen consenserunt non Deum timentes, innocentē occidentes, sed populum formidantes: ne fortè eum ab eorum manibus eriperet. Propterea dicebant: non in die festo, quando à tota continebat provincia populum ad diem festum Ierusalem aduenire. In quo timebant plebis seditionem: quoniam multi tanquam deum habebant illum.

† *Et cum esset Bethania in domo Simonis Leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati preciosi, & fracto alabaastro effudit super caput eius. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio unguenti ista facta est? Poterat enim unguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eum.*

Solent plurimi occasionem accipere scandali ex bono opere, ex quo potius deberēt gaudere, & factum laudare. Hinc ad Iudæi similitudinem nostræ tempestatis hæretici, videntes templa preciosis ornari donariis, & accuratè parati, cum Iuda quærentur & dicunt: Ut quid perditio hæc: nonne melius esset hæc dari pauperibus? quasi quæ in Dei fiunt honorem, in communem non cedant vtilitatem & pauperum ac diuitum deuotionem excitandam. Mulier ergo plus illis erga Deum affecta, dignius duxit Deo offerre quàm vendere, & in pauperes spargere, vnde à Deo laude digna reputata, & perpetuis efferenda laudibus ac celebranda. Effundere igitur non timuit preciosum unguentum, fracto alabaastro super caput domini cum cæteris recumbentis, quod nec egrè tulit dominus, sed factum laudauit. Quod autem unguentum fertur nardi spicati preciosi, sic habebat vetus interpres, & antiqua exemplaria, quod quidam tamen audaculus librarius tollere non erubuit. Et quia Græcè erat *ωιστικῆς*, reposuit pisticæ. At cum *ωιστικῆς* Græcis in vsu non sit, & Marcus plerunq; verba Latina Græcè vsurpauit, corruptis iis vtatur, sitque genus nardi, quod spica siue spicū nardi appellatur,

appellatur, potuit Marcus, *ωιστικῆς* dixisse, loco *ωιστικῆς*, quod interpres intelligens verterit nardi spicati vel spicata. Præstabat ergo relinquere spicati in textu, & ad marginē addere pisticæ: quanquam vt dixi id vocabuli neque Græcum est neq; Latinum. Quod si placet ita vertere, esset veræ ac germanæ nardi fidelis, & nō sophistica. Quod autem dixit alabastrum unguenti nardi spicati &c. Græci habent *ἀλαβαστρον μύρον νάρδι ωιστικῆς, πολυτελῆς*. Nota quod *τὸ πολυτελῆς*, referri potest ad τὸ unguenti, quod interpres fecit scribens unguenti nardi spicati preciosi: vt intelligas unguenti preciosi nardi. Spicati potest etiam referri ad τὸ nardi, quod Erasimus fecit dicens: Nardi preciosa, sed tunc argumento est quod tunc legendum esset spicata, & non pisticæ: cum idem sit nardus preciosa, & nardus pistica, id est vera & germana & spectata. Hic suo more philosophans Caietanus: Melius inquit, legitur pistici neutri generis: quoniam quadrat vt referatur ad unguentum. Non enim inquit, timetur adulterina herba nardi, sed timetur adulterinum unguentum nardi: quasi ex adulterina herba, verum germanūque fieri possit unguentum.

Iesus autem dixit: Sinite eam † quid illi molesti estis? Bonum opus operata † est in me. Semper enim pauperes habebitis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis bene facere, me autem non semper habebitis. Quod habuit hæc, fecit: præuenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc: narrabitur, in memoriam eius.

Videns Iesus fidem mulieris, & discipulos illam increpantes, & ad poenitentiam propter tantam perditionem impellentes, causam eius defendit: quod scilicet sepulturam eius breui futuram præuenisset. Sinite inquit illam, præparare sepulturam meam dum potest, quoniam cum voluerit non poterit. Nec pauperes curatis vt videmini, quibus semper benefaciendi locus vobis erit, non semper mecum habebitis, qui tamen præsentis maiestatis nusquam abest. Iusti quidem & boni *CHRISTVM* semper habent per fidem, per signū, per baptismatis sacramentum, per altaris cibum & potum. Vnde dicit Matth. vlt. *Ecce ego *CHRISTVS* familiariter vteretur alloquio & societate, murmurandi ausam accepit: sed quantā famam & perpetuam Maria est adepta, tantam Iudas infamiam & perpetuam assecutus est.

Et Iudas Iscariothes vnus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, vt proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se duros. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet.

Iudæ cognomen inseruit, ad differētiā alterius Iudæ, qui Taddæus dicebatur: qui erat vnus de duodecim non merito sed numero, non animo sed corpore, nulla constrictus necessitate principes querit, nec quæritur, nec de tam cara re certam quærit summam, sed in vniuersum quid vultis inquit mihi dare, & ego vobis eum tradam, quasi iam nomen eius odio habens non dignatur nominare eum *CHRISTVM* vel Iesum, & quasi vile mancipium in potestate posuit emētium, vt quicquid etiam adeo paruum obtulissent, paratus erat dare, ita quod prima summa oblata cum eis pactus est, sed etiam illum in manus eorū tradere pollicitus. Vnde conueniens tempus expectabat quo sine tumultu traderet eum.

† *Et primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces pascha? Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aque baiulans, sequimini eum, & quocunque introierit, dicite domino domus: quia Magister dicit: Ubi est refectio mea, vbi pascha cum disci-*

pulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis.

Prima dies azymorum decima quarta erat, qua agnus immolabatur ad vesperam, & tunc fermentum omnino cessabat ad octauum vsque diem, & omnes illi octo dies dicebantur dies azymorum. Prima igitur illorum octo dierum in qua pascha, id est, paschalis agnus immolabatur, solliciti de pascha celebrando discipuli, petunt à CHRISTO diuersorium, scientes quia nullum prorsus, sed nec vbi caput reclinaret habebat. Et mittit duos discipulos Petrum & Ioannem vbi celebrandum erat pascha iuxta legem Deutero, 16. *Non poteris immolare phasē in qualibet vrbiū tuarum, quas dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco quem elegerit dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Et mittit eos ad quēdam, nomen & hospitis & baiuli tacens vt quærant ab eo refectionē. Græcè κενώματα, quod & refectionem significat & diuersorium, scilicet locum refectionis: quomodo loco isto sumit. Cætera patent Matth. 26.

† Deut. 16. a

Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha.

Præceptum domini iuxta formam quā illis præfixit exequuntur, & quæ ad cœnam legalem necessaria erant, emunt & parant: agnum scilicet, azymos panes, & quæ necessaria sciebant ad cœnam, & agni esum.

† Mat. 26. b.

Luc. 22. b.

Ioan. 13. e.

De offic. or-

dina. cap. Si

sacerdos.

Psal. 40. c.

† *Vespere autē facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis & manducantibus ait Iesus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.*

Nec abs re venit cum duodecim, adest enim cum cæteris Iudas, vt omnem ab aliis tollat suspicionem. Cum discipulis CHRISTVS legale pascha manducat, vt doceat vetus pascha nouum figurasse, & illi per passionem suam finem imposuisse. Inter cœnandū verò prædicit suam traditionem, & crimen satis occultum, vt saltem audiens proditor, credat factum suum non latere magistrū, & facti pœniteat, vel omnino erubescat criminis facti confusius: quem etiam dominus ad pœnitentiam reuocare volebat.

At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim. Nunquid ego? Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo. Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

Cæteri vndecim huius facti nil sibi conscij erant, cōtristabantur tamen, magistro magis quā sibi credentes, & fragiles se cognoscentes. Ideo quilibet eorum cœpit quærere singulatim, quod dicitur Græcè ἕς καὶ ἕς, id est, vnus post alterum. Nunquid ego sum ille, quem nobis præstituis? Quibus respondet CHRISTVS indistinctè tamen, cum omnes secum in catino intinxissent: & ita nec Iudas ex hoc perfusus est vel victus rubore. Addit autē dominus perpetuam flagitij illius pœnam: quod scilicet, satius illi fuisset non nasci, & in vtero materno mori, quā tale perpetrasse flagitium, non quia natus est malus, sed quia effectus est, sed cum liberum haberet arbitrium ignauia torpuit, & mentis nequitia ac prauitate uoluntatis malus euasit.

† De consec. dist. 2. cap.

Quia corp.

De celebra.

missa. ca. Cū

Martha.

Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meum noui testamenti qui

menti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei.

CHRISTVS inter cœnandum postquam agnum typicum comedit cum discipulis, & veteris testamenti ceremoniis finem imposuit, lauit Apostolorum pedes, vt dignius ad nouum perueniat sacramentum, plurimis olim figuris & signis præmonstratum. Nec istud sacramentum sanguine & carnibus brutorum conficitur animalium, sicut olim in lege, sed CHRISTI carne & sanguine per tales hostias figuratis & designatis. Non igitur accipiens panem & vinum dicit: hæc sunt signa, vel figuræ, sed prioris testamenti figuris succedunt. Sed de pane dicit, Hoc est corpus meum verum, non figuratum, quod statim pro vobis & cunctis tradetur fidelibus: sicut, Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: qui omnes emundare sufficeret, si fidem huius sacramenti, ac dilectionem, & sacramentorum participationem attingerent. A carnalibus inde ad spiritualia versus ait: Amen dico vobis, quia iam non bibam, &c. Sensus est iuxta Bedam in Marcum, & alios scriptores: Non vltra carnalibus delectabor ceremoniis, & sacrificiis synagogæ, in quibus carnalis agnus locum tenebat: donec in patrem meum, & in me, postquam surrexero & ascendero in cœlum, credat, & in ecclesia fideliter immolet sacrificium carnis & sanguinis mei, & tunc bibam, id est, delectabor vobiscum & cum fidele populo super conuersione sua ad ecclesiæ meæ fidem & religionem.

Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum, & ait eis Iesus: Omnes scandalizabimini in me nocte ista: quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galileam.

† Zach. 13. c.

† Mat. 26. c.

Luc. 22. d.

6. q. 1. lmi.

tare.

Benedictionem suæ nouæ cœnæ & nouo sacrificio præposuit, & postea distribuit, quo distributo gratias & laudes egit, exemplū nobis dans, vt & ita faciamus. Quibus actis, quæ passuri essent, annunciat, vt cum hæc illis aduenerint, reminiscantur quia hæc dixit illis. Et tamen addit, in ista nocte: quoniam tenebræ comparantur peccato, ita in me meamq; fidem peccabitis, vel fugiendo, vel me negando, vel fidem quā in me habetis perdendo. Iuxta Zachariæ 13. prophetiam, quæ falli nequit: per quam pater filium in pastorem missum percuti finit, & eius oues ad resurrectionem dispergi, quas post resurrectionem ad caulas reducit.

Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

Petrus nimis audax, & sibi soli fidens, trifariam errauit: primò, quod CHRISTO, & prophetæ quem adduxit, se præposuit: secundò, quia seipsum aliis prætulit: tertio, quia suo & non diuino innixus est auxilio: ideo præ cæteris à domino cadere permissus est. Nec tamen, vt ait Hieronymus, temeritas fuit Petri, sed ardens erga dominum & saluatorem affectus, indiscretus tamen propter authoris maiestatem. Cui etiam cum diceret: Prius gallus vocem bis dederit, &c. Gallus enim diuersis horis noctis canere solet, & qualibet vice pluries. Ex quo etiam si post primum gallicantum Petrus negare incœpisset, & ante tertium gallicantum bis abneget, vel solum semel, semper ter negasse reperietur. Cui Petrus nimis forsitan audax, antequam pennas habeat, volare nititur, sed corpore presso, aggrauatur anima, vt ait Hieron. & timore humanæ mortis domini, timor serui superetur.

† *Matt. 26. c. d.* † *Et veniunt in pradium cui nomen Gethsemani, & ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem. Et assumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum: & cepit pauere & tædere. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic & vigilate.*

Gethsemani, vallis est ad radices montis Oliueti, vbi morti appropians exemplum nobis humilitatis ostendit: & discipulis iussit sedere, tribus verò iussit sustinere & vigilare, vt suam viderent & considerarent tristitiam. Inde expauescere cepit, mortem agnoscens sibi proximè imminere: vt enim Deus erat cuncta præuidens, ita homo erat mortem proximè futuram expauescens. Timet ipse *C H R I S T V S*, Petrus autè non timet. *C H R I S T V S* dicit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Petrus non veritus mortem dicit: Et si oportuerit me mori tecum, nõ te negabo. *C H R I S T V S* vt Deus, carnis fragilitatem agnoscit. Petrus verò tanquam homo, mortis virtutem ignorat.

† *Matt. 26. d.* † *Et cum processisset paululum, procidit super terram, & orabat, vt si fieri posset, transfiret ab eo hora, & dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro verò infirma.*

Progressus paululum ab eis, orabat horam mortis si possibile esset ab eo transfire. Vnde ad patrem clamat, Abba pater, quod idem significat, vt se vtriusque populi saluatore ostenderet, & ab vtroque populo inuocandum. Abba enim Hebræum est, pater Latinū & Græcum. Præcatur autem & misericordiam patris, euasione inquam mortis, & iustitiam eius, si commodè absque morte redimere sit possibile patri, apud quem omnia sunt possibilia. Oratione autem facta venit ad discipulos, & inuenit eos dormientes. Ad Petrum verò prius sermonem dirigit, qui se cæteris iactabat audaciorem, & tamen primus omnium sopore obruitur, quod longè abest à defensione magistri vsque ad mortem, cum maximè immineret hora passionis.

Et iterum abiens orauit, eundem sermonem dicens. Et reuersus, denuò inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid responderent ei. Et venit tertio, & ait illis: Dormite iam & requiescite. Sufficit, venit hora. Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce, qui me tradet, propè est.

Solus abiit vt oret, qui solus agnoscebat periculum proximè futurum, & solus erat pro cunctis passurus. Et tertio orauit, vt nos ter doceret orare: primo à præteritis peccatis veniam, à præsentibus malis tutelam, & à futuris periculis cautelam. & vt orationes nostras prius ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum dirigamus, & his mediantibus ad sanctos. Post trinam orationem iubet eos dormire, & verisimile est illos aliquandiu dormiuisse, & postea dixisse illis *C H R I S T V M*, sufficit tantum requieuisse, quia venit hora, & iam adest, in qua filius hominis tradetur in manus peccatorum à peccatore. Propterea fugite, & illis obuiam eamus, ne nos timentes aut mortem fugientes inueniant. In quibus ostendit se non inuitum, sed voluntariè passum, & quasi se illis obtulisse capiendum.

Et adhuc eo loquente, venit Iudas Ischariotes, vnus de duodecim, & cum eo turba

eo turba multa cum gladijs & lignis, missi à summis sacerdotibus, & scribis, & senioribus. Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.

† *Matt. 26. c.*
† *Luc. 22. c.*
† *Ioan. 18. d.*

Dicitur Iudas vnus ex duodecim, in honorem cæterorum, qui tale quid non sunt ausi, & cum eo longè vixerit. Turbam autem & cohortem Romanorum assumit, vt nemo resistere audeat. Quia tamen hæc turba non sequebatur *C H R I S T V M*, nec propterea cognoscebat eum, ideo Iudas illis signum dederat, ne alterum loco eius caperent. Signum autem huiusmodi erat: Quemcumque osculatus fuero, &c. Timens enim ne *C H R I S T V S* è manibus eorum elaberetur, vt *Lucæ 4.* Cum Iudæi duxissent eum in supercilium mōtis, vt eum præcipitarent, ipse autem transiens quasi inuisibilis, per medium illorum ibat: Ne inquam manus eorum effugeret, iussit eos ipsum sequi pedetētim, & magistrum post osculum statim tenere, & cautè ducere.

Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Aue Rabbi, & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit illi auriculam.

† *Thre. 4. d.*
† *Matt. 26. f.*
† *Matt. 26. f.*
† *Luc. 22. c.*
† *Ioan. 18. c.*

Iudas tandem quanta magistrū dilectione sit profecutus, vt pro amoris osculo tradat eum in manus inimicorum osculo proditiōis: & vt maior esset simulatio, eum vocat magistrū, cuius abhorret esse discipulus, imò eum tradit in interitum, vt ab eius liberetur seruitio: & vt inquit Ambros. Suscipit dominus osculum, nõ quòd simulare nos doceret, sed ne proditiōnem fugere videatur. sed implet quod scriptum est: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Petrus autem seruās quod promiserat, eduxit gladium, & primo ictu auriculam serui pontificis amputat, & maiora facturus, si fuisset permissus.

* *Ps. 119. b.*

Et respondens Iesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis comprehendere me. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed vt impleantur scripturæ. Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt.

† *Matt. 26. f.*
† *Luc. 22. f.*
† *Ioan. 18. c.*

C H R I S T V S satellites quales sint ostēdit, quippe quia viri tenebrarū, cum lumen oderint: quia quotidie in templo & lumine palam & nõ occultè docebat, & non apprehenderūt eum: nocte verò media, & tempore tenebrarum, apprehendunt eum. sed non nisi prophætæ prædixissent, & ipse voluisset, non illum tenuissent. Discipuli autè videntes seipsum voluntariè tradidisse, nec opus esse defensione, omnes relicto eo fugerunt, iuxta dictum prophætæ: *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.

* *Ps. 87. d.*
† *Ps. 37. c.*

Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis.

Quis sit iste adolescens, non planè scitur. quidam dicunt Iacobum, quem dicebant fratrem domini, quòd vnica semper sit vsus veste. Cæteri quendam adolescentē domus, in qua comederant coenam: alij Ioannem Euangelistam esse. Neque idem est cum eo de quo Ioannes ipse ait: Sequebatur Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Nam is de quo Marcus ait, Græcè dicitur *νεανιστος*, id est, adolescentulus. Vbi autem interpretes habet: Et tenuerunt eum, nonnulli Græci codices addunt, *ὁ νεανιστος*, id est, adolescentuli, vt scilicet in comitatu *C H R I S T I* adolescentulus quidam esset, cui adolescentuli alij Phariseorum asseclæ, & imitatores, etiam insultarent. Tamen cum quidam Græci codices hoc non habeant additum, præstat textum non immutare.

†Mat. 26.f. †Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem: & conuenerunt omnes
Luc. 22.f. sacerdotes, & scribae, & seniores. Petrus autem à longe secutus est eum, & f-
Ioan. 18.e. que intrò in atrium summi sacerdotis, & sedebat cum ministris ad ignem,
& calefaciebat se.

Ioannes qui his interfuit, docet supra cæteros CHRISTVM primò ad Annam du-
ctum, & quæ ibi gesta sunt, & ab Anna ad Caipham: sed summo mane. Apud verò Annam
Petrus se calefecisse. Vnde Marcus dicit, Calefaciebat se. Græci addunt: πῶς τὸ φῶς, id est, ad
lucem, & non habent, ad ignem. Neque verba sedebat, & calefaciebat. atque ita τὸ πῶς, τὸ
φῶς, id est, ad lumen, iungendum est non cum participio calefaciens, vt putat Caietanus, in-
terpretans, quòd calefaciebat se ad lucem, hoc est ad flammam ignis lucentem, ad differen-
tiam carbonum ignitorum: quasi verò curæ fuerit Euangelistæ id distinguere. Sensus
ergo est, quòd erat Petrus sedens cum ministris ad lumen, & calefaciebant se. Neque o-
ciosè addidit Marcus, quòd sedebat ad lumen, quoniam id factum est, vt facilius inter
tot viros agnosceretur.

Summi verò sacerdotes & omne consilium querebant aduersus Iesum te-
stimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi autem fal-
sum testimonium dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non
erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum,
†Ioan. 2.d. dicentes: Quoniam nos audiimus eum dicentem: †Ego dissoluam templum
hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum readificabo. Et
non erat conueniens testimonium illorum.

A falso enim testimonio CHRISTI condemnationem aggrediuntur, quod maxime
prohibebatur in lege, Deuteron. 19. *Cum diligentissimè perscrutantes inuenerunt falsum
*Deu. 19.d. testem contra fratrem suum dixisse mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit.
Multi autem falsi testes aduenerunt, sed nec eorum erant conuenientia testimonia. Pro con-
uenientia Græcè est, ἰσως, quod Erasinus vertit idonea. Mihi tam magis quadrare videtur
conuenientia, quàm idonea. Nam ἰσως μαρτυρίας vocant, vt puto, æqua testimonia, quæ inter
se consentiunt. Nec minus falsi duo sequentes dicuntur, cum falsa referant. Dixerat enim
CHRISTVS Ioan. 2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hi autem
referebant: Ego dissoluam templum hoc manufactum, &c. Vnde nec immeritò etiã hos fal-
sos testes appellat Euangelista. Nec propterea conueniens erat eorum testimonium, cum
plures hos CHRISTI sermones audissent, nec in eo sensu intellexissent. Pontifex autem
non habens vbi suum fundaret initium, fingit illa esse testimonia. Quod autem dicit post
triduum, Græcè dicitur διὰ τριῶν ἡμερῶν, id est, per tres dies, siue tribus diebus. Docuimus ta-
men ex Budæo, διὰ cum genitiuo interdum sumi pro post. Ideo nec malè vertit interpres.

Exurgens autem summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum dicens:
Non respondes quicquam ad ea quæ tibi obijciuntur ab ijs? Ille autem ta-
cebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, &
dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum:
†Mat. 24.e. †Et videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venien-
†26.g. tem cum nubibus cæli.
Luc. 22.g.

Ioan. 19.d. Cognoscens pontifex omnia hæc testimonia mera esse mendacia, nō tamen cessat ipsum
interrogare, vt occasionem nactus accusationis, iudicij sumat fundamentum: ideo nec illi

CHRISTVS

CHRISTVS respondet tanquam responsione indigno, & tanquam interrogationes pe-
tenti indignas: videns forum iniquum, & tyrannicum tribunal: donec audiat Dei nomen in
medium assumi. Pro cuius reuerentia respondit: Ego sum, quem tu nosse debuisti, cum sis
sacerdos magnus, qui prophetias ignorasse, & earum tempora minimè potuisti, si sacerdo-
tio dignus assumptus fueris. Et quod nunc intelligere negligis, aliquando in malum
tuum videbis.

Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desy-
deramus testes? Audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes
condemnauerunt eum esse reum mortis. †Et cæperunt quidam conspuere †Mat. 26.g.
eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cadere, & dicere ei: Prophe- Luc. 22.f.
tiz a. & ministri alapis eum cadebant. Ioan. 18.c.

Scidit sacerdos vestimenta sua pro more Iudæorum audientium blasphemiam, sed non
absque mysterio, quo scindendum designabatur sacerdotium illorum per peccatum ponti-
ficum. Tunicam verò domini non sciderunt milites, per quam ecclesia CHRISTI figu-
rabatur indiuisibilis. His autem gestis, tãquam blasphemum reum mortis CHRISTVM
damnant, qui nil testimonij ex eo habent, nisi quod virtute diuini nominis fateri coegerit,
quo faciliè ipsum esse Deum cognoscere potuerunt. At contrà illum omni genere contu-
meliarum, iniuriarum, & afflictionum exacerbauerunt, & affecerunt: & post iniquam in
eum sententiam & condemnationem, tanquam in abiectissimum hominem, quicquid in
ora veniebat, in eum debacchabantur.

Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi sa-
cerdotis, & cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum,
ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. At ille negauit, dicens: Ne-
que scio, neque noui quid dicas. Et exijt foras ante atrium, & gal-
lus cantauit.

Petrus autem stare promissis constanter præsumens, ad vocem ancillulæ, nullius etiam
virtutis, Dei gratia destitutus, præceptorem suum negare non erubuit.

†Rursum autem cum vidisset illum ancilla, cæpit dicere circumstantibus: †Mat. 26.g.
Quia hic ex illis est. At iterum negauit. Et post pusillum rursus qui asta- Luc. 22.f.g.
bant, dicebant Petro: Verè ex illis es. nam & Galileus es. Ille autem Ioan. 18.c.
cæpit anathematizare, & iurare: Quia nescio hominem istum, quem di-
citis. Et statim gallus iterum cantauit. Et recordatus est Petrus ver-
bi, quod dixerat ei Iesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis.
†Et cæpit flere. †Mat. 26.g.
Luc. 22.g.

Antequam Petrus secundo CHRISTVM negaret, exierat foras ante principis atrium.
Et vt Marcus solus meminit, tunc primo gallus cantauit. Petro autem reuerso in atrium, se-
cundo ab eo negatur dominus. Cum verò statim exiisset ianuam, vt Matthæus ait, vidit
eum alia ancilla, & dixit eis qui stabant ad ignem: Quia hic erat cum Iesu Nazareno. In
quibus peccatis perseuerans, in grauiora incidit, vt qui minima spernit, in grauiora cor-
ruit. Et tunc gallus cantauit. Et recordatus Petrus verborum domini, cæpit flere. Græ-
cè, ἔτι ἐπιβόων: Quod rectè vertit Interpres. Nam ἐπιβόων, aggredior aliquid, & ca-
pello significat.

CHRISTVS summo mane Pilato sfitur, accusatus non respondet, Barraba dimisso iudicatur, illudatur, & ad crucifigendum ducitur: diuisis eius vestimentis inter duos latrones crucifigitur, ridetur, & blasphematur: ortis super terram tenebris aceto potatus expirat: à cruce depositus à Ioseph cum honore sepultus est.

† Mat. 27. a
Luc. 23. a.
Ioan. 18. e. f.



† T confestim mane concilium facientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis, & uniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt & tradiderunt Pilato.

Ex Cæsaris instituto Iudæi mortis pœnam non infligebant, sed damnatum ab eis morte moris erat, illum seculari iudici tradere: quod & de CHRISTO faciunt, ducentes eum vinctum ad Pilatum præsidem.

† Mat. 27. b
Ioan. 19. b.

Et interrogauit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. † Pilatus autem rursum interrogauit eum, dicens: Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusant. Iesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

Cùm Pilatus Cæsaris apud Palestinam vices gereret, cauere maximè debuit, ne quis regnum illud affectans Pilatum Romanis redderet infensum. Ideo non immerito querit: Tu es Rex Iudæorum: Cui nihil hæsitans respondit: Tu dicis. Nec his contenti sacerdotes prædicta testimonia falsa coram Pilato proferebant, at Iesus ut prius, tacuit. Cui Pilatus ait: Vide in quantis te accusant. Græcè est, ὅσοι σὲ καταμαρτυροῦσιν, id est, vide quanta aduersum te adducunt testimonia: quæ non magis quàm superiora curat.

† Mat. 27. b
Luc. 23. c.
Ioan. 18. g.

† Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis quemcunque petissent. Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cùm seditiosus erat vinctus: qui in seditione fecerat homicidium: Et cùm ascendisset turba cepit rogare sicut semper faciebat illis: Pilatus autem respondit eis, & dixit: † Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam ut magis Barrabam dimitteret eis.

† Mat. 27. b
Luc. 23. c.

Moris erat Iudæis vnum vinctum quantumuis perniciosum in festo paschatis à Iudice seculari expetere absolendum, at quoniam Pilatus CHRISTVM ut innocentè liberare non poterat, Iudæis illum tanquam malefactorem proposuit liberandū. Propterea eum proposuit illis quem non dubitabat eligendum, sciens quia per inuidiam traditus esset. Barrabas verò perniciosissimus, & vrbi infensissimus esset, ideo quencunque vellent amborū dat eorum optioni eligendum. At cùm ascendisset turba: Græci habent, ἀναβουσάς, id est, acclamasset. Interpres autem legit ἀναβουσάς, sublato ὀμιλον, sensus est autem: Cùm ascendisset siue acclamasset turba forte à senioribus ad hoc inducta, cepit rogare & postulare Pilatum, ut cōsuetudinem obseruaret hætenus solitam, & faceret sicut semper faciebat illis, nimirum ut vnum illis vinctum daret. Hanc autem turbæ postulationem solus recitat Marcus. Pilatus autem gaudens, sperabat illos petere CHRISTVM, quem sciebat per inuidiā traditum: ideo petit, nonne vellent illum. Turba per pontifices excitata potius elegit Barrabam.

Pilatus

Pilatus autem iterum respondens, ait illis: † Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, † dimisit illis Barrabam, & tradidit Iesum flagellis cæsum ut crucifigeretur.

Quod autem dicitur, regi Iudæorum, Græcè est: ὃν λέγετε βασιλῆα τῶν Ἰουδαίων. Id est, quem vocatis regem Iudæorum, quoniam sua spe fraudatur, rogat saltem eorum iudicium, non arguens eos quòd liberauerint nocentem, sed vel saltem parcerent innocenti, sed post Isaiam dicere poterat: * Expectaui vt facerent iudicium, fecerunt autem iniquitatem. Nec enim turbæ solū, sed & principes & seniores, vehementius clamant vt crucifigatur, tanquam malefici criminis reus.

† Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei, plectentes spineam coronam. Et ceperunt salutare eum: Ave Rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum.

In atrium prætorij, Græcè, ἔσω τῆς ἀουλῆς ὁ ἴσθι πραιτόριον. Id est, in aulam quod est prætorium, siue atrium. Est autem atrium porticus in ingressu domus, vbi ferè solet esse prætorium, iis in domibus præsertim quæ causas tractare habent. Et illic induunt eum purpuram, quam Matthæus chlamydem vocat coccineam, Ioannes vestem purpuream. Hac autem veste illudebant ei tanquam regi Iudæorum, spinea verò corona pro diademate regio, atque arundine pro sceptro omnem CHRISTO iniuriam, quam Iudæis hostibus eius placere putabant, imò quamcunque excogitare possent, irreuerantiam inferebant, modò illum irrisoriè adorantes, modò verbis exprobrantibus salutantes, modò alapis in faciem, aut collaphis in collum cædentes: & tanquam inuiti veritatem præfagientes.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt illum vestimentis suis, & educunt illum ut crucifigerent eum. † Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem eius.

Matthæus dicit quòd exuerunt eum chlamyde, intelligendum est chlamyde purpurea quam illum pro ludibrio induerant. Illudum verò induerunt suis vestimentis, & eduxerunt vt crucifigeretur. Et primò imposuerunt illi crucem, deinde ne deficeret in via coegerunt Simonem Cyrenæum vt iuuaret eum: qui celebratur tanquam ex fama benemeritus vt mereretur duos habere filios CHRISTI discipulos.

† Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Caluarie locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.

Ductus est CHRISTVS in Caluarie locum, vbi & decollabantur criminosi, & suspendebantur. Inde ibi cernebantur capita olim suspensorum. Et antequam CHRISTVM suspenderent dederunt vinum myrrhatum, & non accepit. Matthæus autem dicit: dederunt ei acetum felle mixtum, tanquam illudentes. Aceto nanque fel miscuerunt, vt acrius fieret & amarius: quòd acerbi essent Iudæi & amari.

† Et crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis

R iij

quis quid tolleret. Erat autem tertia, & crucifixerunt eum. Et erat titulus causa eius inscriptus: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris eius. Et impleta est scriptura quæ dicit: *†* Et cum iniquis reputatus est.

† Isa. 53. d
Matt. 27. c

Matthæus & Marcus dicunt, milites CHRISTI vestimenta per sortem diuifisse. Ioannes verò specialius scribit: De vestimentis eius fecerunt quatuor partes, quas inter se diuiferunt: super vestem verò miserunt sortem, iuxta prophetiam: * Diuiferunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et erat hora tertia quando crucifixerunt eum, Id est, nona ante meridiem, quæ tertia erat ab orto sole, quando diem incipiebant. Siquidem hora tertia crucifixus est dominus, quemadmodum Marci textus Græcè habet, neque in eo mendum est. Sex enim horas pendit in cruce, antequam moreretur dominus. Hiero. in Psal. 77. annotat in Marco scriptum fuisse hora sexta, notula senarij numeri, quæ est 6. sed descriptorum abusu esse 6, quæ est notula numeri ternarij, pro 6. At cum Lucas dicat quod hora ferè sexta factæ sunt tenebræ, ante quod factum multa acta sunt, CHRISTO pendenti in cruce, multa in eum iactata conuitia, collocutio CHRISTI ad Mariam & Ioannem, verisimilius est hora tertia crucifixum esse, à quo tempore vsque ad excitationem tenebras horæ penè tres intercesserunt: & ab excitationis tenebris, vsque ad CHRISTI mortem, horæ tres alia.

Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: *†* Uah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reedificas: saluum fac te ipsum, descendens de cruce. Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant: *†* Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.

† Ioan. 2. d

† Mat. 27. c
Luc. 23. f

* Isa. 1. b

* Psal. 17. g

In multis blasphemauerunt eum prius, vt ait Hiero. in Isa. super illud: * Blasphemaue- runt sanctum Israel, vt pote clamando: Nonne hic est filius fabri. &: Dæmonium habet. &: Samaritanus est. &: Non habemus regem nisi Cæsarem. Quia igitur dereliquerunt CHRISTVM, & blasphemauerunt sanctum Israel, idcirco abalienati sunt retrorsum: vt qui appellabantur pars, & filij DEI, postea de his diceretur: * Filij alieni mentiti sunt mihi. Vnde Iudæi filij DEI vocabulum scripturis sibi creditum blasphemantes irrident. milites autem ignari scripturarum, non sub filij DEI nomine CHRISTO insultant, sed sub nomine regis Iudæorum. Quod autem latrones cum eo crucifixi, CHRISTO conuitiari dicantur, vel hoc dicitur, quia in principio vterque conuitiabatur, sed statim viso terræ motu, tenebris, & aliis mirabilibus, alter eorum credidit, & illum filium DEI confessus est, gentiles figurans, altero cum Iudæis in infidelitate permanente.

Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram vsque in horam nonam. Et hora nona exclamauit Iesus voce magna, dicens: Eloi, eloi, lam-masabathani. Quod est interpretatum: *†* Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

† Psal. 21. a

* Iere. 15. b

* Amos 8. c

Has tenebras nemo negabit fuisse miraculosas, cum plenam fuisse lunam constet in die passionis, vt prophetia Ieremiæ 15. impletur: * Occubuit sol, cum adhuc media esset dies. Retraxit sol radios, ne aut pendente dominum videret, aut impij sua luce fruerentur. Et Amos 8: * Occumbet sol in meridie, & contenebrabitur super terram in die lux. Vt igitur qui manus impias in CHRISTVM ausi sunt iniicere, priuari meruerunt tribus horis lumine

mine patris, splendore filij, & illustratione spiritus sancti: iuxta prophetiam: * Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Inde CHRISTVS culpæ primæ grauiter attedens, * Exclamauit clamore & fletu valido, & exauditus est pro sua reuerentia. In quo ostendit quantum flere debeant qui peccant, quædo sic fleuit, * Qui nunquam peccauit, nec inuentus est dolus in ore eius. Eius autem clamor huiusmodi erat: *†* Eloi, eloi, lam-masabathani, quod interpretatur, DEVS meus, DEVS meus, quare me dereliquisti? non quod se putaret à DEO patre derelictum, verum ostendere volens, quoniam his calamitatibus implicatus, ad cuius animam vsque intrauerant aquæ, à patre volente traditus, & talia pati permittus, vt populus qui apud patrem adeo fuerat honoratus, reciperet quam in illum mercedem fuerat lucratus: implens patrum suorum mensuram, & quæ super prophetas exercuerat, vt diuinæ profectionis lumine priuaretur, & in tenebris efficeretur, qui verum à se lumen abiecerat, dicens: Tolle, tolle, crucifige eum.

Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce, Eliam vocat. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

Hos autem existimandum est fuisse gentiles, & fortè Romanos milites, Hebræum Idioma non capientes, vel si Iudæi fuerint, hoc per irrisionem dixisse: quasi ad Eliæ nomen alluderet. sed vt suam manifestarent leuitatem, & sui cordis inanem cadernam, & vagum latibulum, spongia vtuntur ad dominum sumum potandum.

† Iesus autem emissa voce magna, expirauit. Et velum templi scissum est in duo, à summo vsque deorsum.

† Mat. 27. f

Luc. 23. e

Ioan. 19. e

Nos morientes submissa voce, vel quasi nulla expiramus, qui de terra venimus, & redimus in terram. hic autem qui de cælo venerat, statim rediturus in cælum, exaltauit vocem suam, vt nemo præsentium ignoraret vocem eius, plusquam humanam. Quæ autem fuerit hæc vox, insinuat Lucas, dicens: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Sed quam vocem mirabilia multa sunt secuta: Marcus solum templi velum refert scissum, cæteri Euangelistæ cætera narrant. Velum autem ideo scissum est, vt legis sacramenta multis tecta velaminibus, gentibus paterent, & ad eas vsque transirent, à summo mundi exordio, vsque ad finem eius.

Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome. Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei: & alia multe, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam.

† Mat. 27. f

Centurio gentilis legem ignorans, ex mira CHRISTI expirantis voce, & plusquam hominis, & tot tantisque interea mirabilibus, CHRISTVM DEI filium audet vocare, & gens Iudaica adeo excæcata non erubescit talem & tantum scripturis satis superque probatum manifestè negare, vt palam verum fiat: Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. nec solum Centurio, sed & milites qui cum eo erant, qui & gentiles talem ipsum confitentur. imò & mulieres à longe spectaculum cernentes, quas CHRISTVS ad mortem vsque comites habuerat, eius morte compatiabantur, insultantibus & furentibus in eum miseris & feris Iudæis.

†*Mat. 27. g* † *Et cum iam serò esset factū quia erat parasceue, (quod est ante sabbatum)*
Luc. 23. g *venit Ioseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui & ipse erat expectans re-*
Ioan. 19. g *gnum Dei: & audacter introiit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Pila-*
tus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito Centurione, interrogauit
eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à Centurione, donauit cor-
pus Ioseph.

Non est intelligendum quod ab Arimathæa venerit, sed ortus ab Arimathæa, Græcè, ἀπὸ ἀριμαθαίας, quod est, ortus ab Arimathæa, venit ad Pilatum corpus I E S V petiturus. Est autem Arimathæa, quæ & 1. Reg. 1. dicitur Ramatha, siue Ramathain Sophim. Hiero. teste, ciuitas Elchanæ, patris Samuelis, in regione Thamnitica iuxta Diospolim, huius Ioseph patria, vt videre est apud Hiero. de locis Hebraicis. Quod verò sequitur, nobilis decurio, Græcè est ἐν χήμων βουλευτής, quod Erasmus vertit honestus senator. Certè interpres βουλευτήν decurionem vocat, quod senatores essent municipales, quos vocamus vrbs consules: qualem putes eum dignitatem obtinuisse Ierosolymis. Rationem verò reddit, cur I E S V corpus Ioseph petierit, quia scilicet expectabat regnum D E I. Pilatus autem admirabatur quod I E S V adeo leuiter obiisset, quem credebat tanquam diuinum hominem tardè moriturum, qui ceteros vita & virtute excederet, & mortuos excitaret.

†*Mat. 27. g* † *Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone, &*
Luc. 23. g *posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra: & aduoluit lapi-*
Ioan. 19. g *dem ad ostium monumenti. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph*
aspiciebant vbi poneretur.

Marcus Nicodemum silentio pertransiit, qui & aromata secum detulit ad impediendam corruptionem, nec hoc frustra dicit Hieronymus, Ioannem referentem, sicut mos est Iudeis sepelire, quia in officiis mortuorum morem cuiusque gentis monuit esse seruandum. Ioseph igitur sindonem mercatus, & Nicodemus aromata, vt duorum sufficeret testimonium. Sed & mulieres aspiciebant vbi poneretur, vt & sua præstarent obsequia, & transactosabbato venirent ad vngendum eum, sicut & re vera venerunt.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quoniam sola mulieres ceteris fugientibus dominum comitantur ad vsque sepulchrum, ideo primis angelus apparens illum resurrexisse nunciat: sed & ipse præ ceteris discipulis mulieribus apparuit. Post plurimas vero apparitiones discipulis cernentibus & mirantibus in cælum ascendit.

†*Mat. 28. a*
Luc. 24. a
Ioan. 20. a



† *Et cum transisset sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.*

Videtur hoc loco Marcus à Luca dissentire. Nam Marcus dicit, quod ipsa die sabbati ad vesperam. Hoc est enim quod ait: cum transisset sabbatum: nam solennitas cessabat ad secundam vesperam. Lucas autem videtur dicere, quod reuertentes mulieres à sepulto domino, ipsa die parasceues parauerunt aromata & vnguenta, & sabbato quidem siluerunt. Non ergo emerunt aromata ad vesperam secundam sabbati, sed dicendum est, quod die veneris proficiscentes ad vnguentarios & pharmacopolas, parauerunt

rauerunt quidem aromata, sed nondum emerunt, donec sabbatum transisset.

Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

Valde mane, hoc est, summo diluculo, & vt ait Ioannes, cum adhuc tenebræ essent, proficisci coeperunt mulieres ad monumentum euntes, sed antequam ad sepulchrum peruenissent, iam ortus fuit illis sol. Nec immeritò lucis & tenebrarum meminit, quia primus homo per peccatum à luce paradisi in tenebras lapsus, mundum tenebris ærumnisue inuoluit, quas lux solis orientis exclusit, & per resurrectionis fidem à peccati tenebris & vmbra mortis ad vitæ lucem C H R I S T O largiente reduxit. Iuxta beati Iob fidem, dicens: * Post tenebras spero lucem: qui resurrectionis fidem habebat. Cum autem mulieres sollicitæ curarent lapidis reuolutionem, angelus cum terræ motu asstitit, qui reuoluto lapide monumentum patefecit.

† *Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenē sedentem in dextris, co-*
† Mat. 28. a
opertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expauescere. Iesum queritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hîc. Ecce locus
Luc. 24. a
vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galileam. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Intrò gressæ mulieres in antrum sepulchri, viderunt iuuenem sedentem in dextris, & vt ait Beda, ad partem meridianam: quia dum corpus iacebat, caput ad occasum, pedes ad ortum, dextrum ad meridiem, & sinistrum ad aquilonem: quod verum est de corpore ita iacente, non tamen de sepulchro, quod facile intellexerim, dextrum sepulchri ad orientem, sinistrum verò occidentem versus. Dixit autem ad mulieres angelus: Scio vos I E S V M quærere. Græci sequētibus articulos præponunt, illum scilicet Nazarenum, & illū crucifixum. Non est hîc mortuus qualem quæritis, sed resurrexit viuus. Non est hîc mortuus, qui nunquam deest viuus. Quia verò per mulierem mors viro fuit annunciata, sic vita mulieribus viris committitur annuncianda. Et hoc in Galilæa: quæ transmigratio dicitur, quod iam C H R I S T V S à morte ad vitam, & à vita mortali ad immortalem transmigrauerat.

At illæ exeuntes fugerunt de monumento: Inuaserat enim eas tremor & pavor, & nemini quicquam dixerunt. Timebant enim.

Matthæus autem dicit, quod exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Similiter & Lucas dicit, quod regressæ à monumento, nunciauerunt illis vndecim omnia quæ audierant & viderant. Intellige ergo quod nemini quicquam in via dixerunt, donec ad apostolos venissent.

Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de qua eiecerat septem demonia. Illa vadens nunciauit his qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audiētes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt. † Post hæc autem duobus ex his ambulanti-
† Luc. 24. c
tibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam: & illi euntes nunciauerunt ceteris, nec illis crediderunt.

Maria Magdalena primo aditu cum ceteris solum angelum vidit: quo viso nunciat di-

CAP. 16. EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

scipulis visionem. reuersa vero diligenter, cum iuxta monumentum fleret, apparuit illi IESVS in habitu hortolani, hæc autem cæteris nunciante mulieribus, rursus CHRISTVS omnibus apparet. de qua apparitione Magdalena Ioannes 20. per amplius habet. At de apparitione facta duobus discipulis, vide Luc. 24.

† Matt. 28. d. † *Novissimè autem recumbentibus illis undecim, apparuit, & exprobrauit Luc. 24. f. incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia iis qui viderant eum re- Ioan. 20. g. surrexisse non crediderunt. Et dixit eis: † Euntes in mundum uniuersum Luc. 10. c. predicare Euangelium omni creatura. Qui crediderit & baptizatus fuerit, Dist. 36. ca. saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Qui eccle- siasticis.*

Ex Euangelistis autem non satis constat quando à Galilæa CHRISTVS discipulos Ierofolyam reuocauerit. Hic tamen, & ex primo Act. liquet, CHRISTVM eos ab Ierofolyamis in montem Oliuarum eduxisse, vt suæ ascensionis in celos testes essent, quibus cernentibus eleuatus est in celum. Quibus tamen prius fidei necessaria cunctis prædicanda intulit, dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Non dixit: Qui baptizatus non fuerit: quoniam simpliciter non est necessarius aquæ baptismus, vt fides. Nam catechumeni credentes, si desit oportunitas baptisandi, fide saluantur, & baptismo flaminis martyres nondum baptizati, & cæteri baptismo sanguinis, vel ignis, quibus tamen fide opus est.

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo demonia eicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super agros manus imponent, & bene habebunt.


Hæc autem signa quæ addit hic Marcus, gratiæ sunt gratis datæ à spiritu sancto, quæ in primitiua fiebant ecclesia à credentibus, in confirmationem fidei, & prædicati Euangelij: quæ cum ad literam intelligantur, expositione morali non est opus, præsertim scholiastæ.

† Act. 1. b. † *Et dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœ- Luc. 24. g. lum, & sedet à dextris Dei: † Illi autem profecti, prædicauerunt ubique, † Dist. 21. ca. in nouo. domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Marcus hunc à dextris DEI federe dicit: Stephanus uero vidit eum stantem, quia federe iudicantis est, qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum. stare tamen ipsum, non repugnat, qui semper paratus est iuuare petentes. Cætera ex aliis patent Euangelistis, & Actibus Apostolicis.

FINIS scholiorum in Marcum.

PROOEMIUM BEATI LUCAE IN EUANGELIUM SUUM.



Voniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes, quæ in nobis completæ sunt, rerum.

Modeste hoc prologo Lucas causam adfert, quare adorsus sit Euangelium scribere: nimirum quia alij alia conscripserant Euangelia, fortasse minus certi de qua re scriberent, quodque inter eos multa circumferrentur falso nomine inscripta. Solus autem ex Euangelistis Lucas prologis vsus se sunt, vel adorsus sunt ordinare narrationes: Græcè ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν περὶ ληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. ἀνατάξασθαι autem idem significat cum συντάξασθαι, id est, studiose aliquid componere & scribere. Vnde σύνταγμα dicitur volumen studio conscriptum & elaboratum. τῶν ληροφορησάτων autem significat certissimè aliquid nosse, & pro compertissimo habere. Ideo sic vertere locum possumus: Quoniam plerique earum rerum narrationem conscribere aggressi sunt, quæ indubitata sunt inter nos, ac persuasissima fidei.

Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

Pro iis quinque uocabulis nouissimis, Græcè vnicum est ἀντόπισαι. ἀντόπισαι autem Græcis dicitur, qui qua narrat, ipse vidit. Plautus testem oculatum appellat. Ministri fuerunt sermonis, Græcè, καὶ ὑπηρέται τῶ λόγῳ. ὑπηρέτης autem Græcis obsequiosus minister dicitur, qui omnem quam potest domino nauat operam. τὸ sermonis autem, & Græcum λόγῳ, quidam exponunt de verbo Euangelico, de Apostolis videlicet, qui Euangelicam prædicationem aliis ministrarunt. Mihi aptius videtur, vt τῶ λόγῳ CHRISTVM, DEI patris verbum ac sermonem intelligamus. Et hæc duo uerba Græca ἀντόπισαι καὶ ὑπηρέται ad illum referamus, vt sit sensus: Quemadmodum nobis tradiderunt, qui ab initio diuini uerbi spectatores fuerunt atque ministri, id est, qui ab initio illum viderunt: quod intelligas ab initio prædicationis Euangelicæ, & illi inseruierunt. Certè mihi longius petitum videtur, quod ὑπηρέται τῶ λόγῳ Erasmus vertit: ac pars aliqua fuerant eorum quæ narrabant, præstat enim intelligere, quemadmodum nobis tradiderunt, qui spectatores illius semper fuerunt, ac ministri assidui.

Visum est & mihi affecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere optimè Theophile:

Pro affecuto, Græcè est περιουλοῦσθαι. περιουλοῦσθαι autem hic significat potius affectari, quam assequi: quomodo assequi & consequi Latini dicunt, pro animo vel oratione comprehendere. Atque ita sensus est: Visum est & mihi, qui omnia ab initio affecutus sum, & didici ab iis, qui actorum CHRISTI spectatores, & oculati testes fuerunt, diuinique ipsius uerbi assidui illius ministri & affectæ, tibi scribere. Videtur & mihi hic τὸ περιουλοῦσθαι pro affectari sumi posse, vt dictum est, & assiduum atque individuum comitem alicui se præbere. neque mihi videtur τὸ καὶ ὡς περιουλοῦσθαι referri debere ad præcedentia, sed magis ad sequentia. εὐδοξέω καὶ ἐγὼ, id est, visum est & mihi. Quis enim sensus est, quoniam multi conati sunt, & aggressi ordinare, & conscribere narrationem rerum inter nos completarum, aut certissimarum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio spectatores ac ministri uerbi fuerunt. Eorum enim uerborum sensus alius nullus esse potest, nisi quod spectatores illi ac ministri uerbi Luca tradiderunt, plures aggressos rerum completarum & certissimarum narrationem scribere: quod mihi non videtur velle dicere Lucas. Sed quod cum plerique de rebus persuasissima fidei inter Christianos historiam scribere aggressi essent, visum sit & illi, quemadmodum ab illis CHRISTI ministris acceperat, quibus ab initio prædicantis CHRISTI assiduum se comitem præbuerat, ad Theophilum exactè scribere. Itaque hoc modo commodius mihi verti posse prologus videtur: quia plerique earum rerum narrationem

S

conscribere aggressi sunt, quas pro certissimis ipsi & persuasissimis habemus, quemadmodum eas nobis tradidere, qui ab initio diuini verbi & CHRISTI speculatores oculati, assidueque ministri fuerunt. ita & mihi visum est, qui a principio omnium illorum affectator & comes indiuiduus fuerim, vel qui omnia a principio ad calcem affectus sum, & ab illis didici, accuratius deinceps in de rebus optime Theophile ad te scribere, ut quibus de rebus instructus ante fueras & eruditus, certissimam veritatem agnoscas. *ἄνωθεν* autem, quod interpres vertit ab initio, Latine significat (desuper) & ab initio ad finem. Primo modo sensus esse potest: Visum est mihi omnia desuper, hoc est cœlitus à diuina gratia affecto. Secundo modo sensus est: Visum est & mihi, qui omnia a principio scilicet actorum CHRISTI affectus sum. Similiter ἀκριβῶς, quod interpres vertit diligenter, quidam referunt ad τὸ ἀκριβοῦς ἔχειν, ut sit sensus: Qui omnia diligenter affectus sum, præstat tamen referre ad τὸ γράψαι, id est, scribere, ut sit sensus: Visum est mihi exactè & diligenter ad te scribere. Visitatus enim mihi videtur: Visum est mihi ad te scribere, quam: Visum est mihi ut ad te scriberem.

Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus sum, veritatem.

Pro cognoscas, Græcè est ἐπιγινώσκω, id est, agnoscas. Cognoscimus enim ante nobis incognita. Pro eruditus, est ἐκτετυχημένος. Est autem proprie ἐκτετυχεῖν viua voce erudire & instruere aliquem. Quomodo in primitiua ecclesia, qui ad sacrum baptismum accedere volebant, de Christiana fidei mysteriis erudiebantur. Quod ideo ἐκτετυχόμενοι appellabantur, iam in fidem eruditi & instructi, ac nondum baptizati. Sensus est ergo: Visum est mihi ad te scribere, ut eorum qua ἐκτετυχόμενος cognouisti, veritatem agnoscas. Pro eo autem quod interpres habet veritatem, Græcè est ἀσφάλεια, id est, certitudinem. Interpres autem legit, ἀκριβῶς ἔχειν, id est, ut certissimè agnoscas, qua utcumque catechumenus nouisti.

CAPUT PRIMUM
LUCÆ.

Fungenti Zacharia uice sua, filium nasciturum angelus nunciat: cui credere nollens, mutus efficitur ad pueri natiuitatem, & Maria uero pregnante Elizabeth pregnans mutuo uisitat, qua nato filio Ioanni, nomen indidit patre prophetante.

11. Paral. 24.4



Uit in diebus Herodis regis Iudæe sacerdos quidam nomine Zacharias, † de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth.

De uice Abia, Græcè ἐξ ἐφημερίας. Græcum autem uocabulum, & familiariam significat, & vicem. Erat enim Zacharias & de familia Abia, & de uice ipsius. Quod ut intelligamus, repetere nonnulla oportet ex 1. Paralip. 24. ubi filiis Aaron sacerdotalia munia per uices administranda Dauid distribuit. In qua diuisione & distributione octaua fors Abia contigit: vnusquisque autem vicissim secundum ordinem suæ fortis ministrare debebat in templo. Itaque tempore quo hæc facta sunt quæ scripsit Lucas, Zacharias, qui de tribu & familia Abia erat, in uice sua ministrandi, id est, quod uulgo dicitur, in turno suo erat. Est enim quod paulò post scribit: Cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suæ secundum consuetudinem sacerdotij. Nam filij & posterij eorum qui tunc à Dauide instituti sunt, patribus succedebant in sacerdotio secundum uices suas & turnos. Zachariam autem de tribu Aaron fuisse, ex hoc loco dupliciter constat: Primum quòd eius uxor Elizabeth de filiabus Aaron esset, neque cuique Iudæo liceret extra tribum suam uxorem capere: Deinde quòd de uice

de uice Abia esset, Abia autem de filiis Aaron.

Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela.

Commendantur autem à Luca parentes Ioannis, quòd iusti essent, in omnibus mandatis & iustificationibus domini incedentes sine querela. Vbi pro iustificationibus Græci habent δικαιομασι. Quidam iustificationes, ceremonialia intelligunt, mandata, præcepta moralia. Tu amplius consule Hebræos. Pro eo autem quod interpres habet sine querela, Græci habent ἀμεμπτοι, ἀπὸ τῆς μέμφομαι, quod significat conqueri de aliquo, & eum incusare ac reprehendere. Erasmus vertit irreprehensibiles. Mihi melius Græcam uocem uidetur reddidisse interpres. Nam ἀμεμπτος Græcis dicitur is qui tam modestè se in suo munere gerit, ut neque de eo quispiam conqueratur, neque ipse de quopiam: quod exprimi vno uerbo non potuit, dicendo: irreprehensibilis aut inculpatus. Interpres autem cùm ait sine querela, intelligere potuit, quòd nemo de iis conquereretur, neque ipsi de aliquo.

Et non erat illis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

Quia ut plurimum iusti filios generant iustos. Ut igitur Ioannem iustum innuat, parentes eius prædixit iustos, & ut eius sanctitatem insinuet, conceptionem duplici de causa asserit miraculosam, & quòd mater eius sterilis esset, & quòd ea & uir eius senes admodum essent.

† Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suæ ante Deum secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensu. † Dist. 31. ca. Tenere.

Hoc est, contigit cùm pro ordine uicis suæ secundum consuetudinem sacerdotalis functionis (qua scilicet vicissim unaquæque tribus sacerdotale munus obibat) sacerdotio fungeretur Zacharias: quod fors exiit ut incensum poneret. Græcè pro sorte exiit ut incensum poneret, ἔλαχε τὴν θυμιάσαι. Id est, sorte designatus est qui incensum poneret, siue qui thus incenderet. λαγχάνω enim fortiri significat, & λαγχάνειν, βεβαίειν dicitur, qui designabatur sorte senator. Cùm enim de eadem tribu sua uice multi sacerdotes essent, sorte eligebatur inter eos qui templum introiret, & incensum adoleret. Contigit autem ut qui de uice illa erat, Zacharias ea die designaretur ad adolendum incensum. Puto autem illam diem fuisse uel solennem expiationis decima die Septembris, uel tubarum decima quinta die, uel cœtus uicesima secunda die, unde ad natiuitatem Ioannis nouem sunt menses, qui conceptus est in æquinoctio autumnali, natus uero in solstitio æstiuo: sicut CHRISTVS conceptus est in æquinoctio uernali, natus uero in solstitio hyemali: de quibus Chrysosto. elegantem scripsit homiliam in principio Lucæ. Cùm autem duplex fuerit thymiamatis seu incensu usus: vnus quotidianus, quando singulis diebus, mane scilicet ac uesperis incendebatur, ut scribitur Exod. 30. Alter qui fiebat in die expiationis in ipso sanctuario: ut habetur Leuiti. 16. cùm dicitur, quòd pontifex hauriens manu compositum thymiamata in incensum ultra uelum intrabit in sancta, ut positus super ignem aromatibus coram domino, nebula eorum & vapor operiat oraculum quod est supra testimonium, & non moriatur. Dubium est, fuerit ne quotidianum, an expiationis thymiamata. Caietanus putat fuisse thymiamata expiationis: quòd de Zacharia Lucas dicat, quòd ingressus est in templum domini, & quòd dicendo templum absolute intelligebat sanctum sanctorum. Vereor autem ut non de hoc thymiamate intelligat, quod solius summi sacerdotis erat offerre in ipso sanctuario, quod etiam solus summus sacerdos ingrediebatur.

† Act. 12. b
1. q. 1. cano.
Nonne.

† Apparuit autem illi angelus domini stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. ait autem ad eum angelus:

Præterea dicit Lucas, quo ingresso illi apparuit angelus stans à dextris altaris incensi, de quo consule Paulum Iudæum, quid erat, & in quâ parte templi. Certè ipse Caietanus dicit illud altare esse, in quo quotidie sacerdotes mane ac vespere thymiana adolebant: quâquam opinionem suam tutaturus, dicit post incensum factum in sanctuario, regressum, & orasse ad altare incensi. Populus autem erat orans foris hora incensi. Foris, extra atrium scilicet. Nam ut populo non licebat in sanctuario orare, sic neque in atrio. Consule tamen Hebræos. Nota autem quod pro his verbis, ut incensum poneret, Græcè est vnicum verbum θυμιαμα, quod Erasmus vertit, ut odores incenderet. Maluissimè thus aut suffitum dicere, quod odoris vocabulum indifferens sit ad suaue & grauem odorem. In quo loco nota Caietani argutiam: poneret inquit, non adoleret: hoc enim verbo manifestat, quod non de adolere, sed ponere thymiana loquitur, cum Græcè non sit verbum Latino respondens. τὸ poneret: sed vnicum θυμιαμα, quod significat suffire, siue thus & suffitum adolere.

Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.

Quod autem angeli visione turbatum dicit Zachariam, mirum non est. Ad subitam enim angelorum visionem, primum turbatos, deinde verò consolatos viros sanctos multis exemplis scriptura docet. Quoniam ab initio sæpius terrorem afferre solet angelorum visio, ad Zachariæ igitur consolationem ne timeas inquit angelus: Non enim veni ut te perterrefaciam, sed ut consolet, iucundum aclatum nuncium afferens, quoniam exaudita est deprecatio tua, siue de aduentu Messiae, siue de auferendo ab Elisabeth sterilitatis probro. Ipsa enim pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Non nisi equidem magnis atq; insignibus viris imposita coelitus nomina videmus. Sic Isaac, sic Salomoni, sic CHRISTO, sic eius præcurfiori Ioanni. Bene autem Ioannes nomen illi impositum est, Hebraicè Ioanna, quod gratiosum significat. Gratosus enim non esse non poterat, qui præstandæ per CHRISTVM gratiæ præco foret. Vnde & rectè angelus futurum prædicit, ut de natiuitate eius non modo Zacharias ipse, sed & multi alij gaudeant.

Erit enim magnus coram domino, & vinum, & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Et multos filiorum Israel conuertet ad dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.

Parua gloria est in hominum æstimatione esse, magnamque censeri ab illis qui falli possunt: CHRISTI autem testimonio probari, quem nihil latet, quem fallere nemo potest, qui nemini nouit adulari, plurimum est. Hoc tum deniq; summa laus est, quale fuit ad turbas de Ioanne preconium ac testimonium: quem ubi comendasset à cultus victusque austeritate, morum integritate, animique constantia: tum demum conclusit: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne baptista. Sed vide ut ista commodius in illum locum referantur. Commendat quoque angelus Ioannem ab austeritate vitæ, dicens: Vinum & siceram non bibet. Sicerca autem Hebræa vox est, significans quicquid potum inebriare potest, & statum mentis euertere. Caietanus autem ait, significare omnem potum alium à vino, qui inebriare potest. Consule Hebræos. Deinde commendat eum à diuina gratia, qua ab utero matris infusus est. Demum à meritis sequentibus: quippe qui auersos à DEO Israelitas ad CHRISTVM conuertitur esset, præcessurus dominum in spiritu & virtute Eliæ: ut quemadmodum Elias aduentum CHRISTI in iudicium

iudicium præcessurus erat, sic aduentum CHRISTI in carnem Ioannes. Quod autem dicit in spiritu & virtute Eliæ, intelligendum est non minori virtute ac gratia, quàm Elias: ne fortè intelligas propter vocabulum spiritus, eandem fuisse vtrique animam, & ex consequenti eandem virtutem.

Ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam.

τὸ parare, Græcè est ἐπιμαρτυροῦμαι, quod conuerti debet ad connexionem, ut patet ἐπιμαρτυροῦμαι, id est, ut conuertat, scilicet corda patrum ad filios. Fateor autem quid illud sit nõdum planè intelligere. Caietanus exponit: qui conuertat corda patrum in filios, id est, hominum veteris testamenti, in homines noui testamenti. Sed quid sibi velit hæc expositio, minus intelligo. Fortasse ita exponi posset: ut corda patrum, Abrahæ scilicet, Isaac, & Iacob, aliorumque veterum patrum mentem animamque conuertat in filios, id est, eorum posteros Iudæos nunc incredulos: Id est, ut fidelem credulamque patrum mentem transire faciat ad filios, eosque perinde ac patres credulos faciat. Idem enim est cum eo quod subdit: & incredulos scilicet conuertat ad prudentiam iustorum, id est, ut incredulos Iudæos sapere faciat, & ad imitationem iustorum credere. Puto autem positum esse: conuertat corda patrum in filios, pro conuertat filios ad corda patrum, id est, ad imitationem animi voluntatisque parentum: sicut postea non dixit: conuertat prudentiam iustorum ad incredulos, sed incredulos ad prudentiam iustorum. Fortasse enim τὸ ἐπιμαρτυροῦμαι, quod nunc legitur adiunctum τὸ τερνάζειν, id est, in filios, iunctum erat τὸ καρποποιεῖν: ut scilicet conuertat in corda patrum filios, id est, ut filios nouissimos, scilicet patrum fidem, & obsecundantem animum imitari faciat. & ut patet domino plebem perfectam. Pro perfectam, Græcè est κατεσκευασμένον. Hoc autem loco Caietanus versionem nostram emendaturus, perfectam inquit, pro apparatam. Nam significatur quod Ioannes studebit ad hoc, non ut plebem reddat perfectam, sed ad hoc ut reddat eam adornatam, apparatam, ad suscipiendum IESVM verum Messiam. Atqui ignorabat Caietanus, eiusque Græcus interpres, & quod Erasmus fortasse, & è cuius annotationibus id desumpsit malè intellexit, τὸ κατεσκευάζομαι, significare idem quod perficio & absoluo. Quis autem Caietanum docuit, quod non studeret Ioannes parare domino plebem perfectam, id est, perfectè in dominum credentem, cum eum venisse Lucas dicat ex propheta, ut filios, id est, nouissimos Iudæos ad imitationem fidei patrum conuerteret: & incredulos ad imitandum iustorum prudentiam?

Et dixit Zacharias ad angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo.

Vim tantum naturæ, non auctoris ipsius naturæ perpendens, Zacharias rectè dubitatum quod ipse senex esset, Elizabeth quoque prouecta ætate. Itaque rectè arbitrabatur, si naturæ vim spectare tantum oportebat. At Gabriel faceffere intelligens oportere omnem humanam rationem, vnum tantum illi proponit DEI mandatum. Et quia dubitauerat, nec nunciandi angelo domini crediderat, pœnam illi indicit silentij, vsque ad Elizabeth partum duraturi. Vbi autem est: Ego sum Gabriel, qui asto ante DEVM. pro asto, est Græcum participium παρῆσθαι, per autem paulo plus significat quàm astare: præsto scilicet semper & paratum alicui assistere, ad mandata eius excipienda & obeunda. Neque melius videtur Erasmus reddidisse, παρῆσθαι, per præteritum astiti. interpres asto, quod παρῆσθαι sit ex genere eorum præteritorum, sicut & οἶδα, quæ & præsens & præteritum significant.

Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos: & cognouerunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat inuens illis, & permansit mutus.

Ambrosius dicit Zachariam post prophetas typum gessisse Iudæorum, qui licet prisco- rum prophetarum nouissent mysterium, tandem verò silentium illis inditum est, vt actuum suorum rationem reddere nequeant.

Et factum est vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.

Pro officij Græcè est λειτουργίας, quod hic significat functionem sacerdotalem, ministere- riumque quod sua vice ministrabat. Itaque Zacharias in domum suam abiit mutus, vsque dum vox nasceretur, & qua non crediderat angelo nuncianti pœna plecteretur.

Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic mihi fecit dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Et occultabat se mensibus quinque, dicens: quia sic fecit mihi, &c. τὸ dicens, referendum est ad τὸ concepit: vt sit sensus, quod concepit honorificans DEVM, qui rationem eius habuisset, sublato ab ea sterilitatis opprobrio. Quæ verò intercedunt: & occultabat se mensibus quinque, per parenthesis legenda sunt. Caietanus putat, quod se mensibus quinque occultauerit, in publicum non exiens, quod erubesceret tam grandi ætate operam dedisse liberis, quod vterus testabatur. A duobus & tribus mensibus non erat quod se occultaret, cuius nondum tumor vllus appareret. Mihi videtur intelligendum, quod occultabat se, id est, concepit se mensibus quinque celabat, ne ridiculum videretur, si post vulgationem conceptus processisset nihil, atque inaniter de conceptu gloriata videretur. Post autem quinque menses, cum iam tumor vteri apparet, non iam conceptum celauit, sed apparentem in se DEI bonitatem prædicauit ac publicauit.

In mense autem sexto missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, & nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit.

Hoc est sexto mense à mense quo ad Zachariam missus est præcursoris ortum prænu- ciare, Gabriel ad Mariam mittitur, CHRISTI natiuitatem enunciare saluatoris. Conside- ra autem hic quàm graphicè & tempus & locum & personas describit Lucas: quod illi so- lenne est ac perpetuum. Non ab re autem virginem desponsatam Lucas nominauit, vt & virginem intelligas permansisse Mariam, & desponsatam fuisse. quippe quia in casto con- nubio nasci CHRISTVS voluerit. Ociosum autem hic puto philosophari velle, quot annos nata virgo fuerit: de quo multum laborat Caietanus. Nec temere additum est à Luca, quod Ioseph fuerit de domo & familia David, de qua etiam Mariam fuisse oportebat, cum nemini extra tribum suam vxorem ducere liceret. nimirum vt facilius persuaderentur ve- rum Messiam esse CHRISTVM, quem de tribu ac familia David nasciturum prophete- tæ prædixerant.

Aue gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.

Græcè, μεχαριτωμένη, participium Græcum, quod probè vno Latino reddi nõ potuit: ideo interpres vertit gratiæ plenam. Significauit autè multis gratiis affectâ. Quod verò sequitur: Dominus

Dominus tecum, quidam bonam præcationem esse putant, quomodo Gallicè dicimus: Dieu soit avec vous: alij, cum iam diuinæ gratiæ plena esset, non optantis, sed quod iam fa- ctum esset confirmantis, sermonem esse dicunt. sicut & id quod sequitur: Benedicta tu in mu- lieribus, id est, præ aliis mulieribus. Vbi Caietanus, Et hoc quoque imprecatoriè dictum est: Quo in loco bis erratum à Caietano est: Primum quod non imprecantis & execrantis ea verba essent: sed bene precantis potius, ac felicitia optantis. Et condonandum est hoc Caieta- no, qui cum Latine parum resciret, Græcorum sibi & Hebræorū notionem vsurpabat. Sec- undò peccatum à Caietano est, quod precantis illa verba non sunt, sed affirmantis benedi- ctam præ cæteris virginibus Mariam, quod cū ea dominus esset, & gratiæ plena foret. Nota autem quod Latina voce benedicta, Græcè est εὐλογημένη, quod potius significat laudatam hoc loco, aut bonæ existimationis: quanquam in scripturis τὸ εὐλογεῖν, quemadmodum & τὸ be- nedicere Latinum, vsurpatur pro beare ac felicem reddere: præsertim cum de Deo dicitur. Nam benedicere hominem alicui, est laudibus illum afficere. Benedicere Deum homini, est beneficiis illum prosequi & afficere. quemadmodum hic, εὐλογημένη ἐν γυναιξί, sumi potest, id est, amplissimis præ cæteris mulieribus à Deo beneficiis affecta.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista saluatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiã apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur.

Græcè est ἰδὼσα, id est, vidisset. In quo multum torquetur Erasmus, non aduertens τὸ videre, pro audire, imò & pro quolibet alio sensu, etiam interiori, vt refert Augustinus in plerisque locis accipi: sed nec multum refert ad sensum si dicas: quæ cum vidisset insoliti an- geli præsentiam: an, quæ cum audisset angelum inauditum sermonem loquentem, turbata est in eius sermone audiendo.

Et dabit illi dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Cum CHRISTVS Pilato dixerit regnum suum non esse de hoc mundo, manifestum est hanc promissionem angeli non tantum intelligendam esse de regno temporali, neque de Israel & Iacob secundum carnem, sed & de regno spiritali, quo in omnes verè Israelitas regnat. Quod autem ait patris eius, per anticipationem dicit. neq; enim Dei filius, priusquam ex Maria nasceretur, David filius dici poterat, sed eius tantum dominus.

Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Id est: Quamquã vxorata & desponsata sim, deliberaui tamen apud me, & constitui nul- lius viri copulæ adherere. Hæsitabat igitur apud se Maria ad angeli promissionem, non de Dei promissione diffidens, sed de modo quem ignoraret inquirens. Deo enim inspirante decreuerat in virginitate degere, præter sui populi morè, cui nulla maior esset gloria, quàm in Israel relinquere semen. at contra non relinquere, ignominia.

Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & vir- tus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Respondet angelus ad questionem Mariæ, quæ rogauerat, quomodo fieri posset vt filium pareret. non virilis feminis opera id futurum ait, sed diuina virtute, & Spiritus sancti ope- ratione. Ideoq; inquit, Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. quanquam Græcè

ca non habeant, ex te, nil tamen refert, quoniam de C H R I S T O intelligit, qui non modò in Maria natus est, sed ex purissimo eius sanguine conceptus. Bene autem ait, nascetur sanctum: quia cæteri sanctificantur quidem, sed sancti non nascuntur: soli id C H R I S T O cõpetit, qui ab æterno sanctus sanctorum nouissimo seculo ex Maria natus est. Quod autem ait, vocabitur, vide num quædam phrasis sit Hebraica: aut cum *ἠρώω* significet imploro, & inuoco, *κλειστόν* verti possit, implorabitur siue inuocabitur, quasi diceret: quod nascetur ex te sanctum, inuocabitur siue implorabitur filius Dei, sed nec inconuenit simplex pro composito apponi: vt vocari, pro inuocari, & contrá.

Et ecce Eliz abeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi quæ vocatur Sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Non contentus autem angelus hac ratione, confirmat etiam ex facto Elizabeth id fieri posse, de quo quodammodo ambigebat, exemplo Elizabeth, quæ quod fieri posse non putabat, tanquam iam annis grandis, & senex filium concepisset, agereturque à conceptione mensis sextus, quia inquit: non erit impossibile apud Deum omne verbum, id est, quia Deo nulla res impossibilis est. Nam *כִּי* dauar Hebræum vocabulum, quod Lucas *ἐν* vertit, verbum & orationem, ac rem quamcunque significat. Eodem vocabulo vsus est cap. 2. *ἐδύμον τὸ ἔνμα τὸ τὸ γένος*, id est, videamus verbum quod factum est, siue id quod factum est. Vide autem genealogiam Elizabeth.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus.

Nihil iam hæstibunda virgo, nihil vltra interrogans, totam se Deo permittit, fidèq; angeli verbum arripit, optans, vt quoniam Deo sic visum esset, sic illi, quemadmodum nūciasset angelus, contingeret. Fiat inquit mihi secundum verbum tuum. Statim autem ad hoc Mariæ responsum conceptum esse filiū Dei, Catholici omnes & Christiani affirmant. Interea discessit angelus visibili scilicet præsentia, non autem famulitio.

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domū Zachariæ, & salutauit Eliz abeth.

Abiit inquit in montana, Græcè *εἰς τὴν ὄρειν*, id est, in montanam scilicet regionem. Significat enim montosam illam regionem, in qua Zacharias habitabat. Vide *τοπὸς ὄρειν*. Quod autem ait in ciuitatem Iuda, ciuitatem quandam intelligit in tribu Iuda sitam, quæ à peregrinis adhuc visitur, distans ab Ierusalé quatuor miliaribus, Bethlehé versus, ad austrū.

Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Eliz abeth, exultauit infans in utero eius. Et repleta est Spiritu sancto Eliz abeth, & exclamauit voce magna, & dixit: † Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

Pro exultauit, Græcè est *ἠερίσθη*, quod longè melius interpres exultauit vertit, quàm Erasmus, saluit, aut alij, subliuit. Est enim exultare, præ gaudio subsultare. Quod tunc fecisse Ioannem in utero, paulo post testatur Elizabeth, dicens: Exultauit in gaudio, seu præ gaudio infans in utero meo.

Et vnde hoc mihi, vt mater dñi mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo.

Ex eo

Ex eo quod statim ab initio conceptionis Elizabetham Maria inuifit, coniciunt veteres ac recentes theologi, statim post Mariæ cõsensum, conceptū simul ac verè formatū C H R I S T V M hominem, simulque in virginis utero animatum esse: alioqui si initiatus esset tantum conceptus, non vocaret eam Elizabeth matrem domini.

Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à dño.

Hic Caietanus ex hoc quòd Elizabeth mutat personam secundam in tertiam, dicendo: Et beata quæ credidit: apparet, quòd aliæ personæ erant præsentis huic colloquio, ad quas conuersa Elizabeth, dixit de beata virgine: Et beata, quæ credidit. At non intelligebat Caietanus nullum esse hîc verbum, sed *ἀπόστον* tantum participium, *ἢ ὡς ἰσχυρότατα*, quod ad vtramuis personam referri potest, scilicet, quæ credidisti, vel quæ credidit, in quo nec gratis arguendus erat interpres.

Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.

Statim vt Mariæ congratulata est Elizabeth, eiusque laudes prædicare cœpit, non sustinuit Maria, quin in Dei laudes, gratiarumque actiones confestim erumperet, dicens: Magnificat anima mea, id est, exultat, ac verè magnum prædicat anima mea dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Interpres legit *σωτήριον*. Græca nunc habent *σωτήρι*, id est, saluatore vel feruatore. Non refert autem si salutari legas, vel saluatore. Intelligit enim se præ gaudio exultasse ob Deum & saluatorem suum: qui tanti illam fecerit, vt abiectam ipsam, humilèmq; ac pauperè, ac propè nullius inter suos nominis, tantopere exaltauerit. Hoc est enim quod ait: Respexit in humilitatem ancillæ suæ. Nam Græci addunt *ἰσως*, id est, in. Mundus nullam humilium atque abiectorum rationem habere dignatur, neque vel illos respicere. At contrá Deus ad meam ancillæ suæ humilitatem dignatus est respicere. Quapropter ex hoc (Græcè *ἀπὸ τῆς ὑπ*,) id est, ex nunc atque in posterum, non tam humilis & abiecta habebor, sed beatam me prædicabit omnis ætas ac natio. Id enim puto significare *αὐτὸς ἰσως*. Itaque omnibus post hoc nationibus, & seculorum ætatibus, fœlix ac beata prædicabor, quam tanta magnificentia ac benignitate impartitus est Deus, vt filij sui me matrem facere dignatus sit.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Id est, à successione in successione: quod vulgò dicitur, *De pere in filz*. Græca hoc loco variant. Quædam enim habent *εἰς γενεὰς γενεῶν*, id est, in secula seculorum, siue generationes generationum. Quædam habent *εἰς γενεὰν καὶ γενεῶν*: quæ geminatio auxesis est Hebraica, id est, omnibus seculorum ætatibus, vel in progeniem & progeniè. Vult autem hoc loco innuere Maria, quòd non sibi tantum Deus benefecerit, sed in omnes etiam misericordiam & benignitatem suam paratus sit impartiri, quicumque illum piè ac sanctè timuerint.

Fecit potentiam † in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit † potentes de sede, & exaltauit humiles.

Vt omnes suo exemplo humiliter sapere, Deoque obsecundare doceat, eius robur ac potentiam prædicat: qua & superbos deiicere, & exaltare norit humiles & abiectos, modò de se humiliter sentiant, & abiectè, non magnificè ac superbè. Quòd verò ait: Fecit potentiam in brachio suo, nihil aliud est, quàm roborauit brachiū suum, id est, fortitudinem suā. Nam brachium pro fortitudine vsurpare solet scriptura. quod verò ait, dispersit superbos mente cordis sui, Græcè est pro mète cordis sui, *δρανοία καρποίας ἀντῶν*, id est, cogitatione cordis ipso-

† 1saia. 51. b
Psal. 32. b

rum: vt pro sui, quod interpres posuit pro *ἀντὶν*, non ad Deum referatur, sed ad superbos ipsos. Mihi autem hoc loco videtur alludere Maria ad illorū superbiam, qui Babel ædificare moliebantur vsque ad cælum, quos ob impiam illam cordis eorum cogitationem dispersit dominus per cunctas orbis regiones. ita cum ait: Deposuit potentes de sede, ad Saulis abiectionem, humilisque Dauid exaltationem alludere videtur.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Per esurientes intellige, non modò corporali cibo indigentes, sed quouis humano præsidio destitutos. Diuites autem contrà, qui non modò fortunis locupletes sunt, sed auctoritate & potentia apud mundum valeant. Esurientes enim vtcunq; egeni videantur, & destituti bonis, implet cum cœlesti gratia: afficit tamen interim illos, diutius egere non sinens: quemadmodum ait Dauid: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

*Psal. 36. c.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ: Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula.

Græcè est, ἀνταλάβετο Ἰσραὴλ παιδὸς ἀντὶ. ἀντιλαμβάνειν verò est porrecta manu alioqui lapsurum retinere & adiuuare: quod facere solent mulieres ac nutrices pueris suis ac filiis: perinde enim Israelitæ populo, qui filius Dei ac puer dicitur, (vt Hosæ 11) Quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto filium meum vocavi. Sic fecisse dominum Maria narrat, quem alioqui in infidelitatis barathrum labentem veluti porrecta manu sustinuerit, ac suscepit: promissum patribus illorū Messiam & **C H R I S T V M** exhibens: recordatus inquit, misericordiæ suæ, id est, eo quòd misericordiæ & benignitatis suæ, quam olim patribus promiserat, recordatus ac memor esset. Ideo subdit: Sicut locutus est ad patres nostros, &c. Id est, quemadmodū patribus nostris promiserat, Abrahamo scilicet, & semini eius, id est, Dauidi. Nam ad illos specialis facta est promissio de **C H R I S T O** & Messia. Notandum autem, quod hoc loco est sermonis quoddam incommodum, tam Græcè, quàm Latinè: scilicet, ad patres nostros Abraham (quod est datiui casus hoc loco) & semini eius. Sed satis frequens est hoc in scriptura. Qui autem vitare volet hoc locutionis incommodum, ita lectionem ordinare poterit: Suscepit Deus scilicet Israellem puerum suum (nam Israel hoc loco accusatiui casus esse debet.) suscepit autem in secula, id est, in æternum protegendum eum suscepit, eo quòd recordatus sit misericordiæ suæ Abraham, & semini eius Dauidi: siue Abraham & posteris eius Iudæis exhibendæ: quemadmodum ad patres nostros prophetas locutus fuerat.

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa in domum suam. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

Mansit itaque Maria cum Elizabeth vsque ad natiuitatem præcursoris filij sui, gratia cuius ad eam visitandam venerat, quo nato, & ab ea viso, rediit in domum suam, partum filij expectatura. Interea igitur cum Maria ageret cum Elizabeth, impletum est tempus nouem mensium à conceptione Ioannis, circa vicesimum quartum Septembris. Inde 24. Iunij peperit filium cum ingenti vicinorum tripudio, & exultatione multorum.

Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

Nec mater à viro suo muto nomen pueri didicerat, sed quia spiritu sancto repleta fuerat, vt Mariam

rat, vt Mariam filium Dei cœcepisse agnosceret, non mirum si filium suum spiritu prophetiæ Ioannem vocandum agnouerit.

Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt uniuersi.

Contententibus itaque de recens nati pueri nomine Zachariæ affinis, illique patris nomen indentibus, contrà autem contentente matre, vt Ioannes, tanquam à Spiritu sancto edocta esset: qui etiam super ea re interrogatus, postulato tamen pugillari, pueri nomen in tabella, in qua scribi solet, scripsit: Ioannes est nomen eius. Postea autem reddito Zachariæ eloquio, cœpit omnes regionis incolas Dei timor, qui tam admiranda in natiuitate pueri patraffet. Nam manus domini, id est, virtus ac potentia domini cum illo erat, siue nascituro, siue nato.

Apertum est illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: & posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: † Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo.

† Iere. 1. b.

Quam incredulitas Zachariæ linguam angelica voce ligauerat, subsequens fides nato puero soluit: sed & octaua die à natiuitate prolis æditæ circumcidendæ. Vnde multo maior omnium vicinorum timor & admiratio expectantium, quis istorum sequeretur euentus, quem tot signa præcurrebant.

Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens: Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Laudat hoc cantico Deum Israel Zacharias, beneficia populo eius præstita enumerans, vt pote quem visitauerit, & à peccatis suis, quibus venundatus erat, redemerit. Quod autem habet interpres, plebis suæ, Græcus habet, τῷ λαῷ ἀντὶ. Id est, plebi suæ, sicq; vertit interpres, vetusta habens exemplaria, sed vsu quodam addita est s. Visitare autem dicitur Deus, cum in bonam partem sumitur, quorum specialem habet curam, quòsque beneficiis afficit.

Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, † sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius: Salutem ex inimicis, & de manu omnium qui oderunt nos.

† Psal. 73. e.

131. d.

Ierem. 23. a.

30. b.

Ex eo quòd animalium cornutorum fortitudo maior, ac robur in cornu consistit, metaphoricè cornu potentia significatur. Cornu salutis autem Hebraico more dicitur, salutare cornu. Quod ergo ait Lucas: Erexit cornu salutis nobis, Græcè, ἤγαγε κέρασ σωτηρίας ἡμῶν. Sensus est: Et suscitauit nobis salutarem potètiā in domo ac familia David pueri & serui sui: quemadmodum per os sanctorum suorum prophetarum locutus est, qui à seculo sunt, quiq; longè antè præcesserunt. Nam τὸ ἀπὸ αἰῶνος, & à seculo, non semper significat tempus infinitum præcedens, sed longum admodum. Id nempe Ieremias apertè prædixit, dicens cap. 23. *Ecce dies veniunt dicit dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. Hoc autem cornu salutis, siue salutaris hæc potentia, quam suscitauit dominus Iudæis, ex domo & familia David, **C H R I S T V S** ipse est, quem totiens in Psalmis fortitudinem suam idem David appellat, quem & salutem appellat Zacharias: Subdens salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Sic autem ordinanda est lectio, vt

*Iere. 23. a.

CAP. I.

E V A N G E L I V M

secundus versus: Sicut locutus est per os sanctorum, &c. fuscitavit nobis cornu salutare in domo ac familia David, salutem scilicet ipsam ex inimicis nostris, hoc est, CHRIS TV M ipsum, qui pro ratione nominis sui Iesus, feruat nos, & tuetur ab omnibus inimicis nostris, & osoribus. Salutem enim dominum David vocat, dicens Psalmo 26. * Dominus illuminatio mea, & salus mea. Miror autem, cur pro salutem, sit Græcè σωτηρίαν, nec vllum sit verbum infinitiuum, qua re adductus Erasmus verterit, fore vt feruaretur ab inimicis nostris.

*Psal. 26. a

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.

Referendum est istud ad τὸ erexit cornu, & pro memorari, pro quo Græcè ἐμνησθῆναι, aptius esset vertere, ad recordandum testamenti sui, Græcè διαθύω, id est, pacti & foederis, quod cum Abrahamo & Dauide pepigerat, demittendo ad nos ex eorum femine CHRIS TO & Messia.

† Iurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

† Iere. 37. f. Genes. 22. c. Hebr. 6. c. d.

Daturum se nobis, quomodo verterit interpres, non video quo referatur τὸ iusurandū: neque multo facilior est lectio Græca, quæ sic habet: ὅριον ἐν ἑμοῖς πρὸς ἀβραάμ τὸν πατέρα ἡμῶν, καὶ δαύιδ (codex Roberti Stephani pro τὸν habet τὸ) ἀφ' ὅπως ἐκ χείρας τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυθιέντες λατρεύειν αὐτῷ. Erasmus vertit: Præstaretque iusurandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, ac daret nobis: & ibi facto puncto, nouam sententiam incipit. Vt sine timore, &c. At mihi hoc loco non rectè vertisse videtur Erasmus, διδόναι ὅριον, si referendum est τὸ διδόναι, ad τὸ ὅριον. Nam διδόναι ὅριον, non est præstare ac reddere quod alicui iuramento promissum, sed potius esset deferre iusurandum, quod vulgò dicitur, reportare se de aliquo ad iuramentum alicuius: aut fortasse ad verbum, dare iusurandum, quod probat medio sacramento, & iuramento aliquid promittere: quarum neutra significatio hoc loco quadrat. Itaque aut scripsisse mihi videtur Lucas ὅριον, pro ὅριον: nam facilis est lapsus ab ὄ in ὄ. aut ad ὅριον supplendum κατὰ, quemadmodum Attici dicunt, τρόπον, pro κατὰ τρόπον. Et primo modo sensus esset, vt miseretur patrum nostrorum, essetq; memor pacti sui, & testamenti sui sancti, ὅριον, id est, διὰ τὸν ὅριον: scilicet propter iusurandum quod iuravit ad Abraham. Si supplex κατὰ, sensus esset, vt memor esset pacti sui. Quod verò sequitur, τὸ δόναι ἡμῖν, siue δόναι ἡμῖν, mihi videtur ad sequentia referendum, & sit sensus: vt nobis contenderet ac daret, cum iam sine vlllo timore de manu inimicorum nostrorum liberati essemus, in sanctitate & iustitia coram ipso cunctis vitæ nostræ diebus illum colere. Nec abs re dixit, iustitia coram ipso. Est enim iustitia hypocritarum, qua Dei nulla ratione habita præclare secū agi putant, si hominibus iusti appareant, cum re vera nihil minus sint, quàm tales.

Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem domini parare vias eius, Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordie Dei, in quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

† Mala. 9. a Zacha. 3. d.

Hic apostrophe ad Ioannem puerum suum, quem prophetam fore, dominiq; præcursor rem dicit, vt venienti illi vias præparet, populūque salutarem scientiam doceat, quæ consistit in remissione peccatorum per CHRIS TV M, perque intimam in nos Dei misericordiam. Nam profundam misericordiam viscera misericordie Hebræi appellant: in quibus misericordie visceribus, id est, per quam intimam & profundam misericordiam visitauit nos ex alto,

nos ex alto, id est, de caelo ipso. Ne τὸ ex alto, referas ad τὸ oriens, sed ad τὸ visitauit: visitauit inquam, ipse oriens, CHRIS TV S scilicet: qui Zachariæ 3. à patre oriens appellatur: Adducam inquit, seruum meum orientem. Et 6. cap. Ecce vir, oriens nomen eius. Nota autem, quod hic oriens non participium est, sed nomen. Nam Græcè est ἀνατολή. Ad quid autem nos visitaturus esset, subdit, dicens: Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Vbi nota, quod pro illuminare, Græcè est ἐπιφάναι, quod imperatiuum esse potest, & infinitiuum: sed præstat infinitiuo modo legere. Nam nulla hic habetur apostrophe ad CHRIS TV M, sed iungitur sententia cum apostrophe ad Ioannem, vt scilicet illuminaret eos qui in tenebris ignorantie, & peccato, quæ sunt umbra mortis, id est, vt ignorantes doceret Ioannes salutem sibi à CHRIS TO adfore.

† Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.

† I. Reg. 2. d.


Qui à matris utero plenus erat spiritu sancto, nihil mirum si artibus non modò, sed virtutibus etiam crescebat, & adolecebat, spirituq; confortabatur: Græcè ἐκπαύθητο, id est, subinde seipso validior ac robustior fiebat, non corpore tantum, sed & spiritu.

Et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ Israel.

Id est, donec aduentante CHRIS TO seipsum Israelitis visendum præbuit, vt CHRIS TO illos aduentum doceret.

CAPVT SECVDVM.

Ad Caesaris edictum Maria cum Ioseph in Bethlehem profecta, ibi CHRIS TV S peperit, ad quem visendum pastores angelus adduxit. Puer octauo die circumcisus, ad templum post tempus purificationis allatus, à Simeone benedicitur, ab Anna redemptor mundi agnoscitur: duodecimo etatis anno inter doctores à parentibus disputans reperitur.



Actum est autem in diebus illis, exijt edictum à Cesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syria Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilea, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, ciuitatem David; quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia David, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret.

Græcè pro describeretur, est ἀπογράφειν. Est autem ἀπογράφειν, nomen dare & profiteri. Edictum ergo seu decretum à Cesare Augusto tunc factum fuit, vt omnes in ciuitatem suam, vnde nati erant, non oriundi, (vt malè putat hic Caietanus) se reciperent: singulique singularum ciuitatum nomina sua darent in tabulis perscribenda, vrbisque ciues se profiterentur esse. Nec enim hoc loco ἀπογράφειν significat censeri, hoc est, censum perscribere, quomodo vertit Erasmus, & plerique interpretantur, sed recenseri potius significat. Neque puto aliud voluisse edicto suo Augustum, quàm vt in acta publica deferretur Romano imperio subditorum numerus. Nam per vniuersum orbem aliud nihil intel-

ligere potes, quàm vniuersos Romano imperio subditos: & quanquam ferè tributi nomine olim censerentur, cogerenturque apud censores, quantum quisque in bonis haberet, declarare, hoc tamen in recensione non fiebat. Sicut Dauid, cum populum recensuit, Quapropter nolim affirmare hoc loco, quod plerique, imò omnes ferè affirmant, in suam ciuitatem profectos esse Ioseph & Mariam, vt tributum pensitarent ac censum, dimidiam scilicet sici partem, nempe binas drachmas, quantum olim in tabernaculo domini Iudæi offerebant, quod Buccerus putat, & plerique alij, cum de eo nihil dicat scriptura. De quo tamen vide Iosephum. Nam cum olim censerentur, non omnes æquè pensitabant, sed pro facultatum ratione. Itaque puto hanc descriptionem & recensionem, quæ tunc sub Cyrino siue Cyrenio facta est, præside Syriæ, cui tunc Iudæa suberat, editum esse ab Augusto, non vt tributum exurgeret, sed quot haberet Romano imperio subditos, nosset. Quod ergo dicit Euangelista, vt profiterentur, nihil aliud est, quàm vt nomen ac ciuitatem publicè apud acta denunciarent. Quod vt credam, adducor Tertulliani autoritate, qui libro contra Martionem 4. asserit, eum censum Iudææ prouinciæ fidelissimum testem natiuitatis CHRISTI sua etiam ætate in Romanis archinis asseruatum fuisse, vbi per censum, librum Astorum descriptionis illius & professionis intelligit. Cyrenius autem iste vir consularis erat. Itaque non temerè, sed diuino consilio factum est, vt profecturi Ioseph & Maria, in Bethlehem abirent, vt scilicet ibi CHRISTO nato impleretur propheta: Et tu Bethlehem terra Iuda, &c. quæ prædixerat nasciturum in ea dominum. Quod autem ait Euangelista: eo quod esset de domo & familia Dauid: Caietanus philosophatur, quod descendentes per mulieres à Dauide, erant de domo, sed non de familia Dauidis: at descendentes per viros, erant de domo & familia Dauidis. Tu vide lector, quemadmodum hic aptè philosophatur. Nam hoc loco *οἶκος*. & Latinum domus, non materiam ipsam habitationem significat, sed & familiam ipsam. Hoc tamen Caietanus mouerat, quia Lucas dixit: eo quod esset de domo & familia Dauid: nec solam domum, vel solam familiam nominauit. & ideo vt significaret Ioseph à Dauide per lineam masculinam descendisse, dixit eum esse de domo & familia Dauid: sed nihil ad rem, quia supra Luc. 1. dicitur, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, nec addidit familiam, eo quod domus designet vtrunque. Nec solum Ioseph Bethlehem petiit, vt professionem suæ familiæ faceret, sed vt describeretur in libris & tabulis domorum & tribuum. Nam *ἀπογράφειν*, significat publicis actis exscribi in futuram suæ professionis memoriam. *ἀπογράφειν* enim deferre in tabulas publicas, vel nomen vel rem gestam in perpetuam rei memoriam mandare & publicare. Inde supra, vbi est, vt describeretur, Græcè est, *ἀπογράφειν*, quod hic eodem modo verti potuit. Ascendit autem & Ioseph, &c. vt describeretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante. Quidam in dubium vertunt, an etiam Maria profiteretur & describeretur cum Ioseph, an solus Ioseph, & soli viri: sed satius creduntur soli viri fuisse professi, & sic sensus est: ascendit Ioseph in Bethlehem cum Maria desponsata sibi vxore pregnante, vt profiteretur se esse de aliqua familiarum domus Dauid. Aduerte autem quare CHRISTVS hoc tempus ad nascendum elegerit? Nempe cum dominus sit pacis, & Deus pacis, vt 1. Thessalonicens. 5. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia. Nam & Cæsar Augustus Octavianus, in cuius quadragesimo secundo anno natus est CHRISTVS, tanta pace regnauit, vt duodecim annis adeo pacificus fuit, vt templum Iani 41. anno Imperij sui tertio clausit, quod primo 15. anno, & secundo 16. anno prius clauserat. Numam autem ferunt historiam, vt religioni foelicus vacaret, Iani templum in ima parte Argileti Romæ construxisse, Ianumque belli & pacis indicem fecisse, vt id templum pateret, cum ad arma properandum esset, & rursus his pacatis clauderetur: vt quasi clausa pax in eo teneretur, starètque apud Romanos. In vniuersa igitur pacis significationem anno CHRISTI incarnationis clausum est Iani templum ab Octauiano, quod tempus, vt dictum est, CHRISTVS prælegerat, qui fuit ab vrbe condita 514. annis: à primo vero Numæ anno 471. annis. Alium autem locum CHRISTVS conceptionis, alium natiuitatis, & alium passionis elegit, quia nec passum pedis nactus est, vbi caput suum

suum reclinaret. Hæc autem tria loca prælegit in figuram, quod ad interpretationem Bethlehem domum panis designet, quia CHRISTVS esset panis qui de cælo descendit ad homines satios, & ex qua domo processit virgo Dei genitrix, quæ virgo est flos filius eius, in Nazareth, quod flos interpretatur: vt verè dicatur, Stirps Iesse virgam producit, virgaque florem. sed tandem hic flos in Ierusalem, quæ visio pacis dicitur, cecidit, ex qua electos suos in perpetuam & æternam pacem vocaret. Et si scholiastæ fines transcendere liceat, quotidie CHRISTVS apud iustos in Nazareth concipitur, & alitur quotidie, in Bethlehem nascitur, cum quilibet fidelis verbi flore suscepto domum se æterni panis efficit. sed in Ierusalem quotidie patitur, qui per varias huius vitæ tribulationes imitari CHRISTVM contendit, qui passus pro nobis exemplum nobis reliquit, vt sequamur vestigia eius. At sicut loca redemptioni apta elegit, ita & tempus: quod, vt Ambrosius ait, requirendum. Quid enim professio secularis ad generationem domini pertineret, nisi vt aduertamus hoc quoque diuinum esse mysterium: quia dum professio secularis obtenditur, spiritualis impletur, non terrarum regi dicanda, sed cæli. hæc ille. Genus etiam Dauidis cæteris prætulit, quod inter cæteros Iudæorum reges inuenit Dauid secundum cor suum: quem nec secundus similis secutus est, nec hunc solum, sed cuius variæ & multæ essent familiæ, non solum genus, sed familiam ipsam elegit: & qui per mulieres descendebant ex Dauide, necesse esset vt per viros etiam descenderent, cum Iudæis olim non liceret extra tribum & familiam vxores ducere.

† *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* † Mat. 1. d.

Primogenitus dicitur, ante quem nullus datus est, etiam si nequaquam alij postea sequatur. Quod autè in stabulo natus, & in præsepio reclinatus CHRISTVS, à summa paupertate & vilitate natiuitatem suam orsus est: docuit diuites in diuitiis sibi non placere, nec pauperes in paupertate displicere.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suam. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. † Mat. 2. d.

Pro vigilantes, Græcè *ἀγρυπνῶντες*. *ἀγρυπνῶν* autem est rusticari, in villa degere, & non habitare in vrbe. Sensus ergo est: erant rustici in villa eiusdem agri, siue in eadem villa manentes. Pro custodientes vigilias noctis, Græcè est *φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς*, quod perinde est ac si dixisset: *φυλάσσοντες τὴν νυκτὰ*, id est, noctis excubias agentes, siue noctis vigilias obeunt. Longè autem melius vertit interpres, custodientes vigilias, quàm custodientes: quomodo intelligenda Græca putat Caietanus. Nam cum *φυλάττω* significet vigilias collocare, & excubias agere, non dubito etiam, quin *φυλακὴ* vigilias significet & excubias. Quod autem ait angelum stetit iuxta illos, Græcè est *ἔστη*, quod magis significat, stetit super eos. Et claritas Dei, id est, diuina quædam claritas, & insolitus fulgor circumfulsit illos, id est, circum eos resplenduit. Quod autem Græcum verbum *δόξα* claritatem vertit, licet gloriam magis significet, perbellè tamen vertit, exprimens quænam esset illa gloria: claritas nempe & fulgor diuinus, qualis ferè CHRISTVM in monte Tabor circumfulsit. insolito autem hoc fulgore perterritos & timentes pastores confirmat angelus, saluatoris natiuitatem, adiecto signo, illis annuncians. Aduertendum autem, quod qui venerat vt abiectis & contemptis nobilibus ignobiles & abiectos eligeret, abiectis primùm

pastoribus innotescere voluit. Mystice autem hoc facto admonentur ecclesiarum pastores, super greges sibi commissos diligenter vigilent: siquidem CHRISTI cognitione dignari volunt, eiusque natiuitatis esse participes.

† De consec. dist. 1. ca. No. 1. Et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Hi duo.

Cum autem Ioannis natiuitatem Zachariae nunciaturus Gabriel venisset, vnus apparuit. at decens erat, vt natiuitatis CHRISTI nuntium, multitudo militiae caelestis, id est, angelorum (sic enim in veteri testamento vocari solent) comitaretur: qui vnanimis cecinerunt: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis. Vbi pro bonae voluntatis, Graeci codices qui nunc extant, habent *εὐδοκία* in recto: noster autem interpres legit *εὐδοκίας*. nec dubito sic legendum. Facile autem potuit in primis codicibus 6 abradi, & ita consequenter describi in reliquis. Nam quod hic multi philosophantur, etiam magni viri, tria hic distribui, Deo gloriam, terrae pacem, & hominibus bonam voluntatem, non magnopere mihi facere ad hanc rem videtur, neque ita tria tribus redderentur, sed duobus. Nam si dicamus terrae pacem distribui, non video quid terrae nomine significetur, quam homines isthic habitantes. Itaque mihi simplicius videtur, nempe quod isthaec CHRISTI natiuitas gloriam caelis adferret, id est, laudandi & glorificandi argumentum: terrenis autem hominibus pacem. Nec omnibus (non est enim pax impiis, dicit dominus) sed hominibus tantum bonae voluntatis. Vbi notandum, quod Graecum verbum *εὐδοκία* apud veteres Graecos theologos vsurpatur pro antegressa Dei in nos bonae voluntate, ac propenso fauore. Itaque hunc locum, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis, *ἢ ἀπορώπου εὐδοκίας*, id est, in hominibus, quos propenso fauore suo dignatus fuerit dominus.

Et factum est vt discesserunt ab eis angeli in caelum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit dominus & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in praesepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant, mirati sunt & de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos.

Pro verbo, Graece est *ἔφημα*, quod facit vt putem non intelligendum de verbo ac filio Dei, qui *λόγος* in scripturis vocari solet, non *ἔφημα* & verbum, quod Hebraice *דָּבָר* dauar: quod significat rem nouam rumore diuulgatam. Sic 2. Reg. 1. venienti ab exercitu, vbi Saul caesus erat, nuncio ait: quod est verbum quod factum est, indica mihi: id est, indica mihi quid nouae rei acciderit. Videamus ergo inquit, verbum istud quod fecit dominus: quanquam Graeci non habeant quod fecit dominus, & ostendit nobis: Graece est *ἐγγύησις*, id est, notificauit, siue indicauit nobis. Cum autem venissent, puerumque vidissent, cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero. Pro cognouerunt, Graece est *διεγνώρισαν*. Est autem *διεγνώρισαν* proprie diuulgare ac notum aliis facere. itaque sensus esset: diuulgauerunt de verbo hoc, id est, nouum istud factum, quod dictum illis erat de puero Iesu. Postea enim sequitur: Et omnes qui audierunt mirati sunt de his quae dicta erant a pastoribus. Ergo quod viderant, aliis diuulgauerunt. Hoc autem loco, & de iis, Graeci non habent.

Maria autem conseruabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quae audierant, &

dierant, & viderant: sicut dictum est ad illos.

Maria corde tacito confert quae circa se fieri videt, cum his quae ex scripturis vidit prophetarum circa se agenda. Ex Isaia: Ecce virgo concipiet & pariet filium, ex eodem: Bos cognouit possessorem suum, & asinus praesepe domini sui. Ex Michea: Tu Bethlehem terra Iuda, &c. ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Conferbat & cum his omnibus conuenire verba Gabrielis, non dubitans quo pacto in tam humili vitae statu haec tam ingentia venire possint promissa. Quibus visis & auditis, regressi sunt pastores ad gregem, laudantes Deum de his quae viderant in Bethlehem, conformia his quae ab angelis audierant.

Et postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.

† Gen. 17. d. Ierem. 4. d. 25. q. 2. cap. Ideo permittente.

Præcipiebat lex, vt scribitur Leuitici 12. *vt natus infantulus octauo die circumcideretur. quam perficere legem ipse CHRISTVS voluit. Quippe qui legem soluere non venerat, sed consummare & implere. Circumcisio tamē ab Abraham sumpserat exordium, aucto eius nomine Genes. 17. De Iesu verò nomine, quid significet, dictum fuit Matth. 1.

*Leuit. 12. d.

Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur: & vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

† Leuit. 12. d. Exo. 34. c. † Leuit. 5. b. & 12. c. Nume. 8. c.

Pro eius, Graeci codices variant. Quidam habent *ἀντὶς*, vt referatur ad CHRISTVM. Hispana æditio Compluten. habet *ἀντὶς*, vt referatur ad Mariam. Aldinus codex, ac plerique alii legunt *ἀντὶς*, vt referatur ad vtrumque. Mihi aptior videtur lectio, vt eius referatur ad Mariam. Nam Leuitici 12. de purificatione foetus nihil dicitur, sed tantum de purificatione matris, quae cum masculum peperisset, immunda erat septem diebus, & die octauo circumcidebatur infantulus: triginta verò post dies manebat in sanguine purificationis suae: quibus expletis, iubebatur offerre agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbae, siue turturum: aut si pauperes essent, par turturum, vel duos pullos columbarum. Trigesimo tertio ergo die à circumcisione, impletis scilicet diebus purificationis suae, tulerunt puerum in Ierusalem, vt eum domino sisterent ac praesentarent iuxta legem Moysi, ad quem dominus dicit: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Israel. Huic ergo legi subdere se voluit, quanuis obnoxia non esset, Maria: quia nascens ex ea CHRISTVS, virginis matricem non aperuit. Praeterea nec obnoxia erat purificationi, cum dicat lex: Mulier quae suscepto semine peperit masculum, sine vlllo autem semine externo pepererat Maria. At vt nos obedientiam doceret, subesse legi voluit.

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum domini. Et venit in spiritu in templum.

Nota sunt ista. Notandum autem quod pro timoratus, Graece est *εὐλαβὴς*, id est, pius ac religiosus. Quod verò ait: Et venit in spiritu in templum, significat instinctu Spiritus sancti, quo responsum acceperat super CHRISTI aduentu, qua reuelatione venit in templum, CHRISTVM excepturus. Miror autē cur *ἐν τῷ πνεύματι*, id est, in spiritu, Erasmus

maluerit vertere per spiritū. Quod autem Simeonem inducit expectantem consolationem Israel, argumento est, plerisque ac iustos scripturarum ac prophetiarum non ignaros, intellexisse ex sceptro de Iuda ablato, & completis hebdomadibus Danielis, Messiam aduentare, ac prope esse in foribus.

Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit:

Eodem spiritu quo C H R I S T V M venturum agnouerat, venit in templum, & ipsum venisse cognouit, ipsumque benedixit ac laudauit per canticum sequens: quo genere laudis soliti sunt prisci laudare dominum ac benedicere.

Nunc dimittis seruum tuum domine secundum verbum tuū in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Pro dimittis, Græcè est ἀπολύεις, id est, abire me facis in pace, hoc est, facis vt cum gaudio & pace hinc abeam & discedam. secundum verbum tuum, id est, iuxta promissionem tuam, mihi factam. quia viderunt oculi mei salutare tuum, id est, filium tuum C H R I S T V M saluatorem meum.

Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tue Israel.

Sic enim propositus est in conspectu omnium C H R I S T V S, vt quotquot velint eum fide apprehendere, possint. Lumen ad reuelationem gentium, &c. τὸ lumen, & τὸ gloriam, referuntur appositivè ad τὸ salutare. Et ita ordinanda est lectio: Quia viderunt, &c. C H R I S T V M tuum lumen gentium ad reuelationem, id est, vt illis reueletur, & innotescat salutis suæ mysterium. Quod autem gentium refero ad lumen, & nō ad reuelationem, facio, quia non planè intelligo quid sit reuelatio gentium: tum quia sequitur gloriam plebis Israel, & C H R I S T V S sit Iudæorum gloria, qui Deum semper nouerunt lumen gentium: quæ non agnoscebant, donec ipse reuelauerit.

Et erat pater eius & mater eius mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius.

Quia Ioseph nutritius erat pueri, vulgi opinione pater C H R I S T I, sicut Maria mater appellatur, qui non immeritò mirabantur, quod præter ea quæ audierant prius, continuò mirabilia videbant.

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectione multorum in Israel, & in signum cui contradicetur, (& tuam ipsius animam pertransibit gladius) ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

In ruinam multorum, id est, in perditione multorū positus est C H R I S T V S. Quippe qui lapis est offensionis, & petra scandali, in quam multi impegerūt & lapsi sunt, & quotidie labuntur, occasione quidem accepta, non data, ægrè ferentes, quod filium Dei se faceret, quod mores & vitia publicè carperet. in resurrectione quoque, id est, in saluationem multorum Israelitarum positus est: quippe quos & morum sanctitate, & prædicationis veritate ad meliorem frugem reducerit. Idem est istud cum eo quod est Isa. cap. 8. * Et erit vobis dominus in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel. Et in signum cui contradicetur. Græca nunc habent ἀντιλεγόμενον. Interpres noster

*Isa. 8. c.

noster legit ἀντιλεγόμενον: nec admodum refert. Sensus est autem: Positus est in signum, id est, propositus est omnibus veris D E I militibus tanquam signum ac vexillum sequendum, & ad quem futurus debeat esse scopus omnis noster: futurum est tamen, vt non modò multi non sequantur, sed apertè ei contradicant, & ad mortem vsque persequantur: vnde futurum etiam est, vt animam tuam doloris gladius, id est, vehemens dolor penetret. Quod verò sequitur, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, referendum est ad id totum quod præcessit, scilicet quod C H R I S T V S positus est in ruinam & resurrectionem multorum, propositusque omnibus tanquam salutiferum vexillum, cui tamen contradicetur, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes: vbi τὸ vt, non causam finalem dicit, sed ipsum tantum rei euentum, vt sit sensus: Ita fiet, vt dum aliis erit in ruinam, aliis in resurrectionem, alij sectabuntur vt credant, alij contradicent vt persequantur, reuelentur ex multis cordibus cogitationes, id est, quid de C H R I S T O multi sentirent, aperiatur. Patiente enim C H R I S T O quosdam iniquè de illo sentire, quosdam piè & religiosè, manifestum fuit.

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte & die. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel.

Clarum est quod hic de Anna dicitur, quæ vixerat cum viro suo annis septem, id est, à die nuptiarum, quando virginem illam desponderet. Et hæc inquit, vidua vsque ad annos octoginta quatuor. Interpres legit ἑως, id est, vsque ad: Græci codices nunc habent ὡς, id est, circiter annos scilicet octoginta quatuor. Ambiguum est autem hoc loco, an intelligendum sit, quòd ipsa iam in viduitate annum agebat octuagesimum quartum, aut circiter: an quòd tunc octoginta quatuor annos nata erat. Ambrosius est in prima opinione. tamen hoc non videtur multum verisimile. Nam credibile est vxoratum non esse id temporis ante decimum quintum annum, cui numero si addas septem annos in matrimonio, constabunt viginti duo, quibus rursus si addas octoginta quatuor, erunt anni centum & sex, qua ætate verisimile non est tam assiduam templo fuisse, adeoque ieiuniis vacare potuisse. Quod tamen nondum notassem, nisi in annotationibus scripsisset Erasmus octoginta quatuor annos referendos ad tempus viduitatis. Quod uti non improbo, quia ita censuit diuus Ambrosius, ita puto non necessariò intelligendum sic esse illum locum. Et vt inquit Lucas, ipsa hora, quando scilicet puerum domino præsentabat, confitebatur domino. Pro confitebatur, Græcè est ἀνθολογέωτο. Est autem ἀνθολογέωμαι in scripturis sacris confiteri à domino accepta beneficia, & nos ab eo omnia habere: quod & ἐνχαριστῆν dicunt. Neque putandum est hoc loco ἀντι significare vicissitudinem, ne respondeat confessioni Simeonis. quod tamen Erasmus putauit. Nam ἀνθολογέωμαι, idem quod χάρις ὁμολογῆν, id est, gratias agere, & confiteri ab aliquo beneficia habere. Sensus ergo esse potest: Gratias D E O agebat de missio ad nos in carnem saluatore filio suo. Eodem verbo vitur Grægo. Nazianzenus de Simeone & Anna loquens: μετὰ σήμενος ἐνγαλισάμεθα, καὶ μετὰ ἀννης ἀνθολογισάμεθα, id est: Cum Simeone amplexemur, & cum Anna accepta illi beneficia referamus, aut gratias agamus. Itaque hoc loco confiteri non tam pro laudare sumitur, quàm gratias agere: Sicut alio loco Luc. 10. Confiteor tibi pater domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Hoc loco pro redemptionem Israel, Græci habent λύτρωσιν ἐν ἱεροσολύμοις. quasi innuens, nutu D E I redemptionem Israelis populi faciendam expectabat à Messia Ierosolymis in templo.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galiliam.

laam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per

† Exod. 34. c. omnes annos in Ierusalem in die solenni paschæ.
Deute. 16. a

De ordine huius historiae, & concordia cum Matthæo, qui dicit post Magorum adorationem deportatum CHRISTVM in Aegyptum, vide Matthæum cap. 2. Quod autem ait confortabatur, Græcè est ἐκπατίζεσθαι, id est, fortior reddebatur, & corroborabatur. adduntque Græci πνεύματι, id est, spiritu. Quod est, subinde ad augmentum corporis amplior apparebat in eo diuini spiritus, omnis & gratia. Pro eo quoque quod sequitur: Ibant parentes eius, quidam codices Græci habent, Ioseph & mater.

Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem.

Græcè ἐγένετο. aptius autem erat, cum natus esset annos duodecim. Nam γένεσθαι nascor, & γενέσθαι, natus significat. quod miror non aduertisse Erasimum, qui multo minutiora non fert in nostro interprete.

Et non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum inuenierunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

† Dist. 36. ca.
Qui ecclesiasticus.

Non est intelligendum quod eum non cognouerunt duodennem, sed quod non cognouerint, neque intellexerint eum remansisse Ierosolymis: sed existimabant illum esse in comitatu, id est, in societate: quomodo vernaculè dicunt: ilz, pensoient qu'il fust en la compagnie. Simul enim omnes Nazarei redibant. Quod verò dicit ascendisse illos Ierosolymam secundum consuetudinem, intelligendum est quod maribus duntaxat præceptum erat, vt quisque ter in anno appareret in loco vbi erat tabernaculum foederis: quò virum comitata est eo anno virgo Maria, & cum illis CHRISTVS: qui naçta tunc occasione, sedit inter legis doctores. sed vt humilitatis doceret exemplum, prius audit, & postea interrogat, quàm doceat.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia, ac responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes querebamus te.

Nec solum CHRISTVS audiebat, & doctè interrogabat: sed & doctius ad interrogata respondebat, vt omnes in stuporem adduceret, considerata præcipuè ætate, & humana infirmitate, atque virili audacia. Interea mater superueniens non minus admiratur, rogat tamen eum super eius diuturna mora, qua eos tristitia affecerat, non quod eum vituperare intendat, quæ illum nouerat esse DEVM, nec quicquam illum moliri quod non esset æquum & iustum: sed vt suum nobis erga illum manifestet, qualem decet matrem, affectum.

Et ait ad illos: Quid est quod me querebatis? Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?

Quasi diceret illis: Cur me cum tanta mœstitia querebatis inter cognatos & notos, quem

quem scitis præcipuè missum ad opera patris mei perficienda, & ad doctrinam spiritualem & cœlestem annunciandam, atque ad templum & domum patris mei frequentandam, quàm carnalium cognatorum societatem subeundam. Verùm cum mater de adoptiuo patre quæreret, ille de patre æterno, qui natura sibi pater erat, cuius gratia ab eo missus erat, Euangelium scilicet ad vitam æternam prædicare. Sic Ioannis 9. ait: * Me oportet operari * Ioan. 9. a opera eius qui misit me.

Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos.

Non intellexerunt quod diceret de templo sancto patris sui, ad cuius sanctificationem annunciandam venerat, vt patet Ioan. 2. quando expulit ab eo vendentes & ementes, dicens: Domus mea domus orationis vocabitur. & rursus Matth. 21. cap.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines.

Et erat subditus illis non tanquam minor, sed voluntariè se illis subdebat. Similiter quod dicitur: proficiebat sapientia & ætate & gratia, non est intelligendū quod maiore cum tempore gratiam acceperit, qui summa atque infinita gratia ab initio conceptionis suæ fuit repletus: sed quod adolescente puero, subinde maior ac maior apparebat in eo sapientia & gratia apud DEVM & homines. Subinde apparebat sapientior, & apud DEVM atque homines gratiosior. Pro eo autem quod est ætate, Græcè est ηλικία, quæ & ætatem significat, & staturam corporis. Atque hoc loco magis quadrat statura, quàm ætate, cum nemini dubium sit quin homo viuens ætate crescat.

CAPVT TERTIVM.

Ioannes pœnitentiam & pœnitentiæ baptismum prædicaturus mittitur, viuendi normam publicanis & militibus indicat, atque inter baptizandum turbas, CHRISTVM baptizauit, quem cœlesti signo DEI filium agnouit, & eius genealogia à Ioseph ad Adam usque ascendendo texitur.

A Nno autem quintodecimo Imperij Tyberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudeam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræ & Traconitidis regionis, & Lysania Abilene Tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha: factum est verbum domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.

Nemo est Euangelistarum qui exactius rerum gestarum tempus referat, quàm Lucas. Nam hic initium prædicationis per Ioannem Baptistam indicat fuisse anno quintodecimo Tyberij Cæsaris, qui quidem Tyberius Cæsar gener erat Octauiani Augusti, illi in Imperio successit, & cum Octauianus quinquaginta septem annos, vel tantum quinquaginta sex, vt aliis placet, regnarit, in cuius quadragesimo secundo natus est CHRISTVS, & circiter illud tempus Ioannes Baptista eius præcursor, qui quindecim annos tempore Augusti vixerunt. & cum annus Tyberij recitatus à Luca fuerit decimus quintus, tunc Ioannem Baptistam natum fuisse 30. annorum cum fuisse, CHRISTVM verò 30. Nec contentus Lucas Imperatorem sub quo hæc acta sunt connumerasse, Iudeæ etiam præfides & Tetrarchas nominat, qui Tetrarchæ filij fuerunt Herodis infanticidæ. Tetrarcha autem dicitur,

qui præest quatuor agminibus in vna regione. Certè Herodes maior, sub quo natus est CHRISTVS, morbo pediculari obiit, relictis filiis Herode Ioannis homicida, Philippo & Archelao, quibus Beda Lyfaniam addit: quanquam non constet, an Lyfania filius aut nepos, aut aliàs Herodis illius affinis fuerit. Iosephus Antiquit. lib. 14. asserit Lyfaniam Ptolomæo Minæo vel Mennæo patre, & Alexandra Aristobulii filia matre natum: mortui autem Herodis maioris regnum, vt minores essent plurium, quàm vnius vires, filiis ipsius diuisit Augustus. Et Archelao quidem Iudæam & Pamæam Tetrarchæ nomine regendam tradidit: Herodi Galilæam, Philippo eius fratri Ithuream & Traconitidè, Lyfaniæ obtigit Abilinae regio, quæ est inter Lybanum & Antilybanum, Ptolomæo dicta Lyfanium. Archelao autem decimo sui principatus anno ob immanitatem Viennam Galliæ relegato, data est Iudæa prouincia, Pontio Pilato præfidi administranda. Hoc est quod dicit Lucas: procurante Pontio Pilato Iudæam, Græcè ἡγεμονεύωντος, id est, præfide, siue præfidem agente. Quod verò ait Lucas, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, Iosephus institutionem à Valerio Grato Iudææ præfide: hic adempto Anano siue Anna sacerdotio, Ismaelem Fabi filium iussit esse pontificem: quo paulo post deiecto, in Eleazarum Annæ pontificis filium eum honorem transtulit. Elapso deinde anno, & hunc redegit in ordinem, & Simoni Camithi filio pontificatum tribuit. Huic quoque anno in hac dignitate exacto, iussus est eam cedere Iosepho, qui cognominabatur Caiphas. Hæc ille Antiquit. lib. 18. cap. 3.

† Matth. 3. a
Mar. 1. a
Ioan. 3. c

† Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro sermonum Isaie prophetae.

Græci hoc loco addunt τὴν περιχώρον, id est, in omnem regionem finitimam, siue circumiacentem Iordani, prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum. Nota autem, quod dicit baptismum penitentiae, non gratiæ: quia Ioannis baptismum gratiam ex se conferebat, sed ad penitentiam tantum Iudæos hortabatur, vt idonei essent ad accipiendam à CHRISTO remissionem peccatorum.

† Isa. 40. a
Matth. 3. a
Mar. 1. a
Ioan. 1. c

† Vox clamantis in deserto. Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei.

Matth. 3. explicatum est istud. Quod autem dicit: omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, metaphorica locutio est, significans fore vt omnes abiecto atque humili animo exaltentur à DEO, diuinarumque gratiarum largitate ditentur & impleantur. Omnis autem mons & collis humiliabitur. Montis & collis nomine superbi & elati intelliguntur: quorum nonnulli plus sunt, alij minus. quos tandem non dubium est humiliandos esse à DEO. Perinde autem significatur his prophetæ verbis, quod in cantico Mariæ iis: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quidam interpretantur verba prophetæ, Omnis vallis implebitur, &c. quod in aduentu CHRISTI omnis vallis implebitur, id est, si qua vallis est in via, qua transiturus est, implebitur terra, vt sit via æqua & plana. Et omnis mons & collis, qui propter altitudinem sui, viæ æquitatem impedit, humiliabitur, eiecta scilicet superflua altitudine in valles, vt sint viæ planæ & æquatæ, videantque omnes CHRISTVM venientem, & erunt praua in vias rectas. Pro praua, Græcè ἐκκλιὰς, quod propriè significat obliquum, tortuosum, & inæquale. & aspera in vias planas, Græcè λείας, id est, læues, vt opponatur asperis. Nam quod interpretes per neutrum, quia Græcè deerat substantiuū τῆν ἄσπερον, id est, viæ, Græci habent τραχέαι, & λείας in fœmineo genere. Hoc est, vt inquit Chrysofost. tortuosa & laciniosa legis præcepta, quæ implere nemo, aut penè nemo poterat, in facilia ac plana Euangelij mandata conuertantur. & tunc videbit omnis caro, id est, quicumque volet. Nam

modò carnem, modò animam pro toto homine Hebræi vsurpant. Salutare DEI, id est, CHRISTVM, scilicet DEI filium saluatorem nostrum: ad quem tam facilis cuique patebit accessus, vt nullum sit penitus impedimentum.

Dicebat ergo ad turbas, quæ exhibant vt baptizarentur ab ipso: † Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos penitentiae.

Iuxta Matthæum cap. 3. Ioannes hic Phariseos & Sadducæos alloquitur, quos viperarum genimina vocat, quia parentes venenosos venenosi filij imitantur in persecutione bonorum. Cùm igitur inuidiæ in bonos pleni sint, hos ad veneni depositionem per penitentiam inuitat Ioannes, vt vel solum fructum penitentiae dignum faciant, antequam ad baptismum veniant, vel saltem vt à ventura ira sibi caueant, patrum condiciones omitant. Cætera Matth. 3. patent.

Et ne cæperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ.

Quoniam Iudæi ab Abrahamæ genere gloriabantur descendisse, se genus electum absque peccato existimabant. Ioannes ad iustitiam, & erga DEVM pietatem dicit cognitionis nihil aut parum prodesse: quia hi soli Abrahamæ apud DEVM filij reputantur, qui & fidem, & mores imitantur Abrahamæ. quippe quia dominus ex gentibus, quos lapidibus duriores existimabant Iudæi, potest filios Abrahamæ instituere, qui eius fidem & mores imitentur. De quibus Ezechiel. * Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent. * Ezech. 11. 36. f

† Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turba, dicentes: Quid ergo faciemus? † Matth. 3. b

Quemadmodum homines lapidibus propter duritiam, & lapidum cultum, sic & arboribus propter fructum vel sterilitatem. Arborem igitur intelligit hominem: radicem, eius voluntatem, quæ & operationis, & fructus est principium: securis autem, CHRISTI Euangelium, per quod paratus erat confidentes generi Abrahamæ sine eius imitatione Iudæos & excidere, & perpetuè destinare gehennæ, iuxta illud Pauli ad Roma. 11. * Si enim DEVS naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Cætera Matth. 3.

Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur. Et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis faciatis. † Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus? & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. † 23. q. 1. paratus, & c. quid culparur.

His verbis generaliter omnes ad eleemosynam & misericordiam faciendam inuitat, iubens contentos esse iis rebus, quæ necessariae nobis sunt: de iis autem quæ superant, eleemosynas largiri. Specialiter autem venientibus ad baptismum publicanis, qui redemptores vestigalium sunt (honoratum olim Romanis nomen, Iudæis autem, & nunc quoque Christianis inuisum) nihil aliud præcipit, quod ad eorum munus attinet, nisi vt ultra constitutum

legis aut principis edicto summam non exigant. Nam verbum *ἐξίτη*, quo hic Lucas vsus est, facere significat, & exigere. Itaque melius quadrat exigatis, quam faciatis. Similiter & militibus quid faciant rogantibus, nihil aliud indicit, quam vt stipendiis suis contenti, nihil præterea à populo exigant, neque calumniam faciant, falso crimine apud magistratus illos deferentes: & ne quem etiam concutiant, vimque vlli afferant. Non est autem putandum, quòd nulli alteri rei faciendæ obnoxij essent publicani aut milites. Nam legi obnoxijerant, quemadmodum & reliqui è plebe: sed cum odiosa esse populo solent eiusmodi duo hominum genera, Ioannem rogabant, quomodo se in suo munere gererent: qua de re illis etiam respondet.

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus: respondit Ioannes, dicens omnibus: † Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius, † ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni: cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili. † Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

† Matth. 3. c
Mar. 1. b
Ioan. 1. d
† Matth. 3. c
† Matth. 14. a
Mar. 6. c

Græca quæ nunc extant, pro existimante, habent *προσδοκῶντος*, id est, expectante autem populo, atque ita omnibus cogitantibus, num *CHRISTVS* ipse ac Messias esset. Noster autem interpres legisse videtur *ἐξίτη*, id est, existimante. Cætera Matth. 3.

Herodes autem Tetrarcha cum corripere ab illo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.

Hoc quoque factum puta post *CHRISTI* baptismum: sed & hoc Euangelista præoccupat, vt Herodem comparet ad Phariseos, Sadduceos, & Herodis milites, qui omnes ad Ioannis prædicationem conuersi sunt ad penitentiam. Herodes autem nequaquam, qui prudentior esse debuisset, & ideo citius conuerti. Ideo post illos & populum statim subdit Herodem, tanquam illis deteriore & incorrigibiliorem. Historia hæc patet amplius Matth. 14. & Marc. 6.

Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum: † & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum. Et vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.

† Matth. 3. b
Mar. 1. b
Ioan. 1. c
Isa. 42. a

Apertum est cælum, non quòd reuera fissum sit ac diuisum, sed per apparentiam, quia tantus desuper fulgor ac splendor super *CHRISTVM* apparuit, vt cælum findi videretur & aperiri: quemadmodum in magnis fulgetris fieri videmus. Pro eo autem quod Lucas habet: in te complacuit mihi, Græcè est, *ἐν σοὶ ἠσπλάγχνος*, id est, in te animo meo obsecutus sum, in te opus meum probavi, in te mihi placui, in te acquieuit animus meus. Tot enim modis verti posse dicit Budæus in Commenta. Amplius cætera Matth. 3. explanata sunt, & hæc ibidem videas.

Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph.

Græcè est, *καὶ αὐτὸς ἦν ὁ ἰησοῦς ὡσεὶ ἑτῶν τριάκοντα ἄρχομενος ὢν*, Id est, & ipse Iesus erat propè ingrediens


ingrediens annum trigefimum. *ἀρχομενος* autem, vnde *ἀρχομενος*, sic sumptum, significat incipere & ingredi. Et reuera iuxta ecclesiæ ritum, quæ *CHRISTI* baptismum celebrat in die Epiphaniæ. *CHRISTVS* iam tredecim diebus ingressus erat annum trigefimum, & hoc iuxta annos Imperatoris Octauiani & Tyberij, quoniam quindecim annorum erat in morte Octauiani, & Tyberij decimoquinto, vt patet in hoc capite, ipse baptizatus est, non minus quam triginta annos natus, vel saltem ingressus trigefimum 13. diebus. Vnde parum refert hoc loco, vtro modo dicas, & veritas, scilicet incipiebat esse quasi annorum triginta, aut ingrediebatur circiter tricefimum annum. Quidam Græci non habent *ὡσεὶ*, & hoc modo sensus est: Ingressus erat annum tricefimum: cuius vsu tenet ecclesia.

Qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathathia, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hefsi, qui fuit Nagge, qui fuit Maath, qui fuit Mathathia, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosam, qui fuit Elmadam, qui fuit Hfer, qui fuit Iesus, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathath, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Nahason, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iuda, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Chaynan, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Enoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Chaynan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

De catalogo & enumeratione huius genealogiæ, quam recitat Lucas, vide Ioannem Lucidum in suo Chronico lib. 2. cap. 9. & lib. 7. cap. 1. In qua *CHRISTVM* ad Adam 77. reperire est, quod non vacat à mysterio. In hac itaque genealogia Lucas omnes generationes natura procedentes iuxta lineam Nathan prosequitur, incipiens à patre virginis Mariæ, qui dictus est Hely vel Ioachim, quia fuit binomius, naturalis pater Mariæ, & legalis Ioseph, quia fover eius. Aduerte autem quòd Zorobabel duos habuit filios, Rhela, & Abiud. Lucas igitur per Rhela virginis genealogiam texuit, vsque ad patrem eius Heli: Matthæus verò per Abiud vsque ad patrem Ioseph coniugis Mariæ virginis. Vterque igitur à Zorobabel filio Salathiel descendit. Quatuor autem ordinibus continuatur hæc genealogia, quæ contrario ordine textitur, atque illa Matthæi. Nam Matthæus à maioribus incipit, Lucas à posteris vsque ad Adam: in quo quatuor facit ordines. Primò recenset quosdam priuatas personas, ab Heli vsque ad illum locum, qui fuit Mathathia: à quo ad Neri duces recenset. ab eo autem vsque ad Abraham, reges & præfectos aulae. à quo ad Adam, patriarchas. Vide amplius Matth. 1. cap.

I E S V S exacto ieiunio tentatus euincit, in Nazareth docet, & inde in Capharnaum descendens daemonicum curat, sacrum Petri à febre liberat, & plerisque à variis morbis predicando purgat.

† Matth. 4. a
Marc. 1. b
Exo. 34. d



Iesus autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane: & agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis: & consummatis illis esuriit. Dixit illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat. Et respondit ad illum Iesus:

† De offic.
ordi cap. in-
ter cetera.
Deuter. 8. a

Scriptum est: Quia non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo Dei.

Ab hoc loco usque ad illum: & egressus est **I E S V S** in uirtute: uide Matth. 4. Tantum quaedam annotanda sunt, scilicet quod Lucas perfectionem ieiunij exposuerit, cum ait: & nihil manducauit in diebus illis. Hoc autem ieiunium Moyfes & Helias expresserant, quadraginta totos dies nihil manducantes.

† Deut. 6. a
& 10. d

Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terrae in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc uniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui uolo, do illa. Tu ergo procidens si adoraueris coram me, erunt tua omnia. Et respondens Iesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixi illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.

† Psal. 90. c
Matth. 4. a

Scriptum est enim: quod Angelis suis mandauit de te, ut conseruent te, & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens Iesus ait illi:

† Deut. 6. c
Matth. 4. b

Dictum est: Non tentabis dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.

Quomodo autem assumpserit eum diabolus, ut Matthæus ait, siue duxerit eum, ut Lucas, in montem excelsum, per quem intelligit unum montium Galilææ, qui adhuc uocatur mons tentationis **C H R I S T I**, distans à monte Quarentane, ubi ieiunauerat, & primo tentatus fuerat, duobus milibus, à quo omnia regna mundi in momento temporis ostenderit, siue per phantasmam, & in uisione regnorum omnium species obiectans, siue uiciniora regna ostendens, & sub eis cætera comprehendens: non est de iis admodum contendendum. Similiter quod Lucas addit hæc uerba diaboli: quia mihi tradita sunt, & cui uolo, do illa. In quo mentiebatur pater mendacij. Quod autem statuerit super pinnam templi, non est existimandum, quod eadem die, cum montes illi in quibus prius fuerat tentatus, plusquam sexaginta milibus distent ab Ierosolymis, nisi fingas miraculum, quo nõ erat opus. Aduertendũ similiter, quod cum Matthæus dixerit: Reliquit eum diabolus, Lucas addidit, usque ad tempus: in quo uidetur innuere, quod rursus rediit **C H R I S T V M** tēturus, quod cum ceteri Euangelistæ taceant, neque amplius Lucas recitet, arbitrandum est Lucam intellexisse, quod per ministros suos scribas & Phariseos aliàs eum tentauerit.

† Matth. 4. b
Marc. 1. b

† Et regressus est Iesus in uirtute spiritus in Galilæam: & fama exiit per uniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum: & magnificabatur ab omnibus.

Reuersus

Reuersus est itaque **I E S V S** in Ierusalem, duce spiritu sancto, uel etiam uirtute Dei sibi vnita, ut doceat nos, post diaboli uictoriam spiritum nobis semper adesse. Tunc cepit **I E S V S** palàm docere, & plebem humilem ad se, cum admiratione, & eius glorificatione.

† Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam: & surrexit legere. † Et traditus est illi liber Isaiæ propheta. Et ut reuoluit librum, inuenit locum ubi scriptum erat: Spiritus domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, predicare captiuis remissionem, & cæcis uisum, dimittere confractos in remissionem, predicare annum domini acceptum, & diem retributionis. & cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit.

Pro die sabbati, Græci habent, die sabbatorum. Vnde Caietanus putat interesse inter diem sabbati, & diem sabbatorum, quod dies sabbati quemcunque diem festum hebdomadæ significat, siue septimo die occurrat, siue non: dies autem sabbatorum, diem solum sabbatorum. Consule autem super hæc Hebræos. Quoniã cõuenire solebant die sabbati Iudæi in synagogam, ad audiendam legis interpretationem: ita consueuerat **I E S V S** diebus sabbati synagogam introire, partim ut se aliis conformans, interpretationem legis audiret (quãquam non indigens) partim etiam ut aliis prælegeret, aliõsque doceret: quod nunc quoque fecit, aperto Isaiæ libro, ubi in locum incidit, non temere, uel fortuito, sed diuina dispositione, qui 61. cap. habetur, & de **C H R I S T O** prædictus est: Spiritus domini super me: quemadmodum antè prædixerat Isaias cap. 11. Et requiescet super eum spiritus domini, &c. Propter quod unxit me: quemadmodum Act. 10. refertur: Unxit eum **D E V S** spiritu sancto, & uirtute. & Psal. 44. * Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. * Euangelizare pauperibus misit me. & hoc indubiè præstitit **C H R I S T V S**, qui discipulos Ioannis referre illi iussit: Pauperes euangelizantur. Hoc autem infinituum euangelizare, & cætera quæ sequuntur, interpretanda sunt, ut euangelizarem, & alia similia. Sanare contritos corde. Contriti corde hoc loco sumi possunt, qui anxium habent nimis afflictionibus animum, siue qui uerè de peccatis suis dolent, & anxij sunt, quod ait Dauid: Cor contritum & humiliatum **D E V S** non despiciet. Et predicare captiuis remissionem. Captiuis inquam, diabolica irretitis captiuitate per peccata sua, quæ omnibus in se credentibus, uenit **C H R I S T V S** ut remitteret. Cæcis uisum. Cæci dicuntur, qui uiam suæ salutis non uident: quam omnibus indicaturus uenerat **C H R I S T V S**, quanquam ad literam etiam de cæcis corporeis oculis intelligatur. Et dimittere confractos in remissionem. Græcè est ἀναψίστη, id est, in remissione, hoc est, ut seu aduersitatibus fatigatos, seu ceremonialium legalium onere pressos, ab eis liberos dimittam & releuem. Prædicare annum domini acceptum, id est, tempus gratiæ, & legis euangelicæ, de qua Paulus 2. Cor. 6. * Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Quod autem sequitur: Et retributionis, id est, iudicij, in quo unicuique secundum opera sua retribuetur. in Græcis codicibus qui nunc extant, non habetur.

Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cæpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus uestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph?

Hæc tam mira audientes pendebant ab eo, quomodo exponeret ea quæ legerat. quod uident, ait illis: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus uestris, id est, uobis audientibus. Ostendit **C H R I S T V S** prophetiam in se cõpletam esse. Et omnes, inquit Lucas, testimonium illi dabant, id est, testificabantur in eo completam esse prophetiam, admirantes

CAP. 4.

E V A N G E L I V M

in verbis gratiæ, id est, in gratioso eloquio, quod prodibat ab ore eius. Non enim uti **D E V M** & hominem censebant, sed perinde atque aliquem è vulgo. Verè Ioseph fabri filium dicebant, de quo vide Matth. 13.

Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice, cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait

† *Matth. 13. g*
† *Marc. 6. a*
† *Ioan. 4. f*
† *De iure-
iuran. ca.*
† *Esti Chri-
stus.*

autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. † In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. † Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

† *3. Reg. 17. a*
† *Iaco. 5. d*
† *4. Reg. 5. d*

Quia me non plaris inquit facitis, quàm vnum de vulgo, scio vos dicturos: Medice, cura teipsum, quasi dicerent: Quis nouus iste medicus, qui cum curare seipsum non possit, alios vult curare. Quis doctor iste, qui cum literas non norit, vult nos docere. Quanta audivimus facta in Capharnaum, id est, si nos doctrinæ tuæ fidem habere cupis, ede inter nos miracula, & in patria tua, quemadmodum & apud Capharnaitas. Quod autem respondet **C H R I S T V S**: Nemo propheta acceptus est in patria sua, Vide Matth. 13. Ostendit autem nihil mirum esse si pauca inter suos miracula ediderit, quod defectu fidei illorum, non per suam impotentiam factum est, Eliæ & Elifæi exemplo, quorum Eliæ, cum annis tribus & mensibus sex clausum esset cælum, id est, non pluisset, oborta fame, ad vnam Sareptanam viduam, cum alioqui multæ essent in Israel viduæ. De quo miraculo vide 3. Reg. 17. Est autem Sarepta parua vrbs inter Tyrû & Sidonem. Vide de hoc Topographiam. Elifæi autem tempore cum multi essent leprosi in Israel, sicut 4. Reg. 7. de quatuor leprosis legitur, qui annunciauerunt fugam Syrorum: & tamen in nullâ suæ gentis lepræ curationem operatus est, sed in solo Naaman Syro, ut scribitur 4. Reg. 5. non quod apud suos miracula operari propheta non potuissent, sed quia indigni erant, ita indignos innuit fore **C H R I S T V S** ciues suos apud quos miracula edat, utpote qui purum illum hominem crederent, nec ut **D E V M** honorarent.

Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.

† *Ioan. 10. d* † *Ipse autem transiens per medium illorum ibat.*

Itaque cum ad se spectare exempla illa intelligerent, indignati extra ciuitatem illum eiec- tum è supercilio montis præcipitare voluerunt: virtute autem sua per medios illos immu- nis euasit, spiritus sancti præsidio fultus.

† *Matth. 4. b*
† *Matth. 7. d*
† *Marc. 1. e*

† Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabba- tis. † Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius.

Agit quod postea docuit: Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, ideo fugatus à patria sua, fugit in Capharnaum, vbi & docuit, & doctrinam suam opere comple- uit, quod est in potestate sermonem habere. Sermo enim in doctoris fit potestate, cum ea quæ docet, agit, nam qui factis sua dicta destruit, ut inquit Beda, doctrinam suam reddit con- temptibilem. Vide amplius Matth. 7. & Marc. 1.

† *Marc. 1. e*

† Et in synagoga erat homo habens demonium immundum, & exclamauit

voce

voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti per- dere nos? Scio te qui sis, sanctus Dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmu- tesce, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum demonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. Et factus est paupor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt. Et diulgabatur fama de illo in om- nem locum regionis.

Hoc expositum est Marc. 1. cap. At hoc loco, vbi interpres habet demonium immun- dum, Græci habent spiritum dæmonij immundi. Phrasi autem Hebræa dixit, Quid est hoc verbum? id est, quid hoc rei est? quasi dicerent: quantum doctrina hæc à doctrina scribarum & Phariseorum differt, quam tanta signa sequuntur: quod illi tantum doceant, hic autem cum potestate dæmones eiicit, & expellit ab obsessis.

† *Surgens autem Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus au- tem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam, imperauit febrim, & dimisit illam. Et continuo surgens mi- nistrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos va- rii languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, cu- rabat eos.*

† *Matth. 8. b*
† *Marc. 1. c*

Pro eo autem quod interpres habet: Imperauit febrim, Græca quæ nunc extant, habent *ἐπιμαρτυροῦσθε*, id est, increpauit: & ita forsitan verterat interpres: aut fortasse legit *ἐπιμαρτυροῦσθε*, id est, im- perauit, quod commodius videtur: non enim increpantur inanimata. Vide Matth. 8.

† *Exibant autem demonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es fi- lius Dei. Et increpās non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum.*

† *Mar. 1. e*

Vide horum interpretationem Marc. 1.

† *Facta autem die ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum. & detinebant eum, ne discederet ab eis. Quibus ille ait: † Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.*

† *Ibidem.*

† *Marc. 1. d*
† *3. e*

Hæc quoque Marc. 1. dicta sunt. Verum Marcus ait: Diluculo valde surgens, quasi sum- mo mane, cum adhuc nox esset. Lucas verò: Facto die ibat in desertum locum. Nec tamen contradicunt. Nam valde mane, & diluculum, est diei principium: sicut de mulieribus eun- tibus ad sepulchrum, de quibus Ioannes dixit: Valde mane cum adhuc tenebræ essent. Alter Euangelista: Valde mane orto iam sole. quoniam diluculum partim noctem sapit, & par- tim diem.

CAPVT QVINTVM.

C H R I S T V S cum de nauis docuisset turbas, in piscatione multa piscium vocauit Petrum, & duos filios Zebedæ: curauit leprosum & paralyticum, discum- bens in domo Leui, simul & vocauit eum: Phariseos sua cum pec- catoribus conuersatione, & discipulorum abstinen- tia conuincit, & rationem addit.

V iij

†Matt. 4. c
Mar. 1. b

† *Actum est autem cum turba irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in unam nauim quae erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas.*

Stagnum Genezareth, idem est quod Matthæus vocat mare Galilææ. De hoc mari, quod est etiam Tyberiadis, & lacus Genezar, vide Topographiam Galilææ. Consideranda sunt autem multa in hac Petri, Ioannis, & Iacobi vocatione. Primum quod cum Petro iubere posset CHRISTVS, maluit tamen seruum rogare dominus, ut nauiculam paululum à terra reduceret, illincque turbis prædicaret, ne in littore stantem & prædicantem cum turbæ vrgerent, & docentem opprimerent: sed & ut facilius turbas contempleretur, & coram se stantes conspiceret attentas.

†Ioan. 21. d
24. q. 1. ca.
Non turbatur.

† *Ut cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: † Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: † Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs qui erant in alia naue, ut venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita ut penè mergerentur.*

CHRISTVS sermone facto, ait Petro: Duc nauiculam in altum mare, remotius à littore, ut inde piscaretur cum socijs suis. quod fecerunt tanto cum fructu, ut duas nauiculas piscibus impleuerint. Quo miraculo perterritus Petrus, adeo ut indignum se arbitraretur qui CHRISTO accederet. Et consolationem accipit ab eo, & audit: Ex hoc, id est, de cætero posthac eris homines capiens, Græcè ζωπρῶν, id est, viuos capiens: quod de hominibus intelligendum est. Quo verbo innuit Euangelista, aliam fore posthac Petri piscationem, quàm antea. Nam olim pisces captabat ad occidendum, posthac verò homines peccatis mortuos piscari coepit, ad CHRISTO viuificandum. Vnde dicit:

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant.

Quinetiam vero simile est, Petrum non fuisse solum, sed & Andream, & quosdam sibi famulantes, & mercenarios, qui eum ad hoc iuuarent. Stupefactus igitur cum socijs, indignum se ducit CHRISTI societate, & præ stupore, quasi loqui non potens, socios nutu vocat in auxilium.

†Matt. 4. e
Mar. 1. c

† *Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere. † Ex hoc iam homines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.*

Quod autem ait Iacobum & Ioannem fuisse socios Simonis, intelligo participes fructus piscationis. Nam Græcè est verbum κοινωνοί, id est, participes, siue communicantes.

Et factum

† *Et factum est cum esset in una ciuitatum: & ecce vir plenus lepra, videns Iesum, & procidens in faciem suam, rogauit eum, dicens: Domine, si vis potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret: † sed vade ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses in testimonium illis.*

Quidam ciuitatem illam putant Capharnaum, ad quam dominus à monte descendit. sed & inter montem, & ciuitatem, utpote in suburbio, leprosus occurrit. Nec locum præcisè exprimit, aut ciuitatem vbi leprosum sanauit, quia nec vnus ciuitatis leprosus sanaturus venerat, sed omnium ciuitatum. Hic leprosus à Luca quartus sanatus, à Matthæo verò primus dicitur, quod dominus in monte dixisset: Non veni legem soluere, sed adimplere. Et quia per legem leprosus maximè à plebe exclusus erat, ideo post annunciatā nouam legem, leprosum populo associat & reconciliat. Vnde hic leprosus sanitatem petens, suam voluntatem diuinæ subiicit voluntati, dicens: Domine, si vis potes me mundare. Et ideo eius voluntati dominus annuens, respondit, dicens: Volo, mundare. & continuo mundatus est à lepra eius. Vide cætera Matth. 8.

† *Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.*

Pro perambulabat, Græcè est ἀμειψόμενος, quod significantius verteretur, peruagabatur, siue percurreret. Nam sermo currere magis dicitur, quàm ambulare. Vnde Paulus: Orate ut sermo Dei currat, & clarificetur.

Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisei sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem, & virtus domini erat ad sanandum eos.

Nunc CHRISTVS turbas fugiebat, nunc orabat, nunc verò docebat: exemplo cuius debemus modò turbarum gloriam post aliquod egregium, si contingat, opus vitare, modò orare, ut opus domini, & spiritus sancti donum conseruetur in nobis, ad victoriam inimicorū. Ad cuius doctrinā confluebant vndique populi, etiam doctores & legis peritiores.

† *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & queriebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt super tectum, & per tegulas summisserunt eum cum lecto in medium, ante Iesum. † Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.*

Hunc paralyticum alterum esse constat ab eo, de quo Ioannis quinto, quoniam hic in Bethsaida, ille in Capharnaum. Iesus autem ut illorum omnium fidem agnouit, non solum deferentium, sed & delati paralytici, ait illi: Remittuntur tibi peccata tua. Nam ut plurimum peccata morborum causæ sunt, & à peccatis oriuntur: ideo prius animam peccatorū subiectum curat, quàm corpus. quoniam plerique sancti & medici corporis curant ægritudines: Deus verò solus ex officio peccata remittit, cæteri ministerio.

Et cæperunt cogitare scribæ & Pharisei, dicentes: Quis est hic qui loquitur

V iij

†*Matth. 9. a.* blasphemias? *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* † *Ut cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula. Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*

In hoc CHRISTI virtutem & diuinitatem aduertere poterant, quod eorum videbat cogitationes, quod solius Dei est, vt 1. Reg. 16. Homo enim videt ea quæ patent, dominus autem intuetur cor. Et 2. Paral. 6. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Propterea si cogitationes interiores agnoscere, & peccata remittere posset, quid obfaret ipsum debere confiteri Deum. Et ideo quia vtrunque homini naturaliter impossibile est, sed dictu facile, iubet in confirmationem inuisibilis virtutis visibile signum.

Et confestim confurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, & abiit in domum suam, magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

Hanc autem paralytici historiam vide Matth. 9. Quod autem ait Lucas: abiit in domum suam, magnificans Deum, Græcè est *δοξάζων*, id est, glorificans: quanquam non malè interpret verterit, ac melius, quàm Erasmus, glorificans. Quandoquidem glorificare latinū non est: magnificare autem significat laudibus aliquem extollere, & magnificè æstimare. Pro eo autem quod est mirabilia, Græcè est *μαρὰθαυτα*. Erasmus mauult incredibilia: quanquam paradoxum admirabile significat, & inopinatum, atque inauditum. Admirationis autem causa erat, quod is qui ab omnibus homo videbatur & credebatur, opera tamè Dei, & humanam transcendentia facultatem operabatur, cuius virtutem negare non possent, qui & infirmitatem paralytici, & consequentem sanitatem viderant, & vtriusque testes erant.

†*Matth. 9. b.* † *Et post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Et erat turba multa publicanorum, & aliorum qui cum illis erant discumbentes.*

Marcus & Lucas nomen Matthæi, & eius officium publicani subticuerunt, illūmq; cum honore Leui nomine, quo vt plurimum vocabatur, nominauerunt. Cuius quidem officium nec CHRISTVS indignum duxit vocandum, vt quia peccatores vocaturus aduenerat, nec eorum puderet nominare conuersationem & vacationem, à qua maximè vacatione & telonij lucro difficile est incumbentes auertere. Plura patent Matth. 9. Pro eo autem quod hîc dicit conuiuium magnum, Græcè est *δύστην μεγάλην*, id est, quod vulgò dicunt, magnam receptionem, hoc est, magnificè eum excepit atque tractauit.

†*Mat. 9. c.* † *Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*

Inuidia nil nisi discordiam quærit. Cùm igitur Pharisei & scribæ videant CHRISTI discipulos erga eum maximo affici amore & concordia: vt autem eos sperant, conqueruntur apud

tur apud discipulos super actis magistri, & cōtinuò apud magistrum super discipulorū errore. Primo satisfacit CHRISTVS, dicens: Qui se putant fanos & iustos à lege Moyfi, nec alia indigere lege, non egent opera mea, qui veni eos vocaturus, qui se cōmittunt tanquā peccatores Euangelio, nec legem iustificare sufficientem æstimantes. Apud tales diuerto, qui pœnitentiam quærunt, tanquā peccatores pœnitentia indigentes, nō apud vōs, qui vos ipsos in lege iustificatis, & ex lege iustos, ceteros autem iniustos & peccatores reputatis.

*At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Phariseorum, tui autem edunt & bibunt? Quibus ipse ait: Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est spon- †*Matth. 9. c.*
sus, facere ieiunare? Venient autem dies, & cum ablati ab eis erit spon- †*Marc. 2. c.*
sus, tunc ieiunabunt in illis diebus.*

Secundo quæsto satisfacit CHRISTVS, qui non solum venit vt medicus, ad sanandum contritos corde, sed vt sponsus, ecclesiam sibi despondens. Non est inquit, tempus luctus in tempore nuptiarum, ideo quandiu cum eis nuptias celebros, non æquum duco vt ipsi lugeant & ieiunent: cùm autem ab eis corporis præsentia discessero, tunc ieiunandi locus erit, propter varias, quas à vobis & similibus patietur, tribulationes. Pro eo autem quod est, filij sponsi, Græcè est *υμφάδους*, id est, filios thalami nuptialis. Est autem Hebraismus, vt filios nuptiarum vel thalami nuptialis dicamus eos, qui inuitati sunt ad nuptias, quos nequaquam par est ieiunare. Ampliora Matth. 9. videbis.

*Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à †*Matth. 9. d.*
nouo vestimento immittit in vestimentum vetus, alioquin & nouum †*Marc. 2. f.*
rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpit vinum nouum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt: sed vinum nouum in vtres novos mittendum est, & utraque conseruantur. Et nemo bibens vetus, statim vult nouum. Dicit enim: Vetus melius est.*

Volens hac similitudine CHRISTVS solutionem suam confirmare, suos discipulos tanquam veteres, & legis vetustati assuetos, absoluit à tantis oneribus ieiuniorum & abstinentiæ, sed illos paulatim nouæ legis moribus & disciplinis assuescere, vsq; ad Sancti spiritus missionem: quia nemo facillè veteres deferit mores. quoniam si quis veterem velit vestem refarcire, pannum etiam veterem affluit illi: quod si nouum afflueret, maius foramen fieret. Vt etiam nec vinum nouum in vtres veteres infundit, ne virtus noui vini rumpat vasa, & effundatur vinū. Sic nec discipuli veteres adhuc, & legis veteris addicti, adhuc imbecilles, nouæ verò legis capaces, dissoluantur & desperent, nec vini noui, nouæque virtutem ferre queant: sed paria paribus, & lac paruulis concedatur. Pro eo autem quod ait commissuram, Græci dicunt *ἑσπέρμα*, quod magis auctarium significat, & additamentum, quàm commissuram, quæ Græcè *συνάφεια* diceretur.

CAPVT SEXTVM.

CHRISTVS discipulos spicas sabbato vellentes excusat: aridam manum in sabbato curat: Apostolos in monte nominatim vocat, quos à monte descendens, cum plerisque alijs docet beatitudines, quibus subdit plurima & consilia, & præcepta euangelica, per quasdam similitudines non impertinentes.

† Mat. 12. a.
Marc. 2. d.
Leuit. 23. b.
De consecr.
dist. 5. cap.
Discipulos.



† Actum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant, confricantes manibus. Quidam autem Phariseorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis? Et respondens Iesus ad eos dixit: Nec hoc legistis quod fecit Da-

uid, cum esurisset ipse, & qui cum illo erant: † quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licet manducare, nisi tantum sacerdotibus? Et dicebat illis: Quia dominus est filius hominis, etiam sabbati.

Græcè δευτερονωτον, id est, secundo à primo, dies solénis Paschæ. Hebræis primum ac principale, dicebatur sabbatum. Durabat autem huiusmodi solénitas à sabbato illo Paschæ in aliud sabbatum, quod dicitur secundo primum, hoc est, secundo loco primum ac principale: quia tantæ solénitatis erat, quantæ magnum sabbatum, quemadmodum dicitur Exod. 12. * Dies prima erit sancta atque solénis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis, incidebátque semper eiusmodi festiuitas mense nouorum. Quod ergo ait Lucas: Factum est in sabbato secundo primo, sensus est: contigit in octaua die solennitatis Paschæ, quæ celebris est Iudæis, uti & Pascha, ut discipuli transirent per sata, spicâsque iam penè maturas manibus confricarent, & manducarent. Incidebat enim, ut diximus, Paschæ solennitas mense nouarum frugum, 13. die inquam mensis Aprilis, octaua verò Paschæ, 20. die eiusdem. De hoc autem discipulorum facto vide Matth. 12.

† Mat. 12. b.
Marc. 3. a.
Infra. 14. a.
Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in synagogam, & doceret, & erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida. † Observabant autem scriba & Pharisei si in sabbato curaret, ut inuenirent unde accusarent eum. Ipse verò sciebat cogitationes eorum, & ait homini qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malé? animam saluam facere, an perdere? Et circumspectis omnibus, dixit homini: † Extende manum tuam. Et extendit. & restituta est manus eius. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent de Iesu.

Vide hæc Matth. 12. apprime enarrata. Quod autem ait Lucas: Si licet sabbatis curare, Græca habent τῆς, id est, quid, ut sit sensus: quid licet sabbatis, id est, diebus festis benefacere, an malé? Interpres verò legit ἢ, id est, si: quemadmodum legitur Matth. 12.

† Mat. 10. a.
Marc. 3. b.
Act. 2. c.
Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, † & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomeum, Mattheum & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscarioten, qui fuit proditor.

Hic nobis orandi formam præscribit CHRISTVS, ut magnū quid aggressuri, ipsum imitemur.

imitemur. Volens enim Apostolos duodecim ex plurimis sequētibz feligere, patrem orat, non pro se, qui non ignorabat quid esset factururus, sed pro Apostolis suis, tanquam aduocatus iam à Deo nobis constitutus. & quanto sublimiora rogat, tanto petit sublimiorem ad orandum locum. Principes igitur orbis electurus, montem ascendit, pernoctat orans, & die facto, quos nouit digniores, elegit. Nec Iudam respuit, ut qui tunc bonus erat, illi seruiret, donec malus efficeretur. Qui autem diuitias, honores, & officia rogant, ima petunt, non montes, & Dei speculationem. Quorum meminit Apostol. Collof. 3. Quæ sursum sunt, sapite, & non quæ super terram. Et Philipp. 3. Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. Cætera Matth. 10. & Marc. 3. patent.

Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudea, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, † qui venerant ut audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba querebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

CHRISTVS relictis turbis in imo, ad sublimia discipulos ducit, cum quibus in excelsis seletis, ad turbas in sublime descendit sublimiorū incapaces. Nempe in excelsis infirmi non sunt, sed in infirmis, quos, ut descendit, inuenit, & sanauit, qui semper humiles sanare paratus est: ex quo diuina exit virtus, tangentes eum, & corpore & spiritu sanat.

Et ipse eleuatis oculis in discipulos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. † Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. † Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. † Beati eritis cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. † Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo. Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

Has beatitudines plerique ab his, quæ Matthæus in monte dicit, prædicatas dicunt diuersas, quod illas ad perfectiorem hominum statum spectare doceret Apostolos: has verò ad communem hominum vitam & conuersationem. quæ solùm sunt quatuor, per quas quatuor virtutes Cardinales docebat, super quas hominū vita, quemadmodum super cardinem ostium, voluitur. Prima temperantiæ aptatur, cuius est superflua refecare. Secunda iustitiæ, quæ castigat corpus, & in seruitutem redigit. Tertia prudentiæ, quæ præligit gaudium futurum. Quarta fortitudini, quæ circa difficillima versatur. De quibus Sap. 8. Sobrietatē & sapientiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus nihil est vtilius in vita hominibus.

† Veruntamē vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esuriētis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugēbitis & flebitis. Væ cum benedixerint vobis omnes homines: secundum hæc enim faciebant pseudopphetis patres eorum.

Præter verba Matthæi, qui benedictiones annumerat, quæ eos manēt qui pro CHRISTO malè afficiuntur, annumerat hoc loco Lucas eorum maledictiones, qui bonis fruuntur omnibus, nihilque aduersi interim ferunt. Magnum enim reprobationis indicium doctores sancti ponunt, cum prospera omnia succedunt, aduersi autem nihil: & hoc certè verum, si quidem verum est quod scribitur Act. 14. Quoniam per multas tribulationes oportet nos

CAP. 6. EVANGELIVM

intrare in regnum Dei. Et Iudith. 8. Per multas tribulationes tranſierunt fideles omnes qui Deo placuerunt.

† *Matt. 5. g.* Sed vobis dico qui auditis. † Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calumniantibus vos. † *Matt. 5. f.* Et qui te percutit in maxillam, praebe illi & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. *1. Cor. 6. b.* Omni autem petenti te tribue, & qui aufert quae tua sunt, ne repetas. † *Rom. 12. d.* Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. † *Matt. 7. c.* Et si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt. † *Tob. 4. c.* Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. *Matt. 5. g.*

Multi putabant beneficiis solum inimicos esse diligendos, & beneficos beneficiis cumulandos: at quia haec non sunt virtutis, sed naturae, ideo ad virtutem nos incitans CHRISTVS, ostendit non sufficere nobis non odisse inimicos, sed dilectione erga eos affici oportere. Quinam vero dicantur inimici, quos iussi sumus diligere, ne factis tantum, an vero adiuncta etiam animi in eos affectione, & nunquid hoc fieri possit? Respondet Basiliius Magnus Interroga. 176. Regulae breuio. Inimici proprium est nocere & insidiari. Quicumque itaque quocumque modo alicui nocet, ipsius rite inimicus appellari potest: praecipue autem qui peccatum committit. Nam quantum in ipso est, variis modis nocet, & insidiatur ei qui cum viuit, aut consuetudinem habet. Quoniam autem homo constat ex animo & corpore, quod quidem ad animum attinet, eos qui huiusmodi sunt, diligemus, castigando, admonendo, & omnibus modis ad sanitatem reuocando: quod vero ad corpus pertinet, beneficiis eos subleuando, cum aliqua re egeat, eamque quae sunt ad vitam necessariae. Haec ille, & multo plura, ibid.

† *Exo. 22. d.* Et si mutuum dederitis his a quibus speratis accipere, quae gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant equalia. *Deute. 15. b.* Veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. *De vsur. ca. Consultuit.*

Cum dicit, peccatores peccatoribus foenerantur, Graece est δανίζονται, quod significat & ad vsuram dare, siue foenerari, & simpliciter mutuum dare: quomodo hic absque dubio vertitur. Vult enim hoc loco CHRISTVS incitare Christianos non ad mutuum dandum simpliciter, etiam si recepturos se principale non sperant: quandoquidem etiam peccatores & gentiles inter se mutuum dant sine villo foenore, & sine vlla spe recipiendi. CHRISTI autem veros discipulos hac re praestare oportet, ut proximorum necessitati occurrat & subueniant, etsi nunquam mutuum ipsum recipere sperent. Nam paulo post propter eos quibus tanta non est charitas, ut vlla sua iactura fratribus subuenire velint, subdit: Mutuum date, nihil inde sperantes. vbi prosperantes, Graece est ἀπολαύετε, id est, ab ipso, seu propter ipsum mutuum ultra illud sperantes.

† *De reg. iu. ex. ca. Estote* Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. † *Matt. 7. a.* Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. *Mar. 4. c.* Dimitte, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Dei pro-

Dei proprium est misereri, non vindicare: ideo vult nos CHRISTVS ad misericordiam assuescere, & vitandam vindictam: quoniam ut Iacob. 2. Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. sic nec alterum condemnemus, nisi velimus condemnari, iuxta dictum Pauli 1. Cor. 11. Si nos ipsos diiudicemus, non vtiq; iudicemur. Sed & offensas remittere nos vult proximis, ut nobis a Deo nostrae dimittantur. Et aliis dare, ut & nobis donetur mensura plena, pro dimidia, mensura supereffluens, pro plena, & pressa ac coagitata, pro semipressa vel semicoacta. Vnde adhibet mensuras quas nobis promittit, si aliis etiam minores impertiamur: pro quibus reddet unicuique secundum opera eorum, siue mente, siue lingua, siue manu gesta sint, iuxta Paulum 2. Cor. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal CHRISTI, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, siue bonum, siue malum. Ita si fuerimus aliis misericordes, similiter nobis misericors erit dominus: sin autem immisericordes, Deus quoque seuerus erit nobis, ut unusquisq; praemium recipiat aeternum secundum temporale meritum.

Dicebat autem illis & similitudinem: † *Matt. 15. b.* Nunquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foueam cadunt. † *6. q. 1. cap. Sacerdotes. Matt. 10. e.* Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. *Ioan. 13. d. & 15. f.*

Caecus hoc loco non tam ignorans dicitur, quam qui de industria saluti suae necessaria vult ignorare. Quod si qui eiusmodi est, viam praere vult alteri, necesse est ut in barathrum & praecipitium aeternae damnationis uterque incidat. Quod autem sequitur: Non est discipulus super magistrum, tractatum est Matth. 10. sed alia ratione ibi adducitur a Matthaeo, quam hic a Luca, ut ibi videbis. Hic autem generaliter nonnullorum discipulorum arrogantiā damnat CHRISTVS, qui sapientes plus quam oportet, aduersum magistros insolent, superiores se illis arroganter existimantes: quibus satis esse docet, si ad magistri perfectionem accedant. Quod vero ait Lucas: Perfectus omnis erit, Graece est πᾶς, id est, omnis. Puto autem τὸ πᾶς vsurpari ἀπὸ τῶν ὀλοῦν, & omnis pro totus, ne putes hic significare quemlibet, aut vnumquemque. Sic Cice. dixit tota mente, atque omni animo intueri aliquem. Pro vocabulo autem perfectus, Graece est κατηρτισμένος, quod significat omnibus numeris & partibus absolutum.

† *Matt. 7. a.* Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quae in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicias ut educas festucam de oculo fratris tui.

Odium enim ira est inueterata. Quantum autem distat festuca a trabe, tantum distat ira ab odio: ergo ira peccans, non est odij arguendus. Ergo conscius sibi maiorum delictorum, & grauissimorum, debet sibi prius a grauibus temperare, quam in aliis minora reprehendere. Hunc enim absque morbo esse oportet, qui aliorum vulnera curare fatagit, alioquin illi dicitur: Medice cura te ipsum: cum turpe sit doctori, cum culpa redarguit ipsum. Caetera Matth. 7.

† *Matt. 12. e.* Non est enim arbor bona, quae facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum. Vnaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vnam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

X

Rubo & tribulo notat hypocritas & hæreticos, qui suis aculeis pungere & fauciare solent incautorum animas & mentes suis verborum blanditiis: ficus autem & vua, sunt dulcedo & feruor diuinæ dilectionis, quæ nec in hæreticorum aut hypocritarum verbis querere oportet. Ex quibus infert, non esse querendum bonum fructum in malis arboribus, hæreticis inquam & hypocritis. De quibus in Epistola Iudæ: Hi sunt arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Bona ergo arbor fructus bonos ex natura facit, & mala malos contra naturam: quoniam vtraque ad bonum condita est. Arbor quippe, homo est, fructus autem, opus eius. Quod si operator ex opere agnoscitur, bonum opus bonum quoque arguit operatorem. Oris verò locutione non solum quæ aguntur, sed & quæ cogitantur, CHRISTVS voluit significare, quæ non minus inter arboris fructus, quam opera reputantur.

†Matt. 7. d.
Rom. 2. d.
Iacob. 1. d.

Quid autem vocatis me domine domine, & non facitis quæ dico: † Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini edificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat supra firmam petram. Qui autem audit & non facit, similis est homini edificanti domum suam supra petram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.

Itaque neque sola fides sufficit ad æternam vitam, nisi & vita cõformis & fide digna adatur: iuxta Iacobi dictum cap. 2. Sic & fides, si non habeat opera, mortua est. Nec igitur omnis qui in CHRISTVM credit, inuocans dominum, nisi etiam præcepta quæ dicit, impleat, regnum cœlorum ingredietur. Similiter nec vita fidelibus conformis, vt quorundam fortè hæreticorum, nisi fidem integram inuiolatamq; seruauerint, meretur vitam æternam. quandoquidem appellare dominum, fidei tantum est, facere verò quæ dicit, operis: vt nec alterum separetur ab altero. Horum vtrunque similitudine probat architectorum, quorum prior & sapiens fundat domum supra firmam petram, supra quam fundata est ecclesia, nec descendit ab illa, quacunque tentatione ingruente, nec ab illa semoueri potest, vsque adeò adhærescit illi. Alter autem tanquam stultus ecclesie, petrâ non curat, & sic tanquam in arena fundatus, minima quâq; tentatione, & gloriæ vento inanis, deturbatur ad ima: & fit illius ruina magna, vtpote à fide in hæresim, qua nulla est ruina maior.

CAPVT SEPTIMVM.

Ingressus Capharnaum CHRISTVS, Centurionis fidem admirans, seruum eius sanat, vidua filium iuxta Naim suscitatur, Ioannis discipulos erudit, Iudæos illius verbis insultantes confutat, à peccatrice pedes vinctus, Simonem murmurantem ex proposita illi parabola confirmat.



†Matt. 8. d.

Um autem impleisset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. † Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens, erat moriturus, qui illi erat preciosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudeorum, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius. At illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus

Quia dignus est vt hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse edificauit nobis. At cum iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari.

Quod autem Matthæus ait accessisse ad CHRISTVM Centurionem, Lucas autem non accessisse, sed seniores rogatum misisse, nulla ob id est discordia. Matthæus enim accessisse ait, quomodo vulgò dicimus: Qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Hic autem infirmus, quem *vāde* Matthæus vocat, Lucas modò *δούλος*, id est, seruum vocat, modò *vāde*, id est, puerum. Quapropter cum Matthæus semper puerum appellet, intellige *vāde* siue puerum ea significatione, qua puerum, seruum, non filium appellamus, aut puerilis ætatis aliquem. *δούλος* enim nihil aliud significat. Noluit autem CHRISTVS descendere Capharnaum ad filium reguli sanandum: descendebat tamen ad Centurionem, cum illum in itinere obuium habuit, ne & diuitias seruituti præponere diceretur, & honores humilitati.

† Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres, propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alij veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit. Quo audito, Iesus miratus est, & conuersus, sequentibus se turbis dixit: † Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni. Et reuersi qui misi fuerant domum, inuenerunt seruum qui languerat, sanum.

Iandudum Centurio credebatur vnum esse Deum, & cum tanta CHRISTI signa audiveret, credidit ipsum esse Deum, ad quem obuius exiuit, deprecaturus ne vexaretur domum eius intrare, qui non minorem absens, quam præsens omnipotentiam habebat, vt quodcumque solo verbo iuberet fieri, id factum esset. Quoniam Dei & hominis inquit, non est comparatio: ego autem purus & nudus homo, habeo milites & seruos, qui omnia iussa mea fideliter exequuntur, quâto magis tu qui Deus es, iubere potes angelis tuis, & statim iussa tua capessunt. In quibus CHRISTVS Centurionis fidem agnouit, quia vir gentilis tanta de Deo aestimabat: humilitatem, qui indignum credidit ad quem CHRISTVS diuersaretur: & prudentiam, qua sub tantillo corpore CHRISTI tectam agnouit diuinitatē. Quæ singula miratus CHRISTVS, non vt passione perturbatus, sed vt nos talia admiremur, dixit turbis: Fidem gentium tandem fore Iudæorum fidei præponendam, quod nudæ legi Iudæi adhærent, hic autem gentilis absque doctore & lege hunc credidit esse Deum.

Et factum est deinceps, ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: † Adole- scens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cepit loqui: & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: † Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus

visitauit plebem suam. Et exijt hic sermo in uniuersam Iudæam de eo, & in uniuersam circa regionem.

Naim ciuitas est Galilææ, in sorte Zabulon sita, sub monte Tabor, duobus miliaribus ab eo distans, iuxta montem Hermon, in latere Aquilonari. In hoc autem miraculo de suscitato viduæ filio, consideranda est quanta fuerit matris afflictio, quæ vnigenitum amiserat, & quia vidua, nullam spem habebat recipiendi alterius filij. Considerandum quoque, quod non in domo suscitatur, ac priuatim, ne quis diceret non verè tunc mortuum fuisse. Nec abs re dixit Lucas, quod tetigit CHRIS TV S loculum siue feretrum cadaueris, vt ostenderet verè mortuum & sepultum. De allegorica huius historię expositione, videre potes Bedam & alios. Scholiastæ autem non est in iis immorari, quæ vnusquisque non indoctus modò piè comminisci potest.

† *Matt. II. a* Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. † Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Cùm autē venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

Hæc nunciantur Ioanni in carcere & vinculis, vt habet Matthæus. Cùm verò discipulos ad CHRIS TV M mittit, non vt dubius interrogat, sed vel vt discipulos suos informet super veritate CHRIS TI, & virtutibus eius, vel vt illi mandet, an sit eum ad inferos etiã adnunciaturus fore venturum, quasi dubitaret, an descensus esset CHRIS TV S in infernum, & eius descensum prædicare deberet, sicut eum mundi redemptorem nouerat, & eum digito ostenderat talem ea gratia in mundum venisse. Hæc autē in præsentia fecit nunciorum, vt Ioanni referrent maiora signa, & plura prioribus. Et sic discipulis Ioannis per signa exponit quæcunque quæsitæ, quod factis potius respondeat, quàm dictis, quæ nullus antea tot & tanta & talia fecerat.

† *Matt. II. b* Et cùm discessissent nuncij Ioannis, cæpit de Ioanne dicere ad turbas: † Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste preciosa sunt & delitijs, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? utique dico vobis, & plusquam prophetam. Hic est de quo scriptum est: † *Mal. 3. a* Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. *Matt. II. c* *Marc. I. a* Dico enim vobis: Maior inter natos mulierū propheta Ioanne Baptista nemo est, qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.

Nec præsentibus discipulis Ioannis voluit tanta de Ioanne turbis referre præconia, nec discipulis illis videretur adulari: sed illis abeuntibus dixit turbis: Quid existis in desertum videre? Vbi aduerte cùm dicit: Ecce qui in veste preciosa sunt & delitijs, &c. Pro veste preciosa, Græcè est, ἢ ἡματιοῦ ἢ ἰδού. Est autem ἡματιοῦ, non ipsa vestis aut vestimentum, sed vestitus

vestitus aut cultus, & quod etiam Latini dicunt, vestiarius. Cætera Matt. II. patent.

Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisei autem & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo.

Sensus est: Omnis populus & publicani iustum & veracem esse Deum prædicauerunt, baptizati baptismo Ioannis. Pharisei autem & legisperiti recusantes baptizari à Ioanne baptismo penitentię, consilium Dei, id est, consilium Ioannis à Deo profectum spreuerunt in semetipsos, in suam eorum perniciem.

Ait autem dominus: † Cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. † Venit autem Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Demonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis. † *Matt. II. b* † *Matt. II. c*

Quoniam videt Iudæos non facile posse cõuinci, ideo eos confert paruulis insipientibus, & in foro sedentibus, & sibi inuicè impropertantibus & facilem viam, & difficile. quasi dicerent, quid iucundius cantu & ludo, & hanc viuendi normam vos docuimus, nec illa vobis placuit, quid tristius luctu, & hunc vobis ostendimus, & multo minus vobis placuit. ita nec facile, nec difficile vobis placet. Hanc autem similitudinem applicat ad Ioannis difficilem viuendi normam, quæ illis summe displicebat, quem propterea vocabat dæmoniacum. Et ad suam satis facilem, hunc tamen clamabant ebriosum & voracem. Veruntamen veri sapientiæ filij facile discernunt inter cibum & potum, & quod non est regnum Dei esca & potus. quorum nec vsus, sed intemperantia & concupiscentia ab illis arguitur: quia iustitia magis opera, quàm voces attendit. Cætera Matth. II.

Rogabat autem illum quidam de Phariseis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei, discubuit. † Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti, & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. † *Mat. 26. a* † *Marc. 14. a* † *Ioan. 12. a*

CHRIS TV S Phariseos maiores prædicabat peccatores, quàm publicanos. Verum quia apud publicanos sæpius diuertebat, ne Pharisei murmuris ansam caperent, quia illos fugeret, nec ad eos vocatus recusauit intrare. De mulieris autem huius vnctiõne, quodque eadem sit cum ea de qua agit Lucas, Matthæus, Marcus, & Ioannes, Matt. 26. diximus, quò te remittimus, & ad eos qui de vnica Magdalena aduersus Fabrum scripserunt. Hoc autem loco non possum tibi non indicare audaculi nostri librarij versutiam, qui concordantiam, vt appellant, de vnctiõne ista muliere, cum alijs Euangelistis, quæ in veteribus omnibus Bibliis habebatur, è suis expunxit, nimirum vt cum Fabro ex vna plures faceret Magdalenas. Nota autem quod Phariseus qui Iesum exceperat, multis modis hinc peccat. Et perperam videlicet ac temerè de muliere iudicando, quæ iam peccatrix esse desierat: & CHRIS TO ob id prophetiam derogando, quod mulierem contrectaret, peccatricem esse ignorans (nam

& talem esse nouerat) neque si non noisset, propheta esse non desisset (cū non necesse sit prophetas omnia nosse) talem esse sciens C H R I S T V S, qui vocare peccatores, & non iustos venerat, misericorditer susciperet. Idcirco temerarium eius iudicium, qui peccatricem aspernaretur, reprehensus C H R I S T V S, ostendit plus de se meritam esse peccatricem, quā eum à quo exceptus erat. Hac autem similitudine probat: Duo debitores inquit erant cuidam foeneratori. pro quo verbo Græcè est *δευ4077*, quod & foeneratorem significat, & creditorem: magisq; hoc loco quadrabit creditori, quod foeneratores raro aliena nomina debitoribus condonare soleant. His autem inquit debitoribus, quorum alter quingentos, alter quinquaginta denarios debebat, debitum remisit: vter inquit plus creditorem diligit? Cūque ille respondisset: is cui plus donatum est: subiunxit C H R I S T V S, non minorem assumēs, sed maiorem: Sed ista plus me dilexit quā tu: ergo plus ei quā tibi remissum est. Hoc est enim quod postea concludit: Propter quod dico tibi, remittūtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Probat autem quod mulier plus dilexit, quā Pharisæus, qui se plus de C H R I S T O meritum esse censebat, quod qui se iustum putabat, conuiuio C H R I S T V M excepisset. Probat autem ex humanitatis obsequiis hīc enumeratis, quæ sibi mulier præstitisset, ex qua dilectione concludit plus illi remissum esse. Sed quorsum inquit, vt iam nō aspernetur mulierem hanc tanquam peccatricem, quæ peccatrix esse desierat, remissis sibi propter ingentem dilectionem omnibus peccatis, ob idq; nec erat à Pharisæo iam iudicanda peccatrix, nec abhorrenda vt peccatrix. Si autem iuuat *ἀναγοικίς* parabolam hanc explicare: Foenerator iste, seu si mauis, creditor, Deus est, qui gratiarū suarum talenta nobis mutuat: debitores autem ipsi sumus, cū ea talenta multiplicare, aut eis bene vti negleximus. Non æquè autem dicere vult omnibus. At inter eos qui soluendo non sunt, si æquam omnibus creditor Deus gratiam faciat, debitum, hoc est peccata & admissa remittendo, indubiè plus ille diligere obnoxius, cui plura remittuntur debita & admissa. Quod autem postea C H R I S T V S dicit: Cui minus dimittitur, minus diligit, non est simpliciter intelligendum, sed inter debitores, & eos nō ingratos. Maria enim virgo, cui nihil vnquam dimissum est, quia nunquam peccauit, non minus, imò magis diligebat, quā Magdalena, cui multa dimissa erant. Sicut etiam nonnunquam debitores ingrati, qui pluribus acceptis beneficiis, minus tamen diligūt. in quo remissionem facit causam dilectionis. Sed vt mulier suæ intentionis certior fieret, & petitionis, contulit ei quod petebat, vt cæteros duceret in admirationem.

C A P V T O C T A V V M.

Plurimis turbis & sequentibus seminis multiplicis propositam exponit parabolam: matrem suam fratresque suos docet ab alijs discerni: mare trajiciens excitat ventum sedat: legionem demoniorum à demoniaco eiectam permittit in porcos intrare, & eos in mare submergere: inde reuersus Iairi filiam suscitaturus, hæmorrhoißam à profusio sanat, eamque filiam suscitatur.

† De pœnit. dist. 3. cap. Sūt plures. Marc. 16. b.



Factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans, & euangelizans regnū Dei, & duodecim cum illo: & mulieres aliquæ quæ curatæ erant à spiritibus malignis, & infirmitatibus, † Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem demonia exierant, & Ioanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

Cum apostolis sequebantur eum mulieres insignes ab eo sanatæ, quæ & illi de facultatibus suis necessaria ministrabant. Inde ex hoc loco probari potest, licere Euangelico prædicatori de

dicatori de substantiis ac facultatibus eorum viuere, quibus prædicat. Hanc autem Magdalenam bona doctorum pars asserit, quæ cap. præcedenti à Luca vocata est peccatrix, quam fortasse etiam ob peccatum & lubricam viuendi rationem septem dæmonia obsederant, à quibus eam C H R I S T V S liberauerat, licet de eo miraculo nihil recitent aliud Euangelistæ.

Cū autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: † Exiit qui seminat seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: qui habet aures audiendi, audiat.

Nec eget alia expositione hæc parabola, quā ea qua eam C H R I S T V S exposuit. veruntamen sola exercitatione opus est: & imprimis cauendum, ne simus via, petra, aut spinæ, in quibus semen iactum, nullum facit fructum, sed bona terra, apta ad iactum semen recipiendum, & fructum multiplicem faciendum, bonum, meliorem, optimū. Vide Matth. 13.

Interrogabant autem eum discipuli eius quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt † videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est verbū Dei. Qui autē secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram, qui cū audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Qui autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur, & non referunt fructum. Qui autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

Ex hac C H R I S T I expositione constat cor nostrum vel mentem nostram esse terram, super quam iacitur semen verbi Dei. Quod si fuerit inutilium cogitationum attrita, dicitur via, si duritia peccatorum exiccata, dicitur petra, si voluptatibus & diuitiis addicta, dicitur spinæ, & cura spinarum sollicita, fin verò his omnibus vacua, dicitur terra bona, boni fructus effectiua. Primæ autem terræ fructum rapiunt dæmones, secundæ impedit æstus, tertie verò curæ diuitiarum. Quemadmodum verò mala terra tres malas habet varias conditiones, ita bona tres bonas, quibus fructum trigecuplum, sexagecuplum, & centuplum, pro incipientibus, proficientibus, & perfectis. Vbi dicit, euntes suffocantur, Græcè est, *ἡσυχάζουσι*: facilius esset, inter eundem, quasi diceret: quod sunt nonnulli qui verbū Dei libenter quidem audiunt, sed inter eundem, & paulatim ac progressu temporis suffocatur in iis verbum à diuitiis & voluptatibus. Ampliora videbis Matth. 13.

† Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum

†*Matth. 10. c* ponit, sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. †*Non*
Marc. 4. c est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cog-
 †*Matth. 13. b* noscatur, & in palam veniat. Videte ergo quid audiat. †*Qui enim ha-*
25. c bet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, aufe-
Marc. 4. c retur ab illo.
Inf. 19. d

Hæc sententia à superioribus pendere videtur, ut qui terram bonam ac frugiferam esse desiderant, CHRIS TVM imitentur & Apostolos, quorum est verbum Dei intrepidè propalare, non sub vase vel lecto occultare, hoc est huius vitæ illecebris detineri, & illis Dei verbum quasi lucernam operire. Supra candelabrum autem erigendum est, ut per ministerium nostrum veritatis prædicatio manifestior fiat, & corporis seruitus in Dei obsequium omnino redigatur. Iuxta Paulum 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Quæ singula Matth. 3. declarat, cum subdit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. & quæ sequentur in textu, Matthæus variis locis ponit, vbi latius explicantur.

†*Matth. 12. g* Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant adire
Mar. 3. g eum præ turba. Et nunciatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre. Qui respondens dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.

Quidam Iudæorum tentavit eum, an carnem & sanguinem spirituali præferret operi, & prædicationem pro matre & cognatis interrumpere. Cui respondit: Mater mea est, quæ me in credentibus per fidei prædicationem generat: Fratres mei sunt, qui opera patris mei propter eius verba faciunt. In quibus nec matrem nec matris negat obsequium, nec fratres ac consanguineos contemnit, sed quod qui operi spirituali occupatus est, non omittat pro temporali vel carnali.

†*Matth. 8. c* Factum est autem in una dierum, & †*ipse ascendit in naviculam, & di-*
Mar. 4. d scipuli eius, & ipse ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. & ascende-
 runt. Et navigantibus illis obdormiuit: & descendit procella venti in sta-
 gnum, & compellebantur, & periclitabantur. Accedentes autem suscitave-
 runt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens increpavit ventum,
 & tempestatem aquæ, & cessavit, & facta est tranquillitas. Dixit autem
 illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt, ad inuicem dicentes:
 Quis putas, hic est: quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

Vbi Matthæus vocat mare, Lucas appellat stagnum, à stando, quod contra naturam suam sit procellosum. Vbi autem Matthæus vocat motum maris, Lucas procellam, quæ plus dicit, quàm motum: dicitur enim à procello, quod peruertere & percutere signat, cum grauis nubes ex ventorum impetu percutitur, & frangitur, ex qua fractione egreditur fulgetrum cum tonitru, quod sequitur grandis tempestas & motus. Hoc autem stagnum, idem quod mare Galilææ, seu Tiberiadis, vel lacus Genesareth, siue Genesar, satis celebris apud Euangelistas iuxta hæc singula nomina. Quod autem dicit: vbi est fides vestra? increpat eos, quod timerent cum saluatore mundi, qui nec perire poterat, nec eos permittere secum perire. Cætera vide Matth. 8.

†*Matth. 8. d* Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et
Marc. 5. a cum

cum de nauis egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat demonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. †*Is ut vidit Iesum, procidit ante il-*
 lum. & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi est Iesu fili Dei †*Matth. 8. f*
 altissimi? Obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo, ut †*Marc. 5. f*
 exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum: & vincieba-
 tur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à de-
 monio in deserta.

Interpres, vbi Græca habent γαδαραίων, id est, Gadarenorum, vertit Gerasenorum, quod idem est, cum eadem sit regio Gerasa, Gergesa, & Gadara, ut supra dictum est Matth. 8. & Marc. 5. de quibus & aliisibi videas. Quod autem CHRIS TVS immundo spiritui tanquam vni loquatur, cum plures essent, hoc intellige, quod vnanimis in malum istius hominis illum possidebant: ideo sub vnus nomine omnibus imperat CHRIS TVS, ut exeant ab homine, quem tanto tempore vexauerant.

†*Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: †Matth. 8. f*
 Legio: quia intrauerant demonia multa in eum. Et rogauerunt illum, ne †*Marc. 5. b*
 imperaret illis ut in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multo-
 rum pascentium in monte: & rogabant eum ut permitteret eis in illos in-
 gredi. Et permisit illis. Exierunt ergo demonia ab homine, & intrauerunt in
 porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.
 †*Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nunciauerunt in †Ibidem.*
 ciuitatem & in villas.

Matthæus duos dæmoniacos, Marcus & Lucas vnum CHRIS TO referunt occurriffe: quia ut inquit August. de concordia Euangelistarum, vnus eorum celebrioris personæ, & maioris infaniæ fuit, & eius curatio famosior. Nam ab immundo spiritu velut inscius nomen inquit: sed ut possessus & CHRIS TI virtutem, & dæmonum multitudinem ex nomine agnoscat, & imminens sibi ab illis periculum aduertat, & tandem caueat. Non obstat quod hic Lucas gregem porcorum ait pascentium in monte, Marcus autem circa montem, quoniam tam multus grex poterat esse, ut pars eius super montem, pars verò circa montem, qui totus in monte dicitur esse. Dæmonibus autem in porcos præcipitandos à CHRIS TO permittitur ingressus, in poenam peccatorum: qua ratione pestes, febres, cæcitate, & poenas, ac damna penè infinita ob peccata mittit in homines.

Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Iesum, & inue-
 nerunt hominem sedentem à quo demonia exierant, vestitum, ac sana
 mente, ad pedes eius, & timuerunt. Nunciauerunt illis & qui viderant,
 quomodo sanus factus esset à legione. Et rogauerunt illum omnis multitudo
 Gerasenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur. Ipse
 autem ascendens nauim, reuersus est. Et rogauit illum vir à quo demonia
 exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: Redi in domum
 tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per vniuersam ciuitatem,
 prædicans quanta illi fecisset Iesus.

Ciues autem ciuitatis illius egressi in occursum Iesu, videntes hominem sanum, sed & audientes porcos submersos, rogauerunt eum vt discederet à finibus eorum, timentes ne demones post submersos porcos in eos fortasse sæuirent: quibus annuit, quod indigni essent, nec inuitos vellet curare, & qui eius abhorrebant præsentiam. quibus igitur diutius molestus non fuit, tanquam sapientiæ indignis: sed rursus nauem ascendit, ad patriam reuersurus. Liberatus à legione dæmonum remittitur in domum suam, annunciaturus quanta fecerat illi **I E S V S**: sicut tenentur liberati à periculis, morbis & peccatis: quod in præsentia **C H R I S T I** non fecisset, nec miraculum aliis euulgasset. Cætera Marc. 5.

† Matth. 9. c
Marc. 5. b
Ioan. 4. g

† *Factum est autem cum redisset Iesus, excepit illum turba. Erant autem omnes expectantes eum. Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum, vt intraret in domum eius, quia unica filia erat ei, ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur.*

Matthæus cap. 8. dicit illam iam defunctam: Marcus verò & Lucas, illam in extremis laborantem, quia fortè cum domum Iairus exiret, ad **C H R I S T V M** iturus, reliquit eam iam, vt aiunt, à medicis desperatam, & morti proximam: cum verò ad **C H R I S T V M** accessit, putauit iam esse defunctam, ideo iuxta Matthæum dixit Iairus **C H R I S T O**: Filia mea modò defuncta est. vel fortasse primò dixit, sicut ceteri dicunt Euangelistæ, filiam suam proximam morti, imò potius tunc credere, iam iam esse defunctam.

† Matth. 9. d
Marc. 5. d

† *Et contigit dum iret à turbis, comprimebatur. Et mulier quedam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari: accessit retrò, & tetigit simbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Preceptor, turba te comprimunt & affligunt, & tu dicis: Quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam & ego novi virtutem de me exisse. † Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei: Filia, fides tua saluam te fecit, vade in pace.*

† Matth. 9. e
Marc. 5. f

Quoniam hæmorrhoiisæ & fluxum patientes à plebe excludebantur, ideo hæc mulier non palàm audebat suam manifestare infirmitatem, nec **C H R I S T V M** alloqui, sed propter morbi sceditatem timebat à turba repelli, cupiebatque occultè **C H R I S T V M** tangere, ipsùmque latere: atque fidem firmam habebat, si quomodo illum tangere posset, salua esset. **C H R I S T V S** autem hunc tactum non ignorans, quærit: Quis me tetigit? sed vt illa cognosceret, quod non ignorante illo sanata fuit, sed ipso volente, & vt nec alios lateret miraculum, sed mulieris fidem imitarentur, Christi que omnipotentiam admirarentur, & crederent.

Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. Iesus autem audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & salua erit. Et cum venisset

nisset domum, non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere: Non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. Ipse autem tenens manum eius, clamauit, dicens: Puella, surge. Et reuersus est spiritus eius: & surrexit continuo. Et iussit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes eius. Quibus precepit, ne alicui dicerent quod factum erat.

Principis famuli in solos morbos arbitantes **C H R I S T V M** habere potestatem, occurrunt illi & magistro, annunciântque filiam esse defunctâ, propterea non esse **C H R I S T V M** vexandû. Quibus auditis, ne archisynagogus illis crederet, & in fide, qua prius ad **C H R I S T V M** accesserat, dubitaret, ac verbis illorum seduceretur, ait illi: Noli timere, sed tantum crede. Ingrediens verò cubiculum vbi iacebat defuncta, solos tres secum assumpsit discipulos, quos solitus erat in grauibus secretis accipere, ac patrem & matrem filiæ defunctæ. Dixitque illis: Nolite flere, mortua non est filia vestra, sed tantum dormit, quo ad me, qui dominus sum non minus mortis, quàm vitæ, nec minor mihi potestas est eam à morte, quàm à somno excitare: ideo tantum credite mihi. Nec in hoc irrideri erubuit, vt post signum ipsi se iudicarent potius ridiculos. Et apprehensa manu puellæ, suscitauit eam, & in signum verè resurrectionis iussit illi dari cibum, quem palàm comedit. Parentibus autem ne miraculum vulgent, prohibet, vt ipsi in se vitarent iactantiam & inanem gloriam.

CAPVT NONVM.

C H R I S T V S Apostolos binos ad prædicandum cum potestate & autoritate mittit, quos reuersos in desertum ducit, vbi quinque virorum milia ex quinque panibus, & duobus piscibus satiat. Inde confessionem suæ diuinitatis ab Apostolis inquirens, à Petro excipit, transfiguratus coram tribus, Moyses & Elias comitantur eum: descendens de monte lunaticum curat, atque discipulorum controuersiam super præfulatu sedat, illòsque Samaritanis insensos à maledicto prohibet.



† *Onuocatis autem Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia demonia, & vt languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quacunque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. † Et quicumque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. Egressi autem circubant per castella, euangelizantes & curantes vbique.*

Facta prædicandi regnum Dei Apostolis facultate, prædicationi necessaria simul committit. Primò quo ad animam, vt dæmonia ab obsessis eiiciant: secundò languores curent, & infirmos sanent. Quales autem esse debeant, si suum velint euangelium fore gratum auditoribus, sine virga, sine pera, sine cibus, atque pecuniis, & veste simplici cõtenti incedant: non

De penit.
di. 1. ca. Quæ
penitet.

† Matth. 9. e
Marc. 5. g

† Matth. 10. a
Marc. 6. b

† 2o. 9. 1.
Præfens 11.
q. 3. Ira sapa.

† Matth. 10. c
Marc. 6. b
Act. 13. g

diffidentes quominus necessaria vitæ sibi suppetant. Hospitalis præterea necessitudinis iura commendat, alienum astruens à prædicatore regni Dei per domos passim cursitare, à quibus si non recipiantur, à ciuitate exeant, & puluerem à pedibus in signum reprobationis & maledictionis excutiant. Quod autem dicit: Nihil tuleritis in via, Græcè est, εἰς τὴν ὁδὸν, hoc est, in viam, id est, Nolite solliciti esse de necessariis ad iter vestrum peragendum.

†^{Matth. 14. a} ^{Marc. 6. b} *Audiuit autem Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hesitabat, eò quòd diceretur à quibusdam: Quia Ioannes surrexit à mortuis. à quibusdam uerò: quia Elias apparuit. ab aliis autem: quia propheta unus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioannem ego decollauit. quis est autem iste, de quo ego talia audio? & quærebat uidere eum.*

Matthæus & Marcus asserunt Herodem credidisse Ioannem, quem decollauerat, suscitatum, & ideo talia facere miracula. Lucas uerò Herodem ait dubitasse, imò impossibile potius duxisse, quia dicebat: Ioannem decollauit, ex quo inferebat: non igitur hic est Ioannes. Qui itaque hunc esse Ioannem dicebat, non palàm audebat hunc esse Ioannem asserere, timens ne populus Ioannis hortatu in eum sæuiret, vel ne eum audacius argueret. Itaque timebat quem interemerat mortuum, ne & ipse apud Deum post mortem tantam impetrasset potestatem ab illo, ut miracula faceret, & in peccatores grauius inueheret.

†^{Matth. 14. c} ^{Marc. 6. d} *Et reuersi Apostoli, narrauerunt illi quæcunque fecerunt: & assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. Quod cum cognouissent turba, secuta sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura indigebant, sanabat. Dies autem cæperat declinare.*

Reuersi Apostoli, narrauerunt quæcunque contigerant illis, dæmones inquam, illis subiici, morbos nullo discrimine curari, auditores facilè attentos reddi, & nec illis penitus quid defuisse in via asseruerunt. Quos ut audiuit, duxit illos in desertum locum, qui dicitur Bethsaidæ, eo quòd esset prope Bethsaidam, ciuitatem Petri & Andreae. Vbi dicit: qui est Bethsaidæ, Græcè est καὶ μέγιστος ἱεροσολίταις, id est, ciuitatis, quæ dicitur Bethsaidæ. Interpres uerò intelligit CHRISTVM secessisse in desertum, quod erat iuxta Bethsaidam, vel pertinebat ad ciuitatem Bethsaidam, vel ab illa dependebat. Nec clàm desertum potuit CHRISTVS petere, quin plurima turba virorum, mulierum, & paruulorum eum sequeretur pedes, ut aliquid fructus ab eo consequeretur. Vnde languidos eorum curauit, & ad uesperam usque vel prædicauit, vel morbos ab his qui eius cura indigebant, expulit, omnesque sanauit ægrotos.

†^{Ioan. 6. a} *Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella uillæque quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas: qui hinc in deserto loco sumus. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem ferè uiri quinque milia. Ait autem ad discipulos suos: facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerunt. Et discubuerunt omnes.*

†^{Matth. 14. d} ^{Marc. 6. f} ^{Ioan. 6. b} *Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.*

turbas. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

Postquam CHRISTVS eos qui sequuntur eum sanauit ab infirmitatibus suis, hos pane celesti verbo regni Dei satiauit: ne tamen deficerent in via, quos spirituali pane satiauerat, hos corporali & materiali pane satiat. Non autè ociosos, non in urbibus aut uillis oscitantes, sed uerba Dei, & prædicationes frequentantes, & spiritualiter & corporaliter à CHRISTO aluntur, & ab ægritudinibus curantur. Hos autem panes dedit discipulis distribuendos, qui tam paucos CHRISTO obtulerant, ut illos minimè lateret miraculum, qui & cæteris futuri erant utriusque cibi dispensatores, qui animo etiam toto parati erant cuncta quæ habebant pro nomine CHRISTI expendere in tantæ multitudinis alimentum, cum dixissent: Eamus & emamus in omnem hanc turbam escas. Quod autem dicit: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Pro conuiuia, Græcè est κλισίας, id est, accubitus. alij legunt κλισίος, id est, cateruatum, q. d. Facite illos discumbere quinquagenos, vel singulo quoque accubitu quinquaginta. Comederunt & saturati sunt, & fragmenta, quorum rudes incapaces erant, dantur Apostolis referuanda: quia ut dicit August. Mysteria quæ à rudibus non capiuntur, à perfectis inquiruntur. Sunt enim fragmenta quæ populus non potuit manducare, quædam secretiores intelligentiæ, quibus impleti sunt Apostoli, quasi cophini duodecim, quorum est mysteria secreta seruare, & non rudioris vulgi, contra neotericos huius tempestatis, qui secretiora sacræ mysteria scripturæ ad idiotas etiam mulieres spectare contendunt.

†*Et factum est cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli, & interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? At illi responderunt, & dixerunt: Ioannem baptistam: alij autem Eliam: alij uerò quia unus propheta de prioribus surrexit. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertia die resurgere.*

†^{Matth. 16. c} ^{Marc. 8. c}

†^{Matth. 17. d} ^{Marc. 8. e}

Lucas hic uidetur uelle CHRISTVM statim post miraculum quinque panum hanc quæstionem Apostolis proposuisse. Matthæus autem uult CHRISTVM illos longius à Iudæis abduxisse, ut liberè absque formidine ueritatem & opinionem eorum exquireret. Duxit autem illos usque ad fines Iudææ, ubi Cæsaream Philippi construxerat Philippus Herodis filius in honorem Tiberij Cæsaris, quæ nunc Paneas dicitur. Nec discipulos suos interrogat, quasi sententiæ eorum nescius, sed ut nos eorum fidem doceret, & eorum confessionem renumeraret. Nec Petrus solus sciebat, quamuis pro cæteris responderit, ipsum esse CHRISTVM Dei, in quo & diuinitatem, & humanitatem simul explicuit. CHRISTVS autem prohibuit, ne cui Petri reuelarent confessionem, quòd scilicet ipse esset CHRISTVS Dei, & filius, quod per patrem uolebat intransfiguratione reuelari, & seipsum per passionem, quam prædicit exhibendam, & consequenter per resurrectionem Deum confirmare.

Dicebat autè ad omnes: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Nam qui perdidit animam suam propter me, saluam faciet illa. Quid enim proficit homo, si lucretur uniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimetum sui faciat? Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum uenerit in ma-

†^{Matth. 10. d} ^{16. d} ^{Marc. 8. d} ^{Ioan. 12. d} ^{De simo. ca. Mat. thæus.}

† *Matt. 16. d* *iestate sua, & patris, & sanctorum angelorum. † Dico autem vobis ve-*
Marc. 9. a *re, sunt aliqui hęc stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant re-*
gnum Dei.

CHRISTVS ideo incarnari voluit, vt homines deos faceret, factus homo, & hominem à paradiso exilem ad cœlestia regna reuocaret. Verùm nec ipse absque tribulatione & passione ad propria redire voluit: vnde post prædictam Apostolis suis passionem & resurrectionem, docet illos modum, quo ipsum imitari debeant, si ad eius peruenire velint resurrectionis participium. Inde qui vult illum imitari, veterem deponat hominem cum concupiscentiis, & fiat de superbo humilis, de luxurioso castus, & huiusmodi, quod est seipsum abnegare, & per has virtutes corpus animæ subiiciat, cum Apostolo dicente: Castigo corpus meum, & in seruitutem scilicet animæ redigo: quod est crucem suam tollere, & CHRISTVM in suis sequi passionibus. Sed & si persecutionis tempore pro CHRISTO & eius fidei testimonio dignum ducit vitam perdere, saluam inueniet eam in cœlo, ad quod vita data est consequendum. Cæterùm Apostoli difficile putabant posse negare, quòd essent, tollere crucem suam, seipsum in tribulationes & mortem dare, & animam propriam periculis exponere. quos præmio futuræ gloriæ certiores reddere curans, ait: Sunt quidam ex his qui mecum stant, & parati sunt pericula mecum subire, qui antequam moriantur, videbunt gloriam meam sibi paratam, vtpote in transfiguratione mea: vel, non gustabunt mortem, donec me videant in ecclesia mea vniuersa regnantem, quæ maximè regnū Dei dicitur. Cætera vide Matthæi 17.

† *Matt. 17. a* *† Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum, &*
Marc. 9. a *Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem vt oraret. Et facta est, dum*
oraret, species vultus eius alterans, & vestitus eius albus & refulgens. Et
ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses & Elias visi in
maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.
Petrus verò & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes vi-
derunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo. Et factum est
cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hęc
esse, & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnū Moysi, & vnum
Elie: nesciens quid diceret.

CHRISTVS à terra in montem excelsum tres secum abduxit, qui ad testimoniū sufficerent, post dies circiter octo, ex quo prædixerat: Sunt quidam hęc stantes, &c. Verùm Lucas primum & postremum diem annumerat: Matthæus verò sex intermedios. Hic autem orans, in aliam formam & figuram transfiguratus est, non in aliud corpus, vel aliam personam, sed eodem manente claritas interior diuinitatis exteriora adeò illustrauit, nec tantum corporis, sed & vestimentorum, vt & aliis omnino appareret transformatus. Et vt ait Hiero. talis apparuit Apostolis, qualis futurus est in iudicio, vbi omnes & boni & mali visuri sunt ipsum iudicem, vnusquisque ad suam retributionem. Nemo putet eum amisisse corporis veritatem, & assumpsisse corpus spirituale, vel aerium: vbi enim splendor faciei, & candor vestium describitur, non substantia tollitur. Et vt Apostolorum fidem augeat, dat signum de cœlo, & de inferis, Elia illinc descendente, quo conscenderat, & Moysè hinc resurgente, quo descenderat. Ideo autem viuus & mortuus apparent, vt CHRISTVM viuum moriturum designent, & postea victurum: sed & vt nos viui simus Deo, mortui autem mundo. Quod autem hęc dicit Lucas: Et dicebant excessum eius, Græcè est ἐξέσθω, quod decessum significat, siue mortem. Est ergo sensus: Loquebantur de morte eius, quam passurus erat in Ierusalem. Vides ad quantam eleuet oratio iustorum gloriam, cum fit debite: quandoquidem Petrus CHRISTI orationi assistens, non solum CHRISTVM sensit transformatum, sed

sed etiam seipsum, vt etiam diceret quod nesciret, scilicet tria facienda tabernacula, qui nec faber esset, nec materiam aut instrumenta apta haberet: ita vt tanquam confusa mente inconsideratè loqueretur.

Hæc autem eo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos, & timuerunt,
intranctibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens: † Hic est filius
meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Et
ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ
viderant.

Recedentibus igitur Moysè & Elia, nubes obumbravit eos, & vox patris audita est, dicens: Hic est filius meus dilectus, non Moyses, quantumuis legem meam vulgauerit, nec Elias, quantumuis legem meam zelauerit, vt nec etiam ipsum mortem adhuc pati permiserim, sed hic CHRISTVS, quem ad consummandum, quicquid vel Moyses, vel Elias, cæterique prophætæ de me & ipso prædixerint, destinauerim. Propterea ipsum præ omnibus aliis audite, & credite, qui est terminus & finis omnium aliorum. Cætera reperies Matth. 17. & Marc. 9.

Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis
turba multa. Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te,
respice filium meum, quia vnicus est mihi: & ecce, spiritus apprehēdit eum,
& subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit di-
lanians eum: & rogavi discipulos tuos, vt eicerent illum, & non potuerunt.
Respondens autem Iesus, dixit: † O generatio infidelis, & peruersa, usque-
quo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cum accede-
ret, elisit illum demonium, & dissipauit. Et increpauit Iesus spiritum immun-
dum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius.

Huius viri filium Matthæus dicit fuisse lunaticum, à quodam morbo quem patiuntur vt plurimum qui in interlunio nascuntur. Hic etiam morbus vocatur Comitialis, quia illum patiens interdum lucida habet interualla, sed adueniente plenilunio, quo humores augentur, intermiscet se dæmon, & commouens humores ægroti, cerebrum contorquet, vt vel homines Lunam mali causam viderent, illum diuinum quid habere crederent, & illam adorarent, vel Deo creatori eius calumniam facerent. Huius autem morbi poeta quidam Senrenus meminit.

Est subiti morbi species, cui nomen ab illo,
 Quòd fieri nobis suffragia iusta recuset.
 Sæpe etenim membris atro languore caducis,
 Concilium populi labe horrenda diremit.
 Ipse Deus memorat dubiæ per tempora Lunæ,
 Conceptum, talis quem sæpe ruina profundit.

Pro quo autem habet interpret: elidit eum dæmonium, Græca nunc habent ἐπιβουλή, id est, lanauit, elisit: interpret legit ἐπιβουλή, lanat, elidit. Quòd autem discipuli non potuerunt dæmoniacum curare, dicit CHRISTVS & illorum, & offerentis incredulitatem in causa fuisse, vt patet ex Matthæo, & Marco. vide ibidem.

Stupebant autem omnes in magnitudine Dei, omnibusque mirantibus in
omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus ve-
stris sermones istos. Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus

hominum. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

CHRISTVS suae passionis memoriam discipulis suis frequenter inculcat, ne imminente illa scandalizentur, & illum quem nuper Dei filium confessi sunt, gratis abnegent. Iuxta quod illis praedixit Ioan. 16. Hae locutus sum vobis, ut non scandalizemini. & sequitur: Hae locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Quod autem dicit, stupebant in magnitudine, Graeca habent ἐπὶ τῆ μεγάλότητι, id est, in magnificentia, seu maiestate: quae aequivalent. Similiter quod paulo post ait: Ponite in cordibus vestris, Graeca habent ἐς τὰ ὦτα ὑμῶν, id est, in aures vestras. Et pro velatum ante eos, Graece est, κρυπταμένον, id est, occultatum, & absconditum illis. Quod vero ait, ut sentirent illud, Graece est, ἀκούοντες, id est, intelligerent, quod est sensu interiori capere.

† Matth. 18. a. † Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

Videbant caeteri discipuli Petrum in plurimis sibi à CHRISTO praelatum saltem in terris, sciscitantur deinceps an sit etiam in caelo preferendus. Quibus respondens CHRISTVS, maiores puerili innocentiae confert, qui nec irae reminiscuntur, nec vindictam prosequuntur, nec sunt ambitiosi, sed paucis contenti: horum autem & talium est regnum caelorum. Caetera patent Matth. 18.

† Matth. 9. f. Respondens autem Ioannes dixit: Praeceptor, vidimus quendam in nomine tuo euicentem demonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.

Quidam inani forte gloria capti, CHRISTI tamen verbo confisi, coniurabant in nomine eius daemonia, & à possessis expellebant, aduersum quos Ioannes humanum quid, ut videtur, passus, queritur, & querelae simul causam adducit, quia inquit, non sequitur nobiscum. Cui CHRISTVS satisfacit, quia si nomen eius venerantur & glorificant, non omnino ipsum aut nomen eius calumniabuntur. Quod si inquit Marcus, contra vos non est, pro vobis est, non est igitur prohibendus qui talia agit.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius: & ipse faciem suam firmavit ut iret in Ierusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de caelo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum.

† 23. 9. 4. ca. Tres personae. Quid facit.

Cum dicit: Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, Graece est, ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς συμπληρώσαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ. Notandum hoc loco, ἀναλαμβάνον, ut testatur Budaeus in suis Commentariis, significat filium abdicatum in domum recipere, quod patres

patres post emendationem & satisfactionem faciebant Athenis. CHRISTVS autem in terris quasi abdicatus à patre, homo factus, post culpae nostrae emendationem ac satisfactionem, quam solus ipse iuxta patris decretum in cruce praestitit, tunc demum ἀναληφθεὶς, domumque accersitus est, & euocatus à patre, cum mandatis patris perfunctus est. Hic ergo quod Lucas ait: dum complerentur dies assumptionis eius (nam Graeca in singulari habent) quod parum refert: sensus est, Dum implerentur dies, quando Dei patris omnibus mandatis perfunctus CHRISTVS in caelum reciperetur, qui pauci superessent ei in caelum ascensuro: Graecum tamen verbum pro assumptionis, est ἀναλήψεως. Est autem ἀνάληψις τῶν παιδῶν, agnitio, qua quis penes se puerum asciscerat, & quasi filium agnoscebat. Sensus ergo hoc modo potest esse: Cum pauci dies superessent, ut in caelestem ac patriam domum admitteretur homo Deus CHRISTVS, & verus patris filius illi agnosceretur. Siue: Cum pauci dies superessent, ut assumeretur ex hoc mundo, & ille iret ad patrem: id est, cum pauci dies superessent, ut mortem pateretur. & ipse inquit, faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem, aut confirmavit, iturus in Ierusalem, ne vultum trepidantis hominis praese ferret: quamquam non ignoraret se à Phariseis ad mortem peti. Ituro autem necesse erat per oppida Samaritanorum transire: & quia eum multa turba sequebatur, praemittit nuncios in oppidum quoddam Samaritanorum, ut & domum illi, & necessaria praepararent. Samaritani autem non receperunt eum: quia ut inquit Lucas, facies eius erat euntis in Ierusalem. Pro euntis, Graece est πρὸς ἑνὸς μέρους, id est, iens, ut referatur ad τὸ πρόσωπον. Interpres noster legit πρὸς ἑνὸς μέρους, estque magis proprium, ac facilis lapsus est ab ὑ in v. Id est, quia ex facie eius agnoscebant eum orandi causa Ierosolymos proficisci: Samaritanis autem moris erat in monte suo orare, negantibus orationis causa proficiscendum esse in Ierusalem: atque ideo CHRISTVS recipere noluerunt. Quos cum ideo vlcisci vellent discipuli, euocato caelitus igni, veluti aliquando Elias, volens suos CHRISTVS ad mansuetudinem inuitare, & ab appetitione vindictae auocare, increpauit eos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis, id est, quo spiritu acti vindictam postulatis, bono, an malo.

Factum est autem, ambulatibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Tu autem vade, & annuncia regnum Dei.

† Matth. 8. c

Hunc scribam dicit Matthaeus, & hic dominum sequi cupiebat, ea qua Simon magus intentione, ut miracula faciendo disceretur. Cuius intentionem exclusit, dicens: Filius hominis minus quam quaecumque creata possidet, cum tamen omnium dominus esset. Vides vulpes foueas habere quibus latitent, & volucres nidos, filius hominis nec etiam domunculam ubi quiescat possidet. Ampliora videbis Matth. 8.

Et ait alter: Sequar te domine, sed permitte mihi primum renunciare his qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

De pœnit. dist. 2. ca. Priuata.

Pro renunciare, Graece est, ἀποστῆναι. ἀποστῆναι vero significat iubeo valere. Et hoc modo sensus est: Primum autem indulge hoc mihi, ut iubeam valere domesticos meos. Magna. Et cum Graece sit ἀποστῆναι τοῖς ἐς τὸν οἶκόν μου: & τοῖς possit esse neutri generis, sensus esse potest, Permite mihi primum renunciare iis quae domi meae sunt, siue nuncium remittere, ut scilicet cum illis cessero, accipiant, ad quos post me spectat haereditas. Ei autem respondit CHRISTVS: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Regnum Dei praedicationem appellat: ad quam functionem Aposto-

De voto ca.

los elegit, ac discipulos suos. Sicut autem qui arandum ac bene colendum agrum suscipit, attentum ante se esse oportet, ne quod saxum offendat, quo impingens vomer frangatur, aut quouis modo agri ipsius cultura impediatur: ita qui agrum dominicum prædicationis verbo colendum suscipiunt, aut abdicato seculo CHRISTVM sequi destinarunt, proposito suo intentos semper esse oportet, nullamque in rem oculos deflectere, quæ ab eo illos auertat.

CAPVT DECIMVM.

Misus septuaginta duobus ad prædicandum cum præceptis prædicatorum, & cum gaudio reuerfis, obstinatis comminatur ciuitatibus: legi speritum sub parabola Samaritani docet, quid sit proximus: susceptus a Martha, præfert Magdalena studium obsequio Martha.

† Dist. 21.
cano. In
nouo.
† Matth. 9. d
Matth. 10. a
Marc. 6. a. b



Ost hæc autem designauit dominus alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: † Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. † ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos.

Misus est primò Ioannes baptista ad parandam viam domino: vt Ioan. 1. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine. Inde missi sunt duodecim apostoli tanquam ad duodecim tribus Israel erudiendas super Messie aduentu, quibus succedunt Episcopi. Postremò septuaginta duos mittit discipulos, qui prædicent 72. linguis, in confusione turris Babel per orbem dispersis: quibus presbyteri & curati maximè succedunt. Et eos misit binos, propter geminam charitatem, quam habere debet qui alijs prædicat, & ab omni peccato esse immunis. vt Roma. 2. Qui prædicat non furandum, furaris: qui dicit non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis. &c. Messis multa quidem est, sed grana mixta paleis, indigentque bonis messoribus, ideo dominum messis rogare debent, vt illis mittat bonos & fideles messorum, qui quærant opus, non quietem, onus, non honorem, magis prodesse, quàm præesse, animas magis, quàm decimas. de quibus Aug. ad Orofum: Sciat se non esse episcopum, qui præesse, & non prodesse desyderat. At ne sibi securitatem in messe promittant, prædicat illis imminetia pericula tyrannorum, vt saltem cognoscant ipsum talia præuidisse, vt supra dictum est, & Matth. 10. & Marc. 6.

† 4. Reg. 4. e Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, † & neminem per viam salutaueritis. In quancunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. † Dignus est enim operarius mercede sua.

† Deut. 24. c
1. Tim. 5. c
II. 9. 3. ca.
Ad mensam.

Nolite transire de domo in domum. Hos abstrahit ab impedimentis quæ remorari solent prædicatores. Primùm auertit eos à nimia cura deferendi cibos, ideo aufert sacculum: inde à pecuniis congregandis, ideo inhihet peram: & tandem à nimia tarditate & mora, ideo aufert calceos, vt diligentius currant, & citius exercitium exequantur. Nec in his necessaria ad victum & vestitum prohibet, sed nimiam in illis curiositatem, & superfluum affectum, quæ prædicationem impediunt. Quoniam

Quoniam salutatio per viam solet sæpius remorari euntes, & prædicationis impedire studium, non ideo salutationem per viam prohibet, quod humanos prohibeat actus, mutuamque beneuolentiam, sed ne nimis auertatur ab opere prædicandi per plurimas confabulandi moras. Sed & pacem domibus imprecentur, quas ingrediuntur, qui pacem annunciare venerat, quam si quis prædestinatus cum fide suscipiat, bonum est: sin autem duplatur merces offerentis, qui quoad potuit, fecit, vt pacem ibi plâret. Quia dominus sumptum ferre prohibuit, nunc prouidet illis: quod si in pace recepti fuerint, optimè secum agetur, super victu suo, quo digni sunt, operantes. Cætera Matth. 10. videbis.

† Et in quancunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquabit in vos regnum Dei. In quancunque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem qui adhesit nobis, de ciuitate vestra extergimus in vos. Tamen hoc scitote, quia appropinquabit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati.

† II. 9. 3. cap.
Ad mesam

Vbi verò discipuli non suscipiuntur nec in hospitium, nec in prædicationem, iubentur exire ciuitatem, tanquam prædicatione indignam: imò vt puluerem qui fortè pedibus eorum in illa ciuitate adhæsit, excutere in illos, quasi in improprium laboris, quem pro illis sumperunt, in illorum damnationem grauiorem futuri. Sed & duriorum, quàm Sodomis & Gomorrhæis, qui si prædicationem talem habuissent, inexcusabiles essent: quia si caruerint, minus profectò damnantur.

† Uæ tibi Chorozaïm, Uæ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes peniterent. Veruntamen Tyro & Sydoni remissius erit in iudicio, quàm vobis. Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris. Qui vos audit, me audit, † & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.

† 8. 9. 1. cap.
Qui vos
spernit.

His ciuitatibus exprobat CHRISTVS, prædicatque futurum excidium & damnationem, in quibus tot tantæque fuerant facta miracula, nec crediderant. Tyrus autem & Sydon adeò idololatriæ deditæ primis prædicantibus discipulis credituræ erant, vt Act. 11. latius patet. Sed & Capharnaum, in qua CHRISTVS tot virtutes exercuerat, vt etiam se cælo dignam existimaret: veruntamen nec conuersa est, nec à præteritis suis penituit delictis, nec ab illis cessauit: quæ tanto plurimis plectetur supplicijs, quanto pluribus insignita est signis & miraculis, vt etiam ciuitas CHRISTI nominaretur.

Matth. 10. d.
Ioan. 13. e.
& 14. e.

Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam demonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: † Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis.

† De penit.
dist. 2. cap.
si enim.

Reuersi discipuli gaudent quod etiam miracula edant, sed & dæmonia sibi subiiciant. Quos vt humiliet CHRISTVS, ne fortè plus iusto superbiat, terret eos, quod dæmones

etiam in caelo exaltatos propter superbiam suam cum Satana principe suo demerit ad ima. Quapropter nolite in hoc gloriari, quod spiritus maligni vobis subiiciatur, ne & vos in his elati simul corruatis: sed potius gaudete, quia nomina vestra per praedestinationem sunt scripta in caelis, ut illuc ascendatis, unde daemones corruerunt.

†*Matt. II. d.* In ipsa hora exultavit in spiritu sancto, & dixit: † Confitebor tibi pater domine caeli & terrae, quod abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te. † Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Et nemo scit quis sit filius, nisi pater, & quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius revelare.

Confessio non semper poenitentiam, sed vel laudem, vel gratiarum actionem signat: unde agit CHRISTVS Deo patri gratias, quod discipulos nactus sit suae legis capaces, & ipsius adventus sacramenta & mysteria, quorum scribae & Pharisei se reputabant capaces, & sapientes, & prudentes, non tamen paruuli & humiles: quia humilitas clavis est scientiae, non tumor & arrogantia. ideo nec scribae aut Pharisei legem illam sciuerunt. Nec illorum alia quaerenda est ratio, nisi quia placuit illi, ut non temere Dei iudicia longius discutiamus de huius vocatione, & alterius reprobatione. Quoniam ut ait Paulus Rom. * Antequam nati essent, aut quid boni vel mali egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quod autem dicit: Omnia mihi tradita sunt a patre, suam fatetur omnipotentiam, per quam omnia facta sunt. Cum autem addit, tradita sunt, filium se fatetur, qui non a seipso omnipotentiam habet, sed a patre. Cum vero superaddit: Et nemo scit quis sit filius, nisi pater: neque seipsum, neque spiritum sanctum, sed solas creaturas excludit, ut cognoscamus, quod filius, quibus vult, & patrem, & spiritum sanctum, & eorum arcana reuelat, sicut pater filium, ut Matth. 16. * Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelavit tibi, sed pater meus qui est in caelis. Haec autem ita ordinantur: Cum gratias patri egisset CHRISTVS, quod diuina mysteria reuelasset paruulis, ne putarent discipuli filij opera se non indigere, ostendit communem & eandem sibi esse cum patre potestatem, quippe cui omnia pater tradiderit, nec unquam ad patris cognitionem sine filio, ac contra filij sine patre peruenire posse, alioqui soli se mutuo cognoscunt vera perfectaque cognitione. A se solo enim comprehensibilis est Deus.

†*Matt. 13. b.* Et conuersus ad discipulos suos dixit: † Beati oculi qui vident quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetae & reges voluerunt videre quae vos videtis, & non viderunt: & audire quae auditis, & non audierunt.

Hoc est, qui praesentem in carne saluatorem videre potuerunt, & ex ore eius verbum excipere: quod indubie multis olim iustis prophetis, & sanctis regibus (etsi eorum Euangelista non meminit) in votis fuisse, arguit ingens Simeonis illius desiderium.

†*Matt. 22. b.* Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: † Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens dixit: † Diliges dominum Deum tuum in toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: † & proximum tuum sicut teipsum.

Cum CHRISTVM hic scriba suis versutiis illaqueare tentat, seipsum suis inuoluit laqueis, quasi diceret scriba: quid factum opus est ad eam quam praedicas aeternam vitam consequendam. Quem CHRISTVS ad suam legem remittit, quam ad hunc finem assequendum seruare oportet.

Dixitque

Dixitque illi, recte respondisti: Hoc fac & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis, abierunt seminiuo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo praeuertit. Similiter & Leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est. † Et appropians alligauit vulnera eius, & infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.

Ille volens iustificare seipsum, id est, iustum se probare, & honore, & reputatione ab alii officij, imò forte doctior, interrogat CHRISTVM, quis cenferi debeat ab eo proximus: nimirum solos Israelitas proximos arbitrás dici debere, quos & diligere se asseueraret. Unde verisimile est aliquando inter Iudaeos fuisse controuersiam, quis dici deberet proximus, an solus Iudaeus Iudaeis, & gentilis gentilibus. CHRISTVS autem hac parabola nequam proximos tantum esse censendos, qui inter se genere & affinitate coniuncti essent, sed quicumque misericordiam alteri impendere studuerit, censendum proximum: cum in hac parabola neque sacerdos, neque Leuita Iudaei proximi fuerint illius, cuius curam nullam habuerunt. Parabolam qui volet mystice exponere, poterit de Adam cadente inter malignos spiritus, descendens a Ierusalem illa caelesti, a nemine curatus est, praeterquam a Samaritano. Sed hoc est praeter officium scholiastae. Quod autem in hac parabola ait interpretis: seminiuo relicto, Graece est, *ἡμιθνή* id est, semimortuo. Quodque habet, in stabulum, Graece est, *εἰς πρυθῆρον*, significat autem hospitium, siue diuerforium meritorium. Et paulo post ubi habet stabularis, Graece est, *πρυθῆρα*, id est, hospiti meritorio. Quamquam non male vertit interpretis stabulum & stabularium, non ut equorum aut bouum domicilium intelligat, eorumque curatores, sed quod Gallice dicimus, *Hostellerie, & hôte, ou hôtelier*: id enim significat stabulum. Quod vero hic dicitur: Samaritanus vinum infudit & oleum, intelligendum est, quod primo oleum ad leniendam plagam, deinde vinum ad abstergendam & consolidandam plagam infuderit.

Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade & tu fac similiter.

Altera die CHRISTVS Samaritanus verus post resurrectionem suam protulit stabulario suo, id est, discipulis & sequentibus episcopis duos denarios, id est, duo testamenta, de quibus dixerat Matth. 13. Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera: quibus si quid supererogationis addiderit, reddetur illis in die iudicij, ut supra dictum est de talentis. Ex quibus adductis, CHRISTVS iudicem in sua causa facit legisperitum. Quis enim magis proximus noster, quam de nobis bene meritus, quam caput nostrum, quam dominus noster, ex cuius nutu omnia pendent, cui omnia tradita sunt a patre.

Factum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum, & mulier quaedam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic

erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius. † Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adiuuet. Et respondens dixit illi dominus: Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Nota est ad literam de Martha & Maria historia, qua nobis proponitur Marthæ hospitalitas, & officiosa charitas, qua in CHRISTVM tam studiosè vsa est, imitanda. Similiter commendatur vehemens Magdalene ad audiendum verbum attentio, quæ interim studiosæ negotiationi, & officiosè præponitur hospitalitati. Nec temerè positum est, quòd rogantem Martham, & in partem sollicitudinis sibi Magdalena adiungeretur, non exaudit CHRISTVS, nimirum ostendere volens, gratius sibi & acceptius fore, si quis spiritum illum colat, auidè & attentè verbum eius accipiendo, quàm externis operibus, & carnalibus anxie colendo.

CAPVT VNDECIMVM.

Discipulos suos docet CHRISTVS dominicam orationem, & sub similitudine petentis tres panes, modum orandi & impetrandi: Phariseos Beelzebub demoniorum eiectionem tribuentes confutat, illorumque reprobationem multis similitudinibus & comparationibus probat, & male dictis, quòd prophetas non audierunt, sed plerosque eorum occiderunt.



† factum est cum esset in quodam loco orans, ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis, dicite: † Pater, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. † Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

Qui dominicam orationem sibi prodesse cupiunt, studeant fieri & esse digni filij celestis patris: cuius non sunt digni peccatores, vt infra 15. Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Huius nomen semper sanctum est, vt tamen omnibus innotescat, quotidie oramus. Regnum autem eius præcamur in præsentia ecclesia nobiscum esse per gratiam, vt tandem in cœlesti regnemus per gloriam. Cui panem petimus quotidianum, vt nobis non tribuamus panem quo vescimur, sed domino, qui dixit discipulis suis: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid edatis vel bibatis. Debitoribus autem nostris quomodo dimittendum sit, dictum est Matth. 6. & cætera illic amplius patent.

Et ait ad illos: Quis vestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. & ille deuotus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse. Iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et si ille perseuerauerit

† De renūc. cap. Nisi cū pridem.

† Matth. 6. b. De penit. di. 3 cap. De quotidianis nos dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Tres sunt.

seuerauerit pulsans, dico vobis, & si nō dabit illi surgēs, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. † Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

Nota est ad literam hæc parabola. Id autem ea dicere vult CHRISTVS, quòd non semper statim Deus petentibus nobis, etiam si tandem dare proposuerit, ea concedit quæ petimus, sed nostram perseuerantiam exigit. Quòd si perseuerauerimus orantes, propter improbitatem tamen, id est, assiduam & importunam petitionem, non modò tres panes illi cōcedet, sed quotquot etiam habet necessarios, id est, quotquot sibi vsui sunt necessarij. Petere igitur à domino non exigua, sed eximia, regnum cœlorum inquam, & necessaria corpori & animæ, & nunquam, si debite petas, patieris repulsam.

† Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.

Oportet itaque petentes esse filios, & ideo nihil petere, nisi quod patrem dare, filios autem accipere deceat. Nec tantum bonis temporalibus, sed & spiritualibus indigemus. Ideo si pater temporalis dat bona etiam sibi à Deo data petentibus filiis, multo magis Deus illorum dator illa dabit petentibus. Sed & bona spiritualia, quorum spiritus sanctus est dator præcipuus, & illorum distributor.

† Et erat eiciens demonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset demonium, locutus est mutus: & admiratae sunt turbae. † Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe demoniorum eicit demonia. Et alij tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: † Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Satan in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eicere demonia. † Si autem in Beelzebub ego eicio demonia, filij vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei eicio demonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

Quauis CHRISTI opera admiratione & laude digna essent, à turbisque & gentili plebe super prophetarum opera extollerentur, tamen à scribis & Phariseis, contra cætorum admirationem, iniuriam calumniamque patiuntur, vt, quid iniuriosius non perpendentes, hæc demoni ascriberent. Horum iniuriam & calumniam plurimis rationibus eluit CHRISTVS, quæ Matth. 12. nobis sufficere visæ sunt. Præter id quod dicebat Lucas: si in digito Dei eicio demonia: Matthæus dixit: si in spiritu Dei, idem est. Quare autem spiritus sanctus dicatur digitus Dei, multi multa ferunt. Mihi videtur non incongruè intelligi, quòd per brachium potentia designatur, patri autem potetia attribuitur, patre igitur ipsum brachium designat. Per manum verò quæ immediatè à brachio manat, videtur intelligi filius, per quem pater operatur, qui immediatè à brachio, id est, à patre procedit. Per digitum

† Matth. 7. b. & 21. c. Marc. 11. c. Ioan. 14. b. & 16. c. Iacob. 1. d.

† Matth. 7. b.

† Matth. 9. d. & 12. c. Marc. 3. c. † Matth. 12. c. Marc. 3. e. † 25. q. 2. ca. si ea.

† Dist. 11. c. 1

ergo non incongruè spiritus sanctus designatur: quia sicut digitus à brachio non immediatè, sed per manum procedit, ita pater per filium, & filius per spiritum sanctum externa opera facit, ut què admodum per digitum faciendà manus indicat, ita per spiritum sanctum faciendà & credenda CHRIS TVS indicauit. Cùm Ioannes dicat: * Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ioan. 16.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet † Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.

Probare vult hac parabola CHRIS TVS, se non eiecisse dæmonium in virtute Beelzebub, quia fortis aduersus fortem nihil potest, nisi superior factus alium exarmauerit. Ergo cùm CHRIS TVS dæmonem eiiciens vniuersa dæmonis arma abstulerit, virè que eius fregerit, parere eum sibi cogens, manifestum est, quòd non in virtute dæmonis & Beelzebub dæmonium aliud eiecit. Verùm quid est quòd ante CHRIS TI aduentum pacificè regnabat in mundo princeps mundi huius, sed superueniens fortis CHRIS TVS, confractis eius viribus, spolia eius distribuit, quando ascendès in altum, captiuam duxit captiuitatem, humanum scilicet genus, quod captiuum tenebat diabolus, dedit dona hominibus, quibus dæmonis virtutibus occurrat. Rursum alio argumento probat in virtute Beelzebub se non eiecisse dæmonem. Quia qui non est mecum, contra me est, id est, qui meis operibus non consentit, contra me est: diabolus autem illis non consentit, quia homines quos ad vitam æternam reuocare studeo, in æternæ damnationis barathrum studet abducere, & quos morbis infestat, & obsessionibus vexat, ego libero & curo: ergo contra me est, neque mihi aduersum se suiq; similes dæmones suppetias ferret. Qui fieri igitur potest, ut auxilio vtar diaboli, qui mecum in cunctis dissidet.

† Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secū, nequiores se. Et ingressi habitant ibi. Et sunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Per hominem à quo immundus exierit spiritus, designatur Iudæus, cùm ab Abraham accepit circuncisionem, & à Moyse legem, vsque ad CHRIS TI aduentum: ut in fine parabolæ CHRIS TVS concludit apud Matthæum: Sic erit & generationi huic pessimæ. Similiter & peccator cùm per pœnitentiã ad gratiam resurgit, à qua si recidat, præterita imputantur peccata, non quo ad culpam, sed quòd ad ingrati tudinem. Sed & in primis hæreticis, & præcipuè neotericis, qui cùm à principio paucorum articulorum non contenti perdidisse fidem, reuersus ad eos immundus spiritus, habitat ibi non tantùm cum septem hæresibus Bohemorum & pauperum de Lugduno, verùm etiam omnibus à tempore Apostolorum tot conciliis damnatis, & antea Phariseorum, Essæorum, & Sadducæorum reuocatis, ut illorum nouissima nō solum peiora peioribus, sed & pessima. Quid enim deterius, quàm tandem negare Deum, veluti Athei post Sadducæos.

† Factum est autem cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Blasphemantibus scribis & Phariseis, turba CHRIS TVM sequens ipsum clamore extollit:

extollit: & in primis quædam mulier de turba deuotionis feruore accensa, in altam non potuit non prorumpere vocem, quæ eius confiteretur incarnationem, sed & beatam matrem, beatum ventrem, & beata vbera, quibus genitus & alitus est. Quibus superaddit CHRIS TVS, nec tantùm hæc beata dicenda, sed & qui verbum Dei audiunt, & illud opere complent: quibus duobus tota vitæ cœlestis perfectio constat, ut verbum Dei audiamus, & auditum faciamus.

Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: † Generatio hæc generatio nequam est. Signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ. † Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit filius hominis generationi isti.

Generatio hæc nequam Iudæorum indigna fuit signo de cœlo, de inferis autem signum digna fuit. Sicut enim Ionas à maris profundo ex ventre ceti surgès triduanus, signum fuit proximæ Niniuitarum subuersionis, nisi pœniterent: ita CHRIS TVS ab inferis triduanus resurgens, signum fuit Iudæis futuræ subuersionis sub Vespasiano, quia pœnitere cum Niniuitis noluerunt: ideo, ut inquit Matthæus, eorum iudices erunt.

† Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic. † Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiã egerunt in predicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic.

Regina Austri nomine Nicaula, 3. Reg. 10. dicta regina Saba, è finibus postremæ Arabiæ versus meridiem, venit Ierosolymam, auditura Salomonis sapientiam, qui solum figura CHRIS TI fuit, CHRIS TVS autem veritas. Regina igitur Saba figura ecclesiæ Salomonis sapientiam à finibus terræ audire desyderans, nec labori, nec pecuniis pepercit, ita nec ecclesia: de qua Psalm. 60. * A finibus terræ ad te clamaui, dum anxietur cor meum, in petra exaltaui me. Et ideo illa regina cum Niniuitis Iudæos in iudicio condemnabit, quæ mota est à figura, hi autem nequaquam, sed à veritate. Cætera Matth. 12. patent.

† Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. † Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum. Et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Lucernam vocat fidem nostram verbo Dei innixam, iuxta illud: * Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Lucernam igitur non supponit legi veteri, quæ per modium significatur, utpote quæ per præceptorum, iudiciorum, & ceremoniarum mensuram includebatur: fides autem gratiæ nequaquam. Fidem igitur nostram intra legis mensuram non includamus, sed super ecclesiæ candelabrum, quæ per totum mundum lucet: de qua Ioan. 1. * Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc autem deducit à corporis lucerna, quæ est oculus, hac ratione. Sicut oculus qui est corporis lucerna, est directio corporis, ita intellectus

qui est animæ lucerna, & animæ directio: sed si oculus corporeus fuerit ægrotus, malè dirigit corpus: si sanus, optimè. Si igitur animæ oculus sanus per fidem fuerit, quæ lux est animæ, ipsam optimè dirigit: sin autem ægrotus per infidelitatem & hæresim, tota anima tenebrosa erit, iuxta illud Iacobi 2. * *Quicumque autem totam legem serua-*
**Iacob. 2. b.* *uerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. In hoc autem quod dicit: sicut lu-*
terna fulgoris illuminabit te, Græca habent, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῆ ἀστραπῆ φωτίζῃ σε, id est, vt
cum lucerna fulgore te illuminat. alioquin nõ idem est sensus, qui talis esset: Si corpus tuum
totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, non aliter lucidum erit,
quàm cum lucerna fulgore te illuminat. Cætera vide Matth. 6.

Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Phariseus, vt pranderet a-
pud se. Iesus autem ingressus recubuit. Phariseus autem cepit intra se
reputans dicere: quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait do-
†Matth. 23. c. *minus ad illum: † Nunc vos Pharisei quod de foris est calicis & ca-*
tini mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina &
iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam id quod de
†16. q. 1. ca. *intus est, fecit. † Veruntamen quod superest, date eleemosynam, &*
Decimas. *ecce omnia munda sunt vobis.*
De pœni. di.

1. ca. Medi- *camentum.* *Cum CHRISTVS tanta exprobarer Iudæis, & præcipuè Phariseis & scribis,*
quidam Phariseus existimans se iustiorer cæteris apud CHRISTVM ostendere, i-
psum ad prandium inuitauit: cui CHRISTVS vt propius & peramplius admone-
ret, ipsum non renuit. Phariseus cæremonias suas de lotionè manuum & pedum an-
te prandium & cœnam curiosius obseruans, quàm cætera legis præcepta, apud se CHRI-
STVM reputauit legis transgressorem, qui seniorum præcepta transgredederetur, vtpote
qui ante prandium non esset baptizatus: vbi baptizatus, pro lotus & ablutus sumitur,
nam de simplici manuum ablutione loquitur. Iudæi autem, vti diximus in Matthæo, fre-
quentes erant in ablutionibus, Deum putantes magis exteriora, quàm interiora curare,
neque vnquam manducabant, nisi prius lotis manibus. Quod autem dominus respondet
Phariseo: Nunc vos Pharisei, quod de foris est, & c. vide Matth. 23.

Sed vae vobis Phariseis, qui decimatis mentam & rutam, & omne
olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit fa-
†Matth. 23. b. *cere, & illa non omittere. † Vae vobis Phariseis, qui diligitis primas*
Infr. 20. g. *cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Vae vobis, quia e-*
stis vt monumenta quæ non patent, & homines ambulantes supra,
nesciunt.

Phariseos præcipuarum arguit virtutum, fidei, spei, & charitatis. Fidei inquam, quia fidem absque operibus Deo placere putant, qui viliora etiam accuratè decimant, tanquam Deo placitura, opera verò misericordiæ in egenos negligunt, iustitiam in hos qui ab aliis iniuste afficiuntur, & fidem erga Deum negligunt: cum opera sine fide inania sint & mortua, secundum Diuum Iacobum, quod his paucis perstringit: Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Spem verò concludit, cum illos iudicium postremum non metuere dicit, nec igitur ex operibus futuram gloriam spectare, cum dicit: præteritis iudicium: quoniam non ea quæ agunt, in Dei iudicium referunt, quorū neutrum sine altero placet. Charitatem autem Dei prætereunt, quia Deum non ex tanto affectu, vt omnia in ipsum aut eius gloriam referant, & super omnia diligant, sine quibus fides à Deo non probatur, quia illa oportuit facere, & hæc non omittere. Alia duo illis opponit impropria: Primum quod primos accu-

bitus in

bitus in synagogis tanquam indigni affectant, & quis eorum primus sedeat, non qui melior aut doctior, certant. Secundum, in foro vel vico salutari appetere ab omnibus, ægréque ferre, & affici malè in non salutantes, & vltionem fortè petentes. Superstitionem præterea illis inculcat, quia videri volunt magis docti, quàm esse, qui foris multa promittunt, doctiores magis apparere, quàm docere, multis verbis promittere, pauca operibus præstare. Ideo comparat eos sepulchris, quorum quædam pedibus calcantur, alia superbe ornata preciosa quædam promittant, vtraque autem fœtoribus plena.

Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens
etiam contumeliam nobis facis. At ille ait: Et vobis legisperitis vae, quia
oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito ve-
stro non tangitis sarcinas. † Vae vobis qui edificatis monumenta prophe-
†Mat. 23. a. *tarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quod*
consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem occiderunt,
vos autem edificatis eorum sepulchra.

Existimans hic legisperitus Phariseos iuste viuere, & in omnibus bene agere, & sciens legisperitos eiusdem cum illis esse farinæ, non potuit non prodere suam turpitudinem, quasi conuitia aliorum sibi propria essent. Vnde CHRISTVM excitat, vt non solum illa, sed etiam maiora in illum iaciat impropria. Quæ Matth. 23. explicata reperias.

Propterea & sapientia Dei dixit: † Mittam ad vos Prophetas &
†Mat. 23. d. *Apostolos, & ex illis occident & persequentur, vt inquiratur sanguis*
omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à genera-
tionem ista, † à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zacharia, † qui
†Gene. 4. b. *perit inter altare & edem. Ita dico vobis, requiretur ab hac genera-*
†2. Paral. *tionem. Vae vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introi-*
24. f. *stis, & eos qui introibant, prohibuistis.*

Quæ sapientia dixit se sapientes missuram, Prophetas & Apostolos, imò discipulos, doctores & prædicatores, nisi CHRISTVS, qui & hoc Matth. 23. pollicitus est. Ex illis autem quosdam, non omnes occiderunt. Ideo quia patrum suorum peccata hæreditarunt, & maiora etiam fecerunt, quia CHRISTVM crucifixerunt, & eius Apostolos persecuti sunt, & ex finibus suis abegerunt, ideo digni sunt omnium peccatis & pœnis præcedentium homicidarum: quos cum nouissent malè fecisse, nihilominus illos sunt imitati, & fortè deteriora secuti: pro quibus supremo damnantur supplicio, qui cum doctrinam diuinæ legis sibi tribuerent, ne dicam vsurparent, alios autem ingredi prohibebant, nec ideo quod profitebantur, exercebant.

Cum autem hæc ad illos diceret, cæperunt Pharisei & legisperiti grauius
insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid
capere de ore eius, vt accusarent eum.

Quod autem dicit: & os eius opprimere de multis: pro opprimere, Græci codices nunc habent ἀποπιμπέειν, quod significat obseruare quid aliquis dicat, siue frequentibus interrogationibus, vt illaquees quempiam, interrogare. Quomodo sensus esset: cæperunt cum Pharisei & legisperiti obseruare, aut de multis eum captiosè interrogare. Interpres no-

ster legit *ἡρωτομολῆν*. Perperam autem in suo codice Rober. Stephanus *ἀποστομολῆν* posuit, quod significat memoriter dicere. Sed quid hoc ad rem? quoniam implicabant verba vnus post alium, an possent illum in quendam errorem, vel quid reprehensione dignum inducere.

CAPVT DVODECIMVM.

Sub variis similitudinibus armat CHRISTVS discipulos aduersus mundum, carnem, & diabolum: sub Iudaica inquam hypocrisis, persecutionibus, iudiciis, auaritia, sollicitudine victus, intemperantia, distributione, & aduersus hostem prouida cautione.

† Matt. 16. a.
Marc. 8. b.
† Matt. 10. c.
Marc. 4. c.
& 12. c.



Ultis autem turbis circumstantibus, ita ut se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: † Attendite à fermento Phariseorum, quod est hypocrisis. † Nihil enim opertum est, quod non reueletur, neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aure locuti estis in cubiculis, predicabitur in tectis.

Plus autem hoc loco expressit Lucas, quàm Matthæus 16. innuens quod esset illud fermentum, dicens, quod est hypocrisis. Nam tum mala vita, tum mala doctrina fermentum dicitur: quod uti modicum fermentum totam farinæ massam corrumpit & alterat, ita modica ab initio vitia & hypocrisis, si permittuntur, totum gregem cui miscentur, corrumpunt. Hanc autem prosequitur hypocrisim, quæ quantumlibet occulta sit in verbis & operum simulatione, aut abscondita cogitatione, reuelabitur tamen, & manifestè scietur in supremo iudicio in conspectu domini: * quia nec est qui se abscondat à calore eius. Sed & quæcunque tam submissa voce prædicata etiam in aure, vel solitariè in occulto cubiculo, predicabitur palàm audientibus cunctis. Propterea non arbitrentur Pharisei, nec sperent suam hypocrisim vitæ & doctrinæ sibi fore vtilem, sed in suam futuram condemnationem & maledictum.

Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. † Nonne quinque passereres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos. † Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. † Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.

Incitauit CHRISTVS discipulos ad communia non formidanda pericula. Nunc ad vitæ periculum eos excitat, in nomine domini suadens non esse timendū: utpote qui dominus vitæ sit & mortis. Mors enim corporalis supplicij finis est, non animæ: Deus autem finis est vtriusque, supplicij scilicet animæ, si ipsum solum timeat, & corporis, si Deum sibi præstituat finem. Mors igitur corporis timenda non est, quam animæ immortalitas reddit locu-

dit locupletiore. Inde fidem illorum de vilioribus roborat, qui nec etiam passerulorum, aut capillorum nostrorum obliuiscitur: ergo multo minus fidelium suorum. Cætera Matth. 10. latius patent.

† Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittitur illi: ei autem qui spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur. † Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & ad potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

† Mat. 12. c.
Marc. 3. d.
† Mat. 10. b
Marc. 13. b.

Ex quibus talem quæstionem format Ambrosius: Nunquid ergo maior est spiritus sanctus CHRISTO, ut in CHRISTVM peccantes veniam consequantur, in spiritum sanctum delinquentes remissionem non mereantur adipisci? Sed vbi vnitas potestatis est, nulla comparationis est quæstio, neque controuersia magnitudinis, cum magnus sit dominus, & magnitudinis eius non est numerus. Hoc itaque intelligendum est, quicumque dixerit blasphemiam aduersus CHRISTI humanitatem, fortè scandalizatus quod cum peccatoribus versetur, peccata palàm arguat, bibat, edat, dormiat, & quæ naturæ sunt humanæ propria faciat, si modò ignorantia dicat, remittetur ei: sin autem ex industria, videns ea quæ facit naturæ vires transcendere, ea nihilominus dæmoni ascribat, tunc in ea quæ Dei sunt, & tunc filio & spiritui sancto communia, quod est blasphemia in spiritum sanctum, indignum remissione, ut puta contra remissionis naturam, & finem militans. Cætera videas Matth. 12.

Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut diuidat mecum hereditatem. At ille dixit ei: Homo, † quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? dixitque ad illos: Videte, & caute ab omni auaritia: quia non abundantia cuiusquam vitæ eius est, ex his quæ possidet. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: † Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ mea sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

† Exod. 2. a.
Act. 7. b.

† Ecl. 11. c.
47. dist. ca.
Sicut hi
qui.

Docet hoc factò CHRISTVS, qui verus omnium iudex est, cum hereticundæ inter duos fratres, & diuidendæ hereditatis ius exercere noluerit, relinquendo vnicuique iurisdictionem suam, & autoritatem, ut aduersum clericos non vsurpet clericus, neque contra. Corripit etiam Christianorum inter se auaritiam, ostendens de temporalibus & corporalibus negociis nimium esse sollicitos, cum ait: Caute ab omni auaritia. Vbi pro auaritia, Græcè est, *πλεονεξία*, quod significat nimiam ac plus habendi, quàm par est, sollicitam ac nimis anxiam cupiditatem. Quia inquit: non in abundantia cuiusquam vitæ est ex his quæ possidet, id est, quia nullius vitæ consistit in abundantia facultatum quas possidet. Ut enim immensas ac penè infinitas facultates quis habeat, non tamen vel horulam vnã tueri se potest, quo minus moriatur. Quod probat parabola sequenti cuiusdam diuitis: qui cum sollicitus nimium esset in congerendis bonis suis & fructibus, & iam congestis multos an-

nos frui, epularique, ac genio indulgere proponeret, audiuit ea nocte sibi moriendum esse: mortuusque probavit non in facultatibus cuiusque, & bonis congestis vitam eius consistere. Sic futurum dicit C H R I S T V S ei qui sibi thesaurizat: cumque ditissimus esse censetur, pauperimus tamen est, neque in Deum diues, quia fidem ac bona opera sibi parare neglexit. Remanent enim in seculo inquit Ambrosius, cuncta quæ seculi sunt, & pereunt nobis quæcunq; congregantur hæredibus. Neq; enim nostra sunt quæ nõ possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ celestium dux præmia mansionum, pecuniæ vilis vsura tabernacula defunctis acquirit æterna: sicuti domini præcepta testantur: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.

† *Matth. 6. d.* Dixitque ad discipulos suos: Ideo dico vobis: † *Nolite solliciti esse anima vestra quid manducetis, neque corpori quid induamini. Anima est plus quam esca, & corpus plus quam vestimentum. Considerate coruos, quia nõ seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis pluris estis illis?*

Aufert à nobis C H R I S T V S nimiam curam rerum temporalium, non tamen laborem, & circa illas modestum exercitium, quas Deus modico confert labore. Si enim Deus conferat omnibus quod maius est, quid prohibet quin quod minus est, conferat: dat autem Deus corpus & animam, quid mirum si corpori animæque partem possit conferre. Quid igitur tanta sollicitudine vestimenti cibi que corporis torquemur, cum etiam volucres cœli & bestias pascat & alat, quanto magis corpus nostrum pascet & vestiet. Inter volatilia cœli Lucas specialiter coruos assumit, dicens: Considerate coruos. Quidam enim coruos aiunt pullos suos nuper natos non alere, sed miro modo pabulum ad eorum os afferri, quod hiantes suscipiunt. Alij, quod coruus initio videns pullos suos albis plumis, tanquam nothos relinquit, sed interim rore cœlesti aluntur, aut vermiculis quibusdam circa os eorum volitantibus. Vnde & specialis de his mentio fit in scripturis, qui curæ Deo sunt, * *Iob. 38. d.* * *Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum, eo quod non habeant escam? Et Psalm. 146. * Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Si igitur plus est rationale, quam irrationale, Deus autem sine sollicitudine, sine cellario & horreo pascit irrationalia, multo magis quæ pluris sunt, pascet rationalia, propter quæ cuncta creauit irrationalia.*

Quis autem vestrum cogitando potest adducere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. † Dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fœnum quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, pusillæ fidei? Et vos nolite querere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli. Hæc autem omnia gentes mundi querunt. Pater autem vester scit, quoniam his indigetis. † Veruntamen primum querite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.

Vult nos sollicitius bonis spiritualibus animæ, quam temporalibus corporis insistere, primò quo ad corporis decorem, cum nec etiam cubitum, nec etiam palmum addere possumus, quod tamen Deus nobis inconsultis, & non cogitantibus facit. Ipsum etiam magis ornare potest, quam quæcunq; cogitatio nostra: qui magis ornat lilia, plerisque herbas, quam unquam Salo-

quam Salomon maximè ornatus cupidus fuerit vestitus & ornatus. Et tadem de victu, quid tantum curandum, quem gentes Deum ignorantes tam avidè quærunt. Igitur ante omnia hæc quærenda sunt spiritualia, scilicet regnum Dei perpetuum, & iustitiam, siue præcepta eius nos iustificantiæ, & hæc temporalia nullo discrimine succedent illis. Cætera vide Matth. 6.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. † Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem, in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. † Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

Abductis à corporali sollicitudine fidelium mentibus, timere prohibet indigentiam corporalis necessitudinis, reuocatque pusillum & humilem electorum numerum ab illo seruili timore, quo sæpius reproborum grex afficitur: & qui diuitias habent, superflua in pios vsus erogent: & vbi velint cor suum figere, ibi thesaurifent. Cætera Matth. 6.

† *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, ut cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. † Beati serui illi, quos cum venerit dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. † Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.*

Hoc loco lumborum præcinctio significat promptam & expeditam hominis voluntatem, ad mandata domini omnia suscipienda & peragenda. Lucernæ autem in manibus, discretione in agendis significant: aut ipsa fidei bonorumque operum exempla, quibus præ-lucere aliis debent, maximè qui prædicatio verbo Dei destinati sunt. Idem autem sunt quod lampades virginum, de quibus Matth. 25. Iubet ergo nos dominus cum omni animi promptitudine & vigilantia aduentum suum ad nos siue in morte, siue in generali iudicio præstolari, ut cum in domum cordis nostri venerit, iucundum illum ac lætum, vti redeuntem à nuptiis, læti quoque accipiamus. Addit autem ad hoc & præmium, quod scilicet, si ita paratos nos inuenerit, ad æternum conuiuium excipiet, vbi transiens ipse, ac singulos quosque conuiuas lustrans, eis ministrabit. Quod verò ait: Et si venerit in secunda vigilia, &c. significat quòd quocunq; tempore, quacunq; ætate ita paratos inuenerit, beati futuri sunt illi, quippe ad æternum conuiuium recipiendi. Quod verò ait: in tertia vigilia, aduerte quòd castrensis nox tantum in tres hæc vigiliæ distribuitur, vt Iudic. 7. vbi per mediam vigiliam, secunda intelligitur. 1. Reg. 11. per matutinam & vltimam vigiliam, tertia. Hoc autem per similitudinem probat de patrefamilias dormiente, qui si fures venturos sciret, non dormiret. Futurum autem iudicium & speciale & generale furi comparatur 1. Thessa. 5. & 2. Petr. 3. * *Dies domini sicut fur in nocte veniet. Qui autem sunt in peccato, in nocte dormiunt. Vigilet itaque absque peccato, qui tutè diem mortis cupit præstolari, quem nobis incertum voluit dominus esse, ne toto vitæ tempore in peccatis viuere, in fine verò diem illum suspectum penitendo expectaremus, quem vult semper ignotum expectari, & nos ad certamen esse semper paratos.*

† De pœnit.
dist. 1. Si
sacerdos.

Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Dixit autem dominus: † Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem, cum venerit dominus, inuenerit ita facientem. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quòd si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.

Audiens Petrus duplicem hominum differentiam, electorum ac reproborum, interrogat Petrus CHRIS TV M, an de electis, an electis & reprobis simul. Respondet CHRIS TV S, has parabolas intelligendas præcipuè de prælatis, gregi dominico præfectis, qui dent gregi suo aptum pabulum doctrinæ euangelicæ. Qui secus autem fecerint, inutili seruo conferendi, qui non minus quàm infidelis, cum quo pars eius ponenda est, reputabitur. Cætera Matth. 24. videas.

† Dist. 37. ca.
Ideo.
Iaco. 4. d.
23. 9. 4. ca.
Ea vni;
dicta.

† Ille autem seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non se preparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum queretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

Facit CHRIS TV S duo genera malorum seruorum. Alterum enim qui voluntatem domini sui planè nouit, cuique plura tradita sunt talenta. Alium qui non planè nouit, cuique pauciora tradita sunt talenta: quorum hic paucis, ille plagis vapulabit multis. Quod exemplum prælatis & sacerdotibus ecclesiæ, & bonorum eius dispensatoribus aptè proponitur, ut sciant sibi grauem in futurum subeundam pœnam cum reprobis, si secularibus intenti delictis, vbi norunt domini voluntatem, esse circa spiritualia dispensanda versandum, familiam autem domini, plebèmq; sibi commissam gubernare neglexerint. Has autem multas & paucas pœnas non dicit minus vel diutius durabiliores, quæ perpetuò æternùmque durant, quia in inferno nulla est redemptio. His igitur non finem, sed supplicij indicat diuersitatem: quoniam si in domo patris æterni mansiones diuersæ sunt, iuxta cuiusque mercedis gloriam: ita in inferno varia pœnarum genera, quædam aliis seueriora, quædam profundiora tormentorum genera, aliàs leuiora, ut Prouerb. 9. In profundis inferni conuiuæ eius.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?

Ignis hoc loco aut diuinum amorem significat, aut euangelicum sermonem, ut Cyrillus ait: Ad hoc enim CHRIS TV S in terram venit, id est, ad terrenos homines descendit, ut ad diuinum ipsos amorem inflammaret, & prædicationem inter illos euangelicam fereret. Et quid volo inquit, nisi ut huiusmodi ignis accendatur, id est, ut magis magisque dilatetur ac crescat: imò secundum Matthæum, ut ardeat. Græca quæ nunc extant, secus habent, scilicet, ἵνα τὸ θεῶν ἐν ἡμῖν ἀνάψῃ; id est, & quid volo, si iam accensus est? Interpres noster legit, τὸ θεῶν ἐν ἡμῖν ἀνάψῃ, id est, & quid aliud volo, quàm ut modo accendatur?

Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?

Mors

Mors CHRIS TI baptisus dicitur: quia quemadmodum in sancti baptisus lauachro baptizati fordes eluuntur, ita in CHRIS TI morte per eius sanguinem ablutæ sunt, non suæ, qui peccatum non fecit, sed nostræ omnium fordes atq; iniquitates, quicunq; in mortem ipsius baptizati sumus. Itaque baptisus habeo baptizari, nihil aliud significat, quàm ego mortem toleraturus sum, & quomodo coarctor donec perficiatur? id est, nec desinam angustari ac cruciari, usque dum eam pro salute hominum obiuerim.

† Putatis quia pacem veni mittere in terram? Non dico vobis, sed separationem. † Erunt enim ex hoc quinque in domo una diuisi, tres in duos, & duo in tres. Diuidentur pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem: socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

Si CHRIS TV S non venerit pacem missurus in mundum, quomodo dixit: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, nisi quia Deo magis intendit, quàm hominibus obediendum, quòd diuina humanis posthabenda sunt. Non igitur dicit parentes renunciare debere filiis, nec filios parentibus, sed Deum omnibus præferendum. Nam si parentibus obediendum est, quanto magis auctori parentum. Nec enim beneficium acceptum magis diligere debes, quàm eum à quo accepisti. Quòd si parentes à diuina religione deficiant, hos Deo posthabere debes. Quòd autem ait: Erunt enim ex hoc, & Græcè ἀπὸ τῆς οἰκίας, significat ex nunc, siue à tempore euangelicæ prædicationis. Euangelium enim fecit ut dissideret diuidereturque pater à filio, socrus à nuru, & mater à filia: dum euangelium quod alter apprehendit, alter reiicit, inter affines oriuntur dissidia & similitudines. Ampliora videbis Matth. 10.

† Dicebat autem ad turbas. Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbis venit. & ita fit. Et cum Austrum flantem, dicitis: quia aestus erit. & fit. Hypocrite, Faciem cæli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?

Arguit autem Phariseos hypocritas, quod cum ex signis ipsis aeris tempestatem agnoscent, tempus autem Messie ex euidentioribus signis ipsis, quæ dicta sunt à prophetis, non agnoscunt. Cur autem inquit, ex vobismetipsis non iudicatis quod iustum est? quasi diceret, nequaquam externis vobis opus est testimoniis ad iustè verèque iudicandum, Messiam esse vobiscum, ex vobismetipsis conscientie testimonio, nisi obstaret affectus, per opera quæ facio iudicare id possitis. Cætera Matth. 16. videas.

† Cum autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.


Aduersarius noster est omnis virtutis vsus iuxta Matthæum, omnisque Apostolicus atque propheticus sermo, quo in tota vita cogimur ad bene beatèque viuendum, & diuina sequenda mandata. Iuxta Lucam verò diabolus est, de quo 1. Petri. 5. * Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Hic præcipuè, ut ait Amb. qui ferit illecebras delictorum, ut habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes: atque ideo focios quærit ad culpam, ut obnoxios prodat ad pœnam. Prin-

* 1. Pet. 5. b

ceps autem ad quem ducimur, Deus est pater. Iudex autem, CHRISTVS, cui pater omne iudicium dedit. Exactores autem nostri sunt, de quibus dicit: Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Reliqua Matth. 5. inuenies.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

CHRISTVS auditis à Pilato occisis Galilæis, & turri Siloe, indicat non esse iudicandum si quid mali forte proximo contingat, quod perfici parabola probat, ita vel deterius futurum, nisi pœnitentiam agant. Inde contractam sanat mulierem, & sub parabolis sinapis, fermenti, & angusta porta, viam paradisi docet esse apertam pœnitentibus, impœnitentibus clausam.



Derant autem quidam ipso in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.

† Ex. ec. 18. c
Ecclesiasti-
ci 13. d
Matth. 21. c
Marc. 11. c

Ex historia de Galilæis inter sacrificandum à Pilato occisis, nihil aliud scriptum reperio, nisi de his qui Iudæ Galilæo adhæserunt, qui sollicitabant ad defectionem populos, censum nihil aliud, quàm manifestam seruitutis professionem esse dictitans, & vniuersam gentem ad tuendam libertatem adhortans. In quibus accusati sunt, tanquam qui à Cæsare defecissent, & Galilæam seditione aduersus ipsum repleuissent. Cùm ergo quodam tempore congregati sacrificarent, misit ad eos Pilatus milites, quorum sanguinem sacrificiis eorum miscuerunt. Similiter nil aliud de 18. à turri Siloe occisis. Ex quibus docet CHRISTVS, non esse propterea temerè iudicandum de iis quibus aduersa plerunque inopinatò accidunt. Neque enim grauiores propterea peccatores fuisse oportet, quod grauius ceciderint. Quinimo docet, nisi respuerint, simili, aut maiori damnationi fore obnoxios. In quo factò maximè damnat eos qui tam leuiter de proximo iudicant ex his externis afflictionibus, cùm sæpissimè in hac vita fiat, vt qui meliores sunt, grauibus atterantur molestiis.

Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsquedum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

Cùm ergo Iudæos hæc referentes monuisset ne ita leuiter iudicarent, & minatus esset illis omnibus eundem interitum, nisi pœnitentiam agerent, addit parabolam, quæ rem ante oculos poneret, & quod futurum erat, cauendum admoneret. Parabola satis ex textu nota est, cuius explicatio est. Quemadmodum enim ficum iam tres annos inutilem cùm succi-

dere

dere pararet vineæ dominus, ad preces coloni in alterum annum pepercit, si fructum faceret, seruandæ, sin minus, succidendæ. Ita & reliquos Iudæos non minoris forsitan flagitii reos fuisse, quàm Galilæos illos qui fuerat à Pilato occisi, aut Ierosolymitæ à turri Siloe oppressi. Patienter ad pœnitentiã Deus expectat, nõ solum tres, sed & plurimos annos: sed metuendũ est ne dolorem tarditate compenset, nisi citius respuerint, quia futurum est vt omnes perdatur.

Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cùm videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbatis curasset Iesus, dicebat turba: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati.

Ficus sterilis synagogam designat diutius expectatam, in qua prædicans mulierem curatam, id est, ecclesiam curauit, quæ nec nisi terram & lutea idola curabat, ad cœlum pro synagoga erecta est. Vnde consequenter post sermonem de ficulnea docet in synagoga, innuens, fructum in ficulnea quærere, & non inuenire, idem esse, atque in synagoga prædicare, & non audiri. Ex synagoga igitur & in synagoga erigit ecclesiam, quæ vt terrena sola sapiebat, quæ sursum de cætero saperet, & non quæ super terram. Pro inclinata autem Græcè est, συγκλιπτοσα. Est autem συγκλιπτοσα, deorsum inclinari & aspicere. Significat autem hæc Lucas mulierem præ longa infirmitate degrauatam & diminutam, quæ omnino sursum aspicere non poterat. Neque vt Græca habent, ἀνακλιπτοσα, id est, sursum aspiciebat. Est autem ἀνακλιπτοσα, oppositum τῷ συγκλιπτοσα, significatque oculos & caput erigere, ac sursum in cœlum aspicere. Maius est autem CHRISTI in mulierem hanc beneficium, quod vltro, nec inuitatus eam sanat: cuius factum ægrè ferens archisynagogus, nequaquam CHRISTVM aggredi audeat, sed turbas quæ curationis gratia venerant, arguit, quod die sabbati venissent. Cuius hypocritism reprehendit CHRISTVS similitudine sequenti.

Respondens autem ad illum dominus, dixit: Hypocrite, Unusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit ad aquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Et cùm hæc diceret, erubescerant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.

Hos ideo hypocritas vocat, quod sabbatum cæteris omnibus præferre simulabant, & Dei legem scire, qui tamen illam ignorabant, cùm irrationalia rationalibus præferrent. Dixit itaque illis: Vtrum melius est, rationale, an irrationale curare: nonne rationale? si igitur die sabbati gregem vestrum, armentaque curatis, vtpote pascendo & adaquando, quanto magis hanc mulierem curandam iudicate, quam tenuit Satanas 18. annis ligatam. Filiam autem Abrahæ vocat, propter imitationem fidei Abrahæ, qua sanari se posse credidit. Quod igitur fibouis aut asini adaquandi curam haberent etiam sabbato, filiam vtique Abrahæ sanari non ægrè ferrent. Vnde de dictis CHRISTI quidam erubescerant, ficulneæ sterili similes se ostendentes: alij gaudebant, ac filiam Abrahæ, id est, ecclesiam se spectare declarantes.

Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei? & cui simile æstimabo illud? Si simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit,

† *Matth. 13. d* *Et factum est in arborem magnam: Et volucres celi requieverunt in ramis eius. Et iterum dixit: Cui simile astimabo regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum, mulier abscondit in farina sata tria, donec fermentaretur totum. Et ibat per ciuitates Et castella docens, Et iter faciens in Ierusalem.*

Per vtranque enim harum parabolarum fidei augmentum in ecclesia Dei insinuat. Quemadmodum enim granum sinapis paruum admodum videtur, seminatum autem paucis diebus ita augetur, vt cætera superet olera: ita fides prædicata minor aliis scientiis humanis iudicatur, paucis vero tempore omnes facile artes excellit. Ita de fermento pastæ immisso. De quibus latius 13. cap. Matth. differuimus.

† *Matth. 7. e* *Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, querent intrare, et non poterunt. Cum autem intrauerit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis. Et respondens dicit vobis: Nescio vos unde scitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos unde scitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, et stridor dentium. Cum videritis Abraham, et Isaac, et Iacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente et Occidente, et Aquilone et Austro, et accumbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi, qui erant primi, et sunt primi, qui erant nouissimi.*

† *Psal. 6. d*
† *Matth. 7. d*
† *25. d*
† *Matth. 19. g*
† *20. b*
† *Mar. 10. e*

Quære autem, an pauci, an multi admodum, inutile visum est CHRISTO, vt nequaquam respondendum existimauit, sed solum quærendum esse modum, quo quis saluari possit, & ad æternam peruenire salutem: ad quam per angustam portam ingredi oportere suadet. Angusta autem porta dicitur, quæ ex vtroque latere comprimit ingredientem, ne de via ad dexteram vel sinistram vsquam deflectat, cum vtrinque via sit periculosa: & hæc est via virtutis, cuius ingressus semper difficilis est & angustus, vti vitiorum, patens est ac facilis. Multi autem contendunt per eam intrare, & non poterunt, quia non studio contenderunt, sed perfunctorie ac negligenter. Ideoque cum reuersus paterfamilias, ad generale iudicium scilicet, domum intrauerit, ostiumque clauserit, hoc est, cum nulli iam patebit post iudicij tempus poenitendi locus, siue vniuersalis, siue particularis, ingredi postulantes excludet, frustra familiaritatem, quam olim cum eo habuerunt, allegantes, ob idque magis indignantes, quod se exclusis Abraham, Isaac & Iacob intromitti videbunt, neque illos modò Iudaici generis patres, sed ab omni orbis parte gentes, olim sibi tam inuisas: tuncque erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.

In ipsa die accesserunt quidam Phariseorum, dicentes illi: Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, et dicite vulpi illi: Ecce, eicio demonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire Ierusalem.

Pharisei

Pharisei videntes Galilæos penè omnes ad CHRISTVM deficere, ac multum sibi lucrum inde decedere, plurimumque authoritatis suæ imminui, quasi CHRISTO beneuoli, dolosi illi suadent, vt propter Herodis metum inde discedat. Quem tamen CHRISTVS ostendit nihil se metuere, inquit: dicite vulpi illi, &c. quasi dicat: etsi fœuus est, ac præterea cautus, nihil est tamen quod verear: quippe qui dæmoniis ipso deterioribus superior sum, vt pote quæ eiicio. & sanitates perficio hodie & cras, id est, paululum adhuc temporis euram me Galilæorum habere oportet, & eis prædicando, & eorum ægros sanando. & tertia die consummor, Græcè *πλειύμαι*. Tertia autem die hoc loco non significat certum & determinatum tempus, sed ad breue post tempus. *πλειύμαι* autem sumitur à Grego. Nazianze. pro morte & martyrio consumi. Vnde & martyres plerunque *πληρώματα* appellat. Vnde CHRISTI sensus est: & tertia die, hoc est, per breue tempus, non pro Herodis arbitrio, sed iuxta definitum à patre tempus passione consumar, aut consummabor. Vnde non malè quidam codices consummor habebant. Veruntamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die, hoc est, per aliquantum tempus ambulare, id est, proficisci, Græcè *πορεύεσθαι*, in Ierusalem scilicet, vt Dionys. Carthusia. explicat. Nam quod Caietanus explicat, oportet me hinc abire itinere trium dierum, vide Topographiam. Certè ad *πορεύεσθαι*, id est, ambulare seu proficisci, supplendum est in Ierusalem, propter id quod sequitur: Quia non capit prophetam perire extra Ierusalem. Vbi pro verbo capit, Græcè est *εἰσέλθειν*, quod & significat impersonaliter sumptum, fieri potest, contingit, vsu venit: quod nouissimum mihi hoc loco aptius quadrare videtur, quam fieri non potest, quo modo vertit Erasimus. Nam fieri potest, & aliquando factum est, vt extra Ierusalem prophetæ perirent: vt & Ieremias in Aegypto, & Ezechiel in Chaldæa. Ideo melius est vertere, non vsu venit, id est, non communitè accidere videtur, vt extra Ierusalem prophetæ occidantur. Quod est, & quia licet me Herodes existimet prophetam, non putet me in Galilæa occidere, sed quia non expedit me perire extra Ierusalem post multos alios prophetas.

† *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat, dum dicetis: Benedictus qui venit in nomine domini.*

Quasi diceret: quibus modis te saluem, qui ad te saluandum omnes extendi nervos. quo pacto putas sanari, quæ nullum admittere vis medicum? Misi ad te Isaiam, & ipsum ferraisti, misi Ieremiam, ipsum incarcerationi & lapidasti, Barachæ filium, & occidisti, Ezechiel, & excerebraisti. Omnibus enim modis te saluare tentavi, non minus quàm gallina, vel alia avis pullos suos fouet sub alis, & noluisti. Quid igitur superest, nisi vt ciuitas vestra penitus diruatur in aceruum. Cætera Marth. 23.

CAPVT DECIMUMQUARTVM.

Inuitatus CHRISTVS à quodam Phariseo ad prandium, hydropticum sabbate sanat, quod probat licere. Vnde super inuitatis ad cœnam cohibet eorum ambitionem, et docet humilitatem, ac sub similitudine turris adificanda, et belli parandi, docet humilitatis religionem.

Aa



T factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Phariseorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & Phariseos, dicens: [†] Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse uero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad haec respondere illi.

† Matt. 12. b
Marc. 3. a
Sup. 6. b. &
13. c

Cum CHRIS TVS Phariseos saepiustaxaret tanquam inuidos & ambitiosos, hic Phariseus uolens persuadere CHR IST O, quod nec illi inuideret, inuitauit eum die sabbati. Caeteri uero Pharisei obseruabant eum, si quid praeter legem aut eorum ceremonias diceret aut ageret. Hydropicus autem hic erat CHR IST O confidens, non tamen propter sabbatum & Phariseos sanitatem petens: quem dominus prospiciens, a Phariseis petit, an liceret sabbatis curare? Ad cuius uerbum tacuerunt: unde apprehensum illum sanauit. Caetera patient capite superiore de muliere inclinata.

Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, [†] non discubas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. [†] Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

† Pro. 25. a
† Matt. 23. b
Iaco. 4. c
Inf. 18. e

Nota ex hac historia, qua princeps Phariseorum CHR IST VM conuiuio excepit, non inhiberi conuiuia, modo frugi sint & moderata. Quibus aut raro, aut nuquam CHR IST VS affuit, quin corporale aliquod beneficium alicui praestaret, aut salubrem aliquam doctrinam impartiretur, cuiusmodi & nunc, Phariseorum obseruans philautiam, iubens non primos accubitus ambire, imo contra, nouissimo loco sedere: quod fugientes honores honor consequitur: honorem uero consectantes honor fugit.

Dicebat autem & ei qui se inuitauerat: Cum facis prandium aut caenam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque uicinos, neque diuites, ne forte te & ipsi reuident, & fiat tibi retributio. [†] Sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, & caecos, & beatus eris: quia non habent retribuere tibi. Retribuent enim tibi in resurrectione iustorum.

† Tob. 4. b
Prover. 3. b

Aliud quoque salubre Phariseos docet, iubens ad conuiuia caecos, pauperes, & claudos, id est, omnes rependendi beneficij impotes potius inuitemus, quam amicos, & diuites, qui rependere possint. Sane hoc autem intelligendum est, non quod alendae amicitiae gratia affines, cognatos, etiam diuites ad conuiuium uocare non possimus, sed quod misericordiae potius, quam rei alterius gratia instituta sunt conuiuia. Neque magnum aliquid fecisse nos putemus, si retributionem sperantes, conuiuio diuites exceperimus.

Hae

Hae cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: [†] Beatus qui manducabit panem in regno Dei. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit caenam magnam, & uocauit multos. Et misit seruum suum hora caena, dicere inuitatis ut uenirent, quia iam parata sunt omnia. Et caeperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire & uidere illam. Rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga bouum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum uenire. Et reuersus seruus, nunciauit haec domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & caecos, & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in uias & sepes, [†] & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis, quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit caenam meam.

† Matt. 23. a
Apo. 19. b

† 23. 9. 4.
Nimium.
q. 6. schif-
matici.

Cum dicit: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Si de carnaliter sapientibus erat hic Phariseus, foelicem censebant eum, cui in temporali regno Messiae genialiter cum eo epulari contingeret: sin spiritualiter, sapiebat. Manducare panem in regno Dei, est in ecclesia triumphante Dei uisione perfrui. Quod hac parabola probat, ostendens hoc quidem regnum Iudaeis primo paratum, & ad hoc uenisse, ut eos huc introduceret: sed dum eos tantis implicitis negotiationibus terrenis & temporalibus, cogereur seruos mittere ad gentes. Caetera patent Matth. 22.

Ibant autem turba multa cum eo, & conuersus dixit ad illos: [†] Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. [†] Et qui non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus.

† 23. quast.
I. ca. 1.
Matt. 10. d
16. d
† Marc. 8. d
Sup. 9. e

Videns IESVS huius turbae plurimos ipsum sequi paratos, parentum uero & amicorum amore remorari, paucis concludit quae impediunt CHR IST I fieri discipulum, qui caeteris omnibus praeponeendus est, imo propriae uoluntati. In quo uides, inquit Isidorus, quanti sit discipulum esse CHR IST I, & Christianam profiteri philosophiam, hoc est, esse uere Christianum: quo nomine nemo dignus hinc esse ostenditur, qui huic philosophiae quicquam quamuis magnum, quamuis charum praeposuerit, sed & suam uoluntatem iubetur abnegare, si diuinae fuerit contraria uoluntati. Latius patent Matth. 10. & 16. cap.

Quis enim ex uobis uolens turrim adificare, nonne prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui uident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo incepit adificare, & non potuit consummare.

Hae parabola architecti & imperatoris docet nullum uitae institutum, nihilque plane temere a nobis suscipiendum, quod non ante animo expenderit, alioqui deriden-

Aa ij

dos nos orbi propinamus. Itaque qui CHRIS TV M sequi incipit, expendere debet, num omnibus renunciare possit, qui alioqui non potest esse aptus CHRIS TI discipulus. Quod autem ait: Nonne prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si valeant ad perficiendum? Græcè, οὐκ ὡρώτων νομισας ἀμφὶ τὴν λατρίαν, εἶχει τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν, id est, nonne prius apud se (id enim mihi significare videtur νομισας, id est, sedens) reputat & computat, qui futuri sint sumptus, num scilicet habeat, quibus ad iustam turris absolutionem opus sit, & sufficiat. ἀπαρτίζεν enim significat ita rem absolueret, vt nihil defit. Vide Budæum in Commenta.

Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Si ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Quod ergo in hac similitudine committendi belli mittenda sit legatio ad ea quæ pacis sunt requirenda: quia si quis audiat aliquem sibi intentare bellum, contra quem se viribus imparem agnoscit, nunquam hosti congreditur, nisi sciat se optimè ad bella instructum, & quot sibi necessarij, militibus munitum: ita est de bello spiritali aduersus Satanam: de quo Paulus, Ephes. 6. * Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus.

* Ephes. 6. b

† Matth. 5. b † Bonum est sal. Si quoque sal euauerit, in quo condietur? neque in terram, neque in sterquilinum utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

† Marc. 9. g

Diuersis modis sal apud Euangelistas accipitur. Apud Matthæum 5. ca. vbi dixit Apostolis: Vos estis sal terræ, &c. vbi latius explicuimus. Marci verò 9. ca. pro fide, seu dilectione capitur, cum dicitur: Habetis in vobis sal. Lucas verò pro verbo domini, & apto ad docendum sermone, quasi diceret: Si Dei sermo prauis corrumpatur doctrinis, neque utilis erit prædicatori, & multo minus auditori. Vide Matth. 5. & Mar. 9.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ex parabola centesima ouis inuenta, & drachma decima, & filij prodigi reuertentis, concludit CHRIS TV S pœnitentiæ fructum contra Pharisæos murmurantes, cur ipse frequentaret peccatores, & discumberet cum illis.

† Matth. 9. b
† Marc. 2. d



Erant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum. † Et murmurabant Pharisei & scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

Quia CHRIS TV S regnum Dei promittebat pœnitentibus, appropinquabant ad eum publicani, exercentes publica munia Imperatoris, tributa, vestigalia, & huiusmodi principum redditus: & peccatores, qui minora exercebant officia, vt cambia, vsuras, & huius: quæ omnia scribæ & Pharisei abhorrebant tanquam peccata publica, & ideo CHRIS TV M abominabilem censebant, qui vt plurimum diuertebat ad illos, vt eos à peccatis suis retraheret, propter quos præcipuè missus fuerat, vt ipse superius dixit: Non

Non

Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Et ait ad illos parabolam istam, dicens: † Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit vnâ ex illis, non dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenit eam, imponit in humeros suos, gaudens, & veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. † Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

† 50. distin.
Quia sanctitas sua.
26. q. 7. ca.
pœnitentem.

Quàm grati Deo, modò ad bonâ frugem sese recipiât peccatores, docet tribus sequentibus parabolis CHRIS TV S: quanquam illi & prædicatoribus omnibus Euangelicis curæ esse debeant. Ab hoc autè loco vsque ad hunc: dico vobis: vide Matth. 18. Quod verò ait: ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis: caue propterea intelligas magis à CHRIS TO peccatorem vnum pœnitentem, quàm nonaginta nouem iustos diligi, & magis gaudere pro vno pœnitente, quàm si nonaginta nouem pœniterent: nam vnâ Mariam plus omnibus peccatoribus pœnitentibus dilexit. Sed consuetò modo intelligendum est, quo amplius exultare solemus de rebus aliquibus, quanto desperatiores fuerunt, ac maiori in periculo: quòd ob rei perditæ inuentionem specialis quædam ac noua exultatio sese in nobis exerit.

Aut qua mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnâ, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & querit diligenter, donec inueniat eam? Et cum inuenit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita, dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

Similis est ratio de muliere quæ ex drachmis decem perditam vnâ omni studio & diligentia perquirat, & accensa lucerna totam domum euertit, siue euertit. pro quo Græcè est σαρφῶ, euerro, vbi facilis est mutatio r in t. Inuenta autem drachma ad congratulandum sibi vicinas inuitat. Vult autem iis parabolis CHRIS TV S, quòd si tanto studio res perditas etiam minimi valoris perquirunt mortales, nihil mirum sit, si factor ipse & omnium conditor ad saluandos peccatores omnes ad sui imaginem factos & similitudinem, multo studio recuperare studet, & seruare. Hinc est, quòd per parabolas superiores docuit vitare ocium, arrogantiam, nimiam circa terrena occupationem, & earum perpetuis prælationem: nunc spem veniæ promittens, pœnitentiæ demonstrat fructum. Ideo tres nobis proponit parabolas, pastoris, mulieris, & patris. Pastor, CHRIS TV S perditam venit quæsiturus ouem ex singulari misericordia, quam iuuentam super humeros ad caulas reuehit. Mulier, ecclesia quasi mater requirit, nullis laboribus parcat, vt drachmam, scilicet animam rationalem ad numerum denarium reuocet. Pater, Deus redeuntem filium suscipit & vestit, ac sibi reconciliat, & recipit post pœnitentiam. Est autem drachma idem quod denarius, valens tres solidos cum dimidio. Quod autem hic dicit CHRIS TV S, quòd est gaudium angelis in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, manifestum hinc est, quòd sanctis in cœlo pœnitentiæ nostræ innotescunt, & consequenter orationes nostræ. Quod maximè nota propter eos qui dicunt frustra sanctos à nobis orari, quòd illos præces nostræ lateant. Non enim simpliciter angelis dixit, ne custodes hominum intelligeres, scilicet angelos, sed angelis in cœlo, & aliis beatis in cœlo.

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam uiuendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa: & ipse cepit egere. Et abiit, & adhaesit uni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Ipse autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor? Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in caelum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis. Et surgens venit ad patrem suum.

Parabola hæc ad literam nota est, tantum si qua est in re grammatica difficultas, replicemus, deinde rationem parabolæ aperiemus. Vbi ergo ait: Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit, Græcè *δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας*. Id est, da mihi attinentem ad me partem bonorum, siue facultatum, aut substantiæ. & vt bene vertit interpres, quæ me contingit, melius quàm Erasmus, quæ ad me redit. Nam contingendi verbo cum accusatiuo utitur Vlpianus, dicens: Si cum alium contingeret locatio, id est, ad alium attineret. Caius datiuo iunxit, dicens: Pars precij contingens alicui, id est, pertinens ad aliquem. Vide locos in Caio & Vlpiano.

Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater peccaui in caelum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamentum in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et caeperunt epulari.

Quod autem ait: proferte stolam primam. Stola vestis est genus vsque ad talos demissa. Annotat autem Budæus, non de qualibet esse dictum, sed certam quandam & eximiam intelligi, propter duplicationem articuli, τὴν πρῶτην τὴν πρώτην. Similiter quoque cum ait: vitulum saginatum, non de quouis vitulo intelligi, sed de certo quodam ad genialiter epulandum saginato: quia semper duplicatur articulus, τὸν μόχον τὸν σιτυρὸν, id est, vitulū illum saginatum. Similiter vbi epulemur & epulari, Græcè est, ἐυφραίνεσθαι, quod significat lætari. Interpres modum lætandi expressit, qui fit genialiter epulando, lætione quem potuit excogitare modo, etiam cum symphonia, choris & organis, substantiæ deperditæ, & peccatorum immemor, absque vilo patris improprio: cui vix similem reperias patrem inter homines.

Erat autem filius eius senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum: & vocauit unum de seruis, & interrogauit

interrogauit quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cepit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo: Ecce, tot annis seruiui tibi, & nunquā mandatum tuum preterui, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, epulari autem oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

†23.9.7.ca.
Quemad-
modum.

Duo huius patris filij, iusti sunt & peccatores, firmi in fide & imbecilles: quorum Deus pater est. Ex illis adolescentior & infirmior eximi volens à cura paterna, attinentem ad se portionem substantiæ dari sibi postulat, arbitrio suo, nō paterno consilio diuidendā. Portio autē substantiæ quæ ad nos attinet, beneficentia tamen paterna, naturalia dona Dei sunt, & gratuita. Huiusmodi prudentia, sagacitas, ingenij facilitas, gratiæ item ac virtutes. Pater autem diuisit vtrique substantiam, quādo bona illa vtrique vtenda permittit, sinens eos in arbitrij sui potestate. Adolescentior autem & infirmior propriis virtutibus confidens, neque patris consilio incumbens, peregrè ac longè à patre suo in longinquam peccati regionem, quod longè nos à Deo diuidit. Profectus autem dissipauit ibi omnem substantiam suam luxuriosè uiuendo, quia & gratuita donā per peccatum perdidit, & naturalia per vitam perditam ac luxuriosam longè imminuit: vt voluptuosus sepe contingit, apud quos de moribus vltima fit quæstio. Tunc fames in regione illa oritur, quia vt homo totum se peccatis dedit, non potest non esse gratiæ ac verbi Dei (quod solum animam pascit) ingens penuria, iuxta illud Amos 8. * Emittere famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum domini. Itaque consumptis facultatibus, adhæret uni ciuium regionis illius, id est, dæmoni, qui ciuis est regionis peccati. Ab eo autem mittitur ille ad pascedos porcos, hoc est, immundos spiritus sibi subditos, qui nulla alia re delectantur magis ac pasuntur, quàm peccatorum impudica & luxuriosa conuersatione. In hac autem miseria cum dies aliquot degisset, porcorum siliquis vescens, id est, inanibus & fordidis deliciis sese volutans, tandem ad se reuersus, libero innixus arbitrio, præsentisque suæ miseriæ magnitudinem ex statu mercenariorum, patrisque sui reputans, proponit à peccato surgere ac desistere, & cum omni humilitate ac sui abiectioe misericordiā à peccato postulare: quam ita petitam non modo obtinet, sed & vestem illam primam induitur, id est, ad gratiam & charitatem, vnde exciderat, redit: & annulo ad manum, id est, fide, bonorumque operum virtutibus insignitur: & calceamentis illi pedes muniuntur, quando ad ambulandum in via domini bonis studiosisque affectionibus accingitur. Nam per manus opera, per pedes affectionem solet intelligere scriptura. Porro recuperati perdit filij tanta fuit patris lætitia, vt vitulum saginatum, C H R I S T V M scilicet occidi mandauit: cum * pro nobis omnibus tradidit illum, & occisum, fide manducari per confidentiam in passione eius: qui plerunque etiam à reuersis filiis sacramentaliter in Eucharistia manducatur. In summa adolescentior hic prodigus filius, infirmi peccatoris typum gerit, qui Dei iugum excutiens, ac creditam sibi substantiā, ex leuitate & infirmitate administrare se posse ratus, in miseriā peccati, & dæmonum seruitutem pede prolabitur, ibique aliquandiu conuersatus, tandem ad se reuersus, peccatum suum agnoscit, & postulata cum omni humilitate à patre cœlesti venia, ad maiorem, quàm à qua exciderat, gratiam recipitur. Senior autem frater typum gerit eorum, qui cum diutius in mandatis domini vixerint, non agnoscunt Dei beneficium, sed turgidi inde facti & elatiore, infirmiores quosque peccatores aspernantur, indignanturque à patre recipi: quomodo hoc capite Pharisei & Scribæ indignantur, conuiuio peccatores cū C H R I S T O

*Amos.8.d.

*Roma.8.f.

excipi. Vnde ait Lucas : Et murmurabant Pharisei & scribæ dicentes : quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Ea propter tribus parabolis, scilicet de oue palabunda reperta, de drachma perdita inuenta, & de prodigo auerso ad meliorem frugem reuerso, ob cuius reuersionem tantopere pater exultat, & cum eo epulatur, ostendere vult dominus non temerè se cum peccatoribus conuersari, vt scilicet illos lucretur: temerè autem ac sine causa ob id Phariseos indignari, qui obliti Dei gratia, tantùm sua merita iactant, dicentes : Ecce tot annis iam seruo tibi: & nunquam mādaturum tuum præteritui & fratris infirmitatem accusant, dicentes: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, &c. Hic mihi videtur esse simplicior sensus. At si quis velit per iuniorum fratrem gentilem populum intelligere, ab idololatria, quæ fornicatio passim appellatur, ad fidem conuersum, totam penè gentem Iudaicam, quæ CHRISTO indignata est, & apostolis gentes recipientibus, potest id quidem, neque est quod interpretationem nostram de seniore fratre, per quem turgidos Phariseos intelligo, quisquam damnet, non magis quàm totam interpretationem Iudaicam, propter hæc verba, Tu semper mecum es. Quod facere videtur Caeteranus, dum ait : Vnde hinc apparet, quod iste semper iustus perseuerauit, alioqui non diceret: tu semper mecum es. At qui si de gente Iudaica intelligimus, quo modo Chrysostomus, Augustinus, aliique doctores, tunc sensus est: Nunquam tibi gratia mea defuit, qui & olim prophetas, nouissimè autem & filium meum misi, per quem si voluisses stare mecum, semper poteras. Sin de eo intelligis, qui cum iustus aliquando perseuerasset, tandem insolens cœpit, ac plus nimio meritis suis tribuere, sensus est: Tu semper mecum es, id est, hætenus mea gratia te diligente semper mecum fuisti, quem si agnoscere voluisses, non insolenter opera tua iactare, mecum semper fuisses.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.

Postremam partem penitentia, scilicet satisfactionem, subdit, siue per penam damni sub parabola villici iniquitatis, siue per penam sensus sub diuine epulone: ex quibus infert, eleemosynam potiore partem esse satisfactionis.



Dicebat autem et ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? et redde rationem villicationis tue: iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubescio. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, et cito scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum choros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, et scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis

† Matt. 25. c.
De accusa-
tio. Quali-
ter. 2.

† 1. 4. 9. 5. ca.
Qui habe-
tu.

dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Vel ex hac

Vel ex hac parabola docemur nequaquam oportere singula singulis respondere, sed spectandum in omnibus & hic præcipuè est, quorsum euadat parabola: quis enim ferat hoc loco vt cuiquam concedatur aliena bona alteri conferre, quod hic œconomus fecit. Nam vbi interpres, habet villicum, villicationis, & villicare, Græcus Lucas habet, διονόμιον, διονομία, καὶ διονομίαν, Id est, dispensatorem, dispensationis, & dispensare. Inducitur autem ad hoc parabola, vt quemadmodum œconomus & dispensator apud dominum suum delatus, quod bona ipsius dissipasset, primùm ab eo vocatur, vt delati facinoris veritatem agnoscat. Quæ ex re docemur non temerè delatoribus credere, sed quod aiunt, audiendâ esse partem: quemadmodum fecit dominus hic Euangelicus, qui vocatum seruum dispensationis suæ iubet rationem reddere, quia inquit: iam non poteris villicare, Græcè διονομίαν, id est, non enim tibi posthac licitum erit bonorum meorum dispensationem & administrationem gerere. Quid autem facit malus ille dispensator, cum fodere nesciret, id est, operandi, ac vitam sibi parandi vsum nullum haberet, quippe qui nullam didicerat artem, & mendicare erubesceret, versutum inquit ac prudens humana prudentia consilium: Noui inquit, quid facturus sum, vt cum à domini mei bonorum administratione summotus fuero, habeâ qui me in domos suas recipiant. Itaque conuocatis domini sui debitoribus, ei qui centum cados debebat olei, siue vt magis propriè Græca habent βάτος. Est autem batus mensuræ genus in liquidis: Cadus autem propriè genus est vasis vinarij. Et batus, vt inquit Iosephus octauo Antiquitatum capite 2. est mensuræ genus capiens sextarios septuaginta duos: qui Hebraicè dicitur טבאב, Græcè βάτος. Vide Budæum & Agricolam. Etenim qui censum debebat, ex debito dominico quinquaginta remittit, dicens: accipe cautionem tuam, Græcè, δέξαι τὸ γράμμα. Puto autem hoc loco γράμμα sumi pro cautione chirographi, quam vulgò quitantiam appellant, veluti assecurationem de quinquaginta persolutis ab œconomopreceptis. Intelligendum est ergo quod malus œconomus chirographi cautionem dederit huic debitori de quinquaginta batis olei, quos domino suo rationibus acceptum ferebat, vicissimque eum chirographum scribere iusserit, quo se quinquaginta debere fateretur. Quod autem ait interpres, sede, Græcè est, καθίστας, id est, cum sederis, cito scribe quinquaginta scilicet te debere. Similiter ei qui centum choros tritici debebat, accepti lationem dedit de viginti, iussitque vt se debitorem octoginta scriberet. Est autem chorus aridorum mensura, quæ capiebat medimnos Atticos vnum & quadraginta, teste Iosepho Antiqui. lib. 3. Vide Budæum & Agricolam. Quod autem habet interpres: Accipe literas tuas, Græcè est, τὸ γράμμα σὲ, hoc est, cautionem seu assecurationem tuam. Quod verò ait laudatum à domino œconomum iniquitatis, id est, iniustum œconomum illum, non quod dominum suum fraudasset, sed quod sibi de bonis alienis prudenter cauisset, intelligendum est laudatum, cuius prudentiam iubet nō imitari, quos vult interim dum hinc viuimus, ex mammona iniquitatis, id est, ex pecuniis & diuitiis, quæ plerunq; per malam administrationem iniustos reddūt dispensatores, amicos facere, id est, pecunias quæ nostræ non sunt, sed domini, nobis ab eo ad dispensandum creditæ, pauperibus in eleemosynam largiamur, vt cum hinc excesserimus, recipiant nos eiusmodi amici pauperes in æterna tabernacula, id est, precibus suis in æternam vitam subuehant. Quod autem prædixit: Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Pro generatione, Græcè est, εἰς τὴν γενεάν, ἢ εἰς τὴν ἐποχὴν, pro quo Erasmus vertit in natione sua: qua in re non video, quid sibi velit. Neque enim alia ratio filiorum lucis & filiorum seculi. Ego hinc τὴν γενεάν, sumi puto ἀντὶ τοῦ γένους, vertendumque, prudentiores sunt in suo genere. Diuersi enim sunt filij lucis, per quos iustos & probos intelligimus, & filij huius seculi, per quos iniustos & improbos, quibus secularia tantùm cordi sunt, cœlestia negligentibus.

Qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis.

Vult his verbis CHRISTVS adhortari omnes, vt fideles sint in bonis domini dispensandis, maximè que in elargiendis bonis temporalibus, quæ nostra non sunt, sed nobis à Deo credita, ne de illis plus quàm par est, nobis ad superfluitatem cum dispendio pauperum tribuamus. Vtitur autem huiusmodi argumento: Si fideles vos exhibueritis in dispensandis facultatibus temporalibus, quæ præ aliis bonis domini spiritualibus nihil propè æstimanda sunt, ostendetis & vos fideles fore in maioribus administrandis, Contrà autè, si iniquos vos præstiteritis in distribuendo eo quod modici est precij, ostendetis & vos in distribuenda re maioris precij infideles fore dispensatores. Ergo bonorum vestrorum superfluitatem fideliter dispensate: quia si in mammona iniquo, id est, in dispensandis opibus, quæ plerunque solent esse materia iniquitatis, quæ nullius propè precij sunt, neque locum habent inter verè bona, infideles inuenti fueritis, quod verum est, quis credet vobis? quæ vera & genuina bona sunt, vt pote spiritualia gratiæ & virtutum bona, quis credet vobis? & committet? quasi dicat: nisi beneficos & benignos vos in pauperes præstiteritis, nequaquam spiritualibus illis donis solis verè bonis dignabitur vos Deus. Quod enim hoc priore loco quidam codices habebant, quod vestrum est, deprauatum erat à librariis ex hoc loco post sequente. Nam Græcè est, τὸ ἀλλοθινόν, id est, verum, potest tamen esse sensus legendo vestrum. Et si inquit, in alieno fideles non fuistis, in dispensandis facultatibus temporalibus, quæ vestræ non erant, sed vobis à domino creditæ, vt fideliter dispensaretis, quod verè vestrum est, neque ab inuitis tolli potest, quia datæ vobis: quis enim quod ab inuito eripi potest, quodque nulla vi etiam statim effluit, cuiusmodi sunt temporalia hæc omnia bona, quæ nobiscum asportare non possumus, iure ac verè suum appellare possit? Si ergo in alieno distribuendo infideles estis, quis quod vestrum est, dabit vobis? id est, Nolite putare quod spiritualia gratiarum & virtutum bona, quæ verè vestra sunt, si apprehendere ea vultis, quippe quæ à vobis inuitis auferri non possunt, & vel mortuos vos consequuntur, largiturus sit vobis Deus.

† *Matt. 6. c.* Nemo seruus potest duobus dominis seruire, aut enim unum odiet, & alterum diliget, aut uni adhaerebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.

Non facillè quis seruiet duobus dominis qui contraria iubent, scilicet Deo & mammonæ. Deus enim & propria elargiri, & ab alienis abstinere dicit: mammona verò contrà, neque sua elargiri, nec ab alienis abstinere. Dominus iubet parcere gulæ, mammona verò ventri indulgere. Dominus iubet continere, mammona verò scortari. Dominus iubet humiliari, mammona superbire, & huiusmodi talia. Quis igitur mammonæ, id est, diabolo adhaerere, & illum sustinere, vt Matthæus habet, imò etiam diligere, vt Deum contemnat, abiiciat, & odio prosequatur. Contemnit enim Deum, qui nimis de salute sua securus est, & de mi-

* *Eccli. 5. b.* sericordia eius præsumit, iuxta illud *Eccli. 5.* * Fili, ne adicias peccatum super peccatum, & dicas: Miseratio Dei magna est. Abiiciunt à se Deum, qui dicunt, *Iob 21.* Recede à nobis, * *psal. 73. d.* scientiam viarum tuarum nolumus. Odit Deum is de quo dictum est in *Psal. 5.* * Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Et, * odio habuerunt me gratis.

† *Matt. 11. d.*
† *Matt. 5. b.* Audiebant autem omnia hæc Pharisei, qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. † Lex & propheta vsque ad Ioannem. Ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. † Facilius est autem cælum & tergum præterire, quàm de lege unum apicem cadere. † Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimissam à viro ducit, mæchatur.

Quia

Quia se iustificabant, id est, iustos vendicabant, & iactabant Pharisei coram hominibus: Ego autem dico, ait CHRISTVS, quia quod altum est hominibus, abominatio est ante Deum, id est, plerunque quos homines magnos, iustos ac probos reputant, abominationi sunt Deo. Aut intellige, quod qui elato ac superbo sunt coram hominibus animo, cuiusmodi Pharisei, qui se iustos præ aliis gloriabantur, abominabiles sunt Deo. & hoc vniuersaliter verum est. In hoc autem quod ait: Lex & propheta vsque ad Ioannem. Vult his verbis CHRISTVS, quod lex & propheta ventura de CHRISTO prædicentes, ipsamque adumbrantes, quæ terrestre tantum regnum, rerumque temporalium affluentiam carnalibus Iudæis promittebant, vsque ad Ioannis tempora durauerint. Ex eo autem, id est, ab illius tempore cœlestis Dei regnum euangelizatur. & omnis inquit, in illud vim facit, Græcè *βιάζεται*, id est, vi corrumpit, ac per vim eò contendit, & annititur ingredi. Et ex consequenti inuehit in Phariseos, qui soli insipientes sunt & segnes, nec in illud cœlestis regnum tendant, cum multipliciter sit à lege & proph. eorum lapsus prædictus. Itaque facilius cælum & terra corrumpentur, quàm vel minima pars eorum quæ per scripturam de lapsu eorum prænunciata sunt, irrita fiat. Occasione autem accepta, tacitè respondet quæstioni, qua quærere potuissent, vt *Matt. 19.* quid sibi de libello repudiij videatur, qui dicit omnem legem ita exactè implendam. Quibus per duas propositiones absolutè respondet: Quicumque dimittit uxorem suam vero sibi matrimonio copulatam, quacunque auctoritate & causa, adulteratur, si alteram ducere tentat. Et qui dimissam à viro suo viuente viro duxerit, mæchatur.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahamæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.

In scribarum & Phariseorum avaritiæ & diuitiarum detestationem tandem subdit parabolam diuitis & Lazari, vel si mauis cum Ambrosio dicere, historiæ narrationem, magis quàm parabolam, quando etiam proprium nomen Lazari exprimitur: mortui autem diuitis CHRISTVS consultò nomen tacuit, ne scandalo id esset affinis eius, vel idcirco diues iste quasi ignotus apud Deum nomine nõ designatur. Nota est ad literam intelligentia. Itaq; si qua ad rem grammaticam spectant, expediamus: deinde quid hoc exemplo CHRISTVS innuat, expendamus. Sinum Abrahamæ vocat locum à Deo constitutum, in quem recipiebantur pii spiritus ante CHRISTI aduentum, quod qui illuc perueniebant, à communi fidei velut amplexu, qua Abraham patrem imitati erant, exciperentur. Quod verò ait interpres: Et sepultus est in inferno, Græca habet, *καὶ ἐτάφη καὶ ἐν τῷ ἀδν ἐτάφη τὸς ὀφθαλμοῦς*, id est, & sepultus est, in inferno autem sublati oculis, non vt oculos intelligas corporeos, sed mentis oculos.

Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc

† *De pœnit. dist. 3. cap. Cauendum.*

transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Ex hoc loco discimus, quod in futuro seculo non solum peccatores vident iustos, sed & iusti peccatores, sed & agnoscunt. Peccatorum iusti vident supplicia, & iustorum fructum vident peccatores. Vnde Abraham videns diuitem in tormentis, non impropertat illi scelera sua, sed tantum quod bona in vita sua receperit, propter quæ cruciatur. Vbi autem dixit, hic consolatur, Græcè est παραμυθεῖται, ideo passiuè sumendum est consolatur, pro consolationem accipit. Quodque ait: Et in iis omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, Græcè est, καὶ ἕσται ἡ ἀσπίς τῶν τῶν μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἑσθῆναι, id est: Et ad hæc omnia chasma magnum, siue hiatus & vorago inhians inter nos & vos, firmatum est. Age videamus quid hinc doceamur. Docemur quid in diuite diuitiarum & affluentia ferè comitè esse luxum, cum in victu, tum in vestitu. Docetur veri pauperes paupertatè & miseriam nõ impatienter ferre, neque aduersum fastosos & fastidiosos diuites conuiciari, sed moderatè eos ferre. Quod autem mortuus Lazarus portatur ab angelis in sinum Abraham, id est, in locum, vbi ante CHRISTI aduentum verè piorum requiescebant animæ, licet in sepulto corpore, (nam sepulturæ eius non meminit Euangelium) diues autem cum pompa videlicet funebri sepultus, in inferno & tormentis agit: ac piorum describit consolationem, impiorum verò & improborum terrorem, quod hic pij pauperis contemptor & immanis torquetur cum diabolis, ille patiens pauper & mendicus in sinu Abraham lætatur cum angelis: quem ibi intantum diues mortuus frustra Abraham postulat ad se mitti, refrigerandæ vel paululum linguæ suæ gratia, quod qui in vita sua bona recepisset, id est, perpetuis fructus esset delitiis, interim veris bonis neglectis. Vnde Græci habent: recepisti bona tua, quæ tu scilicet interim sola censebas esse bona. Rationi autem congruum esset, vt Lazarus, qui in perpetua viuens fuerat miseria, æterna piè mortuus frueretur lætitia. Quod autem audis hinc linguam & oculos nominari, metaphoricè intelligendum est. Quod verò Abraham afferit chasma magnum, ingentemque voraginem & hiatus intercedere inter se & diuitem damnatum, vt ad se accedere damnati & beati non possint, innuit frustra à damnatis beatorum subsidia implorari, quibus commune inter se nihil esse potest. Quod verò de præstando sibi auxilio diffusus, Lazarus aut vnum quempiam ex mortuis ad fratres suos hortandi illos gratia mitti rogat, argumento est non carere mortuos affectu in suos. Quod si naturali quadam affectione in viuos damnati mouentur, cur non & viuorum miserefcere, & pro illis patrem ac CHRISTVM orare sancti in celo degentes possint. At quanquam ex mortuis ad viuos mittere recusat pater Abraham, quod qui Moyse & prophetis de damnatorum miseria, & beatorum gloria credere noluerint, nequaquam vlli ex mortuis suscitato credituri sint. In summa voluit CHRISTVS proposito huius historiarum exemplo ad benignitatem beneficiamq; in pauperes hortari, ne quibus facultas suppetit, si neglexerint, aut respectui eos habuerint, similia tandem pendent cum epulone illo diuite supplicia.

CAPVT SEPTIMUMDECIMUM.

Scandalum fugere, & fratrem corripere docet CHRISTVS, ac fidem habere, & vtiliter domino seruire: decem mundatis leprosis, diem iudicij iubet esse sollicitè expectandum, in quo non minus imminet periculum, quam olim diluuiò & Sodomis.

Et ait ad



T ait ad discipulos suos: impossibile est vt non veniant scandala,† vā autem illi per quem veniunt.† Utilius est †Mat. 18. a illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, & projiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis. Attendite vobis. †Marc. 9. f.

Cum dicit: Impossibile est vt non veniant scandala, idem est quod dicit Matthæus 18. Necessè est vt veniant scandala. Quia viderat CHRISTVS Phariseos verba eius & documenta ridere, docet cauendum à scandalis, quoniam tot vitiis mundus repletus est, vt vix vel nunquam accidere possit quin scandala pariat. Vā tamen illis qui actiua dant aliis occasionem ruinae, inducuntque alios ad peccandum: & similiter qui occasionem peccandi ex bono opere sumunt, vbi nulla peccandi occasio est. Cætera vide Matth. 18.

† Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.† Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi. †Leui. 19. d. Eccl. 19. b. Matt. 18. b. De testi. ca. In omni. †De iureiu. Quemadmodum. s. illud autè

Post diuitem epulonem in inferno cruciatum subiunxit vitandum in proximo scandalum, & correptionem illius, ac veniam peccato in hac vita promissam, ne cum desperatione diuitè sequatur. Nemo enim est qui affectionibus sæpius non vincatur: condoleat ergo proximorum, non solum septies, sed quoties peccauerint. Cætera Matth. 18.

Et dixerunt Apostoli: Domine, adauge nobis fidem. Dixit autem dominus: † Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: †Mat. 17. c. eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis. Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem boues, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, & recumbe: & non dicit: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec māducem & bibā, & post hæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

Non hic petunt Apostoli augeri sibi fidem solum, qua in Deum credunt, sed etiam ad operandum in Dei virtute miracula. Fides enim partim à nobis inducitur, qua in Deum credimus, iuxta id quod dicitur: Fides tua te saluam fecit. Alia autem fides est, quæ dicitur gratia gratis data, de qua 1. Corint. 12. * Alij datur fides per eundem spiritum, quam præcipuè petebant. Quibus respondet: Si habueritis fidem sicut granum sinapis. In quo maxime fidem laudat, & magnificat virtutem eius, cui etiam obediunt irrationalia. De qua vide Matth. 17. Cum verò dicit: Quis vestrum, &c. nihil aliud his verbis vult CHRISTVS, quàm vt de nulla re bona quæ in nobis sit, tanquā ex nobis sit, & non ex Deo, gloriemur: quinimo vel si omnia bona fecerimus, censeamus nihil Deo prestitisse, quod non deberemus, reputemusque seruos inutiles: quippe qui nulli vsui illi sumus, bonorum nostrorum omnium non indiget. Mirum est autem quàm hic triumphant Lutherani, gloriantes omnem hinc euinci meritorum rationem, quasi verò Christiani debitores Deo non se semper agnoscant, ac sua merita cum Augustino non arbitrentur mera Dei dona, qui nobis * dat & velle & perficere pro bona voluntate. Sed de ratione meritorum alibi diximus. Quod autem hoc loco interpretis habet pascentem boues, Græca non habent boues, sed solum pascentem. Quod verò ait: Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto: videtur

B b

*Ioan. 15. b. contradicere ei loco qui est Ioan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Et cum iis qui opera misericordiæ fecerint, dicturus sit: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Nunquid eis gratiã habiturus est, quos tantopere premiatur? Idcirco quod hic dicit CHRIS TVS: Nunquid gratiam habet seruo illi? &c. non de se dicit, sed de carnalibus dominis, qui plerunque seruis grato & candido animo operantibus nullã habent gratiam: ideóque non concludit, quod utique faceret, si ea verba de se intelligeret: Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, nullam vobis habebó gratiam, sed tantum illud dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus, id est, nolite propterea arbitrari me vobis obnoxium esse, si imperata feceritis.

† De panit. dist. 6. cap. Qui vult. Leuit. 14. a. Et factum est dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galileam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor miserere nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce, magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouem ubi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.

Nota est ad literam hæc historia. Cur autem iubentur se ostendere sacerdotibus, vide Matth. 8. de vno leproso curato. Quod verò ex decem mundatis vnus tantum alienigena & Samaritanus reuersus est, Deo gratias agens, ostendit eos qui propiores Deo videntur esse, ac meliores, quales Iudæi præ Samaritanis, plerunque ingratiore esse. Itaque Samaritanum laudans, ad gratitudinem nos hortatur.

† Mat. 24. d. Marc. 13. c. Interrogatus autem à Phariseis quando venit regnum Dei, respondens eis dixit: Non veniet regnum Dei cum obseruatione, neque dicent: Ecce hic, ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

Quia plerunque de regno Dei verba CHRIS TVS habebat, Pharisei qui carnale aliquod regnum, & temporale, vti carnales erant, expectabant, respondit eis CHRIS TVS: Non veniet regnum Dei cum obseruatione, id est, obseruare nemo illud potest, quando & vti veniet, neque affirmare, quando hic est, aut illic. Regnum Dei inquit, intra vos est. Quod de spiritali regno CHRIS TVS intelligit. Sensus autem est, intra vos est, id est, penes vos est, ac in potestate vestra situm Dei illud regnum apprehendere. Quod autem ait, intra vos, non est necesse ad Phariseos referre, sed ad omnes, quotquot fide Dei regnum apprehendere volent. Potest etiam regnum Dei pro Rege ipso Messia sumi, quasi diceret: Non necesse est vos anxie de regno Dei disquirere: quippe qui & regnum Dei, & Regem intra vos habetis, de quo vobis dicebat Baptista: Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: quia in medio eorum conuersatus, de quo vide Matth. 24. latius explicatum.

Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desyderetis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire,

Nolite ire, neque sectemini. Nam sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea qua sub cælo sunt fulget: ita erit filius hominis in die sua. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. † Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, & uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. † Similiter sicut factum est in diebus Lot, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & edificabant: qua die autem exijt Lot à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit: secundum hæc erit, qua die filius hominis reuelabitur.

Vnus more Hebraico plerunque pro vnico & singulari ac præcipuo sumitur: quomodo hoc loco vnum diem filij hominis pro singulari illo die vniuersalis iudicij intelligere oportet, qui in scriptura sancta dici solet dies domini. Dicit ergo discipulis: Venient dies, quando tot oppressionibus & calamitatibus propter me affligemini, vt desyderetis diem aduentus secundi filij hominis, quando piis ac fidelibus perpetua quies concedetur, & assumptis corporibus perfecte gloriabuntur. Quod enim huiusmodi diem sancti desyderent, testatur Paulus Roma. 8. *Sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Et si verò futurum est, vt diem illum videre desyderetis, non videbitis tamen: quanquam futurum est, vt plerique mentiantur, mentientes iam hic aut illic adesse. Erant autem Pauli tempore, qui inter Christianos seminarent, iam instare tempus domini, aduersus quos confirmat 2. Thesal. 2. Admonet autem CHRIS TVS discipulos suos, eiusmodi nugas de suo aduentu garrientibus fidem non habere: quoniam opus non erit hic aut illic monstrare, quoniam aperte in aere veniet, ac tam clarè videbitur, quam fulgur ab oriente in occidentem coruscans & fulgens. Id est enim quod Lucas dicit: Sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea qua sunt sub cælo, id est, ex vna cæli plaga, qua sub cælo est, in alteram cæli plagam, qua etiam sub cælo est. Ita enim, inquit, erit filius hominis in die sua, id est, tam aperte in iudicium veniet. Videtur autem huic loco obuiare quod dicit Paulus 1. Thesalon. vltimo: *Dies domini sicut fur in nocte, ita veniet. Sed ibi significatur, quod nec opinantibus nobis, & certam diem ignorantibus veniet. Hic autem, quod cum veniet, tam clarè apparebit, quam clarè fulgur coruscat & emicat. Ac primum oportet filium hominis multa pati, & reprobari à generatione & gente Iudaica. At si quærantur vera exempla, consyderentur dies Noe & Lot, in quibus in delitiis & luxu agentes perdidit & aqua & ignis. Ita & illos qui diebus secundi aduentus filij hominis, quanuis securos & in delitiis agentes, repentinus superueniens interitus perdet. Nihilque aliud his verbis vult, aut intendit, nisi quod quemadmodum iis temporibus incurios homines, & voluptati tantum indulgentes, nihilque minus quam propè futurum exitium sperantes, diuina vltio occupauit, ita nec opinantibus nobis superueniet dies domini.

In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa. Et qui in agro, similiter non redeat retrò. † Memores estote uxoris Lot. † Quicumque quesierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, viuificauit eam. † Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vno, vnus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in vnum, vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur.

Qui fuerit in lecto, non descendat ut suppellectilem suam exportet. Et qui in agro est, non redeat retrò, id est, ad ea quæ domi retrò reliquit auferenda: quod est, omnino non occupet se circa temporalia, sollicitus tantùm de spiritualibus, memineritq; vxoris Lot, quæ neglectis Dei per angelum mandatis, vetita retrò aspicerè, versa est in falsis statuam. Cùm verò dicit: In nocte illa erunt duo in lecto vno, &c. designantur secundum Bedam tria hominum genera: de quibus Ezech. 14. *Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Noe enim rectorum figuram tenuit, Daniel continentium, Iob verò coniugatorum. De quibus aliqui rectores perfecti assumuntur, imperfecti relinquuntur: sic de continentibus & coniugatis, qui singuli binas habent differentias, propter assumptionem & relictionem.

† Matt. 24. c. Respondentes dicunt illi: Vbi domine? Qui dixit illis: † Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Vbi rogantibus discipulis dominum, vbi, siue quò assumuntur? vtrunque significat τὸ πῶς. Respondet: vbiicumque fuerit corpus, congregabuntur aquilæ: παραβολικῶς respondens, quasi diceret: quemadmodum vbiicumque fuerit corpus seu cadaver, quo pascere se solent aquilæ, illuc aduolant, & ibi congregantur: ita ad me qui cibus sum electorum fouendum, esurientes electi, qui sperauerunt in domino, quemadmodum inquit Isaias 40. Assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt. Et quod Paul. ait 1. Thessalon. 4. *Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus, obuiam domino in aere, & sic semper cum illo erimus. Aquilæ igitur sunt electi, qui passionem CHRISTI humiliter imitantes, tanquam de carne eius fatiantur.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Sub vidua iustitiam ab iniquo iudice petentis parabola continuam, & sub Pharisæi & publicani parabola congruam docet orationem, & sub paruulis humilitatem, & sub elemosyna prætextu paupertatem. Ex quibus cæcum illuminans, suam prædicat passionem.

† Eccl. 18. c.
1. Thess. 5. d.
Coloss. 1. 4.
Infr. 21. d.
Act. 12. d.



Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam † oportet semper orare, & nunquam deficere. Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerbatur. Vidua autem quedam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?

Græcè est, ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν αὐτοῖς πρὸς τὸ εἶναι πάντοτε προσεύχεται, καὶ μὴ ἐκκαθεῖν, id est, dicebat

dicebat autem & parabolam illis huc spectantem, quòd orare semper oporteat, nec inter orandum defatigari, quia pro deficere seu defatigari Græcè est ἐκκαθεῖν, quòd propriè significat fatiscere, vt sit sensus: iuges nos oportet esse in oratione, neque in ea fastidire aut fatigari. Quæ quidem oratio hyperbolica est, quemadmodum & illa 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate. Non enim vetat Paulus subinde rebus corporeis vacare, sed admodum frequentes nos esse in oratione, quòd frequentes simus in delinquendo, multisque obnoxij periculis, aduersus ea quæ nullum presentius oratione remedium habent. Adeoque frequenter esse vult, vt etiam importunitatem orandi commendet in sequente parabola de iudice prauo, & vidua: à quo cùm vidua iustitiam postularet de aduersario, Græcè est, ἀπὸ τοῦ ἀντιδικῶν, id est, quòd aiunt de aduersa parte contra eam litigante, ne alioqui hostem intelligas, ille autem differret per aliquod tempus (nam id propriè significat ἐπι χρονον ius dicere) victus tandem importunis viduæ precibus, ius illi dixit. in quo duo CHRIS TVS innuit: vnum tacitè, quantum scilicet valeant assiduæ & importunæ preces, quas si tandem improbus iudex audit, indubiè iustus omnium iudex Deus non negliget. Alterum quòd palàm innuit, quòd quemadmodum iudex ille iniquus viduam tandem de aduersariis vindicauit, ita iustus iudex Deus, electos suos de improbis & afflictioribus vlciscetur. Quòd autem ait: non faciet vindictam, & patientiam habebit: interrogatiuè legendum est, vt sit sensus: Si iudex iniquitatis viduam vlciscitur, Deus ne electorum suorum vindictam non faciet? & patientiam habebit in illis? id est, diutius ne illos feret, Græcè est μακρόθυμον. Dico vobis, quia non diutius feret: nam citò de illis vindictam faciet. Conqueritur tandem CHRIS TVS, quòd veniens ad iudicium, paucos sit in terra fideles inuenturus. Ex hac autem parabola notum est, quòd non est necesse in parabolis singulis partibus suum simile reddi. Neq; enim iudex iste iniquus, quem orat vidua, Deum, quem oportet orare, semper significat. In hac autem parabola adducitur, vt precum importunitate viduam imitemur, & non iudicem.

Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascendebant in templum vt orarent, vnus Pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas de omnium quæ possideo. Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. † Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Paulo antè probauit assiduitatem in oratione, & importunitatem plerunque esse necessariam: nunc animi humilitatem esse planè congruam & necessariam, idque Pharisæi & publicani exemplo. Quorum vtrique cùm oraturus in templo ascendisset, Pharisæus quidem non orat, sed seipsum iactat & commendat, alios interim, veluti publicanum, quòd eius collatione iustior appareret, deprimens & arguens. Publicanus autem etsi forsan vera haberet quo magis gloriari posset, quàm Pharisæus hypocrita, nulla tamen iactat sua merita, sed longe stans ab altari, indignumque se reputans qui propè accederet, aut sursum ad cælum oculos leuaret, quasi veritus Dei iudicis iram, aiebat cum corporis animique humilitate atq; abiectione, Deus, propitius esto mihi peccatori. Et quia humilitatem adhibuit orationi, asserit CHRIS TVS, quòd præ Pharisæo iustificatus abiit in domum suam, & rationem subdit: Quia qui se exaltat, &c. Quòd autem Pharisæus dicit: ieiuno bis in sabbato, intelligendum est in hebdomada. Nam à sabbato, excellentiori scilicet die, nonnunquam tota hebdomada nominatur.

† *Mat. 23. b* Afferebant autem ad illum infantes ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem conuocans illos, dixit: † *Mat. 19. c* Sinite *Marc. 10. b* pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

Si pueros Dei regno senibus aptiores dicit, cur Apostolos infantes non elegit, & quid de senibus, qui tanta abstinentia, tantis virtutibus ab infantia floruerunt? Non enim pueritiam dicit regno Dei aptam, sed talium vitam, qui non solum non nouit peccare, sed nolit. Non enim virtus est, inquit Ambrosius, non posse peccare, sed nolle peccare. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur, quæ malitiam nesciat, fraudare non nouerit, referre non audeat, scrutari ignoret, opes, honorem, ambitionemque non appetit. Cætera Matth. 19.

† *Mat. 19. d* Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens *Marc. 10. b* vitam æternam possidebo. Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? † *Exo. 20. b* Nemo bonus, nisi solus Deus. Mandata nosti? † *Mat. 19. d* Non occides, Non mœ- *Marc. 10. c* chaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem. Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea. † *2. 4. qu. 1. cap. 1.* Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc unum tibi deest. † Omnia quaecumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. & veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est, quia diues erat valde.

Hic princeps versutus nil aliud querit, quam tentare Deum, ideoque versutæ quæstioni argutam dat responsionem, q. diceret: quid me tentas vocando magistrum bonum, & non Deum bonum, quia nemo bonus essentia, nisi Deus: & quid me dicis bonum, quem Deum negas? In quo CHRIS TVS non se bonum negat, sed Deum insinuat. Cum igitur Deo secundum naturam conueniat bonitas, & ideo immutabilis, cæteris autem secundum voluntatem participatam, & ideo mutabilis. Cum autem hic princeps eum reputaret purum hominem, ideo CHRIS TVS respondit illi ut Deus, se Deum asserens. Quod autem se iactaret omnia à iuuentute impleuisse mandata, CHRIS TVS adhuc aliquid de lege ostendit illi esse implendum, scilicet præceptum misericordiæ, tanquam præceptorum complementum, & quod maius est, post hæc imitari CHRIS TVM.

† *Mat. 19. c* Videns autem Iesus illum tristem factum, dixit: Quàm difficile qui pecu- *Marc. 10. c* nias habent, in regnum Dei intrabunt. † Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest saluus fieri? Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Qui dixit eis: † *Mat. 19. d* Amen dico vobis: Ne- *Marc. 10. d* mo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo futuro vitam æternam.

Si diuitem auarum & cupidum difficile esse misericordem censemus: absque misericordia autem difficile est ingredi regnum Dei: non mirum igitur si hic diues regno Dei præfert diuitias, quæ, ne CHRIS TVM sequatur, vsq; adeo retinent ipsum. Quod cum audissent

dissent Apostoli, sibi ipsi timuerunt, quidnam sibi accidere deberet, ut qui, quanuis reliquissent diuitias parentibus & cõsanguineis suis, nec eas etiam vendiderant, nec pauperibus dederant, ideo nec parentibus, aut fratribus, aut vxoribus, aut filiis renunciauerant: quomodo igitur secum ageretur, dubitabant. Quibus respondet CHRIS TVS: qui omnibus his renunciauerit, & hæc à se prorsus abdicauerit, multo plura, siue spiritualia in hoc seculo accipiet, quæ cunctis temporalibus longè præstant: siue etiam temporalia, quia etiam plures suas vendebant possessiones, & ad pedes submittebant Apostolorum, qui tunc ditiores potuerint esse, quàm antea quàm renunciaissent seculo: & post hæc vitam consequentur æternam. Cætera Matth. 19.

† *Mat. 20. d* Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosoly- *Marc. 10. d* mam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Et erat verbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur.

Cum ascenderet ad passionem, prædicit duodecim discipulis suis quæ illi futura erant, ut cum illa viderent, reminiscerentur, quia præuidens ista illis prædixerat, non ignarus eorum quæ sibi imminabant, & quæ per prophetas de illo prædicta erant: quæ præcipuè tria erant, quid acturus esset, quid passurus, & quid pro vtroque recepturus, de quibus 1. Petri 1. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophætæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, &c. Nec ipsi apostoli hæc intelligebant, putantes fortè illum loqui parabolicis. Cætera Matth. 20.

† *Mat. 20. g* Factum est autem cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat se- *Marc. 10. c* cus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quòd Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: † Iesu fili David, miserere mei. Et qui præibant, increpabant *De pœnie. dist. 1. ca.* eum ut taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili David, miserere *5 Cæcus.* voluissent mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Eadem est hæc historia cum ea de qua Matth. 20. & Marc. 10. Quod autem Marcus & Lucas vnum tantum cæcum scribunt, quem & nominat Marcus Barthymæum, non tamen negant duos fuisse, quemadmodum Matthæus scribit: sed cum idem factum sit in duobus, atque in vno, sufficiebat Marco & Lucæ vnius tantum meminisse. Sed difficultas hoc loco est, cum Matthæus de duobus dicat, & Marcus de vno, quod egredientibus illis de Iericho, factum sit miraculum: & Lucas de isto, cum appropinquaret Iericho, an diuersa sint miracula? Qua in re dicendum est, hoc Lucæ miraculum factum esse nondum ingresso Ierichontem CHRIS TO, cuius miraculi fama nondum audita. Duo alij cæci, quorum præcipui Barthymæi meminit Marcus, egrediente CHRIS TO ab vrbe sanati feruntur. Vel ergo ante ingressum ambo sanati sunt, sed non publicati, in egressu verò publicati, quia ipsum sequerentur: vel duo fuerunt miracula, ut aliis placet. Vide Matth. 20.

CHRISTVS ingressus Iericho, ad Zachæum diuertens, ipsum conuertit, sub decem
 mnarum decem seruis commissarum iudicij (supremi timorem incutit, su-
 per pullum asina exultantibus multis Ierosolymam ingressus,
 videns verò ciuitatem, super illam fleuit, &
 ingressus templum, ab eo vendentes
 & ementes eiecit.



T ingressus per ambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Za-
 chæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues. Et
 querebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba,
 quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arbo-
 rem sycomorum, ut videret eum: quia inde erat transitu-
 rus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad
 eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me mane-
 re. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.

Iericho ciuitas est inter Iordanem & Ierusalem. Nota est autem Zachæi historia, qui
 cum publicanus, hominum genus Iudæis inuisum & infame, esset, imò publicanorum prin-
 ceptus, ac diues, voluit tamen apud eum diuertere CHRISTVS, vt ostenderet se peccato-
 res non dedignari, quorum gratia venerat: simulque ostenderet non esse impossibile apud
 Deum diuites saluari. Neque putandum est omnes publicanos auaros fuisse, aut vsurarios,
 & alioqui improbos: vt patet ex confessione vitæ suæ, quam non insolenter aut superbe ia-
 ctat, vt Phariseus supra dictus: sed modeste, quasi CHRISTVM rogare volens, quid faci-
 endum sibi superesset.

Et cum viderent, omnes murmurabant, dicentes, quòd ad hominem pecca-
 torem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: Ecce, dimidium bo-
 norum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudauit, reddo qua-
 druplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quòd
 † *Matt. 18. b* & ipse filius sit Abrahæ. † Venit enim filius hominis querere, & saluum
 facere quod perierat.

Pharisei & cæteri Iudæi CHRISTO indignabantur, quòd ad peccatores, & imprimis
 publicanos diuerneret, sicut de Matthæo murmurabant, modum ignorantes, ob quem cum
 illis conuersaretur. Et statim sequitur mutatio dextræ excelsi. Cumque iam ardentem fidem
 ex ingenti CHRISTI videndi desyderio protestatus esset, pronunciat eum dominus
 cum tota familia sua saluum esse factum. Sycomorus arbor est, quam Dioscorides dicit Sy-
 caminum, Græcè tamen dicitur συκωμύρια, quæ idem dicitur quod morus nostra secundum
 herbarios. Quidam tamen dicunt esse ficum fatuam, iuxta nominis etymologiam, siue fi-
 cum Aegyptiam. Quod verò interpretatur: eo quòd ipse sit filius Abrahæ, non fortè ob pro-
 sapiam, sed ob fidem, qui statim CHRISTO se vocanti paruuit.

Hæc illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eo quòd esset prope Ierusa-
 lem, & quia existimarent quòd confestim regnum Dei manifestaretur.
 † *Matt. 25. b* Dixit ergo: † Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere
 † *Marc. 13. d* sibi regnum, & reueri. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem
 mnas,

mnas, & ait ad illos: *Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant
 eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regna-
 re super nos.*

Hic homo dicitur nobilis non apud Matthæum 25. Expectantibus illis regni terreni de-
 clarationem, CHRISTVS hac parabola rem aliter fore, quàm expectant, indicat. Cum
 audissent eum sæpius dicentem, appropinquat regnum Dei, & quia ascendeat Ierusalem,
 opinabantur eum velle adire regni hereditatem: quem errorem hac parabola taxat. Quòd
 autem ait: nolumus hunc regnare super nos, refertur non ad legatos, sed ad ipsos ciues mit-
 tentes, qui inter se dicerent hæc verba, & legatos mitterent, qui nobili suam voluntatem in-
 dicarent. Hic autem vir nobilis, & nobili sanguine prognatus (id enim significat τὸ ἰσχυρὸς,
 quod habet Lucas) CHRISTVS est de patre Deo ab æterno natus, de virgine matre, ex
 regia stirpe Dauid orta, in tempore homo factus, abiit per ascensionem suam in regionem
 longinquam, qua nulla longor, quàm cælum supra terram, vt acciperet sibi regnum, & re-
 uerteretur. De quo regno dicit Psal. * Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, do-
 nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quàmquam enim viuentis CHRIS-
 TUS TI regnum esset, prout dicit Matth. ultimo: Data est mihi omnis potestas in cælo & in
 terra: tamen nondum verè intrauit in regni huius possessionem, donec in vniuersali iudicio
 omnes inimicos sub pedibus eius posuerit: ac velint nolintque, confessi sint impij illum su-
 per omnia regnare. In viris autem pijs tunc primùm regnare cœpit, quando iam planè do-
 mata carne toti ei parere cœperunt. Abiit ergo per ascensionem in longinquam cœli regio-
 nem, longèq; à mundo & mundanis distantem, vt pacificum tandem in omnia regnum ac-
 ciperet, & reuerneretur ad generale scilicet iudicium, vnicuique pro meritis præmium red-
 diturus. Quidam interpretantur, vt acciperet regnum super vniuersos ordines angelorum.
 Quod licet per assumptam à verbo humanitatem semper habuerit, nondum tamen ante
 ascensionem in huiusmodi possessionem ingressa erat diuini verbi humanitas. Quòd autem
 seruis suis decem mnas diuisit, vide Budæum de asse, quid sit mna siue mina. Simile enim
 est ei quod Matthæus vocat talentum. De quorum distributione illic videto. Hoc tamen ad
 Matthæum Lucas addit, quòd proficiscenti illi miserunt ciues legatos, qui eius imperium
 detrectare se, neque amplius ferre posse dicerent: quippe qui eum oderant. Ciues isti qui
 CHRISTVM regem suum oderant, Iudæi sunt, ac Pharisei imprimis, de quibus ipse ait:
 * Nunc autem viderunt me, & oderunt me gratis, & patrem meum. Isti miserunt legatio-
 nem ad CHRISTVM post ascensionem eius, qui illorum nomine imperium eius detre-
 ctarent, quando cum diplomatibus Paulum aliòsque miserunt, qui CHRISTI nominis
 inuocatores caperent ac vincirent, & Ierusalem adducerent, Act. 9. Hoc est enim factis me-
 jus, quàm verbis imperium eius detrectare, nominis illius professores capere ac vincire.

Et factum est vt rediret accepto regno, & iussit vocari seruos, quibus de-
 dit pecuniam, vt sciret quantum quisque negociatus esset. Venit autem pri-
 mus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: † Euge bone † *Matt. 25. b*
 serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuita-
 tes. Et alter venit dicēs: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait:
 Et tu esto super quinque ciuitates.

Rediens dominus in secundo aduentu, dati & accepti rationem exigit, quantum scilicet
 quisque operatus est. Et quâuis de tribus solum meminerit, ex his facile est coniectare de
 cæteris, quorum quicumque cum pecunia sibi commissa, id est, doctrina, & humano ingenio
 negociati sunt, iuxta laborem suum præmium recipient. Quicumque verò ocio torpuerunt,
 vel ingenium aut scientiam ad terrena negocia, præmium etiam terrenum recipient: de qui-
 bus Paulus ad Philip. 3. * Multi enim ambulat, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & * Philip. 3. d

flens dico) inimicos crucis CHRISTI, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt: de quibus sequitur.

Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi: quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens, cum visuris utique exegissem illud? Et astantibus dixit: Auferite ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia [†]omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.

† Matt. 13. b
25. c
Marc. 4. c
Sup. 8. c

Ex his innuit tales ociosos nihil respondere posse quod excuset eos à damnatione. Estimant enim Deum nihil ad opera nostra concurrere, & nobis ipsis folis tribuenda merita, & propterea Deum querere laborum nostrum fructum, quibus non fuerit cooperatus. Videtur negligentibus iniuste exigere, ideo & doctrinam, & honorem illi debitum ab illis auferet, & dabit honorem & gratiam abundantiore diligentibus, fructum facientibus. Hos autem Iudæos CHRISTVS accepto regno in omnes & omnia pacifico, quia eius imperium detrectauerunt, dura & præfracta ceruice, adduci ante se iubebit, & interfici, vel fortè sub Vespasiano in excidio Ierosolymitano, vel in inferno, qui mors secunda dicitur. Vbi per hæc verba: interficite ante me, vehemens in eos animaduertendi innuit desiderium. Quod autem in ratione facta cum seruis, tot quisque ciuitatibus præficatur, quot mnas lucratus est, & mna sua illi pepererat, significat proportionatum à CHRISTO reddi iis, qui bona sua multiplicare studiosi fuerint, præmium & lucrum.

† Matt. 21. a
Marc. 11. a
Ioan. 12. b

Et his dictis præcedebat ascendens Ierosolymam. [†] Et factum est cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam, ac montem qui vocatur Oliueti, misit duos discipulos suos, dicens: Ite in castellum quod contra vos est: in quod introeuntes, inuenietis pullum asinae alligatum, cui nemo unquam hominum sedit: soluite illum, & adducite: & si quis vos interrogauerit, quare soluitis? sic dicetis ei: Quia dominus operam eius desiderat. Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis, stantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum? At illi dixerunt: Quia dominus eum necessarium habet. [†] Et duxerunt illum ad Iesum.

† Ioan. 12. b

Matthæus & asinam & pullum dicit, Marcus & Lucas pullum solum insinuant. Matthæus autem, quod super pullum asina sequente sederit CHRISTVS, vel fortè quia pulus ita indomitus erat, quod absque matre duci non poterat. Mediante igitur lege veteri per asinam designata ductus est pullus, id est, populus Gentilis, in possessionem templi, id est, ecclesiæ, quoniam CHRISTVS postergando synagogam, populum gentium deduxit in templum: vbi dominus inquit Ambrosius, non amplius in litera, sed in spiritu adoratur. Ad explendum itaque mysterium, & asina & pullo opus erat. Cætera ad literam patent Matt. 21.

Et iactans

Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cæperunt omnes turba descendetium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: [†] Benedictus qui venit Rex in nomine domini, pax in cælo, & gloria in excelsis. Et quidam Phariseorum de turbis dixerunt ad illum: [†] Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

† Psal. 117. d
Matt. 23. d
Abac. 2. c

Cum discipuli verbis CHRISTI vsi ad solutionem pulli, ipsum ad CHRISTVM adduxerunt, & superpositis vestimentis eum imposuerunt, utpote qui ad Gentes missi, non suis, sed CHRISTI verbis vtentes ipsas soluerunt, & iugo CHRISTI colla submittere fecerunt. CHRISTVM autem Regem acclamantes, existimabant ipsum regnum Dauid rediturum, quod populus summe desiderabat, Phariseis & scribis formidantibus, & silentium indicentibus. Cætera in Matthæo ferè similia enarrata sunt, nisi quod vbi Matthæus habet, turbæ quæ præcedebant & quæ sequebantur, clamabant: O filia filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine domini. Lucas ait, non turbas, sed descendetium, id est, discipulorum turbas dixisse. At intellige discipulorum & descendetium nomine hic significari non modò duodenarium illum numerum discipulorum, sed turbas ipsas, quotquot discendi diuini verbi audire erant, eum sequebantur, inter quas etiam erant pueri, qui simili acclamatione cum turbis CHRISTO aggratulentur: quanquam puerorum non meminit Lucas, inter turbas discipulorum eos comprehendens. Cum autem Lucas dicat eam discipulorum aggratulationem factam fuisse ad descensum montis Oliueti, Matthæus verò aggratulationem puerorum in templo, vero simile est de alia congratulatione loqui Matthæum, quam Lucam, cum ille puerorum fuisse, & in templo, iste discipulorum, & ante vrbis ingressum. Quod autem CHRISTVS Phariseis respondet, volentibus à CHRISTO indici silentium discipulis: Si hi tacuerint, lapides clamabunt: hyperbolica locutio est, quasi diceret: Quemadmodum clamare lapides impossibile est, ita & filiis Dei gloriam tacere: quoniam iam adest præstitutum à patre tempus, quando oportet glorificari filium hominis.

Et ut appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: [†] Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. [†] Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.

† 16. q. 7. ca.
Et hac diximus.
† Inf. 21. b
Matt. 24. a
Marc. 13. a

Fleuit super illam, dicens: quia si cognouisses & tu, &c. Caietanus ait [†] quia referri debere ad fleuit, ut sit sensus: Fleuit CHRISTVS, quia si cognouisses. Sed cuiusmodi, & quam latina sit hæc ordinatio, non video. Pro quia autem, Græcè est *ὅτι*, id est, quod, & plerumque superfluit. Sensus ergo est: Quod si tu, vel si tu cognouisses in hac die tua, id est, quam tibi peculiariter festiuam facis, & in qua omnis mali secunda exultas. Quæ ad pacem tibi, Græcè, *τὰ πρὸς εἰρήνην σου*, id est, quæ secutura sunt ad pacem & securitatem, quam tibi tantopere promittis. Est autem ecliptica locutio, supplendumque est, forsitan peccata tua ac miseriam tuam desleres, ac mihi Messia tuo fidem haberes, aut quid simile. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, id est, ea te vult Deus cæleri, ut nec opinantem mala obruant. Rursum tamen & illos venturæ miseræ admonet, dicens: Quia venient dies in te, &c. Quibus

verbis obsidio Ierofolymorum per Titum & Vespasianum, omnimodaque subuersio significatur, quam futuram illis asserit, eo quod non cognouerint tempus visitationis suæ, id est, gratiæ ac redemptionis per Regem suum & Messiam vltro illis oblata: de qua Zacharias pater Ioanis, Benedictus ait, dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Erasmus hic putat, pro quo interpret habet visitationis, ipsum legisse *ἔπισκεψατο*, cum Græcè sit *ἔπισκεψατο*, id est, ut inquit, inspectionis, quasi verò *ἔπισκεψατο* non etiam visitationem significet, & *ἔπισκεψατο*, ac *ἔπισκεψατο* penè idem significant. Est enim *ἔπισκεψατο*, ægrotum visere: quod significatum hic quadrat, quod scilicet Ierusalem tempus visitationis suæ non cognouerit, quando animarum seruator ac medicus I E S V S tot animi morbis ægram ac fauciam curaturus visitauit. Potes autem & hunc locum: si cognouisses, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: ita interpretari: Si hac die tua, qua scilicet ego Rex tibi veni mansuetus, cognouisses quæ ad pacem tibi, id est, quàm læta & pacifica tibi afferro, mihi credidisses. Nunc autem posito velamine super cor tuum, abscondita sunt hæc à te. Idcirco venient dies in te, &c. eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.

† Matt. 21. b
Marc. 11. d
† Ioan. 2. d
Isa. 56. c
Iere 7. b
† Ioan. 7. g
& 8. c

† Et ingressus in templum, cepit eiicere vendentes & ementes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est: Vos autem fecistis illam speluncam latronum. † Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & scribæ, & principes plebis, querebant illum perdere: & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

Simile signum ostendit Ioannes cap. 2. at non idem cum isto, vnde constat ipsum bis templum ingressum, vendentes & ementes eiecisse è templo, & diuersis temporibus, & vtrūque prope pascha. At primùm 31. anno ætatis suæ, secundùm verò anno eius 34. Vnde generaliter inquit Ambros. seculares docet contractus à templo Dei abesse debere. Cætera Matth. 21. patent.

CAPVT VIGESIMVM.

Interrogatus à summis primatibus vrbis super sua autoritate, altera quæstione silentium illis imponit, ipsosque super sua reprobatione per parabolam conuincit: censum Cesari debitum soluendum iubet: resurrectionem supremam per Phariseorum confutationem, & se Dei filium Davidis testimonio probat.

† Matt. 21. c
Marc. 12. d



† Factum est in vna dierum docente illo populum in templo, & euangeliz ante, conuenerunt principes sacerdotum, & scribæ cum senioribus, & aiunt, dicens ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego vnum verbum.

Respondete mihi: Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicens: Quia si dixerimus de cælo, dicet: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus, plebs vniuersa lapidabit nos. Certi sunt enim Ioannem prophetam esse. Et responderunt se nescire

nescire vnde esset. At Iesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Cùm sibi templi principatum, & nulli alteri commissum arbitrarentur Iudæi, dubitant an vellet illis talem potestatem, tanquam ab alio superiori missus. Et quia miracula tot & tanta, quæ in Matthæo scribuntur, calumniari non poterant, eiectionem negociatorum è templo calumniantur, quod inuidia etiam bona calumniari solent. Cùm ergo ab eo quærent in cuius autoritate ista moliretur, alia quæstione sciscitatur de baptismo Ioannis, è cælo erat, an ex hominibus. Ambiguam igitur & quasi perplexam quæstionem animaduertentes, ne responsio sua in deteriorem vergeret exitum, tacuerunt. Cætera Matth. 21.

† Cæpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: † Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse peregrè fuit multis temporibus. Et in tempore illo misit ad cultores seruum, ut de fructu vinea darent illi. Qui casum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere: illi autem hunc quoque cadentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt. Dixit autem dominus vineæ. Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur. Quem cum vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicens: Hic est heres, occidamus illum, ut nostra fiat hereditas. Et eiecerunt illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ. Veniet & perdet colonos istos, & dabit vineam aliis.

Hic homo Deus pater est, non veritate, sed similitudine, quia vt paterfamilias sub filium habens & seruos, vineam plantauit, domum Israel, vt Psal. 79. Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam: quam locauit Iudæis tanquam colonis, & ipse peregrè profectus est, non distantia loci, qui vbique præsens est, sed patientia in eos qui peccauerunt, punitiois. Et tempore fructus, non quod magnos ex eo collegerit fructus, quantumuis tempus vindemiæ expectauerit. * Expectauit enim, inquit Isaïas, vt faceret uvas, & fecit labruscas. Cætera latius Matth. 21.

† Quo audito dixerunt illi: Absit. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

Matthæus asserit eos contra se tulisse sententiam: Marcus & Lucas dicunt contra eos CHRISTVM tulisse sententiam. Vero simile est enim ipsos veritatem parabolæ audientes, non potuerunt non proferre veram sententiam, quam secundum Lucam CHRISTVS confirmauit: quoniam prius ignorantes in se dirigi parabolam, in seipos tulerunt sententiam: quod intelligentes confirmante CHRISTO, ceperunt dicere: Absit: vel vt ait August. Quidam dixerunt, quod refert Matthæus, ceteri, quod habet Lucas: & ita nolentes volentes prophetabant. Contra quos Davidis prophetiam necessariò implendo CHRISTVS adduxit: Lapidem inquit, quem reprobauerunt edificantes, &c. quoniam CHRISTVS à Iudæis reprobatus, & extra vineam eiecitus, à gentibus est approbatus, & factus angularis lapis, qui ex duobus populis vnum templum ædificet. Peccatores, & quidem Christiani super lapidem cadunt,

& conquassantur, vt non rectè ambulare valeant. Super Iudæos verò paganos & hæreticos lapis mole sua cadit, & eos penitus comminuit, vt nec quidem testa superfit. Cætera Matth. 21.

Et quærebant principes sacerdotum & scribæ mittere in illum manus illa hora, & timuerunt populum. Cognouerunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

Licet eos CHRISTVS agnosceret incorrigibiles, nihil tamen eorum omisit quæ ad eorum salutem conuenirent, ita vt omnino essent inexcusabiles, vnde nisi metu arcerentur, parati semper erant iniicere in eum manus, & occidere.

† Marc. 22. c
Marc. 12. e

† *Et obseruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, & traderent illum principatui & potestati præsidis. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, scimus quia rectè dicis & doces, & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces: licet nobis tributum dare Cæsari, an non? Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? ostendite mihi denarium: cuius habet imaginem hæc inscriptio? Respondentes dixerunt: Cæsaris. Et ait illis: † Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt Dei, Deo. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerunt.*

† Matt. 22. b
Marc. 12. b
Rom. 13. c
23 q. 2. ca.
Militare.
Quid cul-
patur.

Docet nos quàm astuti esse debeamus aduersus Iudæos, & aduersus hæreticos. Cùm igitur CHRISTVS libertatem prædicaret, ipsi autem Iudæi Cæsari subiicerentur, ideo vel CHRISTVM responsum expectabant insidiis eorum, non esse Cæsari pendendum tributum, & sic contrauenire Cæsari: quo facto milites Herodis paratos secum habebant, qui eum apprehenderent, & præsidis traderent. Sin autem iubere subiici populum Cæsari, argueretur mendacij, qui populo libertatem semper promittebat. Animaduertens autem CHRISTVS versutiam eorum iuxta Marcum, vel nequitiam iuxta Matthæum, vel dolum iuxta Lucam, iubet proferri denarium, quem asserunt imaginem Cæsaris præ se ferre. Respondet autem illis non iuxta interrogationem, vt fallaciam eorum illuderet: Queritis inquit, an sit dandum vestigal Cæsari, non dico dandum, sed reddendum tanquam debitum, & quod Dei est, Deo reddendum. Hoc autem declarauit Paulus Rom. 13. Cætera Matth. 22.

† Dent. 25. b
Matt. 22. e
Marc. 12. e

Accesserunt autem quidam Sadduceorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: † Si frater alicuius mortuus fuerit, habens uxorem, & hic sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius uxorem, & suscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam, similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt. Nouissimè omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo cuius eorum erit uxor? Siquidem septem habuerunt eam uxorem.

Et si

Et si Pharisei & Sadducei inter se discordes in opinionibus essent, concordés tamen facti sunt, vt IESVM in verbis suis caperent, & ad confusionem deducerent. Phariseis autem super reddendo censu Cæsari confusis, aggrediuntur illum Sadducei, qui iusti interpretantur, pro iustitia in hoc seculo & in futuro seruanda, si futura sit resurrectio, quam ipsi negabant. Ideo huiusmodi rationem contexunt: Si mortuorum futura sit resurrectio, non modò in hoc seculo, sed & in futuro seruanda est iustitia. At si iuxta legem Moysei de suscitando semine fratris septem fratres eandem uxorem iuxta illam legem consequenter duxerint, non poterit omnium esse uxor post resurrectionem: ergo non seruabitur inter eos iustitia, vel resurrectio mortuorum futura non est. Quam rationem pro sui erroris sufficienti defensione putabant inuenisse insolubilem. In quos CHRISTVS errorem illorum retorquet, vt pote qui ignotis ratiocinarentur principiis: vnde ipsorum stultitiam apertè reprehendit, quòd putarent homines cum carnalibus resurrecturos passionibus & imperfectionibus. Vnde subdit,

Et ait illis Iesus: Filij huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi verò qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubunt, neque ducunt uxores, neque ultra mori poterunt: † æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.

† Matt. 22. e
Marc. 12. d
Exod. 3. d

Quasi diceret: Quoniam animas cum corporibus interire putatis, ideo resurrectionem mortuorum negatis, ignorantes connubia propter filios esse introducta, filios autem successione perpetuanda, successione verò propter mortem futuram. Vbi ergo nulla est mors, neque necessaria sunt connubia. In futuro autem seculo non sunt necessaria connubia: quia sicut in hoc seculo omnes actus carnales sunt opera animalium, & imprimis actus libidinis, sic & omnes actus spirituales actus sunt angelici, & præcipuè castitas, cùm angelis semper sit sociata virginitas. Idcirco non est illic corporea generatio, quæ per nuptias fiat, cuius rei sunt angeli expertes, quibus post resurrectionem similes erunt, nec viri uxores ducere, nec mulieres viris nubere, sicut nec angeli, optabunt. Cætera videbis Matth. 22.

Quia verò resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum: omnes enim viuunt ei. Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare.

Quoniam iuxta Matthæum respondit illis IESVS: Erratis, non intelligentes scripturas, quas ex Moyse secus rubum in deserto Sinai probare faciliè potestis, vbi dicitur Exo. 3. * Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: quorum si dominus est Deus, non omnino mortui sunt, sed beatorum resurrectionem expectant. Pro sicut, Græcè est ἐστίν, quod non modò similitudinis nota est, sed rationalis etiam, vt hic: & tunc significat quandoquidem. Sensus ergo est: Moyses ostendit quòd mortui resurgunt, cùm esset secus rubum iuxta montem Sina, vocaretque eum de medio rubi dominus: quandoquidem hoc loco verba domini recitat Moyses, dicit & appellat eum Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob.

Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum filium esse Dauid, & ipse Dauid dicit in libro Psalmorum: † Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum

C c ij

pedum tuorum. Dauid ergo dominum illum vocat, & quomodo filius eius est?

Iuxta Matthæum interrogavit eos CHRISTVS, quem nondum venisse putabant, cuius esset filius, cum veniret. Responderunt ei: Dauid. Dixit illis: Quomodo ergo Dauid vocat eum dominum suum, dicens: Dixit dominus domino meo: non quoddam de eo natus esset, sed quoddam à patre Deo, cum quo ab æterno fuit. Cætera Matth. 22.

† Sap. 11. f
Matth. 23. a
Marc. 13. d

Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: † Attendite à scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiujs: qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem maiorem.

Vt autem viris illis imposuerit silentium, videritque eos incurabili morbo laborare, docet discipulos suos, maximè eorum fugiendum errorem, & ab eorum moribus cauendum: quod Matthæus addit: secundum opera eorum nolite facere, quia omnia faciunt, vt videantur ab hominibus. Cætera Matth. 23.

CAPVT VIGESIMVMPRIMUM.

Pauperula vidua duo æra minuta mittens in gazophylacium, cæteris pluramittentibus præfertur, templum cum ciuitate euertendum, & ciues exulandi prædicantur, signa iudicij prognostica cum summa populi miseria innuuntur.

† Marc. 12. d
24. 9. 1. cap.
Odi &
proieci.



† Espiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperulam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest

illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.

Gaza Persicum nomen, phylax Græcum, ex quibus componitur nomen gazophylacium, arca scilicet constituta iuxta portam templi domini forinsecus, ad congregandam pecuniam pro templi instauratione. vt 4. Reg. 12. & 2. Paralip. 24. In hoc autem gazophylacio foramen erat supernè, per quod populus ad templi instaurationem, & pauperum alimentum iactabat pro deuotione sua pecuniam. Quibus omnibus pauperem viduam æra duo mittentem prætulit, non pecuniam tantum, sed bonam voluntatem, pro qua quicquid potuit, misit, maiora desyderans mittere, si potuisset. Cætera vide Marc. 12.

Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit: † Hæc que videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Interrogauerunt autem illum dicentes: Præce

† Matth. 24. a
Marc. 13. a
Sup. 19. g

tes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum quando fieri incipient? † Ephe. 3. b
Qui dixit: † Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo, 1. Cor. 3. d
dicentes: quia ego sum. & tempus appropinquauit: nolite ire post eos. Cum Coloss. 2. d
autem audieritis prælia & seditiones, nolite terri, oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Matth. 24. b
Marc. 13. b

Cum audissent Apostoli CHRISTVM dicentem Iudæis: Ecce relinquetur domus vestra deserta, interrogauerunt eum, qui fieri posset, tam magnifica confyderata extruione, non modò de lapidibus, sed & de eius ornatu. Quibus respondit tantum illi fore excidium, vt nec etiam lapis maneat super lapidem, qui non aliò transferatur. Iuxta quæ verba inquirunt discipuli duas quæstiones: priorem, quando hæc futura sunt, alteram, de aduentu eius secundo. Ad quarum neutram respondit, sed signa vtrunque præcedentia manifestauit, quibus positus timendum erit. Cætera patent Matth. 24.

Tunc dicebat illis: Surgent gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terremotus magni erunt per loca, & pestilentia, & fames, terrorisque de cælo, & signa magna erunt. Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas, & custodias, trahentes ad Reges & præsides propter nomen meum. Continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini autem à parentibus & fratribus, & cognatis & amicis: & morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Hæc omnia Ierosolyma teste Iosepho ante excidium passa, & multo acerbiora. Primò enim Gætes Romanis confederata insurrexerunt cum illis in Ierosolymitanos, & suos auxiliares. De pestilentia famem consequente scribit Iosephus de bello Iudaico lib. 6. cap. 14. his verbis. Iudæis autem cum exeundi facultate omnis etiam spes salutis adempta est: auctaque iam fames totas domos ac familias depascebatur. Et tecta quidem erant plena mulieribus exanimatis, atque infantibus: viarum autem angusta senibus mortuis. Adolescentes autem ac iuuenes turgidi, velut vmbra mortuorum per fora versabantur: & vbi quem casus occupauerat, decidebant. Sepelire autem funera neque poterant præ labore, & eos quibus aliqua vis supererat, pigebat, & propter multitudinem mortuorum, & quod de ipsis erat incertum. Denique super eos quos sepelierant, multi moriebantur. Multi autem ad sepulchra, priusquam fati dies veniret, & viui properabant: neque luctus in illis calamitatibus, neque fletus erat, sed fame superabantur affectus. Siccis autem oculis, & corruptis oribus, qui tardius morerentur, eos qui ante se requiescerent, intuebantur. hæc ille, &c. Capite verò 16. dicit ad hoc necessitatis quosdam fuisse compulso, vt cloacas ruinarentur, bouumque veterem simum alimentum haberent, sterçisque collectum, quod ne visui quidem tolerabile fuerat, cibus erat, &c. Reliqua vide Matth. cap. 24.

† Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia

† Matth. 24. c
Marc. 13. d
Daniel. 9. g

appropinquavit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius, discedant, & qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, & irapopulo huic. Et cadent in ore gladij, & captivi ducuntur in omnes gentes, & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Has clades enarrat Iosephus de bello Iudaic. lib. 7. ca. 16. Iam verò inquit, perfectis ageribus, Septembris mensis die septimo, qui erat à cæpto opere octauus & decimus dies, Romani quidem machinas admouebant: seditiosorum autem alij, qui ciuitatem desperauerant, muris relictis in Acram recedebant: alij se in cloacas demittebant, & sequitur in fine cap. iuuenes autem lectos, qui proceri ac formosi essent corpore, triumpho Cæsar feruabat. Ex residua multitudine septem & decem maiores annis vinctos mittit in Aegyptum, operibus deputandos. Plurimos autem per prouincias Titus distribuit, in spectaculis ferro & bestiis consumendos. Qui verò infra decimum & septimum annum ætatis agerent, venditi sunt. Iisdem autem diebus quibus secernebantur à Frontone, mortui sunt fame duodecim milia: quibus partim odio custodum non præbebatur cibus, partim ipsi victus fastidio tenebantur. & cap. 17. Et captiuorum quidem omnium qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem milium comprehensus est numerus: mortuorum verò per omne tempus obsidionis, vnde centum milia, &c.

† *Matt. 24. c* Et erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ
Marc. 13. c confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, &
Isa. 13. b expectatione, quæ superuenient uniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mo-
Exech. 32. b uebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum pote-
Ioel. 2. e state magna & maiestate.
† *Matt. 24. d*
26. f

Præmisso vrbis Ierosolymorum & templi excidio, ac Iudaici populi interitu suo, addit totius orbis excidium. Prius autem præmittit signa quæ in creaturis irrationalibus patebunt. Primò in summis, sole, luna, & stellis obscuritas, vt refert Matthæus: Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur. Post hæc in infimis, terra scilicet, in qua cuncti se inuicè oppriment, quia refrigescet charitas multorum. Et tandem in medijs creaturis, mari & fluminibus. Quoniam vt Sap. 5. * Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Vnde creaturæ rationalis pœna sequitur: quoniam arescent homines præ timore, videntes omnes creaturas propter hominem factas, in hominem pugnare. Cætera Matth. 24.

His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra: quoniam
† *Rom. 8. d* appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas. Ita & vos, cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. † Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Itaque in ipso orbis terrarum interitu, iubentur fideles non solum timere, sed etiam

etiam capita in altum leuare, vnde illi auxilium veniat. Ad quod considerandum assumit ab arboribus exemplum, quæ sunt iudices propè futuræ ætatis: ita hæc præmissa signa, tam creaturarum irrationalium, quàm rationalium: quia incipientibus proximus est credendus CHRISTI secundus aduentus, vt sicut flores & fructus arborum adueniente ætate parent, ita mundi ruina his malis superuenientibus. Cætera Matth. 24.

† Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnium terræ. Vigilate itaque † omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliueti: & omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Post prædictam Ierosolymorum subuersionem, & seculi consummationem, iubet his verbis, & carnalibus nos delitijs, & nimia nos secularium rerum cura non distrahi, quòd repentina nec opinantibus nobis dies iudicij superuentura sit, tanquam laqueus non apparens & improuisus. Idcirco vigilijs & orationibus instare nos iubet, vt imminetia vitemus pericula seductorum.

CAPVT VIGESIMUM SECUNDVM.

Iudas ductus Satana cum Iudæis de Iesu cæde sollicitis paciscitur super illum traditione. CHRISTVS autem facta cæna in horto, à Iuda Iudæis traditur, ad Caipham ductus à discipulis derelictus, à Petro negatur, & facie velatus illuditur, & colaphis caditur, à principibus interrogatus, morte damnatur.

† Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. Et querebant principes sacerdotum & scribae, quomodo eum interficerent: timebant verò plebem. Intrauit autem Satanas in Iudæam, qui cognominabatur Iscariotes, & num de duodecim: & abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spondit. Et querebat opportunitatem vt traderet illum sine turbis.

Diem festum Azymorum intelligit diem festum Paschæ, quo summi sacerdotes victimas præparare, parietes templi leuigare, pauimenta verrere, vasa mundare solebant, & tunc inueniunt consilium, quomodo dominum Paschæ valeant interficere: quod in die festo nolent, quia timebant plebem, qua tamen non obstante occiderunt. Ad quos accessit Iudas diaboli instinctu, vnus de duodecim, numero non merito, corpore nõ animo, à principibus non inuitatus, nulla necessitate coactus, sed sola inuidia ductu Satanae cum illis de precio, & de traditione magistri pactus. Cætera Matth. 26.

† Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et mi-

ſit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce, introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum in quam intrat: & dicetis patriſfamilias domus: Dicit tibi Magiſter: Ubi eſt diuerſorium ubi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate. Euntes autem inuenerunt ſicut dixit illis, & parauerunt Paſcha.

Dies Azymorum dies Iouis erat, videlicet decima quarta luna, in qua ad veſperam iudebantur Iudæi agnum Paſchale occidere. Et eſt quod ait Lucas. Neceſſe erat occidi Paſcha, & noſte illa manducare, & à veſpera fermento abſtinere. Vnde vocatur dies Azymorum, quod illa die à veſpera azyma tantum comederent. Itaque Petrum & Ioannem præmittit, qui Paſcha ſibi pararent, id eſt, omnia neceſſaria ad agnum Paſchalem edendum, indicato illis hospite & hoſpicio. Neq̄ propriè domum, nec hoſpitem illis indicauit, ſed ſolum quendam, vt ait Euthymius, ne Iudas cognita domo, recurreret ad Iudæos, & cœna inſecta CHRIS TVM illis traderet.

† Mat. 26. c. † Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim cum eo. Et ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha māducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non māducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

Deſideraui hoc Paſcha legale manducando cum illis conſummare, vt dato poſtea illis in cibum & potum corpore & ſanguine ſuo, omnibus demum ceremoniis legalibus finem imponeret: vt pote quæ ad hoc inſtituta erāt, vt hoc nouū corporis & ſanguinis mei Paſcha figurarent. Nec amplius ex hoc comedam, donec perficiatur in regno patris mei, quod mihi daturus eſt poſt reſurrectionem, vt Matth. vltimo. *Data eſt mihi poteſtas in cœlo & in terra: & tunc perfectius & purius immolabitur hoc Paſcha, quàm vetus.

† De celebr. † Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Diſſa. ca. Cū marthe. co enim vobis, quod nō bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: † hoc facite in meam commemoratiōnem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Quemadmodum in veteri lege in vera ſacramenti Eucharistiæ figura non ſolū agnum edebant, ſed etiam ſucceſſiuè potum ſumebant, ita in hac cœna CHRIS TVS poſt eſum agni accepit calicem, quem poſt gratiarū actionē Apoſtolis dedit diuidendum, id eſt, cōtinuò & ſucceſſiuè potandum. In quibus cibus finem legalibus figuris impoſuit, quo ad agni eſum, & vini potum, vt nulli poſtea licuerit agnum Paſchalem, nec illum potum poſtea ſumere. ideo dixit: Nō bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Sensus eſt iuxta Bedam: Deinceps non delectabor in ſacrificiis ſynagogæ, donec credat in patrem meum & in me, & in eccleſia fideliter imolet ſacrificium carnis meæ, & ſanguinis mei. Quod cum fecerit, tunc bibam, hoc eſt, delectabor vobiscum in renouatione ſua per fidem eccleſiæ. Vel ſic: Non vltà carnalibus ceremoniis delectabor, in quibus carnalis agnus locū tenet. Aderit enim tempus me reſurgente, cum ego ſublatus in gloriā vitæ immortalis vobiscū fungar de ſalute huius populi fonte gratiæ ſpiritalis regenerati. Idcirco hæc prima poculi ſumptio

ſumptio figuratiua fuit, veluti eſus agni. Deinde accepit panē, gratias egit, fregit, & dedit. Hic tamen, vt Lucas ſcribit, videtur affuiſſe cum reliquis Iudas, quando corpus & ſanguinem ſuum dedit dominus. Matthæus non negat, neque tamen diſſerit. Et problema de hoc eſt inter doctores.

Veruntamen † ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa. Et quidem † De off. or. di. ca. Si ſacerdos. filius hominis, ſecundum quod definitum eſt, vadit. Veruntamen vae ho- di. ca. Si ſacerdos. mini illi per quem tradetur. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis Pfal. 40. b. qui hoc factururus eſſet? Matr. 26. b.

Non deſignat traditorem ex nomine, ne impudentior fiat, ſed quaſi crimen impingit in omnes, vt ſaltem conſcius pœnitentiam agat, & qui æquè cum cæteris tantorum effectus particeps myſteriorum, melior ac mente ſanior efficeretur. Ex quibus verbis adeo anxij diſcipuli inter ſe quærere cœperūt, quis talis eſſet futurus, & imprimis Iudas, ne ſuſpectus ab alijs haberetur, ſe excuſare tentat, quauis agnoſceret dominū hoc non ignorare per ſignum panis intincti, qui alius erat à pane conſecrato omnibus diſtributo. Vnde videns CHRIS TVS incurabilem Iudam, dixit illi: Quod facis, fac citius, & quod cogitatione concipis, opere perficito. quod nec alij intellexerunt, ille verò intellexit, & abiit.

Facta eſt autem contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis: † Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent † Mat. 20. d. ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, † Mar. 10. f. fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? † Ego autem in medio † Mat. 20. d. veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat: Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum † Mar. 10. f. in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.

Iam quaſi certiores facti de morte magiſtri, contendunt de principatu inter eos poſt mortem eius. Nec vſque adeo certum eſt, an hæc contentio eadem ſit cum illa, de qua Matr. 20. ante ſacramenti inſtitutionem. Eadem tamen eſt vtrobique reſponſio. Vt enim eos abſtraheret à carnalis regni ambitione, quod affectaſſe videbantur Iacobus & Ioannes, oſtendit illos maioris regni manere præmium, pro toleratis cum eo affectionibus, dicens: Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: non quod in regno Dei menſa vlla corporalis, aut cibus ac potus ſit, ſed metaphorica eſt locutio, qua per temporalia æterna, per carnalia neceſſe eſt adumbrare ſpiritalia. Sensus ergo eſt: Quemadmodum pater fruēdas ad libitum mihi dedit regni cœleſtis delicias, ita & ego volo, vt eadem mecum gloria & beatitudine perfruamini. & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael, non modò comparatiuè, ſed vt vocant authoritatiuè, quod innuitur in verbo ſedeatis: quia condemnabunt duodecim tribus Iſrael tanquam acceſſores, vt quæ Meſſiæ ſibi præcipuè miſſo credere noluerunt.

Ait autem dominus Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribaret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre: † Mat. 26. a. † non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. † Mar. 14. c.

Græcum verbum ἐπιτιμω, plus significat quàm expetere, scilicet ad pœnam postulare, quod vno verbo exposcere dicitur. inquit ergo: Exposcit vos Satanas, vt cribraret, id est, hac illac versaret, omnibusque modis agitare, & excuteret, quomodo triticum solent, vt quod malum est, separent. Ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. Hic duo notantur, quòd cum pro Petro tantum se rogasse dicat, specialiter pro eo tanquam pro capite se orasse innuit. Cum autem ait: vt non deficiat fides tua: & certum sit Petrum peccasse, quando timore negavit, ex infirmitate, non incredulitate, ostendit contra Lutheranos, non per quodlibet peccatum mortale fidem deperdi. Rursum indicat Dei prouidentia id accidisse, vt aliquando conuersus, lapsusque proprii conscius, fratribus condolere nosset peccantibus, & eos confirmare. At mentis suæ conscius Petrus, plus nimio sibi confidit, asserens paratum se esse & cum CHRISTO mori. Contrà verò CHRISTVS speciem lapsus illi prædicit super trina negatione.

Et dixit eis: Quando misit vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc

quod scriptum est, oportet impleri in me:† Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est.

†1a. 53. d.
Matt. 26. e.
Marc. 15. d.

Sacculus ad deferendam pecuniam, & pera ad alimenta, sollicitudinem significat victus, qua carere suos CHRISTVS voluit, emittens ad prædicandum, interim dum ipse viueret: quòd Deo patri & sibi curæ satis essent. Quod ergo nunc ait: Cum emittebam vos prædicatum sine sacculo & pera & calceamentis, id est, nulla re necessaria instructos, nihil tamen vobis defuit, quòd me præsentem haberetis, vestrique sollicitum. Quid enim vestri curam agente sponso deesse poterat. At post hæc longè alia ratione viuendum vobis est, quos adeò sint aueraturi penè omnes, vt non modò non victum suppeditent, imò & vestram vitam petant. Vnde qui habet sacculum & peram, tollat: & qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat. Non quòd re vera discipulis suis ista CHRISTVS præcipiat, vt licetè bellare possint, sed figurata est locutio, vt innuat CHRISTVS à Deo in contrarium mutatum iri tempora, quòd opus esset ad victum illis pera & sacculo, & ad se tuendos non modò virga, qua etiam antè illis interdixerat, sed gladio etiam & armis. Apostoli verò putantes propter sui defensionem de gladiis dixisse, dicunt: Domine, ecce duo gladij hic. CHRISTVS autem tanquam ignaros reprehenderet nolens, vt inquit Theophila. contentus fuit dixisse: Satis est. Quod autem ait: Dico enim vobis, &c. sensus est: Non modò enim vos afflictiones manent, sed me quoque ducem vestrum: quoniam adhuc prophetiam Isaïæ de me impleri oportet, quam ait: Et cum iniquis deputatus est. Quod CHRISTO accidit in medio latronum crucifixo.

† Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis, quantus iactus est lapidis. Et positus genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.

†Ioan. 15. a.
Marc. 14. d.

Sicut supra in fine 21. cap. CHRISTVS nocte exiens templum morabatur in monte Oliueti, ita secundum hanc consuetudinem egressus est illuc, vt ibidem oraret. Cuius talis oratio fuit: Pater, si vis, potes à me mortis calicem transferre, ne bibam illum: veruntamen voluntas mea, quam humana refugit natura, non potius quàm tua fiat. q. d. Si fieri potest, vt gentes

gentes sine Iudæorum damnatione credant, precor aufer à me passionem: sin minus, illi excecandi sunt, propter quos specialius missus sum, vt gentes clarè videant, & credant, non recuso laborem. Non mea igitur, sed tua fiat voluntas. Passus est ergo prius nolente sensu humano, sed volens, quia per mortem suam patris voluntatem adimplere volebat, & proximi salutem, quem diligebat, fieri cupiebat.

Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agone, prolixius orabat. † Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

†De celebr. missa. In quadam.

Lucas præter cæteros meminit apparuisse illi inter orandum angelum, qui eum confortaret. Non poterat enim, quatenus homo, non esse in summa tristitia, & angustia. At nostra magis quàm sua causa apparuit illi angelus, ne in summis angustiis & periculis animum desponderemus, certi non defore nobis, siquidem piè viuere perseueramus, expectantes & postulantes. Cætera Matth. 26. latius patent.

† Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. † Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo filium hominis tradis? Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? † Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autem Iesus, ait: Sinite vscue huc. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores: † Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus: † cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me. sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

†Matt. 26. d.
Marc. 14. d.
Ioan. 18. a.
†Matt. 26. d.
Marc. 14. d.
Ioan. 18. b.
†24. q. 1. ca.
Si Petrus.

†Matt. 26. e.
†Marc. 14. c.

Non erubuit Euangelistas scribere Iudam vnum fuisse ex primo choro discipulorum, ex duodeno videlicet numero, in Iudæ confusionem, qui à secretis esset magistri, quem tamen in manus inimicorum tradere non erubuit. Prætexens autem quandam excusationem signo osculi, non verbis traditionis putabat aliquo pacto excusari. Iesus autem fugam non querens, quia venerat hora eius, obuiat illis, dicens: Ego sum. Quo verbo audito, secundum Ioannem abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Ex quo omnes Iudæi successores eorum hoc verbum ex Euangelio nostro audientes, Antichristum expectantes, abeunt retrorsum in terram, & terrena, quæ amant, cadentes. Discipuli autem his excitati furoribus, dominum defendere festinant, quibus Petrus ardentior amputauit auriculam serui pontificis. Præter Matthæum addit Lucas, quòd cum Petrus amputasset Malcho pontificis seruo auriculam, sanauit eum Iesus. In quo docemur exemplo CHRISTI aduersus hostes etiam esse benefici. Mihi in passione CHRISTI, quoniam nostra tota est instructio, non videtur ludendum esse allegoriis. Satis erit si quæ nobis inde facienda aut imitanda sunt, aperuerimus. Quòd autem dixit: Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum: idem est, ac si dicat: Quòd hæcenus non me comprehendistis, haudquaquam benevolentia vestra fuit, sed quia nondum tempus à patre præstitutum venerat: nunc autem cum patri ita placitum sit, hæc est hora vestra, id est, opportunitas vobis tandiu quæsitæ, & potestas tenebrarum, quasi dicat: hæcenus neque Dei, neque impulsoris vestri tenebrofi dæmonis in me quiddam po-

tuitis: nunc verò permittente patre meo vobis ministris, agitis quod potestis.

† *Mat. 26. f.* *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum.*
Marc. 14. f. *Petrus verò sequebatur à longe. † Accenso autem igne in medio atrij, &*
Ioan. 18. c. *circum sedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset an-*
† *Mat. 26. g.* *cilla quadam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum*
Marc. 14. f. *illo erat. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum. Et post pusil-*
Ioan. 18. c. *lum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo, non*
† *Mat. 26. g.* *sum. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, di-*
† *Marc. 14. g.* *cens: Verè & hic cum illo erat. Nam & Galilæus est. Et ait Petrus: Ho-*
† *De pœnit.* *mo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente, cantavit gallus. † Et*
† *di. 1. Petrus.* *conuersus dominus respexit Petrum. † Et recordatus est Petrus verbi do-*
† *Couertimi.* *mini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egres-*
† *ni. Porro.* *sus foras Petrus, flevit amarè.*

† *Mat. 26. g.* *Ioannes refert Iesum primò ad Annam ductum fuisse, quòd esset focer Caiphæ: alij au-*
† *Marc. 14. g.* *tem hoc tacuerunt, cum nihil mysterij memoria dignum illic actum fuerit. Has verò singu-*
† *Ioan. 18. d.* *li persecuti sunt Petri negationes, variis tamen locis, vt patet intuenti textus Euangelistarū.*
 Omnes tamen fatentur eum negasse in domo principis sacerdotum, non in sua, in præto-
 rio Iudæorum, non in vico, non in monte, non in templo, sed vbi CHRIS TV S tenebatur
 vinctus in atrio principis sacerdotum, non inter condiscipulos, sed inter milites & sacerdo-
 tum ministros, vbi plerunque CHRIS TV S negari solet. Cætera Matth. 26.

† *Mat. 26. g.* *† Et viri qui tenebant Iesum, illudebant ei, cædentes. Et velauerunt eum,*
† *Marc. 14. g.* *& percutiebant faciem eius: & interrogauerunt eum, dicentes: Prophetiza,*
† *Ioan. 18. d.* *quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.*

Quia à multis propheta dicebatur, colaphis eum cædebant tanquam falsum prophe-
 tam. Inde Lucas præter Matthæum addit: velauerunt eum, quasi cælaturi quinam esset qui
 eum cæderet, & diuinationem percussoris ab eo exacturi. Nam si velatus non esset, non di-
 cerent: Prophetiza, qui alioqui cædentem videret. super quorum corda adhuc velamen ha-
 tetenus remanet, ne & ipsi sua agnoscant scelera, qui ea tunc CHRIS TO cælare putabant.
 Vt quid etiam illum prophetizare volebant, quem prius prophetizantem non audiebant,
 & dictis signisque eius credere nolebant.


† *Mat. 26. g.* *Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes sacerdotum,*
† *Marc. 14. g.* *& scribæ, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: † Si tu es Christus,*
† *Ioan. 18. c.* *dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & inter-*
 rogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius
 hominis à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius
 Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desy-
 deramus testimonium? Ipsi enim audiuimus de ore eius.

Vsq; ad finem capituli duorum conciliorum meminit Matthæus. Vnius, quod noctu
 celebrarunt, cum superuenère falsi testes, & CHRIS TV M pontifex rogauit, num
 CHRIS TV S filius Dei esset? Alterius, quod mane celebrarunt, quo conuenit omnis se-
 natus, de quo nunc meminit Lucas, repetens non pontificis modò, sed totius senatus
 autoritate

authoritate rursum rogatum esse dominum, num CHRIS TV S esset ac Dei filius: vt
 scilicet iterata confessione coram ampliore senatu, blasphemix reum illum peragerent.
 Cætera Matth. 26.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

CHRIS TV S Pilato presentatus, accusatur læsa maiestatis, ab eo autem
 interrogatus, innocens est inuentus. Barraba autem liberato, post-
 quam ab Herode stultus est iudicatus, ad patibulum
 auxiliante Simone Cyrenæo ductus est, &
 inter duos latrones crucifixus,
 mortuus, & tandem
 sepultus.



† *T surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad* † *Mat. 27. a.*
 † *Pilatum. Cæperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc* † *Marc. 15. a.*
 † *inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohiben-* † *Ioan. 18. f.*
 † *tem tributum dare Cæsari, & dicentem se Christum Re-*
 † *gem esse. † Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu* † *Mat. 27. b.*
 † *es Rex Iudæorum? At ille respondens, ait: Tu dicis. Ait autem Pi-* † *Marc. 15. a.*
 † *latus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc* † *Ioan. 18. f.*
 † *homine.*

Capita accusationum præter Matthæum describit Lucas, falsa tamen, nempe quòd
 tributa Cæsari dare prohibuerit: cuius tamen contrarium apparet Matthæi 22. cap. Sed
 hoc obiciunt, quod quidam Theudas, siue quis alius paulo antè fecerat. Deinde quòd
 gentem Iudæorum subuertisset: nempe multa docens præter legem, ceremoniisque le-
 gis paulatim derogans. Demum quòd se CHRIS TV M Regem esse diceret: in quo
 duo crimina comprehendunt. Primùm, quòd se CHRIS TV M & Messiam faceret, &
 idcirco Dei filium: in quo blasphemix eum arguebant. Deinde, quòd Iudæorum Re-
 gem: in quo læsa maiestatis reum apud Pilatum peragere eum studebant. Pilatus au-
 tem intentata ab illis aduersus legem crimina parui ducens, falsumque esse intelligens,
 quòd tributa Cæsari vetuisset dari, ad affectati regni crimen transit, interrogans num
 Rex esset Iudæorum. Quod cum CHRIS TV S falsus esset, mirum esset quomodo
 homo gentilis, qui Cæsari fauere studebat, huiusmodi confessionem neglexisset, di-
 cens: Nihil inuenio in eo causæ: nisi Ioannes affectati regni suspicionem ab opinio-
 ne Pilati auertisse CHRIS TV M recitaret, quum respondit: Regnum meum non
 est de hoc mundo.

† *At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum, docens per vniuer-*
 † *sam Iudæam, incipiens à Galilea vsque huc. Pilatus autem audiens*
 † *Galileam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de*
 † *Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosoly-*
 † *mis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde. E-*
 † *rat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audiret mul-*
 † *ta de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat*
 † *autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. † Stabant au-* † *Mat. 26. f.*
 † *tem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit* † *Marc. 14. f.*

autem illum Herodes cum exercitu suo, & illiuit, indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die. Nam antea inimici erant ad inuicem.

Itaque cum hoc quoque Pilatum nihili ducere Pharisei vidissent, nouum crimen intentant, nempe quod doctrinis suis & prædicationibus monopoliâ faciens, populum concitauerit à Galilæa vsque Ierosolyman. Quod & fecisse alios legimus. At Pilatus audiens CHRIS TVM Galilæum esse, non quidem ortu, sed educatione, ideoque de Herodis potestate & Tetrarchia, ad Herodem eum remittit. Erat autem hic Herodes Ioannis baptistæ interfecto, qui & Antipa dictus est, magni Herodis Aschalonitæ infanticidæ filius, Galilææ Tetrarcha, qui post illud CHRIS TVM, ad perpetuum exilium iussu Caligulæ Imperatoris Lugdunum deputatus est. Ad hunc ergo, quod de eius Tetrarchia esset, iudicandum CHRIS TVM misit Pilatus, ne iudicare ipse innocentem Phariseorum importunitate cogere. Herodes autem cum multa curiosè à CHRIS TO sciscitatus esset, nihil autem ille respondisset, neque accusantibus scribis & Phariseis, tanquam fatuum illudum veste alba indutum remisit. Quod autem ait interpres: Spreuit eum cum exercitu suo, siue vt Græca habent, cum exercitibus suis: dupliciter sumi potest, vt ἀντίον referri potest ad τὸ ἀντίον, scilicet CHRIS TVM, vt CHRIS TI exercitus intelligatur custodia prætoria, quam dedit CHRIS TO Pilatus, vt eum deduceret ad Herodem, quem CHRIS TVM, similiter & exercitum ad deducendum eum Herodes illuferit. Quod si referatur ad Herodem, sensus est, quod Herodes simul & eius custodia militaris CHRIS TVM illuferit & spreuit. Erat autem hic Herodes inter reliquos Herodis filios nimis crudelis. Quod autem ait Lucas, amicos factos esse Pilatum & Herodem in illa die, innuit quod similitates quædam erant antea inter eos. Nam cum Herodes Galilææ Tetrarcha, Pilatus Iudææ procurator esset, vicinarum admodum regionum, non poterant non esse in exercendis iurisdictionibus similitates, & Pilatus paulo antè Galilæos quosdam tumultuantes inter sacrificandum occiderat, vnde inimicitia ortæ esse poterant inter Pilatum & eum. Rursus autem per Pilatum Herodis iurisdictione agnita, dum Galilæum CHRIS TVM ad eum remittit, reconciliatio inter eos facta est.

†^{Mat. 27. c.} Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, †^{Mat. 27. b.} nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisit vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam.

Ex his patet quanto Pilatus studio laborauit dimittere CHRIS TVM. Primò quod interrogans super accusationibus, nihil causæ inuenit: sed & tentans eum de manibus emittere, misit ad Herodem. Deinde confirmat nihil in eo dignum morte: & nihilominus tanquam reum castigare promittit. Vnde pro emendatum, Græcè est *καταδικάζω*, id est, cum castigauero: magisque hoc loco quadrasset castigatum, quàm emendatum: agitur enim de castigatione per verbera.

†^{Mat. 27. b.} Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam: qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homici-

& homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere illum. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Iesum verò tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, †^{Mat. 27. d.} apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi ^{Marc. 15. b.} crucem portare post Iesum.

Pilatus ex consuetudine antiqua, qua ex Aegypto liberati in Paschate, derogare noluit consuetudini tandiu obseruatæ. Ideo existimans liberare CHRIS TVM captiuum, qui eos ab Aegypto liberauerat, proposuit eis illum: quem renuerunt, eligentes pessimum totius vrbis grassatorem, CHRIS TVM crucifigi petentes. Tunc dimisit illis Barrabam flagitiosum, CHRIS TVM autem innoxium tradidit crucifigendum: non autem vt ipsi eum crucifigerent, sed vt potestate præsidis crucifigeretur. Et vt inquit August. illis traditum dicit Euangelista, vt eos crimine implicitos, à quo alieni esse conabantur, ostenderet. Cætera patent Matth. 27.

Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filie Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: †^{supr. 21. d.} Beate steriles, †^{Sap. 3. c.} & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, operite nos. Quia si in ^{Isa. 54. a.} viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet. ^{Gala. 4. d.} ^{Apoc. 6. d.} ^{9. b.} ^{Hosea 10. c.}

Cum CHRIS TVM turba mulierum, quæ ad lamentationem pronæ sunt, sequeretur, inter quas etiam erant Galilææ, solas Ierosolymitanas, mulieres non tam de morte sua flere iubet, quàm de propria sua suorúmque calamitate, quæ in quadragesimo primo post anno in obsidione Ierusalem illas manebat: in qua beatas prædicat steriles, quod filios suos in sinu suo trucidari, aut fame perire non viderent, imò neque eos præ fame deuorare cogentur: quodque tunc futura sit tanta ibi calamitas, vt montibus & collibus obrui cupiant super se cadentibus. Non ergo vetat simpliciter condolentiam naturalem & voluntariam super morte innocentis, sed magis vult illas flere, & attendere ab ea, quæ illas manet, ruina. Quod verò ait: Quia si in viridi ligno, siue humido, vt Græca habent, hæc faciunt, quid fiet in arido: metaphoricè autem alludit ad combustionem lignorum. Nam qui non parcat viridi ac viuido & fructifero ligno & arbori, sed illud excindit & comburit, indubiè non est sperandum, quod parsurus sit arido & mortuo: quasi dicat: si in me exercitus & prætor Romanorum tam crudeliter sæuit, qui tantum fructum orbi affero, nec parco labori, quid vobis fiet omni gratia destitutis, & veræ vitæ humore aridis, atque ad incendium tantum aptis.

Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. †^{Mat. 27. d.} Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum, & ^{Marc. 15. d.} ^{Ioan. 19. c.}

†23.9.1.ca. *latrones, unum à dextris, alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: † Pa-*
Paratus.
 †Mat. 27.f. *ter, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. † Diuidentes uero vesti-*
 Marc. 15.f. *menta eius, miserunt sortes. Et stabat populus expectans, & deridebant*
 Ioan. 19.e. *eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic*
est Christus dei electus. Illudebant autem ei & milites, accedentes, & ace-
tum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac.
Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis, & Latinis,
& Hebraicis: Hic est Rex Iudæorum.

Ducitur itaque cum maleficis ad supplicium, ut malefici quoque particeps putaretur:
 *Isa. 53.d. sed etiam cum maleficis suspensus est, iuxta Isaia vaticinium: * Et cum iniquis deputatus
 est. Ascendit autem nudus in crucem, ut qui seculum vincere cupit, seculi delicias non quaer-
 rat, qualis etiam primus Adam paradysum terrestrem ingressus. Brachia ad patrem exten-
 dit, ut ostenderet se omnia velle amplexari, & ad se trahere, ut dixit apud Ioannem: * Cum
 *Ioan. 12.e. exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Præter Matthæum autem recitat Lucas
 CHRIS TV N dixisse: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt: quod intelligi pu-
 tant de rudibus & idiotis gentilibus, legem & prophetas prorsus ignorantibus, dictum, qui
 dicebant CHRIS TV M verè condemnatum. Milites vestimenta eius inter se diuiserunt,
 ipse autem nihil eorum quæ in hoc seculo acquisierat, secum detulit, præter nudam hu-
 manitatem. Cætera Matth. 27.

Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens:
 Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos. Respondens autem al-
 ter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem dam-
 natione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic uero
 nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: † Domine, memento mei, dum
 †26.9.6.ca. *ueneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie*
 no. si presb. *ueneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie*
 De penit. *di. 7. Nullus mecum eris in paradiso.*
 De cõsec. di. *De cõsec. di.*

Quod alterum ex latronibus tantum CHRIS TO conuictatum esse Lucas recitat,
 4. Baptismi *Matthæus & Marcus in plurali latrones, non propterea inuicem dissentiunt. Nam frequens*
 Vicem. *est in scripturis, synecdochicis pluralem numerum usurpare pro singulari, & contra. La-*
tro autem iste conuersus uerè pœnitentium typus est, ac uera spes eorum: qui boni nihil
agnoscens in se, totusque à CHRIS TO pendens, ac planè in eo confidens, & culpæ exors
factus est, & penè tanta scilicet uitæ suæ displicentia tanta CHRIS TV M apprehendit
fiducia. CHRIS TO enim credit, ipsumque confitetur, ac testis est innocentiae CHRIS
TI, increpat maledicum socium, nec sibi parcat, qui accusator est sui. Aliis blasphemantibus
& negantibus CHRIS TV M, hic non erubescit eum cõfiteri, quem ex inuidia, non
ex merito nouerat crucifigi. Quid humiliter orare potuisset, quam quod sui memor esset.
Plurima itaque pietatis insignia hic latro complectitur. Fide credit, & illuminatur: timore
subditur, compunctione mollitur, pœnitentia concutitur, confessione purgatur, dile-
ctione dilatatur, prædicatione & correptione socij zelatur, confidentia sperat, oratione
exauditur & impetrat. Ideo iudicis sententiam audit: Hodie mecum eris in paradiso.
De hoc latrone, & de uerbis domini in cruce, uide elegantem tractatum, & uerè
pium Arnoldi Abbatis Boneuallis.

†Mat. 27.f. *† Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in uniuersam terram,*
 Marc. 15.e. *usque in horam nonam. Et obscuratus est sol, & uelum templi scissum est*
 Ioan. 19.e. *medium.*

medium. Et clamans uoce magna Iesus, ait: Pater, † In manus tuas com-
 †Psal. 30.a *mendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.*

Hora sexta, quæ nostra est meridiana, cum horas ab ortu solis numerare soliti sint, solis
 eclipsis contra naturam facta est per tres horas. Sole enim existente in medio cœli, luna dia-
 metraliter opposita, subito soli occurrit, supponitur illi, ac eius radios, ne ad terram perue-
 niant, prorsus impedit, ut nec eius appareret locus in cœlo, iuxta dicta prophetarum Ierem.
 15. * Occubuit sol, cum media adhuc esset dies. Amos 8. * Occumbet sol in meridie, & *Iere. 15.
 contenebrabitur super terram in die lux. Retraxit enim sol radios, ne aut pendentem do- *Amos. 8.
 minium uideret. Quam etiam eclipsim ferunt Dionysium Areopagitam apud Thebas
 cum Apollophane uidisse, qui hæc apud Mantuanum refert:

Vi mihi nescio qua uocemque animumque mouente,
 Credite clamaui, luxato machina mundo.
 Vel ruet hæc ingens, atque in chaos acta recedet
 Ex oculis, aut ipse opifex qui condidit illam,
 Nunc patitur, magnaq; gemens sub mole fatiscit.

Tribus autem horis exactis luna ad locum suum reuertitur, & tunc sol loco suo apparet.
 Præter Matthæum Lucas CHRIS TV M recitat dixisse: Pater, in manus tuas commendo
 spiritum meum. Vbi pro commendo, Græcè est, παραθήσομαι, id est, commendabo. Est au-
 tem παραθήσω, ueluti depositum seruandum alicui committere, & credere ad tempus. Ita &
 CHRIS TV S interim dum triduum elaboratur, spiritum suum in manus patris commen-
 dabat, ueluti seruandum, ac postea resumendum: prout ipse dixit: Potestatem habeo ponendi
 animam meam, & iterum sumendi eam.

†Uidens autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: †
 Marc. 15.d. *Uerè hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad*
spectaculum istud, & uidebant quæ fiebant, percutientes pectora sua, re-
uertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres, quæ eum
secutæ erant à Galilea, hæc uidentes.

Centurio etiam dux militum Pilati, qui crucifixerunt eum, iam Dei filium, quem cruci-
 fixerat, confitetur, omnèsque astantes spectaculis, fatentur Dei filium, quem Iudæi lapidibus
 duriores blasphemant & detestantur. O duriora saxis Iudæorum pectora. Finduntur petrae,
 sed horum corda durantur. Iudex arguit, credit minister, proditor scelus suum uoluntaria
 morte condemnat: elementa fugiunt, terra concutitur, sol occultat lumen suum, monumen-
 ta referantur, Iudæorum tamen immobilis duritia orbe concusso manet.

†Et ecce uir nomine Ioseph, qui erat decurio, uir bonus & iustus, hic non
 †Mat. 27.g. *consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui*
 Marc. 15.d. *expectabat & ipse regnum Dei. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus*
 Ioan. 19.g. *Iesu, & depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in*
quo nondum quisquam positus fuerat.

Ioseph, inquit Aug. fiducia dignitatis, qua præditus erat, familiariter intrauit ad Pilatum,
 iam minus curans de Iudæis, quanuis autem in audiendo domino deuitaret inimicitias eo-
 rum, quia senator eorum erat, ut Marci. 15. diximus. Decuriæ enim siue classes, membra
 sunt curiæ pallamentæ, cuius magistratus dicuntur decuriones siue cõsultores. Et talis erat
 ille Ioseph, utique & bonus & iustus, & CHRIS TI discipulus, occultus tamen propter
 metum Iudæorum, eo quod expectaret regnum Dei, & credebatur illi. Impetravit igitur quod
 petiuit, corpus Iesu, & illud inuolutum sindone sepeliuit in monumento nouo, in quo non-
 dum quisquam positus fuerat, ne resurgente domino ueniret in controuersiam, utrum hic,

an alius resurrexisset: sive ut ait Aug. Sicut in utero Marię nemo ante ipsum, nec post ipsum conceptus est, ita in hoc monumento nemo ante ipsum, nec post ipsum sepultus est.

Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat. Subsecuta autem mulieres, quę cum eo venerant de Galilea, viderunt monumentum, & quem admodum positum erat corpus eius. Et revertentes, parauerunt aromata, & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

Parasceue Gręca vox est: παρασκευή enim præparationem significat. Et in scripturis sanctis ponitur pro die præcedente magnum sabbatum, qua die iubebantur præparare necessaria ad esum agni Paschalis. Ea dies est quę apud nos dicitur dies Veneris sancta. Nam die Iouis comedit agnū, & traditus est dominus, die verò Veneris crucifixus est, & die Sabbati requieuit in sepulchro. Quod verò de mulieribus parantibus aromata ait, vide Matt. 28.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Mulieres cum aromatibus sepulchrum visitantes, & ab angelis eum viuere audientes, discipulis nunciauerunt, qui & ipsi non crediderunt, ex quibus ipse Petrus visitans, nil prorsus inuenit, nisi lintheamina. Sub vespera autem duobus euntibus in Emaus se sociat, & se undecim manifestat, cum illis manducans, & tandem ipsis cernentibus in cælum ascendit.

† Matt. 28. a.
Marc. 16. a.
Ioan. 20. a.



† *Na autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quę parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressę, non inuenerunt corpus domini Iesu. Et factum est dum mente consternata essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in*

veste fulgenti. † Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid queritis viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualia locutus est vobis, cum adhuc in Galilea esset, dicens: † Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. † Et recordatę sunt verborum eius. Et regressę à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, & ceterę quę cum eis erant, quę dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis. Petrus autem surgens, cucurrit ad monumentum, & procumbens, vidit lintheamina sola posita, & abiit, secum mirans quod factum fuerat.

Prouiderant sibi mulieres aromata in die parasceues, ad corpus CHRISTI post diem festum vngendum. Itaque venerunt vna sabbati, Gręcę est, σαββατων, id est, sabbatorū, hoc est prima die sequente magnum sabbatum, quę apud nos est dominica. Sed ab angelis audierunt: Quid queritis viuentem cum mortuis? Vide gratiosa verba angelorum, nec eas terrentia, sed certissimam fidem de CHRISTI resurrectione facientia. Nolite inquirunt, inter mortuos eum querere, qui iam cum viuus regnat. In quibus docemur, non temerę factum, sed

atum, sed diuina prouidentia, ut ægrę crederent discipuli, quo magis veritas firmaretur. Cetera Matth. 28.

† *Et ecce duo ex illis ibant illa die in castellum, quod erat spacio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quę acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quę facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quę? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens opere & sermone coram Deo & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Et nunc super omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt.*

Nota est duorum discipulorum proficiscentium illa die resurrectionis Emmauntem historia. Videndum est quid sit Emmaus, quę vulgariter dicitur Emaus. Castrum pridem erat insigne inter Ioppe & Ierusalem, distans ab illa 7. mil. & semis, quę & Ammaus à Iosepho dicitur, cuius si quis inquit nomen interpretetur, aquę calidę vocantur, ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporum vitiis idoneus. Exustum est hoc castrum à Romanis, durante Ierolymitana obsidione. Postea verò instaurata vrbs loco eius dicta est Nicopolis: nunc diruta paruo extante ædificio. Quid autem fabularentur, nisi quę facta fuerant circa magistrum, puta de suppliciis tanti viri, de cruce, de mirabilibus signis in morte eius, de sepultura eius cum modicis exequiis: sed contrā inquirebant, quę de ipso scriptę erant, prophetias. Et hæc loquentibus CHRISVS præsens adest socius, alia tamen specie, ne statim agnosceretur. De se ergo loquentibus suam exhibet præsentiam, dubitantibus verò suę cognitionis aufert speciem. De quibus videas Aug. ad Paulinum.

Sed & mulieres quędam ex nostris terruerunt nos, quę ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt.

Gręca sic habent, ἀλλὰ καὶ γυναικὲς τινὲς ἐξ ἡμῶν ἐξέστησαν ἡμᾶς, vbi verbum Gręcum ἐξέστησαν, ἀπὸ τοῦ ἐξέστημι est, quod hoc loco significat τὸ ἐκπλήττω, καὶ εἰς γαῖμα ἐνάγω, id est, mente moueo & alieno. Præterea τὸ ἐξ ἡμῶν vertendum est à nobis, non ex nostris, neque ex nobis, ut referatur non ad τὸ γυναικὲς, & sit sensus: mulieres quędam nostrę sodalitatıs: sed ad τὸ ἐξέστησαν, vt sit sensus: ἐξέστησαν ἡμᾶς ἐξ ἡμῶν, id est, alienauerunt nos à nobis, siue de statu mentis nos deiecerunt, hoc est, nos ad timorem vsque perculerunt. Budęus in commentariis ampliora de his verbis scripsit.

Et dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quę locuti sunt propheta. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moysē, & omnibus prophetis, interpretabatur

illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant, & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduersperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euauit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Quod surrexit dominus uerè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in uia: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Vocat meritò stultos, qui cum scripturas inter se narrarent, eas tanquam fabulas ducebant, sed nec mulieribus nec discipulis crediderant: tardos uerò, qui nec Moyfi scripturis, neque prophetarum, quas totiens audierant exponi, quòd scilicet per varias tribulationes intraturus erat gloriam suam, quas Moyfes & propheta locuti fuerant. Quis itaque se tutè Christianum esse gloriatur, qui sine passionibus & tribulationibus gloriam post CHRISTVM intrare desyderat? Cùm igitur longius proficisci simularet, coegerunt illum manere secum. At cùm uiderent assuetam panis benedictionem, agnouerunt eum: sed statim à conspectu euauit eorum, ut subito ad cæteros reuerterentur condiscipulos: quod & fecerunt.

† Matt. 28. g
 Marc. 16. c
 Ioan. 20. c

† Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis: Pax uobis, ego sum, nolite timere. Conturbati uerò & conterriti, existimabant se spiritum uidere. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendant in corda uestra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos, cùm adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moyfi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.

Nimirum de Deo & CHRISTO loquentibus adesse solet præfens ipse pacificus CHRISTVS. Quòd uerò præsentia CHRISTI conturbantur Apostoli, & existimant se spiritum uidere, Ioannes causam 20. cap. asserit: quia scilicet CHRISTVS intrasset ianuis clausis, ipsi uerò vim corporis glorificati ignorabant. Ideo spiritum se uidere putabant in forma CHRISTI apparentem. Ad confirmandum autem eos, palpandum se illis exhibuit, ut contrectatis carne & ossibus, iam tum crederent uerum esse corpus. Porro & alio argumento confirmat, cùm reuera manducauit. At piè sentiendum est, quia post resurrectionem domini, cibi quos sumpsit, nullum ei saginæ adiumentum præbuerunt, sed quomodo in ignem missa aqua absumentur, ita mox comesti cibi spirituali eius uirtute sunt absorpti. Porro non indiguit cibo post resurrectionem, sicut nec nos indigebimus, sed ve-

ram

ram vitam uoluit ostendere, non imaginariam, quandoquidem uisus est, tactus est, manducauit, scripturas proposuit, & exposuit.

Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & predicare in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierolyma. Vos autem testes estis horum. † Et ego mittam promissum patris mei in uos. Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini uirtute ex alto. † Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.

Probata satis suæ resurrectionis & corporis ueritate, iam Ecclesiæ pacem & unitatem curare præcipit, non solùm Iudæis, sed & Gentibus, incipiendo tamen ab Ierolymis, usque ad terminos terræ. Cùm autem dicit: Incipientibus ab Ierolyma, Græcè est, ἀρχαίων ἀπὸ ἱερουσαλήμ. Aut enim interpres legit ἀρχαίων, id est, incipientibus, ut sit sensus: Oportebat prædicari uobis incipientibus ab Ierusalem: aut ἀρχαίων accusatiuus est absolutus, Atticè sumptus pro genitiuo. Quod autem sequitur: Ego mittam promissum patris mei: promissum hic neutrum est substantiuum, non participium, idem significans quod promissionem. Nam Græcè est ἐπαγγελίαν, id est, promissionem, de qua Act. primo: Præcepit eis ab Ierolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris. Finem igitur suæ peregrinationi impositurus, eduxit eos in Bethaniam, & benedicens illis, ascendit in cœlum. De qua ascensione per amplius in Actibus Apostolicis dicturi sumus.

FINIS Annotationum in Lucam.

INCIPIT EUANGELIUM SE-
CUNDUM IOANNEM.

Cum CHRISTI natiuitatem sufficienter asseruissent Matthæus & Lucas, pauca de diuinitate attigissent, quam oppugnare iam cœperant Carpocrates, Cherinthus, & Hebion hæretici: ad eam plenius asserendam Euangelium scribere Ioannes adorsus est. In quo consilium illi fuit non tam acta CHRISTI & miracula, quàm diuina eius dogmata, & salutarem prædicationem mundo aperire.

CAPVT PRIMVM.

CHRISTVS ab aeterno Deus, de Deo ex tempore caro factus, Ioannis
baptista testimonio perhibetur: baptizatus autem à Ioanne,
paucos vocat discipulos.



In principio erat Verbum.

Ab initio filij nomen tacere voluit, ne Iudæos, qui patrem tantum nouerant, filijque nomen in diuinitate oderant, statim ab Euangelij sui lectione arceret. Nam tertio cap. & sequentibus frequenter filij nomen repetit: tum etiam ne quid filij nomine carnale intelligerent. Verbum igitur illum Latinè appellat, & Græcè λόγος. Græcis enim orthodoxis

λόγος Dei filius dicitur, melius & significantius, quàm Latinis verbum aut sermo. At qua ratione sermo Dei filium significet, non video, nisi qui Latinam linguam, & uocum ignorant ortum. Non dubitandum est, quin sermo à serendo, quòd sit quidam uocum vel syllabarum aut literarum contextus & ordo, qui solum in uoce reperitur. Verbum autem propriè mentis conceptus est, à uero seu ueritate dictus. Vnde Damasce. lib. 1. ca. 18. fidei orthodoxæ, dicit tripliciter dici uerbum: primum quidem inquit, naturale mentis est germen, ex ipsa naturaliter semper scaturiens: secundum est internum: tertium uero prolatum. Primum itaque uerbum, est naturalis & propria functio, operatioque intellectus, ab ipso naturaliter prodiens: ut uisio ab oculo. Secundum uero, interna mentis locutio, qua ex rerum apprehensione mens ipsa fabricat, & inde componit & diuidit res inter se, unde uerum vel falsum contingit: & hoc propriissimè uerbum dicitur. Tertium uero, exterior uocis prolatio, interioris conceptus enunciatina, ut habet Aristot. 1. περὶ ἑρμηνείας: & hoc tertium solum potest dici sermo, quomodo uerbum diuinum rectè dici non potest, quòd à suo fonte nunquam separari potest. Quòd autem λόγος dicatur, non mirum est quòd λόγος significet uerbum, rationem, mentem, orationem, sermonem, modum, supputationem, & librum. Verum quòd dicatur sermo, uel oratio, & sic de aliis, nimium abest à uero. Plato certè & Hermes trismegistus Deum dei que filium λόγον nominant, ut iudicare possunt, qui eorum libros legerunt. Verbum autem siue λόγος dicitur, quòd quemadmodum λόγος τῆς ψυχῆς, & uerbum mentis conceptum diiudicat, ita CHRISTVS Dei patris uerbum semper patri substantialiter coassistens, & naturalis mentis motio, secundum quam mouetur, intelligit & cogitat, uelut lex ipse existens atque splendor: sed & nuncius intelligentiæ eius, quomodo patris conceptionem, & uoluntatem eius nobis indicat, ut ipse testatur Ioan. 13. Quæcunque audiui à patre meo, nota feci uobis. Quidam autem interpretantur in principio, id est, in patre. At simplicior est sensus, si dicamus in principio, siue quòd ante omnia creata erat. Quo conuincitur eorum hæresis, qui negant ante Mariam CHRISTVM fuisse. Non est autem ociosum, quòd dictioni λόγος additur emphaticus articulus ὁ, ut non de quouis uerbo, sed de increato illo & aeterno, Dei scilicet filio intelligamus.

Et uerbum erat apud Deum.

Id est, uerbum illud, quòd à principio & semper erat apud Deum patrem, siue cum Deo patre

patre erat indiuisus ab illo. At cum ait: Erat apud Deum, patrem scilicet, distinctionem indicat personæ atque hypostaseos patris cum uerbo. In quo Sabbellij error conuincitur, unicam personam patris & uerbi facientis.

Et Deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud Deum.

Hic suppositum uerbi erat, est uerbum, & non Deus, ut sit sensus: Et uerbum illud quòd ab initio & ante omnia erat, & apud Deum patrem erat, Deus etiam erat. In quo conuincitur Arius, asserens Dei uerbum & filium creaturam esse. Quòd uero subdit: Hoc erat in principio apud Deum, non est ociosa repetitio. Sed cum dixisset ab initio & ante omnia uerbum illud fuisse, & apud Deum fuisse, ne forsan suspicareris, etsi aeternum erat, diuisum tamen aliquando à patre fuisse, quando apud eum aut cum eo non fuisset, subdidit: Hoc erat in principio apud Deum. Nota autem his locis, quòd Græcæ dictioni λόγος, id est, uerbum, semper præponitur articulus, qui indicat non de quouis, sed de certo, nempe Dei uerbo, Euangelistam loqui. In dictione autem Deum, quæ bis ponitur, additur Græcus articulus τὸν θεόν, non quòd significet summum aliquem Deum, ut putat Caietanus (neque enim uerus potest esse Deus, nisi summus) sed certam personam indicat, quæ Deus esset, nempe patrem, apud quem & cum quo semper erat Deus uerbum. Cum autem dicitur: Et Deus erat uerbum, dictioni Deus non additur articulus, ne si dixisset ὁ θεός, uideretur dicere uerbum Deum illum esse, apud quem semper erat, patrem nempe: sicut personas tantum nomine distingui quidam putarunt.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Ob diuersam punctuationem diuersa est huius loci intelligentia. Græci ita legunt: Et sine ipso factum est nihil quòd factum est, id est, nihil eorum quæ facta sunt, sine uerbo facta sunt. Eoque modo legendo excluditur eorum error, qui asserere possent spiritum sanctum creaturam esse, eo quòd si per eum omnia facta sunt, & spiritus sanctus factus est. Ideoque ait: Nihil quòd factum est, id sine ipso factum est. Mirè hic suo modo ludit ac philosophatur Caietanus, legendum putans ex Græco: & sine ipso factum est neque unum quòd factum est, quia Græcè sit ὁὐδὲ ἓν, quasi uero ὁὐδὲν & ὁὐδὲ ἓν non pro eodem accipiantur. Ex quo cõtextu ait: Clare apparet cessare omnes difficultates, quæ sũt circa punctuationem seu terminationem sententiæ. Ecce inquit, quanti refert interpretari ad uerbum, & interpretari iuxta interpretis intellectum. Valeant ergo omnes qui ante Caietanum sacra interpretati sunt: eum unum adoremus & sequamur, qui solus uerum interpretis intellectum tenuit, nobisq; sacra ad uerbum interpretatus est. Faceat Horatius ille qui dicebat: Nec reddere uerbum uerbo curabit bonus interpret. Vides amice lector, quòd procedat ignorantis hominis stulta de se persuasio. Quis ita unquam locutus est: Et sine ipso factum est neque unum quòd factum est? quomodo sanè cum Caietano legere oportet, ad uerbum reddere, hoc est, sensum ridiculum facere uolentem. An non omnis scrupus soluitur, si punctum cum Græcis facias? Nolim autem putes me censere imperitum fuisse rerum Caietanum, quem scio & agnosco summum fuisse inter theologos nostræ ætatis scholasticum: sed in interpretandis sacris, præsertim quæ ex Hebræarum & Græcarum literarum lectione pendent, quarum prorsus ignarus fuit, ob id multo quàm par erat audentior, plus æquo sibi suisque interpretationibus tribuit. Sed ad rem.

Quod factum est in ipso uita erat.

Qui punctum faciunt præcedentis clausulæ ante hanc sententiã, ita eam interpretantur: Quòd factum est in ipso, uita erat. In Deo tanquam uerissima rerum idea creaturæ omnes erant ueriores multò essentia, quàm in se ipsis unquam fuerint: quia quicquid in Deo est, fuit uel unquam, ipsissima Dei essentia est. ergo & uita. Faciendũ autem punctum ante, in ipso uita erat, sensus est: Quòd in uerbo uita erat, & fons uitæ omnium. Et quemadmodum Ioannis quinto dicitur: Sicut pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio uitam habere

* Act. 17. fin semetipso. Et vt Paulus ait Act. 17. * In ipso viuimus, mouemur, & fumus. Et hic τὸ in ipso, plus significat quàm per ipsum, vt eo loco Act. 17. citato à Paulo: in ipso enim viuimus, mouemur, & fumus. Non enim alio modo significatur, quòd per ipsum viuimus, sed quòd nostræ omnium vitæ fons & ratio in ipso est, ac subsistit.

Et vita erat lux hominum.

Græcè, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, id est, & vita illa, nimirum Dei verbum: qui dicit Ioan. 14. * Ego sum via, veritas, & vita: erat lux hominum, id est, non modò hominibus vitam præstabat, sed & Dei cognitione, rationisque lumine cunctos illustrabat.

Et lux in tenebris lucet.

Id est, Dei verbum filiis tenebris, qui propter errorum caliginem tenebræ dicuntur, & collati ad veram illam lucem, nihil nisi tenebræ sunt, Dei lucem ac cognitionem vel ex ipso mundi opificio sufficienter adfert. Nam vt inquit Paulus: * Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Tenebræ verò, id est, tenebricosi homines, affectatæ ignorantiae & malitiæ excæcati tenebris, Dei cognitionem, veramque illam lucem, Dei verbum & filium, non comprehenderunt, id est, cognitione affectuti non sunt. Nam Græcè est κατέλαβον, quod interpres longè melius vertit comprehenderunt, quàm Erasmus, & eum secutus Caietanus, apprehenderunt. Nam & ita interpretatur Cyrillus. Significat enim καταλαμβάνω assequi & compertum habere, seu intelligere, quod & comprehendere Cicero dicit. Obscurum enim est, & multæ lucis indigens, quod hic philosophatur Caietanus, nempe per tenebras res sensibiles intelligens, quæ non comprehenderunt lucem illam: quia inquit, non attingunt ad ordinem intelligibilem. Certè simplicius mihi videtur, si intelligamus, quòd vera hominum lux & vita, Dei verbum, lucebat quidem inter tenebras, illòque naturalis rationis lumine illustrabat, per quam ad Dei notitiam peruenire potuissent, sed ignorantia sua ac malitia excæcati, non agnouerunt. Ideòque opus alio fuit, qui lucem hanc illis indicaret, ac rudibus & carnalibus demonstraret. Ideòque consequenter ait:

Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.

* Malac. 3. a Hominem dicit, non angelum, ne quis ob prophetiam Malachiæ, dicentis: * Ecce ego mitto angelum meum ante te: hominem putet non fuisse. hominem ergo asserit fuisse, venissequè vt testimonium perhiberet de lumine, id est, vt mundo testaretur, Dei filium & C H R I S T V M veram esse lucem, vt omnes crederent per illum, id est, vt omnes in veram illam lucem Ioannis testimonio crederent. Non enim probo hîc quod Faber per ipsum, Græcè αὐτὸν, refert ad τὸ φῶς, ἢ τὸ λόγῳ, quòd scilicet Ioannes venerit, vt testimonium de vero illo lumine præberet, vt omnes crederent per ipsum, hoc est per ipsum lumen seu Dei verbum. Per eam igitur (inquit Faber) lucem, ipsumque Dei verbum omnes credere debebant, non per Ioannem: quia Ioannes fidem non dedit. At mihi non intellexisse videtur Faber hîc τὸ per non efficientem causam dicere, sed ministerialem: quemadmodum & Ioannis 4. dicitur, quòd multi Samaritanorum crediderunt propter verbum mulieris testimonium perhibentis: ita & nunc dicit Euangelista, vt crederent per illum, id est, per eius prædicationem. Et sic Nonnus Græcus paraphrastes Ioannis interpretatur, cuius in hunc locum paraphrasim, quòd propria admodum & elegans visa esset, placuit ascribere.

μελισσοβότῳ αὐτὸ ἐνὶ λόγῳ
ἔσμε τις ἀρεσίφοιτος ἐρήμαδος ἀστὸς ἐρίπικς,
κῆρυξ ἀρχηγὸς βαπτίσματος. ὄνομα δὲ αὐτοῦ
θεὸς Ἰωάννης, λαοσῶος, οὗτος ἐπέση
ἀγγελος ἐμπροσθέντος, ὅπως περὶ φωτὸς ἐνὶ
μαρτυρίῳ, ἵνα πάντες ἐνὸς κήρυκος ἰωῆ
ἐρῶν πίστιν ἔχοντες, ἀτέρμονα, μητέρα κόσμου.

Quam in hunc modum verti:

Mellisiferis autem Iudææ in saltibus oræ,
Montiuagus quidam, desertæque incola rupis,
Errabat primi præco baptismatis (illi
Nomen Ioannes) perituræ millia gentis,
Qui vita egregia, monitisque salubribus olim
Seruaret: verbi tunc nuntius ille futuri
Missus erat, vero verax de lumine testis,
Crederet vt populus præconis voce, fidemque
Altricem mundi rectam atque interminam haberet.

Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. † Erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. † 21. dist. ca. Cleros.

Quia in magna vulgi & Phariseorum opinione erat Ioannes, vel ob C H R I S T I testimonium, qui dixerat: Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: dicit Euangelista: Non erat ille lux, sed lucis testimonium. Græcè autem est, οὐκ ἦν ἐνέως τὸ φῶς, id est, non erat ille Ioannes lux illa, nempe Dei verbum. Et quoniam de Apostolis, quibus maior est Ioannes, dictum est Matth. 5. * Vos estis lux mundi, ostendit quomodo intelligi debeat, † Mat. 5. b dicens: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. quasi dicat: Non erat Ioannes lux illa de qua loquor, sed lucis ipsius testis, quæ ab æterno lux vera erat, natura scilicet, & essentia sua: cum baptista & cæteri viri probi, si lux dicantur, intelligi oportet lucem illos esse non verè & essentialiter, sed participatiuè. Lux enim vera & essentialis solus est C H R I S T V S, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, lumine rationis & intelligentiæ ac gratiæ, siquidem accipere velint, & oculos non claudere: alioqui non stat per C H R I S T V M, quominus omnes illuminentur, qui stat ad ostium nostrum, & pulsat, vt aperto mentis ostio lux ingrediatur. Pro quo autem interpres habet venientem, Græcè est, ἐρχόμενον, quod potest esse recti casus neutri generis, & substantium eius est τὸ φῶς: tunc sensus esset: quæ lux veniens in hunc mundum illuminat omnem hominem. Potest & esse accusatiui casus masculini generis, & tunc refertur ad τὸν ἀνθρώπων, id est, hominem, & sic est sensus: illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id est, nascentem. Phrasis est Hebraica. Et hæc verior lectio.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

Hic duobus primis locis mundi nomine μακροκόσμου intelligere debemus, ipsam scilicet rerum vniuersitatem. Bene autem erat Dei verbum in mundo, qui nusquam non est, semper vbique præsens, & omnia replens. Tertio autem loco, cum ait: Et mundus eum non cognouit, de μακροκόμῳ intelligit, scilicet de hominibus, præsertim mundo additis, & carnalibus, quos mundi nomine appellare solet scriptura.

In propria venit, & sui eum non receperunt. † Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, † qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. † De panit. dist. 4. ca. Cleros. † De consecr. dist. 4. si quis au-

Id est, in hæreditatem propriam, ac sibi familiarem gentem, scilicet Iudaicam: cum ex ea gente carnem assumere dignatus esset. Et sui eum non receperunt, id est, sibi affines & congeneres Iudæi. At ne putares nullos planè eum recepisse, subdit: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Non ait fecit, sed potestatem dedit vt fierent, siquidem credere vellent: ostendens opus esse ad Dei in nos beneficentiam nostræ

voluntatis cooperatione, quæ vltro oblatam Dei gratiam recipiat, & fide illam apprehendat, vt scilicet qui eramus natura filij iræ & diaboli, fide efficiamur filij Dei ac gratiæ. Ne verò putares carnale aliquod filiationis genus, subiungit: Qui non ex sanguinibus, id est, ex spermatum commixtione, quæ ex purissimis sanguinibus concoctis fiunt, naturali generationis modo, neque ex voluntate carnis & viri, hoc est viri & mulieris (sic enim carnem interpretatur Augustinus) sed ex Deo nati sunt.

† Matt. I. c.
Luc. 2. d

† *Et verbum caro factum est.*

Carnem & animam synecdochicis pro toto homine sumere frequens est Hebræis, vt illud Psalmi quinquagesimi quinti: Non timebo quid faciat mihi caro. Et Luc. 3. Videbit omnis caro salutare Dei. Sic hoc loco verbum caro, id est, homo, factum est, & habitauit in nobis, Græcè ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, id est, habuit inter nos tabernaculum, fuit in contubernio nobiscum. Hominem igitur totum modò animæ, modò carnis nómine Hebræi appellant. Bene autem ait factum est, & non mutatum est, vt diuinum verbum in Dei substantia manens nulla sui facta mutatione aut diminutione hominem factum intelligas. At solam Euangelista carnem nominat, quòd caro anima substantiali carens, æquiuocè dicitur caro. Solam igitur carnem nominans, vtunque, carnem inquam, & animam rationalem dicit. Quòd si carnem anima rationali formatam non assumpsisset, non vtique hominem redemisset. Verum quòd solius carnis meminit, ea præcipua ratio fuit, ne diceretur solam animam sibi confirmiorem cum aereo corpore assumpsisse: ideo carnis tanquam à Deo valde distantis meminit, quam ex sua maxima bonitate non sine anima rationali assumpsit. Vel etiam vt ostenderet veram vnionem verbi cum humana natura in vnitate hypostatica, cum vnatur nobis aliàs vnitate gratiæ, quo ad solam animam, propterea carnis meminit: atque etiam quia caro præcipuè infirma erat, cui congrua erat vnio, ad veram totius humanæ naturæ reparationem. Non tamen dixit verbum carnem assumpsisse, sicut verbum carnem factum esse, vt tolleretur à CHRISTO duas personas, & duas filiationes, quemadmodum volebat Nestorius. Verbum igitur caro est factum, nò tamen est factum, sicut filius Dei factus est homo, nò tamen factus. Modum verò vnionis explicat Damascē. lib. 3. cap. 11. dicens: Natura aut sola cogitatione contemplatur, nam secundum se ipsam non subsistit: aut communiter in omnibus eiusdem speciei hypostasibus, quas coniungit. Et dicitur in specie considerata natura, aut vniuersalis: & ipsa in acceptione accidentium in vna hypostasi dicitur in indiuiduo considerata. Deus igitur verbum incarnatum neque sola cogitatione contemplatam naturam assumpsit (nam non hoc incarnatio, sed deceptio & figmentum incarnationis) neque in specie considerata, quandoquidem non omnes hypostases assumpsit: sed in indiuiduo considerata, & in eadem existentem specie. Vnio igitur filij Dei ad naturam humanam facta est in persona, non natura. In Deo igitur CHRISTO inquit Damascē. duas cognoscimus naturas, vnicam verò hypostasim.

Et habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.

Hoc est, inter nos degit & conuersatus est, Græcè ἐσκήνωσεν, hoc est, tabernaculum posuit inter nos. Duæ ergo sunt naturæ, & tabernaculum vnum, id est, nostra natura assumpta: huius autem tabernaculi inhabitator est Deus. Et vidimus gloriam eius, &c. vbi plenum, refertur ad verbum, sicut πλήρης Græcum, ad λόγος, vt sit sensus, legendo per parenthesis, & vidimus. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, cuius gloriam tanquam vnigeniti à patre, vidimus, plenum gratiæ & veritatis. Quia tantæ deiectionis verbi meminerat, vt se hominem Deus facere dignaretur, vt participio sui homo Deus efficeretur, ne abiectum omnino putares, & diuinitate spoliatum: Et vidimus inquit, gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, in monte Tabor, transfigurationis tempore: cuius testes fuerunt & spectatores, Petrus, Iacobus & Ioannes, & alibi post resurrectionem. Quòd verò ait: Quasi vnigeniti, non est accipiendum, vt quasi sit similitudinis nota, sed vt ait Theophylactus, confirmationis, & indubitatae

indubitatae determinationis, vt sit sensus: Vidimus gloriam eius, qualem decet esse gloriam vnigeniti à patre. Porro & ne abiectum quemuis hominem putares, dixit: & habitauit illud verbum in nobis, plenum gratiæ & veritatis. Nam Græci omnes & Latini ad verbum referunt melius, quam Caietanus ad Ioannem. Quòd enim τὸ πλήρης χάριτος ad τὸ λόγος refertur, non ad sequentia Ioannis μαρτυρεῖ, vt sit sensus: plenus gratiæ & veritatis Ioannes testatur, quemadmodum falsò comminiscitur, & pulchrum se commentum inuenisse gloriatur Caietanus. Quòd enim τὸ plenum gratiæ & veritatis ad Dei verbum, & non ad Ioannem referri debeat, docent paulo post sequentia: & de plenitudine eius nos omnes accepimus: de plenitudine inquam, id est, abundantia gratiæ, quæ erat in CHRISTO, non quæ erat in Ioanne. Nam à solo CHRISTO gratiam accepimus.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.

Budæus in commenta. annotat τὸ ἢ ἀπὸ τῆ ἑστῆ, sumi sicut pluralia præterita imperfecta. Sensus ergo potest esse: Hic est quem siue de quo dicebam vobis. Nam ἕως Græcè indifferens est, ad præteritum imperfectum, & aoristum, & videtur magis quadrare ad præteritum imperfectum, quia paulo antè id testimonij de CHRISTO ferebat Ioannes, dicens: Qui post me venturus est, ante me factus est. Qui post me venturus est, ad annuncian- dum scilicet vobis regnum cælorum, ante me factus est, id est, in omnibus rebus me ipso prior est ac superior, & antepositus est mihi in prædicatione, dignior me factus autoritate, quasi dicat: licet ante cum natus essem, & ante eum prædicarem, factus est tamen me dignior, & maioris autoritatis me præstat excellentia. Sic enim Græci interpretantur, vt vident incommodum Arrianæ hæresis, quæ verbum Dei hac autoritate factum esse dicit, & creatum: quanquam huic incommodo facillè mederi possumus, si pro factus esse, legamus fuit. Nam verbum γενόμενος significat & factus est, & fuit, & natus est: quod hic etiam verti posset, nempe & de patre æterna natiuitate ante omnia tempora natum & genitum CHRIS- TVM intelligamus. Præstat tamen cum Græcis & Augustino intelligere, qui ante me factus est, id est, qui mihi prælatus est, propter id quod sequitur: quia prior me erat. Quis enim sensus esset: ante me factus est, & fuit, quia prior me erat. Quòd autem Euangelista ait: Ioannes testimonium perhibuit, perinde est ac si dicat: Non putetis in gratiam me diuini verbi & CHRISTI aut fauorem, quippe qui eius sectator fui & discipulus, hæc dicere. Testificatus est enim de ipso verbo ante me, priusquam me vidisset aut nosset Ioannes baptista: qui multa fiducia ac libertate clamat, siue clamauit. Nam Græcè est, κενόραγε.

† *Et de plenitudine eius omnes nos accepimus, gratiam pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

Dei enim verbo non ad mensuram gratia data est, sed supereffluenter, adeò vt ex corpore in membra dimanauit. Sunt autem ista verba & sequentia Ioannis Euangelistæ, ex se ea dicentis, nec tanquam baptistæ verba recitantis, quemadmodum censet Chrysostomus, dicens: Hæc enim particula, de plenitudine eius nos omnes accepimus, non præcursoris verbum est, sed discipuli, cuius hæc est sententia: nos autem omnes duodecim, innumera Iudæorum multitudo, omnis fidelium cœtus, qui tunc fuerunt, nunc sunt, & futuri sunt fideles, de plenitudine eius omnes accepimus. Quanquam Nonnus Græcus Ioannis paraphrastes verba hæc baptistæ tribuat: & in catena aurea recitantur verba Origenis secus sententis. Certè Chrysostomus interpretatur gratiam pro gratia, perfectam euangelij gratiam, pro imperfecta legis gratia. Neque enim sine gratia Dei in lege saluabantur. At cum teste Petro in Act. Apostolicis tot onerarentur præceptis & ceremoniis, vt ea ferre non possent, admixta erat huiusmodi gratia perpetuo timori & seruituti: vnde lex timoris & seruitutis dicitur: nec in lege gratiæ plenitudinem habebant, id est, perfectam & plenam gratiam, quomodo in Euangelio per CHRIS TVM. Quòdque istud fieri non posset,



probat ex autoritate & dignitate legislatorum, dicens: quia lex per Moysen seruum data est, euangelica autem gratia & veritas per IESUM CHRISTUM facta est. Quod ita in syllogismum reduci potest: Quod per legislatorem Dei verbum & filium datum est, non potuit non esse perfectius eo quod per seruum datum est. Lex autem per Moysen seruum data est, euangelica autem gratia per filium. Non potuit igitur tantum nobis per Moysen conferri, quantum per Dei verbum ac filium, in quo omnis plenitudo diuinitatis teste Paulo habitat, etiam corporaliter, cui ad mensuram non est datus spiritus.

† 1. Ioan. 4. d. † Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarravit.
1. Timot. 6. c. Inf. 5. f.

Quoniam inaudita de Deo dixerat, & quæ Iudæis maxime persuasui difficilia erant, nimirum de æterno Dei verbo ac filio, Deum inquit, nemo vidit unquam, quasi dicat: Noli te putare, quæ nunc à me de Deo patre & unigenito eius verbo afferuntur, tanquam à me profecta esse. Quis enim hominum de Deo differere potest ex seipso, quem nemo unquam vidit. Idcirco quantulacunque de Deo diximus, ipse unigenitus Dei filius nobis enarravit: ipsi ergo per nos enarranti fidem habere oportet. Quomodo autem intelligatur, Deum nemo vidit unquam, Caietanus dicit hæc intelligi, quod nemo vidit viribus naturalibus. At hoc non excluderet, quin ea quæ de Deo narravit & eius filio, per legem & Moysen manifesta facta essent: quod negare vult Ioannes, asserens se ex sola diuini verbi, & filij reuelatione ea nosse. Quod autem ait: qui est in sinu patris: quidam interpretantur, esse in sinu patris, etiam ex Græcis, esse consubstantialem & coæternum patri, & ab eo inseparabilem. Cyrillus illud interpretatur esse in sinu patris, ab utero patris, à mente scilicet paterna ineffabili generatione gigni. Mihi simplicius videtur dici filium esse in sinu patris, quomodo dictum est verbum esse apud Deum patrem. Vide autem num filium esse in sinu patris significare possit, quod & Hebraismus frequens, esse in visceribus alicuius, pro eo quod est intimè charum, & vnicè dilectum esse. Rursum ad ea quæ afferri possunt contra id quod dictum est: Nemo Deum vidit unquam: dici potest, quod nemo Deum vidit unquam visione & comprehensione perfecta, secundum omnes suas proprietates & perfectiones. Vnde Aug. Supra hominem est videre Deum. Ideo Paulus supra hominem raptus est, ut videret arcana, quæ non licet homini loqui. Sinum autem dicit secretum patris. Inde filius venit per assumptionem carnis, & narravit quod ibi vidit, id est, reuelavit suis quod in præsentia oculata fide videtur de trinitate deitatis, ut Ioan. 14. Nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Nemo venit ad patrem, nisi per me.

† 1. Ioan. 4. c. † Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit, & confessus: quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Prophetas es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es? Et responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? Ait: † Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam domini, sicut dicit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis.

† Isa. 40. a
Matth. 3. a
Marc. 1. a
Luc. 3. d
19. a

quod hoc videtur demonstrare non verba præcedentia, quæ diximus esse verba non Ioannis baptistæ, sed Euangelistæ: quia nunquam de collatione legis & euangelij Moysi & CHRISTI verba habuisse Ioannes baptista legitur, sed cum Græcè sit ἀντιμαρτυρία, sensus est: & hæc est testificatio, qua tam de se, quam de CHRISTO testificatus est Ioannes: de CHRISTO Phariseorum legatis, se CHRISTUM non esse, neque Eliam prophetam, sed vocem clamantis

clamantis in deserto: CHRISTVM autem inter eos medium stare, cuius calceamenta portare non esset dignus. Videntes igitur Pharisei sanctitatem Ioannis, & assiduum prædicandi sollicitudinem, suspicati sunt eum esse CHRISTVM ac Messiam: ideo legatos ad eum mittunt. Cætera Matth. 3. & Matth. 11.

Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis: † Ipse est qui post me venturus, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut soluiam eius corrigiam calceamenti.

† Matth. 3. c
Marc. 1. b
Luc. 3. d
Act. 1. a
19. a

Facile est autem soluere scrupulum qui huc affertur, quomodo rogantibus legatis Phariseorum, num propheta esset? negauerit se esse, cum CHRISTVS propheta eum esse affirmet, & plus quam prophetam. Similiter cur se Eliam negauerit, cum ibidem dicit de eo CHRISTVS: ipse est Elias, qui venturus erat. Ad primum dicitur, quod legati non simpliciter interrogant propheta ne esset, sed cum articulo, ὁ προφητῆς id est, ille propheta tantum olim celebratus, de quo dixerat Moyses: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi dominus Deus tuus, ipsum audies, Deutero. 18. nimirum CHRISTVM intelligens, quem prophetam fore se verè Ioannes negauit. Rursum Eliam se negauit in persona negauit, quem in virtute & imitatione sanctæ & austeræ vitæ ipsius Eliæ CHRISTVS nominauit. Quod autem ait: Medius vestrum stetit: de CHRISTO intelligendum est, alluditque ad illam Moysi prophetiam prædictam: * Prophetam de gente tua, &c. * Deut. 19. c siue (ut Hebræi habent) de medio tui suscitabit tibi dominus Deus tuus.

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

Bethaniam habent Latina omnia exemplaria: & Cyrillus Græcus suis hunc locum commentariis Bethaniam legit: & Chrysostomus testatur suo tempore varia fuisse exemplaria, licet emendatiora dicat habuisse Bethabara. Quod ideo censuit Chrysostomus, quia Bethania, de qua toties Euangelistæ, non sit trans Iordanem, nec in deserto. At quid vetat Bethanias duas fuisse, quemadmodum Bethabara nomine tres sunt: hæc de qua Ioannes, quæ trans Iordanem sita est, & alia in tribu Iuda, & tertia in tribu Benjamin: quanquam hæc duæ in Bibliis Bethabara dicuntur. Aut quid vetat eundem locum binominem fuisse? Certè Bethaniæ cuiusdam meminit Iosephus Antiq. 17. cap. 16. de qua vide an sit trans Iordanem, & num eadem sit de qua hic Ioannes, aut hic aut illic mutato a in e. Miror autem hoc loco audaculi nostri temeritatem, qui cum Latina omnia exemplaria constanter habeant Bethania, ac plerique etiam Græci codices, Bethania ausus sit auferre, & Bethabara ponere, præsertim in his Bibliis, in quibus veterem interpretationem sequi mentiebatur, indicatis tantum ad marginem, si quid variarent aut Græci aut Latini codices locis. Sufficiebat enim ad marginem annotasse. Emendatior Græci codices legunt Bethabara.

Alterâ die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: † Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum.

† De consecr.
distin. 3. ca.
Sextam
sanctam.

Non agnus Moysi, cuius sanguis ad postes Israelitarum illitus, ab exterminatore angelo eos seruauit: erat enim ille agnus huius agni CHRISTI figura. Bene autem nominauit agnum CHRISTVM, quod in lege agnus esset sacrificij & hostij additum animal. CHRISTVS autem ab æterno immolationi pro peccatorum nostrorum expiatione

destinatus. De quo Apocalip. 13. dicitur: Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. De quo agno ait Ioannes: Post me venit vir, &c. quæ paulo antè explicata sunt. Et ego inquit, nesciebam eum, Græcè est, *ὁὐκ ᾔδειν αὐτόν*, quod aptè veritas, non noueram eum, scilicet de facie. Nam qui matris adhuc vtero clausus nouerat, non postea viderat. Vnde subdit: Ecce qui tollit peccata mundi. *Peccata enim nostra sustulit, & iniquitates nostras ipse portauit. Quod autem interpres habet peccata, Græcus habet τῶν ἁμαρτιῶν, id est, peccatum, quod significat peccatorum omnium & flagitiorum, quibus mundus scatebat, congeriem.

Sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

Finem legationis suæ fuisse docet Ioannes, vt Israeli CHRISTVS manifestaretur: sèque propterea venisse baptizantem aqua in penitentiam, vt Iudæorum corda CHRISTO præpararet. Baptizare autem se in aqua dicit, ad differentiam CHRISTI, qui spiritu baptizaret. Neque enim baptismus Ioannis spiritum conferebat, sicut baptismus CHRISTI.

† De penit.
distin. 2.
Quæren-
dum est.
Mat. 3. d.
Marc. 1. b.
Luc. 3. d.

Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: † Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, † hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.

† Dist. 19. ca.
Secundum.
De consec.
distin. 4.
Aliud est.

Id est, testificabatur Ioannes, quomodo planè CHRISTVM nosset, quem antea neque de facie nouerat, neque perfectè filium Dei intelligebat: tunc autem ex iudicio reuelationis paternæ, columbæ scilicet super eum aduentantis, & immanentis, agnouit eum esse qui baptizat in spiritu sancto, quod ita ei pater reuelasset: tunc quoque planè nouit eum filium Dei, id attestante voce paterna cœlitus demissa. Hic nobis Caietanus, vt noui aliquid afferat, imaginatur bis in CHRISTVM sub idem tempus columbam descendisse, semel antequam baptizaretur. Hoc autem argumento nititur, quod dicat Ioannes: & ego nesciebam eum, sed ex signo columbæ cognoui eum: sed antequam baptizaretur, cognouerat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari. At qui non propterea oportet ante baptismum nouam apparitionem ponere: nam etsi qualemcunque de CHRISTO notitiam haberet antequam baptizaretur, non tamen tam planè nouerat ipsum esse qui baptizaret in spiritu sancto, eumque fore Dei filium, quod postea apertè testatum se esse dicit: quod & ipse per sequentia confirmat, cum dicit: & manentem super eum. Nam CHRISTO specialiter conuenit, vt spiritus sanctus super eum maneat, qui in fidelibus interdum manet, interdum verò recedit: à CHRISTO verò nunquam recedit.

Alter die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et respiciens

† De consec.
distin. 3. ca.
Sextam
sanctam.

Iesum ambulans, dicit: † Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid queritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum magister) ubi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret. Et apud eum manserunt die illo.

Iudaicum populum non cessat Ioannes quasi dormientem excitare, qui semel & iterum Iudæis Dei filium verum agnum esse, qui legem missus est impleturus, & agnum legalem, cuius ipse veritas est, terminaturus. Nouum igitur agnum demonstrat, immaculatum, innocentem, à peccatoribus segregatum, qui proprio sanguine peccatores redimeret.

Ioannes

Ioannes autem cunctos æqualiter admonerat, & pluribus CHRISTVM præsentem adesse monstrat. Soli autem duo ex omnibus audientibus CHRISTVM sunt secuti, qui nec solum corporeis auribus, sicut & cæteri, sed & interius audientes, magistri sui monita sunt obsecuti, tantum virum videre & agnoscere cupientes, quem à magistro audierant. Ad quos benignè conuersus, non tanquam ignorans querit: quid petitis? vt suæ professionis causam manifestarent. Quos vt pronos vidit, duxit in domum suam.

Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierat à Ioanne, & secuti fuerant eum: inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

Cum horis duodecim Iudæi diem suum terminent, ab ortu solis primam numerantes, cum ait discipulos illos ad CHRISTVM hospitatos esse circiter horam decimam, innuit quod iam appetente vespera hospitati sunt. Cum autem hic habeatur: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum CHRISTVS, non arguit hæc particula (quod est interpretatum CHRISTVS) vt malè cum Erasmo persuasus est Caietanus, Matthæum Græcè scripsisse. Nam potuit interpres Græcus Matthæi explicandi gratia citra versionis incommodum ea verba addere. Quemadmodum & loco paulo post sequente, cum CHRISTVS Simonem Ioanna filium, Andræ fratrem intuitus, dixit ei: Tu es filius Ioanna, Tu vocaberis Cephas. Hoc enim tantum videtur scripsisse Matthæus. Porro sequentia verba, quod est interpretatum Petrus, addidit interpres, nisi fortè dicere velimus cum Caietano ridiculum illud, actanto viro indignum, quod ex industria Matthæus illa verba addidit, ad excludendum eorum errorem, seu magis ignorantiam, qui interpretaturi erant Cephas, caput. Ad hunc enim errorem (ait Caietanus) excludendum, adiunxit Matthæus: quod interpretatur Petrus, & non caput: quasi verò Matthæo curæ fuerit ignorantiam linguæ à Christianis tollere. Aduerte autem, quod hoc loco CHRISTVS non ait: Tu vocaris Cephas, sed vocaberis, quia postea in monte, vt habetur Marc. 3. imposuit illi nomen Petrus, quod Hebraicè siue Syriacè magis atque Chaldaicè dicitur Cephas. Petrus enim idem est quod saxum. Nam ὁ πέτρος, καὶ ἡ πέτρα Græcis idem sunt, nempe saxum & petra. πέτρος autem Atticum est.

In crastinum voluit exire in Galileam, & inuenit Philippum. Et dixit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andræ & Petri.

Bethsaida ciuitas est Galilææ, prope stagnum Genezareth, Andræ, Petri, & Philippi, vt hic habes, patria, quæ à fluuio, quem Ioseph paruum Iordanem vocat, aquæ ductum habebat, nunc penitus deserta, iuxta CHRISTI sententiam, Matth. 11. Luc. 10.

Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: † Quem scripsit Moyses in lege, & propheta, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse. Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

Philippum & Nathanaelem scripturarum studiosos ac petitos fuisse declarant verba sequentia: Quem scripsit Moyses in lege, & propheta, inuenimus Iesum: id est, Messiam illum, de quo Moyses scripsit Genes. 49. Deuteron. 18. Prophetæ autem multis in locis,

Ec iiij

† Gen. 49. b.
Deute. 18. c.
Isa. 40. c.
E 45. b.
Iere. 23. a.
Ezech. 34. f.
E 37. f.
Daniel. 9. f.

Isa. 40. Jerem. 23. Ezech. 34. Dan. 9. &c. Philippus ergo legis ipse peritus, perito Nathanaeli Moyfi & Prophetarum mentionem facit. Audito verò Nazareth nomine, qui nullius ferè nominis vicus erat, miratur, dicitque: Potest à Nazareth aliquid boni esse, iuxta nominis interpretationem: quavis ex Bethlehem, non ex Nazareth sperabatur Messias, ut patet Matth. 2.

Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Dixit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis, maius his videbis.

De interno Nathanaelis animo iudicans CHRISTVS, non modò prophetam se monstrat, sed Deum, vtpote animorum scrutatorem, & καρδιωγόνον. Similiter ex eo quod rogati CHRISTVM Nathanaeli, vnde se nosset, respondit: Cum esses sub ficu, vidi te: quod cum propter loci distantiam nemo hominum videre posset, coniectans hinc CHRISTI deitatem Nathanael, respondit: Rabbi, hoc est, magister noster, statim eius se discipulum professus, augustioribusque titulis, quod vulgus solet, cum insigniens, ac dicens: Tu es filius Dei, cum filium Davidis tantùm vulgus Messiam appellaret. Similiter & Regem Israel appellat, vtpote sit ex lege doctus.

† Matth. 24. c. 28. d. *Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.*

Quod verò CHRISTVS ait: videbitis angelos: quando factum sit, non recitant Evangelistæ, nisi Matth. 4. Et ecce angeli acceperunt, & ministrabant ei: & Mar. 1. Erātque cum bestiis, & angeli ministrabant ei: & Luc. 22. Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum: ac in resurrectione eius singuli Evangelistæ angelos apparuisse dixerūt: in eius autem ascensione pariter, ut A. & r. Quod si aliàs descenderint, Evangelistæ tacuerunt, quia ipse CHRISTVS dixerat, factum tamen credere oportet.

CAPVT SECVNDVM.

CHRISTVS aqua in vinum mutata descendit Capharnaum, & inde Ierusalem, vbi negotiatores à templo eiecit, & signum eiectionis ostendit.



T die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.

Caictanus exponit tertia die à quo venit Nathanael, sed id videtur falsum: aut de die intermedia inter aduentum Nathanaelis & nuptias, planè Ioannes tacuit. Porro cum vnus diei tantùm præcedentis meminimus, de tertio sequente dicere solemus, non tertio die, sed tertio post die. Faber hinc imaginatur, atq; id pro vno ipsius arbitrio, quod tertio die à sabbato factæ sunt nuptiæ. At cum sabbati toto priori capite mentionem non fecit Ioannes, cur existimat Faber tertia die à sabbato factas esse has nuptias, potius quàm tertia die à prima, secunda, & tertia die sabbati? Idcirco tertia die mihi referendum videtur ad ea quæ narrare coepit Ioannes de CHRISTO inter homines versante, scilicet ab eo factò, quo Ioannis duos discipulos excepit in domum suam. De qua dicit

qua dicit Ioannes: Altera die iterum, &c. qua die hospitantibus duobus apud CHRISTVM superuenit Simon. Secunda dies, de qua dicit, in crastinum siue postridie (nam Græcè est τῆς αὔριου) eadem vox, qua paulo antè vsus est, ac die secunda collocutus est cum Nathanaele CHRISTVS, & die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Alij tertium diem altius speculantur, tres fumentes dies tribus mysteriis celebratas in ecclesia: prima dies, quando Magi tertia decima die à natali CHRISTI eum visitauerunt: secunda, triginta ferè annis reuolutis eadem die 13. à natali CHRISTI ipse baptizatus est: anno verò reuoluto eadem die, quæ respectu aliarum tertia est, nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Vnde sic canit ecclesia in die Epiphaniæ: Hodie cœlesti sponso iuncta est ecclesia: quoniam cum muneribus Magi currunt ad regales nuptias: hodie in Iordane CHRISTVS baptizari voluit: hodie ex aqua vinum facta latantur conuiuæ. Vnde tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus. Et hæc est tertia dies mysteriorum CHRISTI, qua factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ. Cana in tribu Aser, vbi & miraculum præfens factum est, vnde & Nathanael erat, ut Ioan. 21. à Ptholemaida quinque leucis distans, vbi adhuc monstratur nobile illud nuptiarum triclinium subterraneum.

Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

Credendum est magis cum Cyrillo ex officiosa humanitate & benignitate vini carentiam CHRISTO Mariam indicasse, quàm vilo gloriolæ affectu, sicut quidam asserere aucti sunt, sed vt palàm indicata indigentia, solita sua benignitate CHRISTVS vteretur. CHRISTVS autem non statim matris petitioni annuens, dicit: Quid mihi & tibi mulier? Quem locum malo interpretari cum Christostomo: quid ad nos, te scilicet, & me spectat, si vinum non habent. Græcè enim sic habetur, τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; id est, quid tibi mecum est. q. d. Sine illos prius suam penuriam sentire, vt beneficium sibi factum melius agnoscant. Et quod dicit: Nondum venit hora mea, perinde est ac si dicat: Nondum opportunitas est faciendi miraculi, priusquam scilicet indigentiam suam agnouerint. Quidam interpretantur: quid mihi & tibi est, id est, quid tibi mecum est? q. d. Nequaquam ad te spectat id ex me rogare quod facturus sum, cum venerit hora mea, & cum commodum duxero. Præstat autem prima intellectio. Mater enim intelligens se refutatam non esse, sed dilatam tantùm pro temporis opportunitate miraculi occasionem, iubet ministris præsto esse ad mandata CHRISTI peragenda.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singule metretas binas, vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.

Secundum purificationem inquit, Iudæorum, dictum est in Matthæo, frequentem fuisse Iudæis ablutionum vsus, præsertim cum mensæ accumbere vellent. Ad quas lotiones peragenda habere solebant eam in rem paratas in conuiujs suis hydrias. Erant ergo inquit, sex hydriæ pro more Iudæorum positæ, ad eos purificandos & abluendos qui opus haberent. Et quia multi erant conuiuæ, multis & capacibus opus erat hydrijs. Ideo inquit, erant sex, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Metretes autem, aut metreta (vt Budæus de

affe ait ex Dioscoride) est mensura congiorum decem. Decem autem congi 60. sextarios valent, id est, amphoram & quadratam. Georgius autem Agricola asserit continere congios duodecim, hoc est, sextarios 72. putatque cum Alciato, ubi habet Dioscorides: *ἑστί δὲ ἡ μέτρος ἡ ἑξῆς*, id est, congi 10, legendum esse *ἑξῆς ἰβ*. Quod Nicandri interpret dicat, si *ματρήτης ἕξαι ἑξῆς ὀβ*, hoc est, metretes capit sextarios 72. Dicitque idem hoc Agricola, quod metretes 108. libras capit. Quod si de nostratibus libris intelligit, sunt 54. mensuræ, quas Parrhisi pintas appellant. Atque ita singulæ hydriæ 108. pintas nostrates, quæ binas metretas capiebant: quæ ternas, 162. Has hydrias cum per ministros aqua impleri iussisset, facta mutatione aquæ in vinum, quo miraculi veritas magis patesceret, architriclino gustandum ferri iussit. Architriclinum autem vocat eum, qui curando conuiuio præerat, quasi principem triclinij, cuius erat de iis quæ ad conuiuium spectarent, disponere. Est autem triclinium, locus in quo veteres cœnare solebant, in lecto accumbentes, dictum à tribus lectis. Nam *κλίβη* Græcis lectus dicitur.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Post hæc descendit Capharnaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus.

Multa alia fecerat Iesus miracula incarnatus, natus, ieiunans, & huiusmodi innumera, sed non ita manifesta, sicut transmutatio elementorum inter seipsa. In quo miraculo gloriam diuinitatis suæ manifestauit hætenus latentem. Vnde considerandum est, quod **CHRISTVS** has nuptias præsentia sua honorauit, simulque conuiuio interfuit, ex quo sanctum approbare voluit connubium. Neque ideo conuiuia damnanda censuit, modo frugi sint & moderata. Hoc autem exacto miraculo descendit Iesus Capharnaum cum matre, cognatis, & discipulis, ut inde Ierosolymam ad diem festum Paschæ ascenderet.

Et prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam, & inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit as, & mensas subuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

Et si licite viderentur vendi & emi in templo, quæ templo offerenda erant, & ibi immolanda, noluit tamen dominus, quæ sub honesta quadam occasione fieri putabantur, templo suo exhiberi, nimirum quod esset ad hoc institutum, ut orationis, non negotiationis haberetur locus. Vnde negociatores, qui in eo oues, boues, & columbas vendebant vel emebant, eiecit: nummularios autem, qui ad hoc paratas conferebant pecunias, dispulit, & omnes simul extra templum funiculo expulit. Hæc amplius videbis Matth. 21. quanquam non idem factum hic & illic narratur, sed propè simile.

Respondunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis edificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati

Recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus.

Respondere pro simpliciter loqui ac dicere in Matthæo diximus, etiam si nulla intercesserit interrogatio. Quod signum inquit, ostendis nobis, quia hæc facis: id est, ostende nobis signo aliquo edito, quod non temerè hoc facias, sed Dei autoritate. Quemadmodum & Moyses legationem suam Exod. 3. à signis auspicatus est. **CHRISTVS** autem *ἀντιμαρτυρῶν* eis respondit, dicens: Soluite templum hoc, id est, soluetis. Frequēs enim in scripturis est imperatiuis uti pro futuris indicatiuis: de templo corporis sui loquens, quod verè templum Dei est, in quo, teste Paulo, omnis plenitudo diuinitatis etiam corporaliter, in quo præcipue orationes exaudiuntur. Et cum inquit, solueritis, in tribus diebus excitabo illud, id est, resurgere faciam, innuens his verbis **CHRISTVS**: Ego potestatis qua hæc facio, nullum vobis modò signum ostendam, sufficiet signum illud, cum post dissolutum à vobis corporis mei templum hoc, meapte autoritate resurgere me videritis. Noluit autem aperitis verbis id eis dicere, sed ænigmaticis. Vnde de templo materiali intelligentes, mirantur illud tam citò reedificandum, quod sub Esdra primo Cyri anno reedificari ceptum, sexto anno Darij filij Hiscaspis absolutum est, nempe secundum Hebræorum supputationem intra annos 46. iuxta alios Chronographos annos 32.

Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebant. Ipse autem Iesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Quauis multi crederent in eo, non tamen ut Deo, sed ut propheta: & ideo quia nosset quo animo afficerentur erga eum, non credebatur se illis, eo quod nosset omnes, id est, peruersum eorum in se animum per seipse nouerat, nec alicuius testimonio indigebat ad declarandam Iudæorum in se mentem: quippe qui scire quid in homine esset, qui animorum scrutator esset & cordium.

CAPVT TERTIVM.

Vnum ex his qui erga eum afficerentur Nicodemum, super regeneratione per baptismum instruit. Iudæam lustrando docet & baptizat: vnde Ioannis discipuli emulantes, Ioanni querunt, quos ipse arguit.



Nat autem homo ex Phariseis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

Nicodemus vnus eorum qui per signa **CHRISTVM** crediderant esse prophetam, timens plebis offensionem, vel cum magister esset, non audebat palàm sciscitari ex **CHRISTO** quis esset, nocte **CHRISTVM** adiit, plenius super creditis ipsum interrogaturus: & quia princeps Iudæorum erat, fidei mysteria discere curauit. Princeps autem Græcè *ἀρχιερές*, vel *ἀρχιερεύς*: autem, ut inquit Budæus in commentariis, iidem penè sunt, qui *ἐπισκοπῶντες*, qui sacrorum curam haberent & legum, qui quotannis leges emendabant, & ad congruentiam consentaneumque sensum reddebant. *ἀρχεῖν* etiam dicebatur speciali voca-

bulo, qui præerat iudicibus, iudiciorumque moderator erat. Ac puto talem magistratum inter Iudæos gessisse Nicodemum. Iesum autem maius attulisse magisterium arbitratus, confitetur ipsum vel esse Deum, vel saltem Deum secum habere.

† De consec. di. 4. Filius. & Non dubito. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, † nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?

Nisi quis renatus fuerit denuo, Græcè est, *ὅτι μὴ τις γεννηθῆναι ἀνωθεν*, id est, nisi quis natus aut genitus fuerit denuo, siue è supernis ac cœlitis (vtrūque enim significat *ἀνωθεν*) non potest videre regnum Dei: quod paulo post dicit intrare in regnum Dei. Hoc autem Nicodemus dixit, salutis suæ viam affectari, eaque gratia **C H R I S T V M** à Deo venisse confitenti, ut quæ ad salutem hominum facerent, doceret, dum ait: Scimus quia à Deo venisti magister, id est, ut magistrum te & doctorem nobis præberes, viamque salutis nobis commonstrares. Nam magister recti casus est, non vocatiui, cum Græcè sit *διδάσκαλος*. At iteratum nascendi modum, cum carnalia tantum sapiens Nicodemus non caperet, docet eum **C H R I S T V S** modum quo hoc fiat.

† De baptis. mo. ca. 11. iores. Nō ut apponeres. Debitum. Respondit Iesus: Amen amen dico tibi: † Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.

Carnalis ex veteri Adam natiuitas, cum morti tantum reddat obnoxios, opus habuit regeneratione altera, qua ad vitam renasceremur immortalem, qua beatitudinis compotes redderemur, ab ea veteris Adæ peccato exclusi. Modum autem quo ita renasceremur, **C H R I S T V S** instituit, ex aqua & spiritu sancto, per quem vnum ad vitam immortalem regenerari possimus, quia inquit: quod natum est ex carne, caro est, id est, caro non nisi carnem & carnales generare potest. Ideo & spiritu opus fuit, qui spirituales nos generaret. q. veli dicere **C H R I S T V S**: Non sufficit quod de me præclare sentias, me scilicet à Deo venisse, opus est te denuo ac cœlitis nasci. At cum animalis adhuc (vt inquit Cyrillus) mysteria spiritus Nicodemus minimè intelligeret, nec spiritualem natiuitatem caperet, corporalem quendam ventrem, & ritum hominis, ac partum fingere cogebatur, ideo quod dixerat nasci denuo, amplius explicans, & ad spiritualia Nicodemum veluti manu ducens. Nisi quis inquit, renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Dei enim participes fieri nō possumus, nisi spiritu eius in baptismo regenerati. Et ne rursus ad carnalia delabatur, admonet præter carnalem natiuitatem & spiritualem esse, qua ex spiritu regeneramur, vt quemadmodum per spiritum animale & vitalem à nihilo ad esse producimur, ita per Dei spiritum à peccato, quod nihil est, ad verum ac diuinum esse transformamur. Rursusque quo magis persuadeatur id quod corporeis oculis spectare non poterat Nicodemus, similitudine quadam confirmat, dicens:

† De renun. cia. ca. Nisi cum pridē. psal. 134. b. † Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras. Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo si

modo si dixero vobis cœlestia, credetis?

Quemadmodum aereus hic spiritus & ventus, licet eum minimè videas, non hominum arbitrio, sed naturali suo impetu modo huc, modo illuc perflat, quātūmq; vocem eius audis, id est, flatum ac sibilum & stridorem, at interim ignoras vnde prodeat, & quo vadat: ita & nil mirum esse debet, si spiritualis regenerationis modum capere non potes, quandoquid de diuini spiritus substantia homines latet. At vox eius, spirituales sunt hymni, & cantica, verbiq; prædicatio, quibus afflantur diuino spiritu regenerati. Qui vbi vult spirat: quando teste Paulo dona sua singulis pro vt vult diuidit. Sic est inquit, omnis qui natus est ex spiritu, id est, de quouis homine, qui spiritu Dei regeneratus est. Videmus enim nunc animalē & carnalem hominem nihil nisi carnalia sonantem, statim verò spiritu Dei afflatum, non nisi spiritualia eructantem: idq; quomodo fiat, id vnus nouit, qui hominem afflat ac regenerat spiritus. Quo minus mirum est, si tu, cum carnalis adhuc sis & animalis, capere nō possis, etiam si magister es in Israel, & Israelitarum doctor. Quapropter si hæc capere velis, tum fidem te nobis habere oportet, qui de compertis loquimur, & de visis testificamur: & testimonium nostrum non accipitis, quia adhuc carnales estis. Quod si terrena, id est, terrenam & corpoream de spiritu, aere, ac vento similitudinem vobis dixi, neque capere potestis, quomodo spiritualia vobis & cœlestia narranti fidem habebitis?

† Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. † Ephes. 4. b

Enthymema est hoc, quod ita ad syllogismum reduci potest. Nemo de spiritualibus & cœlestibus sufficienter te instruere potest, nisi qui in cœlum ascenderit, & ibi versatus fuerit. In cœlum autem nemo vnquam ascendit, neque in eo quisquam conuersatus est, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis. Ergo nemo de his quempiam instruere potest, nisi filius hominis. Quod si ei dicenti, quod renasci oportet ex aqua & spiritu sancto, fidem non habes, quorsum ea de re testimonium quæris, aut modum quo id fiat interrogas? Cum autem audis filium hominis descendisse de cœlo, ne putes quod caro **C H R I S T I** præfuerit in cœlo ante ipsius ascensionem: sed eo modo dicitur filius hominis descendisse de cœlo, quomodo Deus dicitur passus, incarnatus per communicationem idiomatum. Quia **C H R I S T V S**, qui Deus est & homo, incarnatus est, & passus est, & ante ascensionem suam de cœlo, descenderat incarnandus, non in carne, imò vt carnem assumeret.

† Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam eternam. † Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam. † Num. 21. e † 1. Ioan. 4. b

Nota est Num. 21. historia, nempe quod cum aduersus Moysen murmurarent Israelitæ, misit in eos Dominus ignitos serpentes, à quibus percussi statim interibant: donec antidotum Deus attulit, iusso per Moysen fabricari serpente æneo, in quem percussi insipientes sanarentur, alioqui morituri. Sicut autem serpens ignitus serpentem diabolum significat, ita serpens æneus exaltatus, exaltatum in cruce **C H R I S T V M** significat. Et quemadmodum percussi ab ignitis serpentibus antidotum nullum erat, præterquam in serpentem æneum aspectus, ita à diaboli morsu lethaliter vulneratis reliqui nil est spei, præter **C H R I S T V M** exaltatum in cruce serpentem, qui serpens dicitur propter prudentiam, iuxta illud: Estote prudentes sicut serpentes. Iudæo autem Nicodemo Mosaici serpentis figuram proposuit, ad huius instar asserit se oportere exaltari, id est, crucifigi. Sic enim alibi dixit: Cum exaltatus fuero à terra, id est, in crucem actus, omnia ad meipsum traham. Ad quid autem exaltari oporteat, ostendit, nimirum vt se intuentibus, id est, in se credentibus, sit vice serpentis ignei. Hoc est enim quod ait: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam eternam. Cum autem dicit: Sic enim Deus dilexit mundum, &c. eadem replicat de

filio Dei vnigenito dato in mundi dilectionem & redemptionem, quæ de filio hominis exaltato in cruce, cum sit idem filius Dei æternus, qui filius hominis incarnatus, & vtriusq; eadem potestas est, vt omnis qui credit in eum filium Dei vnigenitum, atque in filium hominis incarnatum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vnde causam humanæ reparationis innuit, summam patris dilectionem erga mundum.

Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

Mundum dixit, non mundanos modò & carni addictos, sed omnes planè homines, quorum gratia saluandorum venit, non iudicandorum. Hic enim iudicare pro condemnare ponitur. Si igitur venit vt mundum saluet, & à condemnatione liberet, non igitur venit vt iudicet, siue condemnet, quod est profectioi suæ contrarium.

† De penit. di. 4. Beneficium. *† Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.*

Qui ergo credit in filium Dei, non venit in iudicium, id est, in condemnationem, qui ab æterno prædestinatus est in salutem. Qui verò non credit, iam iudicatus est, id est, ipse se iudicio suo condemnat, non CHRISTVS, qui fecit quod in se erat ad salutem eius, verum illum iam sua damnauit infidelitas, qui antidotum sibi allatum noluit recipere. Quod non de omnibus peccatoribus, sed de infidelibus dicit, de quibus & Dauid Psal. 1. *Ideo non resurgunt impij in iudicio, hoc est, vt iudicentur, quia iam iudicati. Ex hoc loco quidam negant futurum iudicium: quippe quia fideles non iudicabuntur, nec etiam infideles, quia iam iudicati. Nemo igitur superest iudicandus: vt quid igitur iudicium. Nec aduertunt hic iudicium pro damnatione sumi, quam non consequentur fideles, secus autem de infidelibus: quia fideles non venient ad damnationem: infideles autem suo proprio mucrone se confodiunt, damnationem fidei præponentes. Inter fideles verò discrimen est, vt patet Matth. 25. quando fecerit bonos à malis. Vide ibidem iudicium.

† Sup. 1. a. † De offic. deleg. ca. Consultuit. *Hoc est autè iudiciū, quia † lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucē: erant enim eorum mala opera. † Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguatur opera eius.*

18. q. 2. cap. Perniciosā. *Id est, ob hanc enim causam iam eos apprehēdit condēnatio, iam dānati sunt & iudicati, quia dilexerunt magis tenebras, quàm lucē. i. qui in tenebris peccati & ignorantie iacere maluerunt, quàm veram lucē & vitam CHRISTVM sectari, & eum, dum sibi vltro obuiā veniret, apprehendere. Quippe qui cum peruersam vitā ducerent, talēq; qualem agebāt vitam, videri nollent, improbitati suæ hypocritisim addentes, lucem oderunt, prauæ suæ vitæ indicem.*

Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

Id est, homo iustus, verax, & probus liberè in lucem prodit & publicum, vt manifesta fiant & explorata eius opera, quippe ex Deo facta, vt cedant aliis in exemplum. Facere autem veritatem, nil aliud est, quàm facere quod veritas iubet, quo modo peruenitur ad lucem, quæ CHRISTVS est & veritas.

† De consecr. di. 4. Quādo ab Ierusalem. Infr. 4. a. *Post hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Emnon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.*

Emnon

Emnon dicunt plerique Aenon, Græcos imitantes contra communē vsū legendi. Est autem oppidum non longè à Iordane. Hiero. de locis Hebraicis ad suam vsq; ætatem locū dicit fuisse in 8. lapide Scythopoleos, ad meridiē, iuxta Salim, à Ierofolymis autem 37. leucis distans, cōmemorat. Non ociosum autem est quod hic dicit Euangelista: quia aquæ multæ erant illic: quia alioqui raræ sunt in Iudæa aquæ, illic autè frequentes, vnde & nomen Salim inditum est. Nam Salim Syriacum vocabulum scatebram significat, siue vulpem.

Facta est autè quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit:

Iudæis de purificatione, Græcè, ἐγένετο ἡ ζήτησις ἐν τῷ μαθητῷ ἰωάννῃ μετὰ ἰουδαίων περὶ καθάρσεως. Puto autem hoc loco superfluo τὸ ἐκ, vt sit sensus: facta est, siue orta est quæstio, aut magis contentio (nam ζήτησις hic pro ἀγῶνι positum puto) discipulorum Ioannis cum Iudæis, iis scilicet, qui visis CHRISTI prædicatione & miraculis, à Ioanne ad CHRISTVM conuolarent. Quidam Græci codices habent μετὰ ἰουδαίῳ, id est, cum Iudæo quodam, qui eadem de re contendebat cum discipulis Ioannis. Cōtentio autem & quæstio hæc de purificatione erat, id est, de baptismo, vtrum scilicet præstaret Ioannes baptismus, an CHRISTI. Iccirco carnales adhuc Ioanis discipuli ad magistrū accedūt, CHRISTO apud eum inuidiam conflare volentes, nempe quòd CHRISTVS, quem Ioannes baptizarat, cuiq; laudis testimoniū præbuerat, præ illo baptismum vsurparet, & ad se Ioannis discipulos alliceret. Quam opinionem ab eis auferre volens Ioannes, dixit:

Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quòd dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

Id est, (vt exponit Cyrillus) hominem decet concessa sibi de cælo mensura honoris esse contentum, nec maiora, quàm ferre possit, flagitare. Neq; debet quispiam pudore turbari, si perfectiora diuinitus præferuntur, sed ea potius magnificere quisq; debet, quibus misericorditer à Deo decoratus est. Non ferat igitur hoc grauitur meorum quisquam discipulorum, meam ipse mensuram conseruo, maiorem minimè ignoro, hominē me esse nō sum nescius, quippe qui vel testibus vobis, me CHRISTVM ac Messiam non esse, sum professus, sed eius tantum seruum & præcursorem. Cùm autem dicit: Qui habet sponsam, sponsus est: CHRISTVS sponsus dicitur, vel quia humanam naturam vnione verbi sibi desponderit, & coniunxerit, siue quod ecclesiam, & credētium in se multitudinem spirituali matrimonio sibi copulauerit. Ideo inquit Ioannes: Qui habet sponsam, sponsus est, id est, verus sponsus est CHRISTVS, qui ecclesiā sibi, humanamq; naturā despondit: ego pronubus tantum sum, & paronymphus, atq; sponsi amicus. Amici autem officium est non inuidere maioris se gloriæ, sed congratulari: quod & nunc facio, præsentem ipsum audiens & videns. Quapropter iam impletum est gaudium meum & consummatum, cùm ad eum omnes confluere videam, via illis ad confluendum per me in eremo præparata.

Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cælo venit, super omnes est. Et quòd vidit & audiuit, hoc testatur, & testimoniū eius nemo accipit: qui autè acceperit eius testimoniū, signauit quia Deus verax est. † Rom. 3. a.


Ff ij

Paulatim enim illum mundo per signa, miracula, & prædicationes innotescere oportet, atque ita sensim illius gloriam crescere, meam autem minui, non quidem reuera. Neq; enim CHRISTI gloria verè cuiusquã hominum gloriæ officit, sed quemadmodũ teda accensa candelæ aut minoris alicuius luminaris lumen imminui dicitur, nõ quod re vera minus luceat, sed quia in cõparatione maioris nihili propriè videtur. Sicut orto sole tam luna, quàm cætera astra nihil lucere censentur, quia offunditur luce solis lumen lucernæ, imò maius lumen minus semper offundit: ita collatus ad CHRISTVM Ioannes nihili præ illo videtur. Rationem autem subdit, cur crescere oporteat CHRISTVM: Quia qui de sursum venit, super omnes est: id est, qui de cælo venit, quod postea dicit CHRISTVS, superiorẽ illũ necesse est infernis esse omnibus & terrenis. Qui autem de terra est, nõ nisi terrena sapit & loqui potest, nisi aliunde iuuetur. Non quod spiritualia viri sancti, quæ de terra sunt, cœlũque non loquantur, sed quia collata ad ipsam CHRISTI doctrinam merè terrena videantur. q. d. Ioannes: Non est mirum si me relicto ad eius prædicationem cõfluunt: ego enim vt homo loquor, & vt cunq; possum persuadere, conor. Ille autem tanquam Deus, virtute sua in animis auditorum persuasionem mittit: tantõq; maius est eius testimonium meo, quod quæ ille vidit & audiuit, testatur. Nihil enim docet quod à patre non audierit: quemadmodum Ioannis 3. testatur: Qui misit me inquit, verax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et tamen inquit Ioannes, testimonium eius nemo accipit, non quod planè nulli, sed quod admodum pauci acciperent, fidemque illi haberent. Vnde subdit: Qui autem accipit eius testimonium, signavit quia Deus verax est. Vbi pro signavit, Græcè est ἐσφράγισεν, id est, sigillavit siue obsignavit. quasi dicat, sigillavit, & in animo suo tanquam in sigillo impressum habet, Deum veracem esse.

† Infr. 8. c. † Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensurã dat
† Matr. 11. 8. † Deus spiritum. Pater diligit filiũ, & omnia dedit in manu eius. † Qui cre-
† 1. Ioan. 5. b. dit in filium, habet vitam æternam: † qui autem incredulus est filio, non vi-
† Isa. 21. a. † debet vitam, sed ira Dei manet super eum.
† Abac. 2. a.

Videtur hæc esse antithesis particulæ ante præcedentis: Qui de terra est, de terra loquitur, iungitq; cum his verbis: & quod vidit & audiuit, hoc testatur. vt sit sensus: quod vidit & audiuit à patre filius, hoc nobis testificatur & annũciat. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur, quemadmodum Ioan. 14. *Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris. Quæ autè intercedũt: & testimonium eius nemo accipit, & c. q. d. quod audiuit à patre, hoc testatur, & tamen testimonium eius nemo accipit: qui autem accipit, ostendit eum veracem esse. Quod autem audiuit, hoc testatur, quia quem misit Deus, verba Dei loquitur. At quomodo non loqueretur verba Dei, cui non datus est spiritus ad mensurã, sicut cæteris hominibus. Alij enim datur per spiritum sermo sapientiæ, 1. Cor. 12. *alij sermo sciẽtiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, & c. Nec est admodum hoc loco laborandum, vt coniungas coniunctionem rationalem enim, siue Græcum γὰρ: nam plerunq; Græcis τὸ γὰρ abundat, & Euangelistæ, qui non admodum studiosi fuerũt Græcæ phrasæ, plerunq; vtuntur γὰρ pro ὅτι: quod si ita est, sensus esset: Non autem ad mensuram dat Deus spiritum ipsi filio. nam reliquis sanctis ad mensuram dedit. Sensus est autem, quod pater supereffluenter & immodicè spiritum sanctum filio suo CHRISTO impertitus est, & quod vsq; adeo filium pater dilexerit, vt omnia illi in manus dederit, id est, quod potestati illius omnia cõmiserit. Vnde nihil mirũ est, si ad eum, cui immensa spiritus plenitudo credita est, quiq; omnia possit, relicto Ioanne omnes confluant. Quinimo quod maius est, qui credit in filium, habet vitam æternam, quam dare vnus ille potest. Ergo ad eum tantũ preparare possum, illi in manu est, sibi fidem habentibus & credentibus largiri. Qui autem ei nõ crediderit, non videbit vitam: quia CHRISTVM veram vitam aspernatus est, sed in morte æterna permanebit, nimirum in continua Dei ira & indignatione, quæ iugis manet super diffidentes & incredulos, in vindictam perpetuã manentem, vt Prouerb. 19. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.

Transiens Iesus à Iudæa in Galileam, itinere fessus, cum Samaritana loquitur, deinde Samariam introducit, ibique plurimos sua prædicatione conuertit: inde profectus in Galileam, mansit in Cana Galilææ: inde inuitatus à Regulo, suscitauit filium eius in Capharnaum.



Vergo cognouit Iesus quia audierunt Pharisei quod Iesus † De consec. dist. 4. cap. plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes (quan- Quando ab quam Iesus non baptisaret, sed discipuli eius) reliquit Iu- Ierosolymis. deam, & abiit iterum in Galileam. Oportebat autem transire per mediam Samariam.

CHRISTVS inuidiam Iudæorum agnoscens, qui iam illum quærentes vt persequerentur, sciens tempus suum nondum aduenisse, reliquit Iudæam, Galileam profecturus. Ea præcipua inuidiæ causa, quod plures congregaret discipulos, & quod baptizaret non ipse, sed discipuli eius. Correctio est eius quod superiori capite dixerat: & morabatur cum eis, & baptizabat: nimirum vt intelligas, quod baptizabat non per se, sed per discipulos suos. Qui autè per alium facit (vt vulgato prouerbio dicitur) per seipsum facere videtur. Quamquam etiam baptisantis apostolis, hoc est aqua tingentibus, solus CHRISTVS verè baptizabat: quippe qui suapte virtute solus peccata ablueret. Quærit autem Albinus, si in hoc baptismo discipulorum CHRISTI daretur spiritus sanctus, propter verba sequentia: Spiritus sanctus nondum fuerat datus, quia nondum CHRISTVS fuerat glorificatus? Profectò inquit, dabatur spiritus sanctus in hoc discipulorum baptismo, non tamen ea manifestatione, qua post ascensionem & glorificationem CHRISTI.

Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædiũ † quod † Gene. 33. d. Ios. 24. g. dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.

Sichar eadem quæ & Sichima Iosepho dicitur, & Sichem metropolis Samariæ, quæ ædificasse dicitur Emor pater Sichem, quæ postea ab euentu dicta est Sichem, qui à filiis Iacob ibidem pro stupro Dinæ sororis eorum occisus est. Hæc à Hiero. in Hebraicis quæstionibus Neapolis nuncupatur, & hæc est in tribu Manasse. Alia est, quam ædificauit Ieroboam in monte Ephraim, & hæc est in tribu Ephraim, vt 3. Reg. 12. sed in priore ossa patriarchæ Ioseph, quæ secum attulerunt de Aegypto, sepulta sunt in ea parte agri, quem emerat Iacob à filiis Emor patris Sichem, quæ & Salem aliquando dicta est, Genes. 33. non ea quæ postea Ierusalem vocata est, sed Salem Sichimorum in terra Chanaan, & sita est iuxta mōtem Garisim. Venit ergo Iesus in Sichar, iuxta prædiũ quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Puto autè esse illud prædium, de quo Genes. 48. loquitur Iacob, datq; Ioseph filio suo, dicens: Do tibi partem vnã extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Quamquã hoc loco Hiero. in quæst. Hebraicis interpretatur nõ prædiũ, sed Sichimã ipsam, quæ Salem tunc dicebatur, & tẽpore Hieronymi Neapolis. Sicq; Aug. & Euseb. & Chryso. exponunt. Tamen cum eo loco Genes. 48. pro do tibi partem vnã, Hebraicè נתת לי שכם אחד natathi lecha Sechem ahad, id est, dedi tibi Sechem vnã, id est, partem vnã, Septuaginta reliquerunt vocem Hebraicam, & verterunt, ἐγὼ δὲ διδώμι σοι σίχημα ἑξάμετρον, id est, ego autem do tibi Sichinam præcipuam. Hinc factum est, vt quidam locum de Sichima interpretantur, quam dicit se in gladio & arcu vi bellica de manu Amorrhæi tulisse, factum Simeonis & Leui ob stupratam Dinam sororem sibi tribuens. Cum autem Sichem

appellatum etiam sit, significetque partem vel humerum, & ab ad vnum significet, videtur interpretandus locus de ea parte agri, in qua fixit Iacob tabernacula: quanquam emit à filiis Emor patris Sichem. Neq; obstat quod Gene. 48. dicitur: quam tuli in gladio & arcu meo: neque enim per arcum & gladium vim armatum Iacob intelligere debemus, qui nunquam bellasse legitur, sed arma illius & arcus orationes & deprecationes sumere possumus. Quæ admodum & hunc locum Chaldaeus interpres vertit: quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea & deprecatione mea. Prædium ergo istud pars est illius agri, quam emit Iacob, Genes. 48. Samaria autem, de qua hic, non ciuitatis nomen est, sed regionis appellata est, ab eiusdem nominis ciuitate, quam ædificauit Amri rex Israel, 3. Reg. 16. quæ postmodum destructa, & rursus instaurata Sebaste dicta est. Ociosum autem non est, quod Euangelista ait: Oportebat eum transire per mediam Samariam, ne in odium Phariseorum, quibus inuisæ erant gentes, ac maxime Samaritani, videretur relictis Iudæis ad alienigenas transire, cum eisque, quod Iudæis non licebat, commercium habere. Ideo ait: quod oportebat eum transire per mediam Samariam, quia à Iudæa in Galilæam proficiscenti media occurrit Samaria. In Galilæam autem abire Iesus voluit, vt Phariseorum inuidiam declinaret. Vbi autem ad prædium Ioseph peruenit, confedit supra fontem qui illic erat, siue magis puteum. Nam à fundenda aqua etiam alti putei fontes dicuntur. Dicitur autem fons siue puteus Iacob, quod in prædio illo habitans Iacob, vt verisimile est, ibi puteum foderat. Quod autem ait: sedebat supra fontem, sic Græcè est, ἐκωθέετο ἄνω ἐπὶ τῆς πηγῆς. Forsan Græcè erat ἐπὶ τῆς πηγῆς, id est, iuxta fontem, quod magis hoc loco quadrabat, quàm supra vel super. Certè Theophylactus interpretatur apud fontem, ipse autem, & ante eum Chrysofostomus ἄνω, pro sic. Quid est quod additur, sedebat sic? Simpliciter, videlicet prout locus sese offerebat, vel humi. Sedebat autem, corpus fatigatum ex itinere refocillans, & iuxta fontem recreans: erat enim penè meridies, quando sol vehementior est. Vnde ait: Erat hora ferè sexta, quæ nostro more 12. est. Itaq; fatigatum fuisse Iesum ex lógo itinere, & æstu solis, & ardore. Quod autem ἄνω & sic pro negligenter vsurpatur, non est nouum. Nam Terentius in Andria τὸ sic pro leuiter & negligenter vsurpat, dicens: Mirabar hoc si sic abiret.

Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cum sis, bibere à me possis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim contuntur Iudæi Samaritanis.

Indubiè ex lingua & habitu CHRIS T I agnouit eum esse Iudæum Samaritana, ideo miratur quomodo ab ea bibere poscat. Non enim ait, contuntur Iudæi Samaritanis, id est, commercium cum eis non habet, imò eos abominantur, tum propter vetera odia, de quibus 1. Esdr. 6. & Ioseph. lib. 11. cap. 4. Antiq. Iudaic. tum quia, etsi quinque libros Moyfi reciperent, cæteros tamen scripturæ libros abiiciebant, deòsque Gentilium colebant. Vnde & Iudæis plus quàm cæteræ Gentes inuisæ erant. Inde opprobrii loco CHRIS T O obiecerunt Samaritanum eum esse.

Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est, unde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius. Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: † qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.

† Infr. 7. f.
De pœnit.
dist. 1. cap.
Charitas.

Nota est

Nota est ad literam historia. Tantum id cõsiderandum est, quod sensim CHRIS T V S à muliere aquam postulans, erigere vult, vt viuam à se spiritus sancti & veritatis gratiam potulet. Mulier autem adhuc carnalis & animalis pergit de hac sensibili aqua intelligere. Viuam autem aquam intelligebat mulier, aquam è terra scaturientem, & in terra sponte fluentem. Vnde respondet: Nunquid maior es patre nostro Iacob, quasi dicat: Pater noster Iacob hac aqua contentus fuit, meliorem & viuaciorem si quidem inuenire potuisset, nobis daturus. I E S V S autem planius sensibilem aquarum differentiam à spiritualibus illi proponit, quod qui ex aqua sensibili bibit, rursus sitiat, qui autem ex spirituali, quam solus ipse præstat, nunquam sitiet: quippe quæ bibenti fons aquæ salientis fiat in vitam æternam, id est, quæ perpetuò illi fundat spiritualis gratiæ aquam in æternum viuificantem, ac nunquam sitire sinentem. Mulier autem, etsi nondum vim huius aquæ planè intelligens, huiusmodi aquam à CHRIS T O postulat.

Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti: Quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. Hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus ubi adorare oportet.

Non viri opera vsurus virum vocare iubet, quippe quem sciebat non esse venturum, sed vt mulieri diuinitatem suam aperire incipiat, vade inquit, & voca virum tuum. Quæ cum non habere se professæ esset, occulta mulieris aperit, indicans eam quinque viros habuisse, abuti autem alio, qui vir ac maritus eius non esset. Vnde & continuò prophetam eum esse fatetur. Et cum altercationem sæpe audiuisset inter Iudæos & Samaritanos, his in solo monte Garisim (nam hoc illi monti nomen) adorandum Deum esse contendentibus, illis autem Ierosolymis tantum, problema hoc CHRIS T O proponit mulier, vt quidam aiunt, putās dogma Samaritanorum melius esse, quàm Iudæorum. Ego autem propositum à muliere problema, vt de eo crederet quod CHRIS T O videretur, quem iam habebat vti prophetam. Quod autem ait: Patres nostri, Iacob cum familia intellexit, qui in prædio illo erexit altare, ibique Deum inuocauit, vt Gene. 33. maiorèsq; suos omnes. Adorationis autem nomine omnem Dei cultum, sacrificiorumque ritum intelligit.

Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, † quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis patrem. † Vos adoratis quod nescitis, f & g. nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. † Nam & pater tales querit, qui adorent eum. † Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

Duo proposuerat Samaritana. Prius, quod Samaritanis non liceret alibi, quàm in monte Garisim adorare, id est, sacrificare: de hoc enim adorationis genere potissimum præsens locus intelligitur. Alterum, quod Iudæis alibi quàm Ierosolymis non liceret. Vtrorūque cultum cessaturum CHRIS T V S asserit. Nam hora venit inquit, & tempus, quando & vester, & Iudæorum cultus, nec hic vos, neque Iudæi Ierosolymis patrem adorabitis. Non quod postea & Samaritanis in eo monte, & Iudæis in Ierosolymitano templo veriori cultu Deum adorare non liceret, sed hunc sensum præterdit Euangelista, quod iam instat hora, quando ad adorandum vero cultu Deum nullus præscribetur locus, ita vt alibi adorare nefas sit. Obiter verò Samaritanam submonet, præstare Iudæorum cultum cultui Samaritanorum, dicens: Vos adoratis quod nescitis, id est, quod in monte Garisim adoratis, nescitis

Ff iij

qua ratione suffulti id faciatis, neque aliud argumentum habere potestis, quam quod Iacob ibi adoravit: at nondum lege lata, quæ postea vetuit alibi quam Ierosolymis adorare. Nos autem, Iudæi scilicet, adoramus quod scimus, id est, quod Ierosolymis tantum, & in templo **Deu. 12. d* adoramus, sicut scriptura hoc facimus, Deuter. 12. **Non facietis ita domino Deo vestro, sed ad locum quem elegerit dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, &c. Vel intellige, quod Samaritani adorant quod nesciunt, quia licet Deum verum colerent, non tamen solum Deum putabant: adorabant enim & alios deos. Itaque non planè Deum eum esse sciebant. Iudæi autem quod adorabant sciebant, quia vnum illum solum ac verum Deum esse sciunt. Ideo inquit, nos Iudæi adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Ideo quia veri Dei & salutis cognitio à Iudæis ortum habuit, à quibus & cæteris innotescere coepit, vnum solum & verum Deum esse, & posthabenda idola. Ne verò in carnalibus & ceremonialibus sacrificiis & umbris diutius hærendum putarent Iudæi, subdit: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Vbi spiritum contra carnalia, sacrificium ovium & pecudum, aliorumque animalium distinguit: veritatem autem contra ymbra, & imaginem. Nam carnalia Iudæorum sacrificia erant tantum ymbra & imago veri illius sacrificij, quod pro mundi salute oblaturus eræt patri in ara crucis CHRIS TVS dominus. Quibus per CHRIS TI aduētum iam cessantibus, rectè subdit: Nam pater tales querit, qui adorèt eum, in spiritu scilicet, & veritate, hoc est, non in carnalibus sacrificiis, sed spe, fide, & charitate, utque David ait: in spiritu contrito & humiliato: quia inquit CHRIS TVS, spiritus est Deus. Ideoque non carnalibus ceremoniis, prout olim à Iudæis, & ipsis crassis & carnalibus adorari iam non vult, sed spirituali cultu.*

Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.

Cum prædixisset CHRIS TVS instare iam tempus, cum carnalia Iudæorum sacrificia cessarent, aliisque superueniret adorandi patris ritus, ac iam in omnium expectatione Messias esset, rectè subdit: Scio quia Messias venit, in præsentia: nam Græcè est ἔρχεται. Melius itaque interpres, venit, quam Erasmus, venturus est, etsi putet hoc loco magis quadrare futurum. Quorsum enim diceret mulier: Scio siue intelligo quod Messias veniet. Quis enim hoc ignorabat ex Iudæis & Samaritanis, quinque libros Moyfi retinentibus. Ideo verbis CHRIS TI persuasa mulier, prope esse ut legalia cessarent sacrificia, scio inquit, quia Messias venit, id est, intelligo iam dictis tuis aduentare CHRIS TVM & Messiam, propeque illum, ac quasi in foribus esse: qui cum venerit, annunciabit nobis omnia, nosque verum ac legitimum Dei cultum docebit. IESVS autem docilem mulieris animum videns, adeoque ad fidem pronum, non sustinet illam diutius cælare, sed ego inquit, sum qui loquor tecum, quasi dicat, ne iam putes aduentare Messiam, iam iam etenim venit. Nam & ego ille ipse sum, qui tecum loquor.

Et continuo venerunt discipuli eius: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid queris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dixit illis hominibus: Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci. Nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.

Discipuli superuenientes non audent CHRIS TVM interrogare quid quæreret à muliere, an aquam, an iter, vel aliud quidpiam, aut quamobrem cum illa tam abiecta muliere & prophana

prophana, timentes ne arguerentur interrogationis incautæ, nescientes mysterium ecclesiæ ex gentibus futuræ. Reliquit igitur mulier hydriam, & festina currit in urbem, quid inuenisset annunciatura, dicens: Inueni hominem, qui dixit mihi quæcumque feci. Nunquid ipse est CHRIS TVS? Non quod dubitaret, interrogat mulier, sed perinde est illud, ac si diceret, quod vulgò dici solet, posset ne ille esse CHRIS TVS? ut ad explorandum illos alliceret, ac iam ipsi cum eum audiuisent, facilius persuaderentur. Et hoc prudentius, quam si aperte dixisset: Ipse mihi asseruit se CHRIS TVM esse. Rogat itaque eos, ut & ipsi an ita sit, experiantur.

Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albae sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat & qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.

Vrgentibus Apostolis CHRIS TVM, ut manducaret de cibis quos attulerant, *πρὸς τὸν* illis loquitur, dicens alium sibi manducandum esse cibum. Quod cum carnales adhuc discipuli non intelligerent, planius illis aperit, dicens: Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, & ut perficiam opus eius, id est, opus ad quod me misit. quasi dicat: non veni corpus ac cutem lautè ac molliter curaturus, sed ad hoc veni, ut voluntatem patris mei, & opus, cuius gratia me misit, perficiam, nempe ut, quotquot fieri poterit, ad eius cognitionem adducam: & mundi peccata, quæ alioqui elui non possunt, nouissimè morte mea expiem. Hic meus vnus est cibus, meum vnum desyderium, ut quàm plurimos morte mea & prædicatione adducam: cui rei collaborare vos mecum oportet. Quod similitudine messorum probat, dicens: Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit: id est, exactis quatuor mensibus (erat enim initium veris) metendi iam tempus adest? At ego dico vobis, iam tempus instare atque adeste metendi, non carnalem ac temporalem messem, sed spiritualem. Et ideo inquit: leuate oculos vestros, & videte regiones, quoniam albescunt ad messem. quasi dicat: iam prope maturuit seges, ac metendi tempus statim instat. Segetes autem spiritualis animi sunt utcumque ad recipiendum CHRIS TVM præparati, per prophetas ac viros bonos in lege peritos, aut alioqui diuino spiritu tactos, quibus opus aliud nihil est, quàm falce messoria, hoc est, Apostolorum prædicatione euangelica. Hoc ergo innuit CHRIS TVS: Meum summum desiderium, ut quam plurimos ad euangelium fidemque conuertam. Itaque cum iam multi probè parati sint, non modò ex Iudæis, sed & ex Samaritanis, metite ergo, & mihi in horreum cœlestis patris congregate. Nam & messores sua manent præmia: quippe qui congregant fructum in vitam æternam, quando homines prædicatione sua ad vitam æternam adducunt: ut simul gaudeant & seminatores, & messores. Seminatores sunt, qui ante CHRIS TI aduentum verè prædicabant, hominèque ad recipiendum eum præparabant. Messores sunt, qui falce verbi prædicatoria eius seminatio- nis fructum messuerunt. Et ne quémque fraudet sua laude CHRIS TVS, docet alium esse qui seminat, & alium qui metit. Seminatores fuerunt prophætæ, & qui ante CHRIS TVM prædicauerunt: messores, Apostoli, & quique sequaces eorum. Qui ne totam fructus huius sibi gratiam tribuerent: Ego inquit, misi vos metere quod non laborastis:

† De pœnit. dist. 3. ca. Inter hæc. in fi. † Isa. 40. 5. & 51. b. Luc. 10. a.

pars verò agricolis & feminatoribus debetur.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quaecunque feci. Cum venissent ergo ad eum Samaritani, rogauerunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè saluator mundi. Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam.

CHRISTVS non agrè fert verbum suum Samaritanis per mulierem manifestari, quæ ad vnicum CHRISTI verbum absque miraculis CHRISTO credidit, & paruo discrimine ipsum non solum Iudæorū, sed totius mundi saluatorem agnouit: iuxta quod CHRISTVS illis impropert Matth. 21. Quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Ad cuius mulieris verba multi Samaritanorum crediderunt, & ad suam confirmandam fidem exierunt ad eum, & adduxerunt in ciuitatem suam, ibique duos dies mansit annuncians verbum Dei, & inde exiit in Galilæam.

† Mat. 13. g
Marc. 6. a
Luc. 4. c
† Mat. 4. b
& 8. b
Marc. 1. b
Luc. 4. c

† Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in patria sua honorem non habet. Cum ergo venisset in Galilæam, † exceperunt eum Galilei, cum omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.

Cum CHRISTVS Galilæos contreraneos suos multum duos ad credendum, cum primò huc venerat, & signa fecerat, vt tamen excusationem non haberent, reuifit eos secundo, afferens se non multum habiturum honorem, sicut neque prima vice habuerat. Ipsi tamen læti ipsum susceperunt, propter signa quæ Ierosolymis in die festo viderant, sperantes non minora se visuros in patria sua. De quo honore dictum est Matth. 13. Marc. 6. & Luc. 4. Vide ibi cætera.

Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum: & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ei Regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade: filius tuus viuit. Credidit homo sermone quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes: quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit. Et credidit ipse & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus cum venisset à Iudæa in Galilæam.

Cum dicit: Erat quidam Regulus, Græcè est βασιλεύς, adiectiuè, id est, regius: fortasse vir quidam erat de aula & familia regis Herodis. Puto tamen interpretem legisse βασιλικός, id est,

id est, Regulus. Quo nomine significantur non modò parui reges, aut regum filij, sed alicuius vrbs aut oppidi, aut ditionis domini, aut principes & magistratus. Et his fortassis erat inter Iudæos princeps quidam. Nam Iudæum fuisse quodammodo verba testatur CHRIS-
TI ad illum exprobrata: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Licet aliquatenus CHRISTVM crederet posse filium suum sanare, sed præsentem solum, non autem absentem. Cum verò credere cœpit CHRISTVM filium suum æquè absentem atque præsentem posse sanare, filij sui sanitatem obtinuit. Vnde firmiter tunc credidit cum tota familia sua.

CAPVT QVINTVM.

Languidum ad piscinam die sabbato curatum iussit lectum suum deferre in domum suam: ex quo Iudæos irritauit, & sumpta occasione probat, quacunque signa facit, ipsa habet à patre, sine quo nihil ipse facit, nec pater sine ipso, à quo potestatem in viuos & mortuos accepit, vt quos vult, suscitet & iustificet.



Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Erat autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethesda, quinque porticus habens. In hac iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.

Nota est ad literam historia, ex qua tamen annotare plura possumus. Primùm, quòd miracula quæ Deus operatur, siue per se, siue per sanctos suos, aliquando certis locis, temporibusque ac circumstantiis, vt plerique qui alios fide excellunt, gratiæ miraculo factæ participes non sint. Erat autem ipsa circumstantia loci Ierosolymæ, & piscina siue natatorium, vbi tantum miraculum fieri solebat. Deinde alia circumstantia, motio & agitatio aquæ per angelum. Deinde circumstantia temporis, vnde dicit: Descendebat secundum tempus, id est, in tempore, siue statuto tempore, siue statis diebus & horis, nimirum vt Theophylactus ait, in die Pentecostes. Deinde & alia circumstantia aderat, quòd non omnes qui descendissent, etiam si equæ fidei essent, sanabantur, sed tantum qui primus descendisset. Hoc notatum volui, quòd & ante nos Rex Christianiss. Franciscus, dum de conciliandis ad fidem ecclesiæ ac concordiam Germanis in Augusto suo consilio ageret, cum viris nobilibus & peritis annotauit, frustra malè habere protestantes, quòd auxilium à Deo martyris alicuius præsidio sperarent, persuasum habebant adeundam esse basilicam, cum sola in Deum fides, & obtinendi quòd petimus fiducia sufficiat, nihilq; vel locus, vtpote Diui alicuius basilica & sepulchrum, vel tempus, vtpote anniuersaria eius festiuitas faciat. Dicant enim, si sola fides aiebat, & postulationis obtinendæ fiducia, sufficiebat vt gratiæ illius particeps esset, cum 38. annos paralyti vexatus, vt inquit Chryostomus, quotannis liberari expectans, ad piscinam affideret, vique potentiorum inturbatus, non desponderet animum. Magna indubiè fides illius, qui tot annos Dei beneficium expectauit, neque tamen interim sanabatur: quippe quòd tum Deo visum esset eum huiusmodi circumstantiis sanare. Ita Deo per sanctos suos certis in locis, nimirum vbi viuentes prædicarunt, vel martyrium pertulerunt, aut memoria quid dignum ab his, vel in eorum honore gestum est, certisque temporibus, nimirum quando ad eorum festiuitatem anniuersariam frequens populorum multitudo confluit, vt vi miraculi adducti, maiorem ei fidem habeant, quòd his in locis fidem prædicauit & seminauit,

vel quid honore dignum gessit. Vide August. in sermonib. de sancto Laurentio ac Stephano, & Euseb. Enusenum in sermonibus de sancto Stephano, & sancta Blandina martyre. Huiusmodi autem piscina veri baptismi figuram gerebat: nam & aqua eius materialem baptismi aquam præfigurabat, & angelus de coelo descendens, qui mouebat aquam, spiritus sancti typus erat, qui ad diuina sacramenti verba in aqua descendit, omnemque eius naturam immutat, ut quæ abluendis tantum corporibus seruiet, iam purificandis animis, totique homini spiritualiter regenerando seruiat. Quod verò paralyticum hunc noluit in aquam descendere, ostendit totam regenerandi hominis vim, quanquam etiam aqua requiratur, in Dei verbo consistere. Noluit autem eum descendere, ne omnem sanationis suæ gratiam aquæ tribueret, sed Deo, qui quod creaturæ adminiculo facit, per se facere posse docuit. Quod verò ait dies festus, Chryso. & Theophylact. interpretantur de die festo Pentecostes, cuius gratia secundum legis mandatum ascendit **C H R I S T V S** Ierosolymam. Quod autem ait: Est autem Ierosolymis probatica piscina: varia est hæc lectio. Hiero. legisse videtur in recto, quando inquit Bethsaida piscinam fuisse, quæ fuerit Ierosolymis cognomento probatica, quam nos pecualem interpretari possumus, siue ouinam, Græcè *πρωβατικὴ*, ouina, à nomine *πρωβάτων*, ouis, quod ibi intestina ouium immolandarum abluerentur. Hinc coniicitur Hieronymum legisse in recto *πρωβατικὴ*, absque *ἑω*, id est, probatica. Et Chryso. cum Theophylacto in textu suo Græco ita legit: *ἔστι δὲ ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις πρωβατικὴ κολυμβήθρα, ἢ ἑω ἰλεγεμένῃ ἑβραϊστὶ βηθσαϊδά*, id est: Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ dicitur Hebraicè Bethsaida. Atque ita habebant veteres codices Latini: ita Hieronymus. Vnde miror audaculi nostri librarij temeritatem, qui quod vetusti codices Latini habebat, scilicet probatica in recto, id est, ouilla, aut ouina, siue pecualis, & Bethsaida, temerè immutauit, legens in probatica piscina, quod Græci codices haberent *ἑω πρωβατικὴ*, quod magis vertendum erat, ad probaticam, quàm in probatica. At Hieronymi tempore, sub id tempus videlicet, aut circiter, cum facta est vetus interpretatio, in recto Græci habebant: similiter Bethsaida. Quare in textu nostro nihil immutare oportebat, sed diuersam tantum lectionem in margine annotare. Piscina autem siue natatorium idem, aut aquæ pluuiatilis lacus, Græcè *κολυμβήθρα*, à natando sic dicta, probatica dicebatur, Latine ouilla, siue pecuaria dici potest, eo quod inquit Chryso. oues illic ad sacrificium congregabantur, & earum intestina abluiebantur. Dicebatur autem Hebraicè Bethsaida, quod verbum non admodum refert hoc loco interpretari, cum non verè Hebraicum sit, sed compositum ex Syro & Chaldæo, quomodo & Bethesda, quod nunc Græci codices habent. Si legis quemadmodum nunc Græci habent, *ἑω πρωβατικὴ*, id est, ad probaticam, & Latine pecuarium, dicendum est, quod certo loco Ierosolymis erat probatica seu pecuaria, id est, stabulum seu ouile ad seruandas oues & pecudes, quæ sacrificiis destinabantur, iuxtaque eam piscina quædam, aut natatorium, ex aquis à templi stillicidiis fluentibus facta, quæ dicebatur Hebraicè Bethsaida, habens quinque porticus, nimirum ad excipiendos ægros, qui curationis gratia illuc statis diebus confluebant.

Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo qui dixit tibi: Tolle

bi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Propterea persequerentur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato.

† De penit. dist. 3. ca. Adhuc. De peniten. & remis. sio. cap. Cum infirmus.

Quoniam ut dictum est, hæc piscina baptismi figurabat, & animæ imprimis curationem, ideo cum æquè omnes aquæ motum expectantes curasset, atque vnum: quia verò curatio per vnicum fit in ecclesia baptismum, ideo vnicum curare voluit, & literaliter, quia plus cæteris omnibus languens expectauerat. A quo cum quæreret dominus: Vis sanus fieri? ignorans an ab eo dominus serio quæreret, respondit: Domine, hominem non habeo, &c. quasi dicat: Domine, vellem libentissimè, sed quia non habeo adiutorem hominem, qui me mota aqua demittat in piscinam, propterea à 38. annis hic languens expecto, quasi ab eo quærens auxilium. Cuius misertus dominus, ait: Tolle grabatum tuum, & ambula: quod & fecit non obstante die sabbato. Quapropter Iudæi **I E S V S** persequerentur tanquam violatorem sabbati: in quo ipsi maximè errabant, quod necessitas legis vim obligatiuam tollebat: & item in lege aliquid erat morale, aliquid ceremoniale, aliquid literale, & aliquid consuetudinale, quod postremum legi non semper repugnabat, vt **C H R I S T V S** Luc. 14. Cuius vestum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Interrogatus itaque ille sanatus, quis eum sanauerat, hic autem per fidem sanatus fuerat ab eo quem nesciebat. Inuenit ergo eum **I E S V S**, & manifestauit ei & quis eum sanauerat, & quod per peccatum in talem morbum inciderat: vt autem morbum de cætero caueret, etiam à peccato sibi caueret, propter quod hactenus languebat.

Iesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis querebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quacunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim pater suscitatur mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vult, viuificat.

Cum scriptum esset Exod. 20. * Sex diebus fecit dominus cælum & terram, & * Exod. 20. mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo, iccirco benedixit dominus diei sabbati: vgerentque **C H R I S T V S** Iudæi, quod die septimo & sabbato requieuisset Deus ab omnibus operibus suis, ipse tamen, qui imitator Dei esse vellet, curasset hominem in sabbato, & eum portare grabatum iussisset: argumentum hoc dissoluens **C H R I S T V S**, dicit: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. quasi dicat: erratis qui putatis patrem sic requieuisse sabbato, vt nihil postea fecerit, imò & animas quotidie condit, etsi nullas species de nouo condit. Nam & cuncta moderatur ac regit, quæ per me verbum suum in principio condidit, & quæ malè habent, instaurat. Ita & ego more patris usque nunc operor ea opera quæ sabbatum sanctificant, quæ nec die sabbati prohibenda, vtpote quæ nec ipsum violant. Itaque quemadmo-

dum scio patrem meum semper operari, conseruando & viuificando quos ad sui imaginem fecit homines, ita & ego nunc operor, benefaciendo tum corpore, tum animo quibus possum, iis qui gratiam meam non aspernantur. At verò tantum abfuit, vt prudenti hac responsione placarentur Iudæi, vt in eius odium ac cædem magis ac magis accenderentur, non tam quòd sabbatum soluere diceretur, quàm quòd Dei se filium æqualem Deo faceret, dum eadem quæ pater faceret, se facere affirmabat. Quod nihilominus confirmat, quia filius à se non potest quicquam facere, nisi quod patrem viderit & habuerit secum facientem. Quapropter cum me arguitis quòd hominem in sabbato curauerim, patrem quoque arguatis necesse est, cum eadem vtriusque nostrum sint opera: indiuisa enim sunt opera trinitatis. Cumque me calumniimini, patrem arguitis à vobis non diligi: quippe qui filium, quem ille diligit, non amatis. Nec modò pater diligit filium, sed omnia ei monstrat quæ ipse facit, nihilque eum cælat eorum quæ agit, vtpote per quem omnia facit. Quod si apud vos miramini (non potestis enim non mirari, licet externè calumniimini, quòd hominem totos 38. annos malè habentem sanum fecerim) vt sit quod amplius miremini, maiora filio demonstrabit & communicabit opera, vtpote mortuos suscitandi, viuòsque & mortuos iudicandi, à morte videlicet tum corporis, tum animi. Neq; minor est hac in re filij, quàm patris potestas: quia quos vult, vterque suscitatur, & viuificatur.

Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.

Iudicandi potestatem sibi à patre communicatam Iudæis obiicit, vt qui virtutis amore sibi credere nollent, iudicij saltem terrore adducantur. Et quomodo inquit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: cum ipse filius dicat Ioan. 8. Ego non iudico quenquam. Atqui si bene attendis, ambiguitatem soluit eodem loco CHRIS TVS, dicens: Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me pater. Rectè ergo nunc dicit: Pater non iudicat quenquam: quia non solus, qui iudicandi potestatem filio communicat. Et Ioan. 8. rectè ait: Ego non iudico quenquam: quia non solus ac sine patre. Ideoque cum æqualem patri potestatem filius habeat, æquali quoque honore dignus est: alioqui qui eum minori honore dignum putat, Deum non censet.

Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transiet à morte in vitam.

Promissionem affert in se & patrem credentibus, & euangelij verbum recipientibus, nimirum condemnationis euitationem, & vitæ æternæ apprehensionem. Et qui credit inquit, habet vitam æternam in spe, quia arrabonem & pignus vitæ æternæ spiritum sanctum iam habet: & in iudicium non venit, id est, damnationem non incurrit, Græcè, *ὅτι ἐρχεται*, in præsentem: vbi Caietanus venit inquit, pro veniet, nimirum Erasmo fidens, qui ita vertit: neque video quamobrem. Quamquam enim scio præsens *ἐρχομαι* nonnunquam vsurpari pro futuro, cum tamen præcesserit verbum *ἔρχεται*, id est, habet, & sequatur similiter verbum præsens *ἐρχεται*, id est, venit, rectius mihi videtur vertisse interpretes.

Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent.

De resurrectione corporis, similiter atque animi, rectè verba intelliguntur, ac multo amplius tunc de resurrectione animi verificata sunt: quia paucos resurgere tunc corpora-

liter

liter CHRIS TVS & Apostoli fecerunt, infinitos ab impietate per verbi prædicationem ad fidem suscitauerunt.

Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Eadem est sententia cum præcedente: sicut pater suscitatur mortuos. Quod verò ait: quia filius hominis est: Theophylactus iungendum putat cum sequenti sententia: Nolite mirari hoc, & ita interpretatur: Nolite mirari quòd tam magna sibi CHRIS TVS tribuat, quæ non modò supra homines sunt, sed etiam supra angelos, vtpote mortuos suscitandi, & viuificandi potestatem, cum homo sit, & filius hominis: nam filius etiam Dei est & dictus est. Alij legunt, dedit potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. Cyrillus interpretatur quia, pro quatenus, vt intelligamus omnia ei data esse vt homini, qui quatenus homo est, nihil habet à semetipso. Filius autem Dei quatenus filius, connaturale & congenitum habet à patre quicquid habet potestatis. Porro decens erat vt videretur à iudicandis omnium iudex: atqui non poterat videri à reprobis, quia videre Deum in sua essentia reprobis non possunt. Videbunt autem in quem pupugerunt, id est, in ea hominis forma, in qua malè eum habuerunt. Cum autem dixisset CHRIS TVS de se: Venit hora, quando mortui audient vocem filij Dei (quod de particulari resurrectione Lazari, & aliorum suscitatorum interpretatur Theophylactus) nolite inquit, hoc mirari, quia venit hora, Græcè *ἔρχεται*, quod hinc in futuro verti poterat, veniet, quia de re longè post futura agitur, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ. Hinc Theophylactus, quoniam dixerat superius, qui credit, in iudicium non venit, ne putemus quòd fides sola ad salutem sufficiat, dicit, hi qui mala fecerunt, in resurrectionem condemnationis, qui autem bona, in resurrectionem vitæ. Non igitur sola fides absque operibus iustificat, sed oportet etiam opera adesse: tunc enim propriè fides est, quando eam comitantur opera. Non enim dicit, qui crediderunt, in resurrectionem vitæ: quippe quibus defuerunt opera. Ideo vtrunque necessarium est.

Non possum ego à meipso facere quicquam. Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est, quia non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium eius quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens.

Cum omnia ista vsque ad hunc locum: Vos misistis ad Ioannem: non aliò spectant, quàm vt inculcet indiuisa esse sua & patris opera, eandemque fore vtriusque voluntatem: quippe qui non ex suo, sed patris arbitrio atque voluntate iudicet. Vtque maior sibi fides adhibeatur, patris de se testimonium adducit, non contentus hominis etiam sancti, vtpote Ioannis baptistæ testimonio: quem tamen commendat, ne reiiciendi ipsius testimonij occasionem habeant, dicens: Erat lucerna ardens & lucens: quia non erat ille lux vera, sed veræ lucis testimonium, qui suo lumine non lueret, sed alieno, nempe CHRIS TI gratia: tantoque acceptius est eius de me testimonium, quòd ad eum

Gg ij

non misit, ut de me testaretur, vos autem rogatum misistis ad eum eius de me testimonium. Ego autem ab homine testimonium non accipio, id est, cum Deus sim, humano testimonio non egeo: sed hæc dico, id est, & patris testimonium affero, & Ioannis, ut vos credatis, atque ita salui sitis.

Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.

Id est, cum vita & moribus luceret, ita ut Messiae titulum turbæ illi deferrent, vos præ gaudio exultabatis, quasi nascentem de me opinionem, opinio quæ de eo habebatur, extinctura esset. Et bene dicit ad horam, siue ad tempus, nam statim ut eiusmodi titulum auersatus increpare vos coepit, progeniem viperarum appellans, exultare in eo desistis. Alio modo voluistis exultare quodam tempore in luce doctrinæ illius, quando omnes ad eum eiusque baptismum confluebatis. Sed refrixistis statim, neque perseverastis credentes ei.

† Inf. 14. c. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. † Opera quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me, & † qui misit me pater, † ipse testimonium perhibuit de me, neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

† Inf. 8. c.
† Matth. 3. d.
† 17. a.

Habeo testimonium maius Ioanne, id est, Ioannis testimonio: nempe testimonium operum, quæ iussu patris facio. Testimonium patris, qui voce cœlitus delata testatus de me est: Hic est filius meus dilectus, &c. cuius neque verbum, neque me verbi præconem accipitis. Tertium testimonium est scripturarum, in quibus inquit, vos putatis vitam æternam habere. Non dixit habetis, sed habere putatis, neque habetis. Quia cum de me scripturæ testificentur, ad me qui sum via, veritas, & vita, venire non vultis.

Claritatem ab hominibus non accipio: sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & † gloriam quæ à solo Deo est, non queritis? Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud patrem: est qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, † de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

† 1. Cor. 4. a

† Gene. 3. c.
22. b. c.
49. b.

Deute. 18. a

Claritatem siue gloriam (nam Græcè est *δοξα*) ab hominibus non accipio, neque clarus euadere per homines quæro. Vos autem scio Dei dilectione carere. Nam si eum dilexissetis, me quoque, qui in nomine eius venio, recepissetis. Et quomodo inquit, vos potestis credere, qui gloriam tantum ab inuicem aucupamini, gloriam autem quæ à solo Deo est, negligitis? Nam qui verè in eum credit, totus ab eo pendet, vos autem ab ore hominum pendetis: & quia me reiecto totam in Moysem spem vestram coniiicitis, nequaquam opus erit delatore me vestri apud patrem: ipse vos Moyses deferet & accusabit, cui non credidistis, quando testificantem illi de me credere nolulistis. Nam cum toti ab illo pendeatis, vanum est putare verbis meis vos fidem habituros, qui illius scripta non habuistis.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Satiaturus CHRISTVS multitudinem, abiit trans mare Galilææ. Vbi quinque hominum milibus passis, ascendit in montem oraturus, & suos discipulos trans mare remisit, post quos super aquas ambulans, venit Capharnaum, vbi multa veri panis vitæ mysteria discipulis & auditoribus aperuit.



Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, † & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. † Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudeorum.

† 39. di. ca. 1. c.
Matth. 4. g.
Marc. 3. b.
Luc. 4. b.
† Matth. 14. b.
Marc. 6. c.
Luc. 9. b.

Mare Galilææ cur dicatur Tyberiadis, paucis explicandum est. Hoc mare à flumine Iordane efficitur. Iordanis autem fluius à Libano profluens ex duobus fontibus, quorum alter Ior, alter Dan vocatur, coalescit & conflatur. Neque procul ab his fontibus lacum fundit, quem Samochanitim vocant, à quo 120. stadiis delapsus, alium efficit priorē maiorem, quem Tyberiadis lacum, aut Hebræa phrasi mare nominant, siue mare Galilææ. Diuersa tamen sortitur nomina secundum diuersas adiacentes provincias vel vrbes. 40. verò stadiis in latitudine patens, centumque in longitudine, aquæ dulcis est, atque potabilis. Dicitur autem mare Galilææ, à terra adiacente, Genesareth, vel Genesareth, à terra etiam continente. Dicitur & mare vel lacus Tyberiadis, ab oppido Tyberiadis, quod Herodes in honorem Tyberij construxit. Habet autem oppida multa, ut Capharnaum, Tanieham, Bethsaidam, Corasim, Magdalum, Termanuta, Naim, Cana, aliæque plurima, de quo vide apud Iosephum amplius lib. 3. cap. 18. de bello Iudaico. In hoc igitur transmarinum desertum duxit IESVS plurimam multitudinem, quam pasceret cibo corporali, sicut Iudæos trans mare rubrum manna cœlesti pauerat, quam citra mare reuersus cibo pauit spiritali. Ascendit igitur in montem, ut post legis defectum legem inciperet euangelicam, & hoc iuxta Pascha, quod legi finem præstitueret debebat.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset factururus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit ergo Iesus: † Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque milia.

† Matth. 14. d.
Marc. 6. c.
Luc. 9. b.

Subleuat oculos IESVS ex diuinæ misericordiæ & pietatis iudicio, quæ semp ad se venientes recipere paratus est, & in necessitate subuenire. Querit igitur ex Philippo: Unde ememus panes, ut manducet hi? Sed hoc dicebat tentans eum, non ut agnosceret quod sciebat, sed ut cibi agnosceretur penuria, & tarditate fidei suæ doceret Philippum, ut tentatus agnoscat, quod videtur ignorabat. Unde adhuc Dei virtutem ignoras, respondet: Ducetorum denariorum panes non sufficiunt, &c. Ducetum autem denarij, de quibus hic meminit, auctore Budæo valent 20. aureos Gallicos, hoc est, 35. libras Turon. Allati itaque sunt quinque panes, & duo pisces, quos cum benedixisset, iussit apponere turbæ: & manducaverunt, & saturati sunt quinque milia hominum, præter mulieres & paruulos. Colligentes fragmenta, impleuerunt 12. fragmentorum cophinos, per quos, ut ait Albinus, ois doctorum spiritalium chorus exprimitur, quæ obscura scripturarum (quæ turbæ nequeunt capere) &

G g ij

meditando colligere, & mandata literis suo pariter ac turbarum vsui iubentur. Quod post prophetas fecerunt Euangelistæ, post quos sequaces eorum Ecclesiæ toto orbe diffusæ magistri. Quod videntes turbæ signum, CHRIS TV M Regem acclamauerunt: ipse autem statim effugit, & discipulos suos transire iussit.

† 36. dist. ca. Qui eccle-
siasticis.
† Mat. 14. d. & 15. g.
Marc. 6. f.
& 8. a.
Luc. 9. b.
† *Accipit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, quæ superfuerunt his qui manducauerunt. Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quid, hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.*

Acceptis igitur panibus & piscibus, vt cæteri dicunt Euangelistæ, respexit in cælum, gratias agens, & benedixit. In cælum respiciens, honorem patris, à quo ipse venerat, protestatus est, vt intelligerent præsentis, vt ait Hilarius, à quo tantæ virtutis accepisset effectum, & ipsi ad operum suorum principia mentis oculos ad Deum dirigerent. Vbi virtus consideranda est benedictionis, ad quam tanta facta est & panum & piscium multiplicatio, quæ singulos distributa pauit, vt 12. cophini pleni fragmentorū superessent his satiatis. Quod igitur turbis supererat, discipuli tollere iubentur, quia vt dictum est, mysteria quæ à rudibus non capiuntur, tanquam secretiora quædam intelligentiæ, à perfectis & studiosis graui inquiruntur labore, & ad satiandos populos referuantur. Quod autem acclamant homines viso signo verum prophetam in lege promissum, id est, Messiam, non intelligendum est vt sit propheta more cæterorum, qui non nisi inspiratione & reuelatione prophetabant, sed quia infallibiliter & verè, quæ ex natura sua præuideret, annunciabat.

† Mat. 14. c.
Marc. 6. g.
Luc. 6. b.
† *Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ut autem serò factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ iam factæ erant, & non uenerat ad eos Iesus. Mare autem magno vento flante exurgebat.*

Quid autem, rex fieri timebat? nonne ipse rex erat? Noluit ab hominibus rex fieri, qui à Deo factus est Rex regum, & Dominus dominatium, cuique data est potestas in cælo & in terra, & qui Pilato respondit: Regnum meum non est de hoc mundo. Non igitur appetit in turbam principatum, imò fugit, vt nostales honores fugere doceat, qui à Dei contemplatione impediunt. Quod autem dixit: Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: non meminit tunc quid eis transfrerando acciderit. Ideo paucis explicat, quod iam tenebris existentibus nauigabant, & quod orta sit super mare magno flante vento tempestas, & tunc venit CHRIS TV S ambulans super mare ad eos.

Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, videt Iesum ambulans supra mare, & proximum naui fieri: & timuerunt. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo eum accipere in nauim, & statim nauis fuit ad terram quam ibant.

Obiter autem notandū est, quod secundum Plini. lib. 2. ca. 23. stadiū ceterum viginti quinque nostros efficit passus, quilibet autē passus pedes cōtinet quinque; vnde 8. stadia miliare faciūt, 2. autē miliaria, leucā Gallicā. Quod autē alij Euāgelistæ dicūt à discipulis CHRIS TV M receptum

receptum esse in nauim, quibus contraire videtur Ioannes, cum inquit: voluerunt ergo eum accipere in nauim, & statim nauis fuit ad terrā: ideo vt se explicet hac difficultate Chrysofost. asserit deambulationem CHRIS TV M super mare, de qua Matthæus & Marcus, aliam esse ab ista, & prius factam, quod in illa Matthæi diu dubitant de CHRIS TV Apostoli, hic protinus credunt: illa non quieuit ventus, donec nauim ingressus esset, hic ne nauim quidem ingresso CHRIS TV statim facta est tranquillitas: imò miraculum aliud factum, quod Euangelistæ reliqui tacēt, quippe quod cum 10. aut 15. stadia abessent à littore, statim nauis appulit ad terram. Alij aliter hoc scrupo se explicant, nimirum quod alij Euangelistæ discipulos in nauim recepisse CHRIS TV M asserunt, Ioannes autem nō dicat quidē, sed neq; negat. Atqui rectè inspicienti negare videtur Ioannes, dum ait: Voluerunt eum recipere.

Altera autem die turba quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi, nisi vna, & quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli eius discipuli abiissent, alie verò superuenerunt naues à Tyberide iuxta locum ubi manducauerant panem, gratias agentes Deo. Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculam, & venerunt Capharnaum, querentes Iesum. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti. Respondit eis Iesus, & dixit:

Turbis non potuit hoc cæleri miraculum, scilicet quod Iesus super aquas ambulasset: argumentabantur enim hac ratione: Hic erat vnica nauis, quam soli ingressi sunt discipuli absque CHRIS TV, nec ipse aliam nauim conscendit: venit igitur ambulando super aquas. Quod nō transierit aliam nauim, patet, quoniam à Tyberide superuenerunt alie naues, quas ipse non ingressus est, sed solæ turbæ: nō igitur per nauim venit Capharnaum. Ideo altera die quærebant illum Capharnaum, à quo inuento quærūt quomodo & quando uenerat, & tunc se turbis præsentat, quas ne eum regem facerent, fugerat. Ecce nunc cum turbis loquitur, nec eas timet, sed eas patiens audit, nec eis ad interrogata, quia curiosa, respondet, sed quibus prius satiauit ventrem, nunc tentat satiare mentem.

Amen amen dico vobis, queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quam filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus. Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.

Erant in ea turba quinque millia hominum, diuersi generis homines: quidam & hi pauci intelligendæ veritatis, & obtinendæ salutis gratia CHRIS TV M sequebatur: fortasse paulo plures signorum gratia: at bona pars, vt cibus ventrem pascerent. Ideo exprobrat eis CHRIS TV S, quod pascerent tantum ventris gratia venerint. Admonet itaq; eos operari non cibum qui perit, id est, occupari, & anxios & studiosos esse querendi cibi, non carnalis & temporalis, sed spiritualis & æterni, qui vitam præstat se manducantibus æternam. Et ne causamini non adesse vobis cibi huius copiam, præsto adest filius hominis, qui vobis eum suppeditet. Hunc enim inquit, pater signauit Deus. Pro signauit, Græcè est εὐσημίωσεν, id est, sigillauit, hoc est, imaginem sui & characterem in filio tanquam impressit: imò ipse filius tanquam ipsissima est imago patris, & character substantiæ eius. Quod si character est patris, & eadem cum eo substantia, vtique vitæ æternæ cibum præstare potest. Dicunt ergo Iudæi: quid faciemus vt operemur opera Dei? Græcè, τι ποιήσωμεν, id est, quid facimus? pro,

quid facere debemus, aut faciemus, ut operemur opera Dei? ἐρωτικῶς autem hæc interrogant. Vnde cum CHRISTVS respondisset opus Dei esse, ut in se CHRISTVM Dei filium crederent, nuperrimo factō miraculo.

Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

† Exo. 16. c.
Num. 11. b.
Matth. 16. a.
Marc. 3. b.
1. Ioan. 3. d.
Psal. 77. c.
Supr. 16. c.

Nouum signum quærent, ut inde credant. Neque aliud signum occurrit illis, quàm antiquum manna, dignum gastrimargis illis signum. Quibus respondet CHRIS TVS, vetus illud manna patribus esse datum: at longè maius vobis præstitum beneficium. Nam etsi ad Moyse preces manna vobis de cælo pluit, non tamen Moyses dedit vobis panem de cælo. Vbi Græcè est τὸν ἀέρον, id est, non panem illum verum, sed veri illius panis figurā, manna scilicet. At pater meus dat vobis τὸν ἀέρον, id est, panem illū de cælo verum. Verus enim ille panis est, qui de cælo descendit, quod manna non erat, quod tantū ab aere descendit. Quod autem Iudæi aiunt: Domine, da nobis semper hunc panem: quidam ἐρωτικῶς dictum putant, quasi dicat: si potes, da nobis hunc panem, quomodo Moyses manna dedit. Cyrillus non ἐρωτικῶς dictum putat, sed ex animi sententia, pro carnali scilicet eorum ingenio, qui ventris tantū curam habent.

Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet in æternum. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis.

† Eccl. 14. e.
Matth. 26. a.
Marc. 14. d.
Luc. 22. c.
Supr. 5. e.

Quia carnales Iudæi de carnali pane intelligebant, docet eos non de materiali pane se intellexisse, sed spiritali, qui quidem panis ipse sit. Ego inquit, sum panis vitæ, id est, viuificans, ac vitam mundo præstans: est enim Hebraismus. Qui venit inquit, ad me, non esuriet. Quid autem sit ad eum venire, explicans subdit: Et qui credit in me, non sitiet in æternum. Nam ad CHRIS TVM venire, est in eum credere: in quem qui piè & verè credit, spiritaliter eum manducat & bibit, nec sitit aut esurit: quod verum est, & spiritaliter, & carnaliter. Nam esurire & sitire præ extrema rerum temporalium penuria etiam literaliter sumitur, quam non finit pius & in se verè credēs pati Dominus, iuxta illud Davidis: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Vel spiritaliter intellige, quod qui finaliter in eum crediderit, nunquam esuriet neque sitiet, nimirum omnium bonorum fatietatem in CHRIS TO oppletus, iuxta quod David olim dicebat: Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Et de hac fatietate fidelium inquit Isa. 49. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Qui credit inquit, in me, non sitiet in æternum. Sed dixi vobis, quia, pro quod, & vidistis me, & non creditis: vidistis scilicet me miraculum de quinque panibus & duobus piscibus ædentem, quod erat diuinitatis meæ amplum & sufficiens testimonium, & tamen non creditis.

Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiciam foras, quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est enim voluntas eius qui misit me patris,

me patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est enim voluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Quia non veritatis dicendæ, sed pascendi ventris, ut antea illis exprobrauit, eum sequebantur, ideoque quanquam miracula vidissent, non credebant, rectè subdit: Omne quod dat mihi pater, quasi dicat: nihil mirum quod in me non creditis, quod iam ad me non venitis, quemadmodum scilicet par est, quia non mittit vos pater. Omnes autem quos mihi dat pater & mittit, ad me veniunt. Sicut enim postea ait: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum: vos autem pater non trahit, sed gula vestra, sed gastrimargia. Et eum qui venit ad me recta fide, non eiciam foras, nec aspernabor. Patris enim, cui veni ut paream, voluntas est, ut electos suos, quos mihi dedit, quique oculis mentis Dei filium vident, & in eum credunt, excipiam, & ad vitam æternam in nouissimo die resuscitabo.

Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de cælo descendit? Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.

Murmurabant re vera Iudæi, quod CHRIS TVS illos iterum non pasceret: quanquam murmuracionis causam prætexunt, quod se de cælo venisse diceret. Vnde subdit: Nolite murmurare inuicem, prætextu huius quod me de cælo venisse dixerim. Neque enim capere illud potestis, qui ad me fide venire spernitis, nimirum quos non pater trahit, sed venter. At nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Idem est quod paulo antè dixerat: Omne quod dat mihi pater, &c. At qui trahente patre ad me veniunt, ego ad vitam æternam resuscitabo: qui omnes erunt docibiles Dei, Græcè διδασκῶντες θεοῦ: vbi διδασκῶντες nomen est, significatque dociles. Docibiles autem Dei hic dici puto, qui Dei fidem ac doctrinam facillè suscipiunt, & docentur, quales sunt quos pater ad filium trahit. & hoc secundum septuaginta interpre. Isa. 54. quia Hebr. dicitur: Et ponam vniuersos filios tuos doctos à Deo. Vos autem, quos non pater, sed venter traxit, nihil mirum est si capere non potestis me affirmantem quod è cælo descenderim: neque ad me venitis, quia nihil à patre meo didicistis de me: quippe qui vos immorigeros & malè dociles præstatis: cum hi tantū, qui à patre de me audierunt, & didicerunt, dociles dici mereantur. Cum autem patrem sensibile quid putarent, quod cerni oculo corporali posset, subdit: Nō quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, qui vidit patrem, hic est à Deo: id est, nemo patrem vidit, nisi qui à patre missus est, eius filius. Eadem sententia cum ea primi capituli: Nemo Deum vidit vnquā, de qua vide illo loco. Quod autem dicit: Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: hoc illis impropert, quod suprā gloriabantur, dicentes: Patres nostri manduca-

† Matth. 13. g.
Marc. 6. a.
Luc. 4. d.
† 23. q. 4. ca.
Nabucho-
donosor.
in fine.
† Isa. 54. d.
Iere. 31. f.

† Exo. 16. e

cauerunt manna in deserto: non esse in hoc gloriandum, quod omnes qui de illo comederunt, mortem fugere non potuerunt, & omnes tam iusti quam iniusti mortui: verum qui hunc panem, quem profero, manducauerint dignè & fideliter, non morientur, sed in æternum viuent.

† De consec. dist. 2. cap. Christus. ca. Vtrum. ca. Omnia. 24. q. 1. ca. Audiuim. 1. Cor. 11. c.

† *Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Græci repetunt, quem ego dabo, scilicet, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Cùm inquit ergo, panis quem ego dabo, de alio pane intelligit, quàm cùm dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Nunc cùm dicat, quem ego dabo, in futuro, non de priore pane intelligit secundum diuinitatem, sed de pane secundum humanitatem. Sic enim interpretatur Euthymius Græcus ex Græcis, cuius verba pro expositione huc visum est addere: Duobus modis inquit, **C H R I S T V S** dicitur esse panis, secundum diuinitatem scilicet, & humanitatem. Postquam ergo docuit de modo qui secundum diuinitatem est, nunc autem docet de modo qui est secundum humanitatem. Non autem dixit: Panis quem do, sed quem dabo: daturus nanque erat in vltima coena, quando sumptum panem actis gratis fregit, deditque discipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Quod que is locus de vero corpore & sanguine **C H R I S T I** in Eucharistia intelligatur, docet Theophylactus, cuius verba visum est adscribere, Latine quidem versa, Græca autem qui volet, leget: Manifestè autem inquit, nobis hoc loco de mystica cõmunionem corporis sui dicit. Nam panis inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Attende autem, quod panis, qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantum figuratio quædam carnis domini, sed ipsa caro domini. Non enim dixit: Panis quem ego dabo, figura est carnis meæ, sed caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti spiritus in carnem domini. Et ne quem conturbet, quod credendus sit panis effici caro: etenim & in carne ambulante domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctissimæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat, iuxta humanum morem. Igitur & nunc quid prohibet, quin virtute verborum panis in carnem domini conuertatur. Et quomodo non apparet nobis caro, sed panis? Vt nõ abhorreamus ab eius esu. Nam siquidem caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga cõmunionem. Nunc autem condescendente domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioqui assueti sumus. Aduerte autem, quod cùm diceret verba hæc: Panis quem ego dabo, caro mea est, &c. nondum institutum erat sacramentum Eucharistiæ, quod in coena postea institutum est, quando sumpto pane & benedicto dixit: accipite & manducate, hoc est corpus meum. Quod autem litigabant Iudæi de verbis **C H R I S T I**, nihil mirum, cùm carnales ipsi, carnali tantum modo manducandam carnem intelligerent. quibus aperte Iesus respondet: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Aduerte autem, quod non respondet Iudæorum quæstioni interrogantium quo modo, sed generali sententia respondet, dicēs: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. quasi dicat: ad humanam non spectat infirmitatem de creatoris potentia, quo nam modo operetur, interrogare, sed simpliciter verbo eius credere oportet. Quia non modò possibile est eam manducari, sed etiam necessarium, necessitate quidem conditionali, si vitam scilicet habere velimus in nobis. Quia ad sumptionem carnis & sanguinis domini in Eucharistia, sequitur in dignè fumentibus vita. Nam vt inquit Cyrillus: Cùm viuificans Dei filius in carne habitauerit ad suum bonum, eam ad vitam reformauit, & totus toti, vt ita dicam, ineffabili modo vnionis coniunctus, viuificantem ipsam effecit: quia natura viuificans est, propterea participantem

tipantes hæc caro viuificat. Quod verò ait: Et ego resuscitabo eum in nouissimo die: non de resurrectione simpliciter intelligendum est, ad quam resurgunt boni & mali, sed de resurrectione ad vitam æternam.

† *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Rursum vt obturet murmurantium Iudæorum ora, aperte affirmat non ænigmaticè, aut parabolicè, vt inquit Chrysofost. quod caro sua verè est cibus. Quod si verè cibus est, & sanguis verè potus, mirari non oportet, quomodo fieri possit vt carnem eius manducemus, & sanguinem eius bibamus. Quod autem ait: Qui manducat meam carnem, &c. in me manet, intelligendum est de dignè manducantibus & bibentibus.

Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna in deserto, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?

Græci hunc locum interpretantur, τὸ δὲ ἐμὲ, ἀπὸ τοῦ δὲ ἐμοῦ, id est, per me, pro, propter me, vt sit sensus: Sicut misit me in mundum, vt homo fierem, pater, ita ego viuo per patrem habitantem in me. sicut alibi dicit: Ego sum in patre, & pater in me est. Sicut ergo per habitantem in me patrem, à quo vita mea dependet, ita qui manducat me, viuet per me: quia me vitam, per quam viuit, in se manentem habet. sicut paulo antè dixit: Qui manducat me, ipse viuet propter me. Et qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in illo.

Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?

Prædixit **C H R I S T V S**: hoc vos scandalizat, quod dixerim: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. quia natura vobis impossibile videtur, vt hominis caro viuificet, ac durum, vt quis hominis carnem manducet, quod præter naturam ista fiant. Quid ergo dicturi estis, quando contra omnem naturæ vim ac potestatem me filium hominis, quem modò nihili facitis, in cælum, vbi prius in natura diuina eram, ascendere, illucque humanam naturam ferre videbitis? Est enim particula hæc: Si enim videritis, ecliptica, supplendumque est, quid dicturi estis? aut quid simile. Non equidem tunc offendent verba ista, cùm intellexeritis maiestatem filij hominis super astra ferri. quid dicetis, qui neque quicquam corporeum cogitare potestis, aut attolli posse ad cælum?

Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.

Perperam torserunt hunc locum sacramentarij, quasi velint dicere **C H R I S T V S**, carnem suam sacramentaliter manducatam nihil prodesse. Dupliciter autem Græci hunc locum exponunt. Cyrillus interpretatur, quod caro **C H R I S T I**, si sola intelligatur, absque inhabitante in ea diuinitate, viuificare non potest, neque quicquam magis, quàm alterius hominis caro proficit. Sed quoniam cum viuificante verbo cõiuncta est, tota effecta est viuifica. Chrysofost. exponit carnem, id est, carnalis manducationis intellectum non prodesse: vt si quis, quomodo ait August. putet carnali modo vorandam dilaniandamque **C H R I S T I** carnem in Eucharistia, quomodo in macello occisi animalis caro manducatur. Sed spiritus

est qui viuificat, id est, spiritualis, & non animalis. Cyrillus explicat: Spiritus est qui viuificat, id est, non mea caro per se intellecta, sed quatenus mihi, qui spiritus sum, vnita est, viuificat. Hic enim **C H R I S T V M** spiritum appellat.

Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

Id est, vt inquit Cyrillus, spiritualia spirituali, & non carnali modo atque animali intelligenda sunt, & viuifica. q. d. intellexisti ea verba prædicta spiritualiter, tibi sunt spiritus & vita: intellexisti ea carnaliter, sic nihilominus spiritus sunt & vita, sed tibi non fant.

Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.

Causam scandali Iudæorum & discipulorum aliquot **C H R I S T I** (non de duodecim intelligas, nam & alij multi discipuli erant) eorum incredulitatem esse ait. Nam in Eucharistia, cæterisque diuinis mysteriis, quæ supra vim naturæ, humanumque ingenij captum sunt, credere oportet, non causas interrogare: quippe quæ de eorum genere sint, vt Isa. ait: *Nisi credideritis, non intelligetis.

*Isa. 7. b.

Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? & verba vitæ aeternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.

† De consec. dist. 2. cap. Forte.

Eos qui verbo **C H R I S T I** scâdalizati sunt, abiisse dicit retrorsum, hoc est, in incredulitatem. Nam qui **C H R I S T O** non credit, atque ab eo se diuidit, retrorsum abiit: qui autem credit, non retrò, sed ad priora & anteriora proficiscitur. quomodo Paulus ad Philip. 3. ait: Quæ quidem retrò sunt, obliuiscens: ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis fidei in **C H R I S T O I E S V**.

Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariotæ: hic enim erat traditurus eum, cum esset vnus ex duodecim.

Ne reliquis discipulis abeuntibus, & solis duodecim remanentibus, ipsi tanquam de sua firmitate confisi insolescerent, cautiore illos reddens, ait: Nonne ego vos duodecim elegi, & c. quasi diceret: Reliquos qui abierant, non elegeram, quapropter mirum non est, si verbo meo offensi, retrorsum abierunt, cum ex vobis quos elegi, vnus sit diabolus. Vbi diabolus non tam calumniatorem significat, quàm insigniter malû, omniq; prauitate prauum: qualis diabolus, eiûsque imitatione filij. Hunc autem Iudam intellexit, quanquam nominare noluerit, vt tacito nomine cautiore à malo, minûsque de se fidentes redderet.

CAPVT SEPTIMUM.

C H R I S T V S Iudæorum furorem declinans, Iudæam fugit, & Galilæam frequentat, vnde discipulos præmittit Ierosolymam ad scenopogiam diem festum Iudæorum, quos instante festo secutus est occulte, palam tamen prædicans in templo, Iudæos ex doctrina sua à Moysæ tradita confutat, & eos confusos abire cogit.

Post hæc



Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo † dies festus Iudæorum, Scenopogia.

Pro ambulabat, Græcè est περιπατῶν, id est, ambulabat, vel obambulabat, melius quàm versabatur, quomodo Erasmus vertit. Nā versantur in aliqua regione, qui in certo illius loco habitant, etiam si inde non moueant. Voluit autem indicare Euangelista, **C H R I S T V M** prædicando varia Galilææ loca obambulasse, non Iudæam, ob Iudæorum furorē, qui ad mortem eum petebant. Vbi Iudæa nõ generaliter, sed specialiter pro ea regione intelligere oportet, quæ tribum Iuda & Benjamin complectitur: nam in generali Iudæa est Galilæa. Et tunc proximus erat dies festus Iudæorum, Scenopogia, quod Iudæi vocant festum tabernaculorū. de quo Leuit. 23. institutum 15. die mensis septimi, vsq; ad 21. quintum festum celebre Iudæorum, in memoriam, quod in deserto peregrini Israelitæ non nisi in tabernaculis & vmbraculis habitauerint: σκηνωτήρια dicitur, à figendis tabernaculis. Nam σκάνη, tabernaculum, vmbraculum, & tentorium significat, σκηνωτής figo, à tabernaculis figendis dictum.

Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & querit in palam esse: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum.

Fratres eius non puto intelligi Iacobum & Ioannem: quanquam nonnulli Græci ita asserant eos Ioseph filios esse, perperam sentientes, sed alios puto fuisse **C H R I S T I** cognatos & affines, qui in Galilæa tantum agerent, ac minimè **C H R I S T V M** sequerentur, diuinitatisq; illius planè rudes essent, & cum animales essent ac carnales, arbitrâtes **C H R I S T I** gloriam ad eos vti agnatos & affines non nihil spectare: hortantur eum in Iudæam transire ac Ierusalem, scilicet vt discipuli eius, qui Ierosolymis habitabant, neque illi erant assidui, opera eius viderent & miracula, quæ ad vanâ gloriam illos retulisse indicant verba sequentia: Nemo in occulto quid facit, & ipse querit in palam esse. Vbi pro in palam esse, Græcè est, ἐν παρρησίᾳ εἶπαι, quod non significat in libertate esse, id est, audacter loqui, vt in Bibliorum suorum annotationibus quidam interpretatus est, sed in propatulo esse, & palam ac liberè omnium ore celebrari: vt scilicet cum miracula eius Ierosolymis viderint, quotquot illuc affluunt, palam ac liberè eum prædicent ac commendent. Indicant autem verba sequentia, quid sibi velit ἐν παρρησίᾳ εἶπαι, id est, in palam ac propatulo esse, omniumque ore celebrari, ista scilicet verba: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo, id est, si verâ ac non fucata sunt quæ facis miracula, prodi in publicum, & orbi te celebriorem redde.

Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. Vos autem ascendite ad diem festum hunc.

Consulentibus ex vana gloria **C H R I S T O** eius affinibus, vt ad festum Ierusalem ascenderet, quo se illustrem omnibus & gloriosum redderet, respondit: Tempus meum nondum aduenit. i. vt inquit Chryso. Tempus & hora mortis meæ à Deo statuta, cuius ego gratia in mundum hunc veni, nondum adest, necdum tempus est vt ego immoler. Quod si nunc Ierusalem ascendero, qui toti ardent, & morti meæ inhiant, Iudæi statim me occiderent: quod fieri non oportet ante tempus à patre constitutum. Vestrum autem tempus semper est paratum, vt cum velitis, semper ascendatis, quibus nihil est à mundo ac Iudæis periculi: quippe qui operibus eorum consentitis: ego autem opera eorum arguo. Ideo tutè ascendere potestis.

H h

Ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. † Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

Quomodo ait CHRISTVS: non ascendam: cum statim Euangelista subdat: Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit? Ad quod respõdeo, quòd cum ait: Non ascendam, intelligendum est, vobiscum. Et certè Græca quæ nunc extant, pro non, habent *ἔτι*, id est, nondum. Quanquam & Græcus Cyrillus legit ac interpretatur, non ascendo. Et Chryso-sto, interpretatur, non ascendo nunc, hoc est, modò vobiscum. Igitur ego inquit, non ascendo, adhuc enim vrget Iudæorum excandescencia in me, qui me occidere possent ante tempus à patre statutum. Post verò ascensum fratrum ascendit & ipse, non manifestè, ne quod illi suadebant, humanam gloriam affectare videretur: tum etiam expectans, donec Iudæorum deseruisset ferocia.

Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templū, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum nō didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina nō est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit eius voluntatem facere, cognoscat de doctrina, & utrū ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriā propriā querit: qui autē querit gloriā eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Die festo mediante, hoc est, circa quartum diem medium hebdomadæ, scilicet festi tabernaculorum, quod per dies septem protendebatur, accessit CHRISTVS in templum, iam furore Iudæorum pacato, & ibi docebat, dicens: Mea doctrina non est mea, & c. Mea inquam est doctrina, quam vobis annuncio: mea autē non est, id est, mei solius, sed patris etiam mei, qui misit me. quod nosse potuerunt, inquit, qui voluntatem eius facere voluerint. Nam à Deo patre profecta est mea doctrina, nō à meipso solo. Verè autem CHRISTI doctrina & patris & sua erat: quippe in quo essent omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi, & in quo habitaret omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

† Exo. 20. a. † Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? † Quid me queritis interficere? Respondit turba, & dixit: Daemonium habes, quis te querit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini propterea. † Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moysè est, sed ex patribus, & in sabbato circumciditis hominem. † Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem, † sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est quem querunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid cognouerunt verè principes, quoniam hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit.

Hoc dicit

Hoc dicit CHRISTVS ob id, quòd cum sabbato in piscina hominem sanasset, eum Iudæi vt legis transgressorem arguebant: propterea indignati, ad mortem eum quærebant. Iccirco eis obiicit: Me vt legis transgressorem arguitis ex bono opere, quia totum hominem sanum feci sabbato. Nemo autem ex vobis legem facit: quippe quæ homicidiū inhihet, cum me interficere quæritis. Quòd autem ait circumcisionem nō esse ex Moysè, sed ex patribus, ostendit primum circumcisionis authorem fuisse Abraham: per quam docet neq; etiam sabbatum solui. Nam & circumcisionem homo in sabbato accipit, ita tamen, vt inde lex sabbati nō soluatur. Ita neq; ex infirmi curatione, aut vllò profus tali benefacto. Quod rursus ait: Nolite iudicare secundum faciem, sensus est: Nolite habere in iudicando respectum personarum, vt me, quia humilis videor & abiectus, vt transgressorem sabbati arguatis ex opere profus bono: Moysen autem transgressi sabbati reum nō faciatis, cum circumcisione, quæ dolorem alioqui affert, vsus sit in sabbato, & vos eum imitantes, pariter vtimini. Quòd si me propter humilitatem damnatis, illum propter eius dignitatem absoluitis, vtique secundum faciem, & ex acceptione personarum, non ex reatò iudicatis.

Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

Qui ista dicebant, indubiè CHRISTVM oderant cum Phariseis, qui ex malitia dicunt neminem nosse vnde sit CHRISTVS. Nam ex quo propheta loco conicere poterant ignotum esse CHRISTI ortum, nempe secundum diuinitatem ex eodem nouerant cum Phariseis, qui tẽpore magni Herodis dixerūt ex prophetis CHRISTVM in Bethlehem nasciturum. Sed intelligere nolebant alterum esse CHRISTI ortum ex diuinitate, alterum ex humanitate, de quibus dixerat Micheas ca. 5. de ortu quidem ex humanitate: Et tu Bethlehẽ Ephrata paruulus es in milibus Iuda, ex te enim mihi egredietur qui sit dominator in Israel. De ortu autem eius ex diuinitate, cum statim subdit: Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Sciebant itaque omnes vnde nasceretur ex matre CHRISTVS, nempe ex Bethlehem: ignorabant vnde & quomodo nasceretur, ex patre. Cuius natiuitatis difficultatem referens Isaias, aiebat: Generationem eius quis enarrabit?

Clamabat ergo Christus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis: & à meipso non veni: sed est verax qui misit me, quem vos nescitis. † Ego scio eum. Et si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. † Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit? Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt principes & Pharisei ministros, vt apprehenderent Iesum.

Theophylactus & Cyrillus exponūt hunc locum: Quanquam fingitis vos ignorare, qui sim tamen, & vnde sim scitis, nempe à Deo. Nemo enim posset signa ea facere quæ ego facio, nisi à Deo sit. Sed obstare huic interpretationi videtur: quem vos nescitis. Quomodo enim vnde cœlesti ortu CHRISTVS esset, scire poterant, si Deum vnde prodiret nescirent? Vnde alijs videtur locum exponere de ortu carnali. q. d. CHRISTVS: Carnalè vtiq; meam generationem nostis, & tamen vnde sim, non verè nostis: quia patrem qui me misit, & vnde sum, cœlesti scilicet generatione ortus, siue à quo missus sum vt incarnarer, nescitis. Quem si velitis scire, quærite à me, & credite mihi, quia ego scio eum. Voluerūt autem eum apprehendere, sed noluit, quia nondum venerat hora, quam ab æterno diuinitus præuiderat. Vnde ex turba pauperes crediderunt maioribus infanientibus. Quapropter ministros miserunt, qui eum apprehenderent, sed non potuerunt, audita turba eum glorificante.

H h ij

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad
 †Infr. 13. d. eum qui me misit. † Quæretis me, & non inuenietis, & ubi ego sum, vos
 non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quo hic iturus est,
 quia non inueniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, &
 docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit, quæretis me, & non inue-
 nietis? & ubi sum ego, vos non potestis venire?

Cum per ministros ad mortem Pharisæi Iesum peterent, blando adeo sermone vsus, ait:
 Adhuc modicum tempus vobiscum sum, quasi dicat: quod ad me occidendum anhelatis, quid
 tantopere persequimini? Adhuc paulisper expectate, ac tum vos, si tenere me volueritis, non
 impediam. Et sane modicum tempus erat à festo tabernaculorum, quod in medio Septem-
 bri fiebat, vsque ad Pascha. Quo tempore expleto, vado ad eum qui me misit, per ascensio-
 nem videlicet ad patrem: & tum quæretis me, & non inuenietis. Non longè enim postea,
 quadragesimo scilicet post CHRIS TI passionem anno, qui tunc CHRIS TVM pete-
 bant ad mortem, in auxilium sui vocauerunt. Multi enim illorum superstites fuere, nec ta-
 men inuenerunt, exigente Dei vindicta, vt meritas scelerum suorum pœnas luerent. Hunc au-
 tem CHRIS TI sermonem non intelligentes Iudæi, arbitrabantur in dispersionem gen-
 tium eum abiturum. Dispersionem autem gentium vocat Chrysostronus gētes, non vno in
 loco, neque vna orbis parte seorsum, vt quondam Iudæi viuentes, sed quocunque locorum
 dispersas. Fortè etiam dispersionem gentium intelligit Iudæos, qui tempore captiuitatis hac
 illac inter gentes dispersi sunt, nec cum cæteris Iudæis reuersi in Iudæam: ad quos prædican-
 dos, quo Pharisæorum odium declinaret, abiturum CHRIS TVM suspicabantur.

In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, di-
 †De penit. cens: † Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scri-
 dist. 52. cap. ptura, † flumina de ventre eius fluent aqua viua. (Hoc autem dixit de spi-
 qui sitit. ritu, quem accepturi erant credentes in eum.)
 †Isa. 44. a.

Nouissimo die festo tabernaculorum, quo præterito abituri erant exteri, & quo in templo
 plures conueniebant, quod in omnibus festis solennibus octauus dies esset celeberrimus, &
 sanctissimus, apertè coepit prædicare, & clamare: Si quis sitit, veniat ad me. Sitim vocat vehe-
 mens salutis desiderium ac studium: qua inquit, siti qui laborat, veniat ad me, hoc est, mihi
 credat. Quod autem de siti spirituali intelligat, & quod ad eum venire, credere sit, docet se-
 quentia verba: Qui credit in me, sicut dicit scriptura (hic enim faciendum punctum est), id est,
 qui de me credit (inquit Theophylactus) quemadmodum scriptura testatur de me, quod sim
 Messias, Dei filius, creator, & vniuersi dominus: aqua viua fluit de ventre eius, hoc est, varia
 sancti spiritus dona, ac fluenta de corde eius scaturient. Nā ventrem Hebræi pro corde sumunt.
 sicut in illo Dauidis de filio pater ait: *Ex vtero ante luciferum genui te. i. de corde meo ac
 mente paterna. Quod autem per flumina aqua viua intelligantur sancti spiritus dona, testat-
 tur Euangelista, dicens: Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ex
 illa ergo turba cum audissent hos sermones, dicebant: Hic est verè propheta.

Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid à Ga-
 †Mich. 5. a. lilea venit Christus? Nonne scriptura dicit: quia ex semine Dauid, & de
 †Matth. 2. a. Bethlehem castello, ubi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta
 est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum:
 sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad principes &
 Pharisæos.

Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt
 ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur.


Græca quæ nunc extant, non habent datus, sed pro eo, sanctus. At Græci exponunt illud:
 nondum erat spiritus sanctus, pro, non erat spiritus sanctus datus. Quem locum intelligunt
 de visibili spiritus sancti missione, qui publicè missus non est, neque palàm visibiliter missus,
 nisi post CHRIS TI glorificationem & ascensionem. Nam ipsa spiritus sancti natura &
 substantia ab æterno cum patre & filio semper erat. Ex iam dictis verbis magna inter tur-
 bas orta est controuersia, aliis credentibus ipsum esse Messiam, aliis dicentibus, quia de Ga-
 lilæa non venturus est, sed de Bethlehem domo Dauid. Ideo qui missi fuerant vt adducerent
 eum, testimonium doctrinæ eius perhibuerunt, dicentes, nunquam se audiuisse talem sic be-
 ne loquentem, vt Deus videretur cum eo loqui.

Responderunt ergo Pharisæi: Numquid & vos seducti estis? Numquid
 ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis. Sed turba hæc, quæ
 non nouit legem, maledicti sunt. † Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit †supr. 3. a.
 ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Numquid lex nostra iudicat homi-
 nem, nisi prius audierit ab ipso, † & cognouerit quid faciat? Responderunt, † Dente. 17.
 & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? † Scrutare scripturas, & vi- b. & 19. d.
 de, quia à Galilæa propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in †supr. 5. f.
 domum suam.

Ipsi odio & inuidia in CHRIS TVM accensi, præiudicium turbæ & simplicibus fa-
 cere volunt, non debere eos credere CHRIS TO, quod ipsi non crederent, qui peritiores
 in lege essent: atque eo præiudicio CHRIS TVM premunt ipsum, doctrinamque eius abii-
 ciendam censentes, quod ipsi in illum non crederent. Quod non ferens Nicodemus occul-
 tus CHRIS TI discipulus, docet ex legis præscripto condemnandum non esse CHRIS-
 TVM, nisi prius audiretur. Contra eum autem Pharisæi stolido se argumento tuentur,
 nempe quod Galilæus esset, sicut & CHRIS TVS. Non legitur inquit, in scripturis, ori-
 turum ex Galilæa prophetam. Atqui mentiuntur illum Galilæum esse, quem ex Bethlehem
 antè nasciturum, & postea ibidem natum sciebant: quanquam propter exactam in Galilæa
 ætatem iuxta Isaïæ vaticinium vulgò Galilæus crederetur.

CAPVT OCTAVVM.

Occurrit CHRIS TVS cautelis Iudæorum liberando adulteram, probando
 doctrinam suam veritatem & excellentiam, & seipsum veracem, illos
 autem mendaces, seipsum Abraham superiorem: vnde
 commoti in illum, exiuit occultè de templo.



Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum
 venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & se-
 dens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi
 mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in
 †Leui. 20. a. medio, & dixerunt: Magister, hæc mulier modò depre- sine peccato.
 †3. q. 8. Qui
 hensam est in adulterio. † In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi
 lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent
 †cap. Po-
 †2. q. 7. cano.
 accusare eum. † Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Plerunque.
 Hh iij

† 3. q. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans, scribebat in terram. Audientes autem hæc, unus post alium exhibant, incipientes à senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Eri-
vult. *gens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te
Deute. 17. b. condempnavit. Quæ dixit: Nemo domine. Dixit autem Iesus: † Nec ego te
† 5. o. dist. ca. ponderet. condempnabo: vade, & iam amplius noli peccare.**

Hanc historiam de muliere adultera multi codices antiqui Græcorum non habebant, quam neque Chrysoſtomus in Euangelij Ioannis enarratione recenſet: licet eius homil. 60. meminerit. Euthymius Græcus in collect. ex commentariis Græcis hanc recitat. Cuius quidem nota est expositio, in qua Phariſæorum malitia notatur, qui non legis studioſi, sed vt CHRIS TVM conſtringerent, reumque transgressæ legis absoluendo mulierem, aut inhumanitatis eam condemnando arguerent. Iesus autem sic factum temperat, vt pudefactos Phariſæos ab accusatone mulieris arceat: ipse vero neque absoluat, neque absentibus accusatoribus damnet. Superant tandem explicanda aliqua, quæ nonnihil à Græco differre videtur. Interpret habet: deprehensa est in adulterio, Græcè est, ἐπ' αὐτοφώρω μοιχευομένη, id est, in ipso facinore adulterans deprehensa est, ita vt tergiuersari non possit. Quod vero aiunt: in lege Moyses mandauit huiusmodi lapidare: Leuit. 20. habetur, & Deuter. 22. vbi tamen de mortis genere, lapidatione scilicet, nihil habetur. Quod autem semel atque iterum inclinatus Iesus in terra scripsisse dicitur: quaquam quid scripserit ignoratur, nisi quia aliqui dicunt ipsum scripsisse: Terra terram accusat: tamen vero simile est occulta Phariſæorū scripsisse flagitia. Vnde illi pudefacti abierūt, relicta muliere sola, vnus post alterum. Hoc autem loco, scilicet audientes autem, &c. Græca Aldi planè ita habent, vt interpret noster vertit: alij codices paulo secus habent. Nam post audientes, addunt: καὶ ὑπὸ συνειδήσεως, id est, redarguti à conscientia. Et post hūc locū, incipientes à presbyteris & senioribus, addit: ἕως τῆς ἑσχάτης, id est, vsque ad nouissimos. Vbi vero interpret habet: erigens autem se Iesus, Græci addunt, καὶ μὴ δένα θεοσέμνος, καὶ τῆς γυναικός, id est, & neminem intuitus, præter mulierem.

† Infr. 9. a. *Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: † Ego sum lux mundi. Qui sequitur
† 13. g. me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dixero ergo ei Pha-
1. Ioan. 1. b. risæi: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est ve-
rum. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de me-
ipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quo vado.
Vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado.*

Græci articulum addunt τὸ φῶς, id est, lux illa vera, de qua Ioan. 1. dixit: Erat lux vera, illa scilicet, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc autem ait, vt in ignorantia ac peccati tenebris iacentes ad se, veram lucem sequendum excitet. Ob id autem increpantibus Phariſæis, non esse illi fidem adhibendam, quia de se testimonium ferret, ait: Et si testimonium perhibeo ego de meipso, verum est testimonium meum. quasi dicat: Nolo ego vos premere meo vnus testimonio, qui & patrem de me testantem, & scripturas etiam ipsas, & opera habeo quæ facio: quanquam si meo testimonio vrgere vos vellem, verum est testimonium meum. Probat autem hinc verum esse: quia scio vnde venio, & quo vado, id est, scio me à Deo patre verum Deum exiisse, & rursus vt Deum ac verum hominem ad eum redire. Deus autē falli non potest, nec mentiri. Sed quomodo inquires stare potest quod nunc ait, cum eo quod 5. ca. dixit: Si ego testimoniū fero de meipso, testimonium meum non est verum? Dicendum quod 5. cap. loquitur vt homo purus: hominis autem puri testimonium de se recipi non solet: hic autem loquitur vt homo ac Deus, ideo subdit: quia scio vnde veni.

Vos secundum

Vos secundum carnem iudicatis.

Hoc est, vt inquit Chrysoſtomus: Ego cum sim Deus, non nisi verè iudicare de me possum: vos autem qui carnales estis, secundum carnem, id est, secundum carnalem apparentiam, & externam faciem iudicatis, hominem me parum arbitantes: atque ideo meum de meipso testimonium reiicientes.

*Ego non iudico quenquam: & si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me pater. Et in lege vestra scriptum est: † Quia duorum hominum testimonium verum est. † Ego sum qui testimo-
† Deut. 17. b. nium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.
† 19. b. Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus?
† Matth. 18. b. 2. Cor. 13. a. Heb. 10. c.*

Hoc interpretatur Chrysoſtomus, quasi dixissent Iudæi: si nos non rectè iudicamus, cur nos non punis? cur non damnas? Quibus respondet CHRIS TVS: Ego non iudico quenquam, id est, non ad hoc veni primo aduentu meo in mundum, vt iudicem mundum, sed saluem: quanquam si iudicarem, verum esset iudicium meum, quia non solus ego, sed qui misit me pater, mecum iudicat, quem negare non potestis infallibilem iudicem. Sicut meum de me testimonium verum est, quia non solus ego testimonium de me fero, sed pater qui misit me: quia si ita in lege vestra scriptum est: duorum hominum testimonium verum est: multo magis duorum, qui omnibus hominibus superiores sunt.

*Respondit Iesus: † Neque me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsi-
† Matth. 11. d. tan & patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio,
† Luc. 10. d. docens in templo. † Et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora
† sup. 7. g. eius.*

Videntur hæc contradicere ei quod dixit 7. cap. Et me scitis, & vnde sim scitis. Euthymius ex Græcis interpretatur, nescitis, id est, nescire simulatis. Nam in veritate inquit, noſtis. Chrysoſtomus interpretatur nosse CHRIS TVM & patrem, est approbare & honorare. Neque nouistis inquit, vt oportet agnoscere: quia si cognosceretis & honoraretis, etiam me cognosceretis. Nunc autem quia me nescitis, neque honoratis, illum quoque nescitis, neque honoratis. Præcedentem verò locum: Vbi est pater tuus? quidam inquit Chrysoſtomus, ad iniuriam & probum dici putant. Iudæis, qui ei exprobrarant, quasi ex fornicatione natus esset. Alij, quod Ioseph vilem esse putabant & abiectum. Ideoque dicebant: Vbi est ille pater tuus. quasi dicerent: Obscurus est & ignobilis, qui tantopere eum iactas: dissimulabant enim intelligi à CHRIS TO, Deum patrem esse suum.

Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit: Quo ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis: Vos deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

Vado, his locis, quo sæpius vtitur CHRIS TVS, significat spontaneam eius abitionem in mortem, quasi dicat: ne putetis quod ego pro mundo moriturus sum, vestrum tantum esse opus, ego enim sponte in mortem vado, non vos me ducitis: & quia nunc me

abiicitis, futurum est ut absentem quæretis, nec interim inueniatis, id est, in obstinato vestro in me meosque odio (nec enim desierunt post CHRISTUM mortem eum persequi in membris suis) aut in infidelitate vestra. Potest etiam intelligi pro, ego vado, ego vado ad patrem per mortem & ascensionem: cumque abiero, vosque futura mala premere cœperint, quæretis me auxiliatorem, quem nunc habetis ut veteratorem, Alij interpretantur: quæretis me, ad mortem persequendo me in meis membris. Quo autem ego vado, id est, ad patris gloriam, quo per mortem & ascensionem propero, venire non potestis. Quod CHRISTI verbum non intelligentes Iudæi, arbitrati sunt per hæc verba, quo ego vado, eum locutum esse de interfectione sui. Quibus respondit CHRISTVS: Vos de deorsum estis, ego de supernis, quasi dicat, nihil mirum si intelligere non potestis quod dixi vobis: quo ego vado. Nam ego qui de supernis sum, id est, exiui à patre, & de cœlo descendi, non nisi cœlestia possum loqui, & sublimia: vos autem qui de deorsum estis, hoc est, carnales, animales, mundani, nõ nisi infima & carnalia loqui potestis. Quod autem prædixit: moriemini in peccatis vestris: ne ad desperationem eos adducat, ostendit penes vnos illos esse causam mortis. Si enim non credideritis quia ego sum, Messias scilicet vester & saluator, in peccato vestro, seu in peccatis vestris, ut Græca habent, moriemini, scilicet in infidelitate & obstinatione.

Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium, qui & loquor vobis.

Diuus August. scilicet & Ambrosius interpretantur: Ego sum rerum omnium principium: nempe in quo Deus omnia fecit, ut scribitur Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram. Nam sicut pater principium rerum omnium dicitur, tanquam causa & origo, sic & filius, quod per eum omnia pater fecerit. Tamen Græca secus habent, ita nempe, τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν: vbi τὴν ἀρχὴν, pro κατὰ τὴν ἀρχὴν, id est, principio, siue à principio sumitur: & tunc ordinanda est lectio, interrogantibus Iudæis CHRIS TV M: Tu quis es? Sum id quod à principio vobis loquor, ac toties inculco ac repeto, nempe panis vitæ, panis viuus, qui de cœlo descendi, lux mundi, de quibus & similibus suprâ 6. & 7. locutus est capitulis.

† Rom. 3. a *Multa habeo de vobis loqui & iudicare, sed qui me misit, verax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. † Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum.*

Græcè, πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλῆν καὶ κρίνειν, id est, multa de vobis possem dicere, ac in multis vos accusare, siue iudicare, damnare (nam vtrunque κρίνω significat) quippe qui sum is, cui pater omne iudicium dedit: sed qui misit me pater, verax est & iustus, ei vos ego relinquo iudicandos, illi doctrinam meam, quam vos reiicitis, explorandam relinquo: quippe quia ego loquor quæ ab eo audiui. Et non cognouerunt inquit, quia patrem suum dicebat Deum: Græci non addunt Deum, quanquam Græci de eo intelligant. Est itaque sensus: Non cognouerunt, cum diceret: qui misit me: quod de patre eis loqueretur.

† Sup. 3. e
Inf. 12. e
1. Ioan. 3. c *Dixit eis Iesus: † Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.*

Cum exaltaueritis, id est, morte crucis affeceritis: tunc enim ad literam exaltatus est in ære, & verè etiam exaltatus, id est, in summum dignitatis gradum assumptus est. sicut testatur Paulus ad Hebr. 2. Eum autem qui modico, quàm angeli minoratus est, videmus

I E S V M

I E S V M propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Ignominiosissima enim morte, qua deiectum iri CHRIS TV M, eiusque nomen extinctum iri Iudæi putabant, ea maximè exaltatum reddiderunt, non sua, sed patris gratia, testante Paul. Philip. 2. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortè autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum. Cum ergo inquit CHRIS TV S, filium hominis, me scilicet vilem & abiectum vestra quidè opinione oppræsseritis & extinxeritis, re autè vera, sed præter opinionem vestram exaltaueritis, tunc cognoscetis quia ego sum. Quidam interpretantur, quia ego sum Dei filius, panis vitæ, lux mundi, & similia. At cum textus nihil horum habeat, & vniciuique supplere liceat pro suo arbitratu, mihi simplicius sumendum videtur: Ego sum verus Deus, quasi dicat: cognoscetis me, quem contemptui habuistis, verum Deum esse. Ut autem sic interpreter, adducor, eo quod ad vnum Deum spectat dicere: Ego sum. Et interroganti Moyse Deum quod esset nomen eius, respondit dominus: *Ego sum qui sum. Et, Sic dices *Exod. 3. d filius Israel, Qui est, misit me ad vos. Cum ergo exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quod ego sum, id est, agnoscetis me verum Deum, Dei que filium. Sic enim scribit Matthæus: Centurio, & qui cum eo erant, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste. Post exaltationem quoque CHRIS TV I, id est, eius mortem & resurrectionem (vtrunque enim eius exaltatio est, ut testatur Paulus Roma. 1.) declaratus est filius Dei, ex eo quod à mortuis resurrexit. Quod si tunc cognituri sint quod CHRIS TV S verè Deus Deiq; filius erat, cognituri sunt etiam, quod à seipso solo nihil, sed omnia ex patris præscripto & voluntate faceret.

Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei, Iudæos: † Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abraham sumus, & nemini seruiimus unquam: quomodo tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

Quia ut paulo antè dixit: multi in eum crediderant: sed quia multi erant, qui cum ad tempus credidissent, verbis eius offensi, quia animales erant, nec ea capere poterant, abibant retrorsum, ut suprâ cap. 6. dictum est: docet non satis esse fidem, nisi in ea perseverauerint. Quod si perseverauerint, veros fore eius discipulos, & veritatem agnuros, quæ ipsos ab omni errore peccati & ignorantia protinus liberos reddat. Et veritas inquit, liberabit vos. Quod verbum Iudæi carnaliter intelligentes, de seruitute corporali & legali respondent: Nemini seruiuimus vnquam: Semen Abraham sumus, quasi dicant: Semini Abraham regnum promissum est perpetuò duraturum: quomodo ergo nos seruos appellas, cum dicis nos per veritatem in libertatem afferendos? CHRIS TV S docet aliam esse seruitutis rationem, quæ sit per peccatum: quia qui facit peccatum, seruus est peccati. Cui enim teste Paulo, * nos exhibemus seruos ad obediendum, eius serui sumus, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam. *† Rom. 6. e*

Seruus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Scio quia filij Abraham estis, sed queritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi, apud patrem loquor, & vos quæ vidistis, apud patrem vestrum facitis. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est.

Cum prædixissent Iudæi se semen Abraham, id est, de domo ac familia & genere Abraham, atque ideo minimè seruos, CHRIS TV S autem docuisset alia ratione eos esse seruos, scilicet seruos peccati, subdit CHRIS TV S: Seruus autem non manet in domo in æter-

*Rom. 9. b num. quasi dicat cum Paulo, * Neque omnes qui semen sunt Abrahamæ, omnes filij, sed serui multi, quia peccato seruiunt. Seruus autem non est perpetuo de domo & familia, sed eiicitur, quoties domino placet. Itaque quanquam vos genus & semen Abrahamæ iactatis, si serui peccati esse perseveratis, eiiciet vos e cœlesti familia verus Abraham, à qua verus filius eiici non potest, quia manet in æternum. Illi ergo fidem habetote, ut vos à seruitute peccati in libertatem asserat iustitiæ. Nam si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Scio equidem quod Abrahamæ filij estis, at carne tantum, non spiritu, fideique eius imitatione: quia innoxium me, quem tantopere Abraham videre optavit, interficere quæritis: quia sermo meus non capit in vobis, Græcè, οὐ χωρεῖ, quod significat capere, percipere, procedere, & progredi, quomodo fortasse sumi potest: sermo meus οὐ χωρεῖ, id est, non procedit, neque progreditur in vobis, hoc est, non proficit. Sed vereor ne non id significet τὸ χωρεῖν: quapropter aut arbitror Ioannem scripsisse χωρεῖται, aut τὸ χωρεῖ absolute positum, pro χωρεῖται, quomodo nonnulla actiua absolute ponuntur pro passiuis, ut καταστρέφω, quod significat finem alicui rei dare aut facere: similiter aliquando desinere. De quo vide Commenta, Budæi, pag. 609. Certè Theophylactus passiuè interpretatur, inquit enim: εἶτα ἵνα μὴ ἔχωσι λέγειν, ὅτι διὰ τὸς σε ζητῶν ἀποκτείνουσι, τῶν τὴν ἀπὸ τῶν. οὐ γὰρ διὰ τὸ μὴ, φησὶ, λυσσάτε κατὰ ἐμὴν, εἰ μὴ διὰ τὸ τὸν λόγον τὸν ἐμὸν ὑψιλότερον εἶναι τῆς ὑμῶν διανοίας, καὶ μὴ χωρεῖν τὸν ὑμῶν: id est, Deinde ne dicere possent, iure te interficere volumus, causam addit: Non alia ratione inquit, aduersum me rabie agimini, nisi quia sermo meus vestro intellectu ac cogitatione sublimior est ac superior, neque à vobis capi potest. Ne verò dicerent: sermonem tuum capere non possumus, quippe qui à Deo non est: asserit ea se tantum loqui, quæ apud patrem suum Deum viderit, sicut & ille qui habet patrem suum diabolum, quæ diaboli sunt loquitur.

† De penitē. Dicit eis Iesus: † Si filij Abrahamæ estis, opera Abrahamæ facite. Nunc autem queritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati. Unum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

De duobus eos conuincit: primùm, quod patrem suum iactarent Abraham: deinde, quod Deum, & neutrius veros ac spirituales illos filios esse, quod contraria Deo & Abrahamæ faciant. Primò, quod non Abrahamæ, quod eius opera non faciant, quæ secundum Chrysostrum sunt fides, obedientia, mansuetudo. Opera verò eorum infidelitas, impietas, & crudelitas. Secundò, quod non filij Dei: nam si Deus pater vester esset, quem etiam patrem meum semper dixi, & iterum dico, diligeretis me tanquam fratrem vestrum. At contrà vos semper odistis Dei filium, & innoxium ad mortem petitis: & quia me odio prosequimini, & sermonem meum non agnoscitis, quia ipsum non auditis.

† 1. Ioan. 3. b † Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. † Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. † Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? † Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Ab imitatione

Ab imitatione diaboli filios illos ostendit: quia sicut ille per peccatum toti orbi mortem inuexit spiritualem, tanto homicida verior, quanto verior est mors animæ, quàm corporis: & sicut ille veritatem auersatur, ita & ipsi vera dicenti credere nolunt, amantque mendacium more diaboli, qui mendax est, & pater eius. Vbi τὸ eius non refertur ad diabolum, qui patrem nō habet, sed ad τὸν τῶν, quod paulo antè præcessit, eius, scilicet mendacij. Dicitur autem mendacij pater, id est, inuentor & author ipsius, quod Euæ persuasit.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes? Respondit Iesus: Ego demonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego non quero gloriam meam, est qui quærat, & iudicet. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Nunc cognouimus quia demonium habes. Abraham mortuus est, & propheta, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.

Tam odiosi erant etiam præ aliis gentibus Samaritani Iudæis, ut Samaritani nomen in contumeliæ vocabulum verterant. C H R I S T V S verò, quod reuera odiosum illi non erat, ignominiosum non ducit, neque ad illam iniuriam respondet, alioqui reuera Samaritanus, iuxta verbi interpretationem, id est, custos hominum, & seruator erat. Ad aliam verò iniuriam respondit, se demonium non habere, sed patrem honorare, neque suam, sed patris gloriam quærere.

Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & propheta mortui sunt? Quem te ipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus noster est, & non cognouistis eum: † ego autem noui eum. Et si dixerero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.

Quia dixerat C H R I S T V S futurum, ut qui sermonem eius seruarent, in æternum mortem non viderent, obiciunt illi Abraham mortuum, quasi se eo superiorem vellet facere. Sed malè argumentabantur, neque enim C H R I S T V S dixit: nō gustabit mortem: sed, non gustabit in æternum. Neque enim Abraham mortem gustauit in æternum, sed ad finem patrum anima eius deducta, & inde ad gloriam, ad vitam autem postremo immortalē corpore & anima suscitandus.

Abraham pater vester exultauit ut videret diem meum, vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti.

Græci exponunt diem pro die passionis C H R I S T I, quem vidit præfiguratum & adumbratum in die quo filium suum Isaac obtulit in holocaustum. Didicit enim inquit, quod sicut ipse non pepercit filio suo dilecto propter Deum, ita neque Deus parciturus esset dilecto filio suo propter hominem. Alij dicunt, quod hic dies pro toto tempore aduentus C H R I S T I sumitur, quem Abraham viderit in spiritu, dum in semine C H R I S T O benedicendas omnes gentes vidit & credidit. Alij intelligunt diem æternitatis & diuinitatis C H R I S T I, quem viderit intelligens ab æterno ipsum esse Deum, Dei que filium.

† 7. q. 1. cap. Aduersitas. *Dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. † Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiit de templo.*

Non ait, inquit Chrysostomus, eram, sed sum, cuiusmodi verbum Deo conuenit, eo quod perpetuus sit atque sempiternus. Quibus auditis sustulerunt lapides, ut eum tanquam blasphemum lapidarent. Ipse autem non ut timidus, sed quia nondum venerat hora eius, se se abscondit, & ut dicit August. quia veritas fugit superbos & mendaces, & abscondit se illis: humiles autem sequitur, & manifestat se illis.

CAPVT NONVM.

Cæci nati à CHRISTO illuminati miraculum Iudæi calumniantur, quod cæcus cum parentibus tuctur, & ideo extra synagogam eiicitur, sed à CHRISTO edocendus suscipitur.

† 2. 4. q. 3. ca. 1. s. Huius ita.



Et præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius: † Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.

Nota est ad literam hæc cæci historia: obiter tamen pauca explicabimus. Quod Apostoli quærunt, nunquid hic peccauit, aut parentes eius? ex eo mouentur, quod CHRISTVS paralytico dixerat supra 5. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Sciebant autem cæcum non peccasse post natiuitatem ut cæcus nasceretur, ideo ambigebant num parentum culpa id accidisset: ideo rogant, num is peccauit, an parentes eius. Nota autem, quod non simpliciter rogant num peccauerint, sed num peccauerint ut nasceretur eis cæcus filius, id est, an propter eorum peccata acciderit ut cæcus nasceretur. Quibus respondet CHRISTVS, nulla illius, neque parentum culpa id accidisse, sed Dei dispensatione, ut in eo restituendo manifestaretur Dei gloria, CHRISTI scilicet Dei filij, cuius nondum aperta ac manifesta erat eius gloria ac virtus in humanitate latens, siue etiam ut manifestetur gloria Dei patris. Nam uti scribitur: Gloria patris filius sapiens, Pro. 10. & 15.

† sup. 8. b. Inf. 12. g. † De consec. dist. 4. cano. Ante baptismum.

Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. † Quandiu sum in mundo, lux sum mundi. Hoc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.

Quasi diceret: Ad illustrandam suam gloriam nondum satis orbi cognitam misit me pater. At cum eadem simul substantia, eadem quoque sicut mea & illius opera: itaque quod ipsum glorificaturus sum miraculorum operatione, illius opus est, atque meum. Itaque Deo dispensante natus est hic cæcus, ut suo tempore in eius illuminatione manifestetur Dei gloria, manifestenturque eius opera omnia, in quibus me operari oportet, donec dies est, id est, donec vitam ago. Suam enim presentiam corporalem diem appellat, in qua inquit, oportet me operari, & in exequendis patris mandatis sollicitum esse, donec dies est, id est, tantisper, dum viuo. Venit enim nox, quando operari nemo potest, id est, propediem futurum est, ut hinc è vita discedam, atque ad patrem redeam, quando iam occupatus non ero in prædicando hominibus, patrisque exequendis mandatis. Quod enim noctem absentiam eius corporalem

ralem interpreter, facit quod sequitur: quandiu sum in mundo, lux sum mundi. Si ergo CHRISTVS lux est mundi, absente eo per mortem à mundo verè nox erit.

Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abiit ergo, & lauit, & venit videns.

Siloe Hierony. teste 8. ca. in Isaiam, fons est ad radices montis Sion, qui non perpetuis aquis, sed certis horis diebusque ebullit, & per terræ concaua, & antra rupis durissimæ cum magno sonitu venit. Vnde non dubium est oriri, noménque habere hanc piscinam, siue natatoriam. Huius fontis aqua fertur Sarracenis multo in precio esse, qui cum instar hircorum pro more foeteant, huius fontis aquæ lotionem foetorem minuunt. In eadem etiam aqua lauantur oculos à cæcitate leuantur, ita ut etiam Turcis magna sit reuerentia. Quod autem lutum, vnde oculos cæci lineret, fecit, quod ad natatoria Siloæ miserit, non ideo factum est, quod alioqui verbo solo non posset hoc facere, sed ut visibilibus istis signis & sacramentis, dum mora interim sit, notius miraculum euaderet. Mysticeque hoc notatur, ut cum cæci omnes à natiuitate simus, utpote natura filijræ & peccati, intelligamus non posse nos verum mentis lumen ac visum recipere, nisi in natatoria Siloæ, hoc est, in baptismo CHRISTI lauemur. Siloe enim, quod missum significat, CHRISTVM indicat, à cælo in terras nostra gratia à paradiso missum.

Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est. Alij autem nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloæ, & lava. Et abiit, & lauit, & video. Et dixerunt illi: Ubi est ille? Ait: Nescio. Adducunt eum ad Phariseos qui cæcus fuerat.

Quinquam Græci codices qui nunc extant, habeant pro mendicus τυφλός, id est, cæcus, cum tamen constanter Latini omnes codices habeant mendicus, & Theophylactus cum Chrysostomo legant & exponant mendicus, præstat legere mendicus, quàm cæcus. Rationem enim ponit, quare notus esset vicinis, nimirum quia mendicabat. Erant enim Ierofolytis, ut notum est ex Euangeliis, cæci multi, sed hic præ aliis notus, quia mendicus. Facta autem inter vicinos controuersia, tum propter vultus mutationem, tum propter rem inauditam, annunciauit miraculum vsque ad Phariseorum notitiam, qui & rem & modum ab eo audientes, non credebant. Ille verò tanquam audax defendit, & quem ignorabat, prædicabat, quasi iam animo illuminatus.

Erant autem sabbatū quādo lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterū ergo interrogabāt eum Pharisei quomodo vidisset. Ille autē dixit eis: Lutū mihi posuit super oculos, & laui, & video. Dicebāt ergo ex Phariseis quidā: Nō est hic homo à Deo, qui sabbatū nō custodit. Alij autem dicebāt: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere. Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterū: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autē dixit: Quia propheta est. Nō crediderūt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocauerūt parētes eius qui viderat, & interrogauerunt, dicētes: Hic est filius vester, quē vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nūc videt? Responderunt eis parētes eius, & dixerūt: Scimus quia hic est filius noster,

† De con-
secr. dist. 4.
Cum pro
parulis.

¶ quia cæcus natus est, quomodo autem nunc videat, nescimus, aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus. Ipsum interrogate, † atatem habet, ipse de se loquatur.

Hoc opus dignum sabbato, quod tamen Pharisei calumniantur tanquam sabbato indignum, sed & per quod sabbatum violetur, ut qui malitia & odio cæci indigni essent etiam sabbato illuminari. Quoniam verò factum tam manifestum negare Iudæi non poterant, modum calumniantur, rursus interrogantes: quomodo vides? Narravit illis factum ut prius. Quibus non contenti, parentes eius vocant, & interrogant eos primo, an hic esset eorum filius: deinde, an natus esset cæcus: postremo, quomodo nunc videret. Ad duo priora respondent, & quod est filius eorum, & quod cæcus natus sit. Tertium filio suo committunt respondendum, tanquam sufficientis ætatis.

Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Quia atatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursus hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio. Unum scio, quia cæcus cum essem, modò video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis. Quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos. Scimus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam.

Paulatim fideles oportebat extra synagogam fieri, quæ paulatim desinebat. Hos autem CHRISTVS excipiebat, qui aliam synagogam, scilicet ecclesiam, paulatim incipiebant: Græcè ἀπὸ συναγωγῆς, id est, extra congregationem & ecclesiam Iudæorum eiectus. Erat autem tunc ἀπὸ συναγωγῆς idem quod nunc excommunicatus. Quod si Iudæorum illa excommunicatio metuenda erat, ut viri boni multi timuerunt, Nicodemus videlicet, & Ioseph ab Arimathæa, & alij occulti propter illum metum CHRISTI discipuli, quanto magis ecclesiæ nunc excommunicatio metuenda est? Sic tantum metuenda est, ut ne quid prauum, ac contra Dei honorem & gloriam eius metu admittamus. Rursus vocant eum, & adiurant, dicentes: Da gloriam Deo: hoc est, inquit Aug. Nega quod accepisti: quod est blasphemare, non Deo gloriam dare. Dare enim gloriam Deo, est veritatem de aliquo tanquam præsentem Deo dicere. Dicunt ergo: Confitere iustum non esse iustum, sicut nos eum tenemus, sed peccatorem, ideo subdunt: Nos scimus quia hic homo peccator est. Quibus ille respondit, quasi ex cæco videns, iam cæcos non ferens, mirum est quod tantus esset peccator, & tanta opera faciens, quanta nullus ante eum, cum Deus peccatores non audiat. Quod ut homo loquitur, cum sæpius peccatores Dominus exaudit. Si enim non audiret, frustra publicanus pectus percutiendo diceret: Deus, propitius esto mihi peccatori: qui propter hoc descendit in domum iustificatus. Aliquando enim inquit Aug. Deus quasi iratus dat quod petis, & propitius negat quod petis. Quando ergo bonum petitis, iucumbite orationibus ut sumatis.

Responderunt,

Responderunt, & dixerunt ei: in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras. Et cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et prociens, adoravit eum.

Haecenus illum suum fecerunt doctorem, interrogantes, & factum & modum: nunc autem reprobant eius doctrinam, quam ducunt inutilem, obiiciunt illi cæcitatem à natiuitate propter peccata sua contigisse, quod CHRISTVS à principio negavit. At ille ab eo gremio expulsus, tanto magis factus est CHRISTI discipulus. A quo benignè exceptus, & quod credere debeat edoctus: & qui corporeis illuminatus prius fuerat oculis, iam mentis oculis illuminatus, confitetur & adorat filium Dei.

Et dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariseis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet.

Dupliciter hæc iudicium sumi potest, pro condemnatione, & discretionem. Nam & κριαν discernere significat. Primo modo quidam explicant: Veni in iudicium, id est, in cõdemnationem, ut eos scilicet condemnem, qui voluntariè cæci sunt, ac videre nolunt. Cum verò scribatur: Non enim venit filius hominis ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum; & iudicium ipse seruauerit in secundum aduentum, fortasse non malè exponetur, in iudicium, id est, in condemnationem veni in hunc mundum, quo scilicet condemner à vobis, ut scilicet qui non vident, hoc est, rudes & simplices, qui propter scripturarum ignorantiam veritatis lumen apprehendere non poterant, apertis per fidem mentis oculis videant: & qui vident, id est, scribæ & Pharisei, qui propter scripturarum notitiam perspicaces sibi videntur, ac bene oculati, clausis per infidelitatem animæ oculis, non videant, sed & cæci fiant. Nam CHRISTVS, quomodo Luc. 2. Simeon iustus prædixerat, positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. In ruinam quidem Phariseorum ac similiarum, qui cum sibi viderentur bene oculati, cæci permanferunt. In resurrectionem verò eorum, qui cum antè cæci forent, fide lumen animis receperunt. Audientes autem Pharisei hæc verba, & intelligentes ad se pertinere, cum interrogassent: nunquid & nos cæci sumus? respondit IESVS: Si cæci essetis, non haberetis peccatum, id est, si scripturarum lumine & intelligentia careretis, quæ ita vos oculatos reddunt, ut me ex his verum Messiam positis agnoscere, non haberetis peccatum, quod ignorantia tolleret, sed excusationem cum idiotis: nunc verò cum vos videre profiteamini, id est, scripturarum notitiam atque intelligentiam habere, peccatum vestrum, scilicet affectatæ infidelitatis, manet.

CAPVT DECIMVM.

CHRISTVS inter pastorem & mercenarium discrimen ponens, se pastorem, & bonum, qui cognoscat oves, & seruet eas, & animam suam ponat pro eis, & iterum cum voluerit, eam sumat: quapropter Iudæi illum lapidare voluerunt, & quod se unum cum patre, & Dei filium diceret: quos ex suis operibus conuincens, quosdam ad fidem conuertit.

Ii ij

† 1. q. 1. cap. Ordinario- nes.

Amen dico vobis, † qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emisit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc pro- uerbum dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.

Nota sunt hæc ad literam, quibus veri falsique pastoris discrimen CHRIS TV S aperit: parabolamque per se dignatur indicare. Ouile autem ouium, aut catholicam ecclesiam, aut ipsam euangelici verbi prædicationem, Christi que ecclesiarum administrationem intelligere debemus. Ostiū autem quod ipse sit, dignatus est explicare, dicens: Ego sum ostium ouiu. Ipse enim verum est ostium, * per quem, teste Paulo Ephe. 2. accessum habemus in vno spiritu ad patrem. Nam absque fide in CHRIS TV M neque ecclesie incorporamur, neque in regnum cælorum accedere, aut ecclesie regimen commodè possumus apprehendere. Per quod ostium si quis introierit, saluabitur: teste enim Petro Act. 4. * Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Et ingredietur inquit, & egredietur, id est, liber & intrepidus erit eorum in ouile accessus, non quemadmodum furum, qui clam subeunt, ne agnoscantur. Fur autem est, quisquis ad ecclesiasticam administrationem, & euangelici verbi prædicationem, aliter quam in CHRIS TV S fide, qui solus verè est ostium, vult ascendere.

Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

† 23. q. 4. Tres personas. De iure patro. cap. Relatum. Isa. 40. c. Ez. 34. f. 57. f. 2. Cor. 9. c. † Distin. 43. sit rector. 7. quest. 1. Aduersitas De remun- cia. cap. Nisi cum pridem. 23. q. 3. cano. Sex differ- rentia.

Quod autem dicit CHRIS TV S: Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones: vbi quidam codices Græci habent: venerunt ante me, (quanquam Theophylactus, & Euthymius Græci neque legunt, neque interpretantur, ante me) intelligendum est, non per me verum ostium venerunt. Aut, quotquot venerunt, suapte autoritate scilicet, neque missi sunt à Deo: nam patriarchæ & prophetæ fures non fuerunt, quemadmodum pseudoprophetæ, de quibus dicit Dominus Iere. 23. Currebant, & ego non mittebam eos. Differentiam autè furis à vero pastore, quem se esse profitetur, indicat, quod fur, qui verè diabolus est, & reliqui eius ministri fures, ouium tantum mactationem & internationem quærunt: verus autè pastor CHRIS TV S, vitam & lucrum: pro quibus etiam animam dat, id est, vitam effundere non dubitat. Et quanquam solus dici pastor verè queat, qui tamen per eius fidem intrant, participio imitationis illius pastores dici possunt: quibus per verum ostium intrantibus ostiarius aperit, CHRIS TV S scilicet, qui idem & ostium, & ostiarius, & pastor est.

Ego sum pastor bonus. † Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autè, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues. † Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

Posita autem furis ac pastoris differentia, adiungit veri pastoris, cuius scilicet propriae sunt oues, & mercenarij discrimen: quod videlicet bonus pastor aduersus luporum insultus pro ouibus

pro ouibus vitam profundere non dubitat, ne dum illas depascitur ac laniat. In hoc loco autem vbi ait: animam suam dat, vel ponit pro ouibus suis (nam Græcè est τήναι) significat voluntariam CHRIS TV S mortem, & non coactam. Mercenarius verò, cuius non sunt oues proprium peculium, quanquam minus malus est ipso fure, neque dilaniat, minus tamen sollicitus est, vt à luporum rabie defendat, sed viso lupo aufugit: cum ad illum non pertineat de ouibus, id est, quod illi curæ non sunt oues, quia suæ non sunt. Mercenarij verò dicuntur, quicunque lucri tantum temporalis gratia ecclesie regimen suscipiunt, etiam si vicarij non sunt, sed primariæ illorum curæ traditæ sunt oues. Lupus autem, aut diabolus est, aut diaboli membrum, quiuis hæreticus, aut Christianorum seductor & corruptor, qui per pastoris aut mercenarij negligentiam oues rapit ac dissipat.

Ego sum pastor bonus: & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. † Si- cut nouit me pater, ita & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. † Matt. 11. d. Marc. 10. d. † 2. q. 7. cap. Testes.

Ex quibus probat se bonum pastorem, utpote qui boni pastoris condiciones habeat. Et primò quod pastor, quia cognoscit oues suas, & vocat eas nominatim, & vocem eius intelligunt, & ipsum sequuntur quocumque ierit, eas deducit ad pascua, defendit à lupis, & eas ad ouile reducit. Et quod bonus, ex hoc patet, quia animam suam, id est, propriam vitam pro suis exponit ouibus. Vnde Roma. 5. * Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus CHRIS TV S pro nobis mortuus est. Ita ostendit quantum diligit patrem, quia quæ patris sunt exequens, animam suam ponit pro ouibus suis: quoniam supra dicebat: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Verum quia non solum Iudæos, sed & gentiles redimere venerat, ideo subdit:

† Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. † Matt. 11. g. & 12. b. Ez. 37. f. De peniten. distin. 4. Hanc societatem.

Gentes igitur intelligit, quæ non sunt ex ouili Iudaico, cum legem non haberent, neque prophetas: quas inquit, oportet me adducere, Græcè ἀγορεύω, id est, congregare, & rupta maceria, quæ gentes discernebat à Iudæis: ex vtrisque fiet vnum ouile, sicque vnus pastor, audientibus legem euangelicam ipsis etiam gentibus procul olim à Deo remotis: quæ vocem eius melius Iudæis audierunt, & crediderunt.

Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. † Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. † De celebr. missarū. ca. In quadam.

Quasi dicat: ne putetis oro, si animam meam pro vobis pono, vitamque propriam lubens effundo, me propterea deserat pater: imò longè amplius me diligit, donatque, vt iterum eam sumam, id est, autoritate mea resurgam, qui sponte mea mortem sum oppetiturus: quippe cui inuito nemo vitam auferre potest, quam sponte exuo, & rursus autoritate mea sumo. Quod autem animam meam voluntariè pono pro ouibus, ex mandato patris hoc facio.

Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis: Demonium habet, & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt demonium habitis: nunquid demonium potest cæcorum oculos aperire?

Maleuoli vix vnquam bene afficiuntur, de quibus supra 8. dixit: *Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Ideo ex illis quidam pertinaces dicebant: Dæmonium habet, & insanit: qui ipsimet tanquam cæci insaniebant. Alij parum per illuminati, veritatem agnoscere incipiebant, dicentes, hæc verba non sunt dæmonium habentis, quod per miraculum cæci probant: vnde Chryso. ibidem: Quia à verbis suaderi non poterant, vt obstrueret ora illorum, demonstrationem ab operibus faciebant. Vnde opera dant fidem verbis, infra eodem: Et si mihi non vultis credere, operibus credite.*

*1. Cor. 2. d. *Sed animalis homo, inquit Paulus 1. Cor. 2. non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia.

† De consec. † *Facta sunt autem Encænia Ierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circumdede- runt ergo cum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Encænia festum erat dedicationis templi, siue in prima institutione per Salomonem, quæ facta est in mense Septembri, siue in instauratione, quæ facta est per Zorobabelem mense Martio, siue in ipsa purificatione post Antiochi contaminationem per Iudam Machabæum, quando ex nouis lapidibus nouum altare edificauit, & templum dedicauit, quod factum est circiter finem Nouembris in hyemem, vt habetur 1. Macha. 4. Et de hac dedicatione intelligi locum hunc indicant hæc verba: hyems erat. Nam reliquæ duæ factæ sunt in autumno & vere. Quod verò ait ambulasse ipsum in templo in porticu Salomonis, constat locum fuisse, qui porticus Salomonis diceretur. Certè constat ex 3. Reg. 6. Salomonem ante templum porticum ædificasse viginti cubitos longam, & decem cubitos latam, vnde in templum, vt verisimile est, prospiceret. Nam vt ibi scribitur, fecit in templo fenestras obliquas, in eum scilicet finem, vt puto. Cùmque hoc templum vna cum porticu euersum sit sub Sedechia, & postmodum, quam proximo fieri potuit, ad instar primi templi instauratum, verisimile est porticum veterem retinuisse appellationem. Quidam aiunt atrium maius, quod ingrediebatur populus orationis causa, hic vocari porticum Salomonis. Lege Lyranum 3. Reg. 7.

† De sum- ma trini. ca. Dānamus. † *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo poterit rapere de manu patris mei. † Ego & pater vnus sumus. Sustulerunt lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum.*

Græca paulo secus habent, scilicet: ὁ πατήρ μου ὁς ἔδωκε μοι, μέγαν πάντων ἐστίν, id est: pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est. Quibus verbis probat quod statim antè dixit, scilicet quod oues suas de manu sua nemo rapiet, quia inquit: Pater meus, qui eas mihi credit, maior est omnibus his, scilicet aduersariis, qui eas volunt mihi eripere, quas pater meus tuebitur: quia qui de manu mea raperet, de manu quoque raperet patris. Ego enim & pater vnus sumus, vna vtriusque manus & potestas. Nam manum hinc potestatem

tem intelligo. Veteres Latini, atque inter eos D. Augustin. videntur legisse pro ὁ πατήρ μου, id est, quod pater dedit mihi, maius est. Quem locum interpretari possumus de ouili, & grege ecclesiæ, qui licet pusillus sit ex sese, maior tamen est omnibus aduersariis: de patris ac CHRISTI virtute, qui portas inferni aduersus ecclesiam suam promisit non præualituras, cuius & membrum erat Paulus, qui dicebat: *Omnia possum in eo, qui me confortat, CHRISTO. Quidam interpretantur: quod dedit mihi vnigenitum filium esse ac verbum. Quod ait: Ego & pater vnus sumus, id est, vna essentia & substantia, Arius confundit Sabellium, & Sabellius Arium: Arium quidem, quia si vnus ac idem sunt pater & filius, non est minor patre filius, quod ad diuinitatis quidem naturam attinet. Dum verò ait, sumus, confunditur Sabellius, nullam in patre & filio personarum discretionem ponens. Vel hinc confunditur Arianorum fallacia, qui hoc loco falsò interpretantur, vt vnus, vnitatem voluntatum & vnanimitatem, non vnitatem naturæ & essentiæ. Nam Iudæi ex verbo intellexerunt CHRISTVM se eiusdem cum patre substantiæ, ac se Deum facere, cùm aiunt: Quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum. Cùm homo inquiunt, sis, id est, vilis & abiectus homo.

Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: Quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemias, quia dixi filius Dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre.

Probat hoc loco CHRISTVS nequaquam se blasphemare, etiam si se Deum apertè appellaret. Nam in Psalmis (quos hoc loco legis nomine vocat) sicut & Ioan. 15. vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia *odio habuerunt me gratis. Scribitur autem de magistratibus & iudicibus: *Ego dixi, dij estis. Neque dedignatur scriptura, quæ solui non potest, neque irritari Dei appellatione puros homines, ad quos sermo Dei factus est, id est, de quibus loquitur Deus eo loco Psalmorum. Nam ita mihi interpretandum videtur: ad quos sermo Dei factus est: quemadmodum ad Hebræos primo: Qui facit angelos suos spiritus, &c. id est, de angelis. Quomodo potest blasphemare is, non modò ad quem plerunque fit sermo Dei, sed ab æterno factus est, quemque pater sanctificauit, id est, futuram pro mundo ostiam segregauit, eaque tantum gratia misit in mundum, quem ex operibus patris, quæ facit, credere debueratis, & agnoscere me in patre esse, & patrem in me. Quod perinde est cum prædicta sententia: Ego & pater vnus sumus. Quod agnosci à nobis non potest, nisi ex ipsius filij operibus, quæ eadem sint cum operibus patris. Nam Deum esse CHRISTVM ex ipsa Dei substantia, quæ mente humana teneri nequit, sed ex ipsa tantum operum æqualitate, & vt ita dicam, identitate.

† *Quærebant ergo eum apprehendere, & exiit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum vbi erat Ioannes baptizans primum. Et mansit illic, & multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.*

Frustrà quærent Iudæi CHRISTVM apprehendere, quia nolebat, sed manus eorum, quomodo voluit, euasit: apprehenderunt autem ipsum quando voluit, quia tempus, quo paratus erat pati, tunc aduenerat. Vt autem illorum furori locum daret, iterum transiit Iordanem, in locum vbi primum Ioannes baptizabat: ibi verò à multis à Ioannis collatione acclamatur CHRISTVS. Nam vt inquiunt, CHRISTVS cùm venerit, plurima signa

facturus est: Ioannes autem, quem plerique CHRIS TV M prædicauerunt, nullum signum fecit: cæcos non illuminauit, leprosos non mundauit, mortuos non suscitauit, supra mare non ambulauit, & sic de multis aliis, quæ iste coram nobis fecit: sed & quæcunque de illo Ioannes dixit, ille effecit. Non dubitandum est itaque amplius, quin iste sit CHRIS TV S in lege promissus. Et multi crediderunt in eum: & quem Iudæi abeuntem apprehendere nequuerunt, isti stantem apprehenderunt.

CAPVT VNDECIMVM.

CHRIS TV S à Lazari sororibus vocatus, ipsum quatuor diebus mortuum suscitauit, unde plures in CHRIS TV M crediderunt: qua de re Iudæi irritati, consilium contra eum inierunt, & decreuerunt eum morte afficiendum: quorum vitans furor, tempus expectando in desertum rursus decessit.



Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. (Maria autem erat, † quæ unxit dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.) Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: † Domine, ecce quem amas, infirmatur.

† Matt. 26. a
Mar. 14. a.
Luc. 7. c.
† Infr. 12. g.

Septimum est hoc miraculum eorum quæ recitat Ioannes, at longè maximum, quod quadruiduanum, ac iam foetentè Lazarum à morte suscitauit, ipse morti iam proximus. Nota est autem ad literam historia: quapropter ommissis plerisque, in iis tantum immorabimur, quæ non nihil habent difficultatis, aut à Græco variant. Quod interpret vertit languens, Græcè est ἀδύων, quod significat & actu ægrotum, & longa iam infirmitate fractum & languidum. Quoniam autem celebratissimum futurum erat hoc miraculum, omniumque longè maximum, multas exprimit hoc loco circumstantias, nempe ægroti nomen, patriam, domum, parentes, locum. Erat inquit, à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ: vbi quidam explicant castellum Mariæ & Marthæ fuisse Bethaniam ipsam. Quod cum textus non dicat Græcus, neque vlla possit esse appositio propter præpositionem ἐκ: appositiuè enim diceretur, ἀπὸ βηθανίας τῆς κώμης, non ἐκ τῆς κώμης. Rursum quod interpret habet, sororem eius, Græcè est, τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς, id est, Mariæ ac Marthæ sororis eius, vt τὸ eius referatur ad Mariam, non ad Lazarum. Maria autem erat, quæ unxit dominum unguento. Quamquam non nihil discrepant Græci à Latinis de hac Maria sorore Lazari, num eadem sit cum illa peccatrice, de qua Luc. 7. quæ Magdalena dicitur: præstat tamen cum ecclesia dicere eandem fuisse. de quo vide scripta Iodoci Clythonei. Nam factum à Maria Magdalene, de qua Luc. 7. cap. paucis exponit Ioannes, dicens: Erat quæ unxit dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis. Nec vero simile est factum Lucæ de Magdalena hic recitari, sed quod quidam dicunt factum illud, quod statim 12. cap. Ioannes narrat, hicque per anticipationem narrat. Quid enim opus erat Ioanè anticipationem id factum recitare, quod statim postea erat narraturus. Et si per anticipationem Ioannes dixisset, dicturus erat: Maria autem est ea, quæ unxit dominum unguento: cum erat dixit, ostendit verè iam facta loqui, neque ignorare vehementem illam Mariæ contritionem à Luca recitatam, quam ille paucis recitauit.

Audiens autem Iesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Ut ergo audiuit quia infirmabatur,

infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dixit discipulis suis.

Non hoc dixit CHRIS TV S discipulis, quod verè ex hac infirmitate non sit mortuus Lazarus, sed quod mors illa μακροχρόνια, ac longa & diuturna non fuerit, quemadmodum aliorum qui sic moriuntur, vt postea inter viuos locum habituri non sint ante generalem resurrectionem. Sed infirmitas hæc illi contigit, non vt longum moriatur, quemadmodum & reliqui, sed vt per eam, verè licet ad tempus mortuo Lazaro, ac postmodum resuscitato, glorificetur Dei filius.

Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?

Iudæa generali vocabulo protota regione Chananæa sumitur, quam duodecim Iudæorum tribus incoluerunt, quæ & Palæstina dici videtur. Speciali autem vocabulo Iudæa dicitur ea Palæstina portio, quæ distinguitur cōtra Galilæam & Samariam, quæ quidem Samaria media est inter Galilæam & Iudæam, testimonio Ioannis 4. cap. dicentis: Reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. Oportebat autem eum ire per Samariam. Cum autem in fine 10. capitis dixit Ioannes, quod abiit Iesus trans Iordanem, in eum locum vbi erat Ioannes baptizans primum, qui Ioannis primo Bethania, vel secundum alios Bethabara nominabatur. Quod autem Bethabara sit in Iudæa trans Iordanem (nam citeriorem & vltiorem Iudæam amne Iordane diuisas habemus) constat ex eo, quod Mariæ ac Marthæ legati in eum locum, qui in Iudæa est, venerunt ad CHRIS TV M. Difficultas remanet, quomodo in Iudæa CHRIS TV S existens, dicat: Eamus in Iudæam. Ideoque dicendum videtur, quod specialiori adhuc vocabulo Iudæam Euangelistæ sumunt, exclusa trans Iordanem regione. Nam Marcus 3. cap. videtur separare trans Iordanem regionem, quæ Plinio Peræa dicitur, quasi πέρασ Iordanem, quemadmodum & Idumæam à Iudæa, dicens: Et multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem. Quod autem Ierosolymam seorsim nominat Marcus, hoc facit, non vt distinguat, sed vt doceat ex principe vrbe Iudææ, in qua primarij eius vrbis sibi erant infensi, simul sectatores multos & asseclas CHRIS TV M habuisse. Aut fortassis Iudæam vsurpat Euangelistæ pro principe vrbe tribus Iuda, Ierusalem scilicet, & eius confinibus, quæ propriè in tribu Iuda & Benjamin fuerunt.

Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in eo.

Cum CHRIS TO metuerent discipuli in Iudæam redire volenti: quippe qui paulo ante in porticu Salomonis penè lapidatus fuisset, ideoque illò abire dissuaderent, ostendit CHRIS TV S, nihil esse quod sibi metuere debeant, duplici ratione, quarum prima hæc est: Nonne duodecim sunt horæ diei? quasi diceret: Mutabilis, nec semper idem animus hominis: ideoque sicut variæ & duodecim sunt horæ diei, sic variæ & mutabilia sunt hominum consilia. Itaque qui verbo meo aliquo modo offensi lapidare me nuper volebant, non est vero simile (vt mutabilis est mens hominis) in eodem semper manere consilio. Et hæc mihi videtur (quamquam sciam viros doctos diem, CHRIS TV M, horas, Apostolos, aliòsq; aliter interpretari) simplicior esse intelligentia. Neque discedit ab hac interpretatione sequens locus, quæ est secunda ratio: quia CHRIS TV S ostendit sibi non esse metuendum à Iudæis. Si quis inquit, ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius mundi videt: quæ metaphorica locutio est, quasi diceret CHRIS TV S: Illis à latronibus & furibus est metuendum, qui noctu & in tenebris ambulant: præuidere enim non possunt aduersariorum insidias aut insultus. Mihi verò, qui in die ambulo, id est, vel in sinceritate conscientie

nullius mihi rei conscia, vel potius in die, id est, clarissima rerum mihi euenturarum notitia, nihil est metuendum. Metuant illi, qui cum in nocte & tenebris ambulant, ignorantia cæcitatibus imminenti sibi ab aduersariis mala præuidere non possunt, ac ideo facile impingunt, non præuisis offendiculis.

Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut à somno exuscitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitatione somni diceret.

Sicuti Iesus de Lazari infirmitate dixerat: Hæc infirmitas non est ad mortem: ita nunc mortem ipsam non mortem, sed somnum vocat, quippe quam breui secutura esset vita, excitato à morte illo. Hinc occasionem dedit Dominus Christianis scriptoribus, ut piorum mortem somnum vocarent, & mori *κοιμᾶσαι* dicerent, & locum ad sepeliendos mortuos *κοιμητήριον*, id est, cœmeterium, quasi dormitorium appellarent: quem adhuc sermonem ignorantibus Apostolis, ac de dormitione somni *CHRISTVM* locutum putantibus, aperte *CHRISTVS* inquit: Lazarus mortuus est. vnde subdit:

Tunc ergo Iesus dixit manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos: (ut credatis) quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.

Quomodo latuisset eum, ad cuius manus morientis anima iudicanda aduenerat, ideo manifestat mortem eius: & gaudeo inquit, propter vos, quod non fuerim ibi, ut ex eo credatis, me sic nosse futura atq; præsentia, *cuius oculis omnia nuda sunt & aperta. Si enim adfuisssem, sanassem eum à morbo, nec se occasio suscitandi mortui obtulisset: quam propter vos oblatam esse gaudeo, ut credatis ex hoc diuinitatis meæ testimonio me Dei filium esse.

Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

Hic Caietanus, & audaculus librarius asserunt in hac dictione condiscipulos, τὸ con-, superfluere, cum tamen Græci habeant *συμμασθητός*, id est, condiscipulis: & ita interpretatur Theophylactus. Pro eo autem quod interpres vertit, & moriamur, Græci habent *ἴνα*, id est, ut. Et Chrysofostomus, putat ea Thomæ verba esse timidi hominis, atque animum despondentis, quod indicat τὸ ἴνα, ut. Nam Latina versio, eamus, & moriamur, citius intelligi posset de confidentia animi: quomodo etiam nonnulli intelligunt.

Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam, quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha autem ut audiuit quia Iesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat.

Bethania viculus est monti Oliuarum vicinus, ut plurimum ab Ierusalém stadiis quindecim distans. De stadiis autem vide sup. cap. 6. Distat igitur ab Ierosolymis duobus ferè miliaribus, à Bethphage vno & sem. interiacente monte Oliueti, olim nobile castrum, nunc penè desertum. Antehuius introitum iactu ferè lapidis monstratur locus, vbi Martha *CHRISTO* ad suscitandum Lazarum venienti festina occurrit: & cum de resurrectione & fratris suscitatione cum *CHRISTO* disputaret, ut infra patebit, Maria vocata aduenit. Cum proxima ergo esset Ierosolymis Bethania, nec ex infima familia essent Lazarus, Martha & Maria, non dubium est ex affinibus & amicis illarum Ierosolymitis ad consolandum eas venisse.

Dixit ergo

Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quacunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Utique Domine. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.

Non dixit Martha ad Iesum: Precor te ut suscites fratrem meum: sed totum illius commisit voluntati & virtuti, quæ nesciebat, an fratris resurrectio iam quatruiduani facilis ei esset, vel etiam fratri utilis. Respondit illi *CHRISTVS*: Resurget frater tuus. Quod Martha non intelligens, dubitat an de resurrectione finali loquatur. Ideo subdit *CHRISTVS*: Quia ego sum vita, ego pariter sum resurrectio. Mors enim corpori non aduenit, nisi discedente anima: nec animæ adest, nisi discedente fide, & ea quæ per charitatem operatur. Sum igitur per fidem charitate formatam vita animæ, sicut anima est vita corporis. Meum igitur est animam viuificare, ideo & multo magis corpus. Qui ergo credit in me per fidem formatam, etiam si mortuus fuerit in carne, viuet in anima, donec totus resurgat, nunquam postea moriturus. Sed & omnis qui in carne viuit, & per fidem formatam credit in me, etiam si temporali morte moriatur, non morietur in æternum: quia si credis me vitam posse conferre æternam, cur non me credis ad hanc temporalem posse suscitare vitam, cum multo facilius sit temporariam vitam dare, quam æternam. Cui narranti Martha facile credidit.

Et cum hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa ut audiuit, surrexit citò, & venit ad eum. Nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

Nec Euangelista curauit scribere quomodo *CHRISTVS* Mariam vocauerit, quia ex verbis sororis satis patet. Quia etiam silentio eam vocauerit, utpote in aure, ex hoc patet, quia nec Iudæi, qui eam consolabantur, intellexerunt, sed putantes eam ire ad monumentum ploraturam, secuti sunt eam. Ideoque Euangelista Iudæorum meminit, ut & ipsi resurrectionis oculati essent testes. Vnde credendum est *CHRISTVM* aduentum suum distulisse vsque ad mortem Lazari, ut venientibus ad consolandas sorores plerisque Ierosolymitanis, notius esset pluribus miraculum.

Iesus ergo ut vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. Et lachrymatus est Iesus.

CHRISTVS Lazarum suscitaturus agit quæ talem decebant, hominē seipsum ostendens, cæteris compatiens, & eorum infirmitati condescendens, infremuit, se conturbauit voluntariè, & fleuit: quæ si non monstrasset, non facile credidissent post tantum miraculum

ipsum fuisse hominem, sed purum Deum. Quod inquit: vbi posuisti eum: non ut ignorans quærit, qui etiam absens sciuit ipsum mortuum, sed vult omnes presentes eorum quæ in eius absentia facta fuerunt, fieri certiores, ut omni careat suspitione miraculum: nec calumniam patiat, si quipiam non fuisse sepultum causaretur. Quod vero locum videns sepulchri lachrymatus est, humanæ miseriam deflet naturæ, quæ per peccatum ad talem deiecta est conditionem, quæ immortalis per gratiam creata est, sed per peccatum sit facta mortalis, ut vite finem quotidie mœsta expectet. Quantum igitur miseriam compatiatur, humanæ testantur lachrymæ, non minus doloris, quàm amoris insigne. Flebat igitur Lazarum Dominus, inquit Cyrillus, pro parte humanitatis, quem statim suscitaturus erat per potentiam diuinitatis. Erudit etiam nos Dominus suis lachrymis, quoniam modo charos nostros vita defunctos moderatis & lege rationis temperatis lachrymis flere debemus. Quod & Ecclesiasticus nos admonet: **Ecdi. 22. b. Supra mortuum plora, defecit enim lux eius. Modicum plora supra mortuum, quoniam requieuit. Et idem: *Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi diram passus, incipe plorare.*

Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur. Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat enim spelunca, & lapis superpositus erat ei.

Si Iudæi nunc CHRISTVM non fatentur, certò sunt inexcusabiles. Quidam eum oculos cæco nato restituisse fatentur, & sequens non potuerunt ignorare miraculum, qui presentes adfuerunt, quòd si Lazarum à morte ad vitam reuocauit, ipsum certè à morte impedire potuit. Quòd si hæc indubiè supernaturalia confessi sunt, nec cetera diffidentes audiendi sunt. Rursus amorem pariter & dolorem, quo humanam deplorabat miseriam, duræ feruituti mortis ita subiectam, ingeminat propter nos, ut veritas multo magis inclarescat. Hæc itaque passus pergit ad monumentum. Illud adhuc à peregrinis visitur sepulchrum marmoreis lapidibus opertum, supra quod erectum est in tanti signi memoriam percelebre sacellum marmoreum, quod non tam Christiani, quàm Turcæ & Saraceni venerantur. Patet itaque illud Lazari sepulchrum in spelunca subterranea, ad modum CHRISTI saluatoris sepulchri.

Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatrduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei. Tulerunt ergo lapidem.

In hoc patet difficultas mortui in peccatis iustificandi, in cuius corde duritia quædam est, quæ nisi Domini præcepto tollatur, à peccatis excitari nõ potest peccator. Tollite igitur inquit Iesus, lapidem, ut magis veritas elucescat. Iudæos enim iussit tollere lapidem, ut miraculo crederent, nec ipsum calumniari possent. Quærit Cyrillus, cur lapide non amoto, quod maius esset signum futurum, non suscitauit CHRISTVS Lazarum: quod tamen non fecit, ut Iudæos miraculi testes faceret. Martha autem timens CHRISTVM iam quatrduani fœtore cadaueris posse infici, impedire vult lapidis ablationem, petens fratrem suum quomodolibet resuscitari: qua non obstante, tulerunt lapidem. Vbi Græci addunt præter Latinos, *ὅτι ἦν ὁ τεθνῆκως κείνου*, id est, vbi erat, qui mortuus fuerat, iucens. Voluit igitur CHRISTVS tolli lapidem, & non clauso sepulchro Lazarum suscitare, ut videretur à Iudæis in sepulchro mortuus, & postmodum inde viuus resurgens, ne calumniam causari possent, qui omnium testes etiam oculati fuerant.

Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis: sed propter populum qui cir-

qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare, veni foras. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire.

Nos paucis modum docet orãdi, ut orantes in cœlum cor eleuemus, à quo* omne datum optimum, & omne donum perfectum. CHRISTVS autem oratione nil aliud quærit, nisi Dei patris gloriam, ut & nos taliter oremus, primum quærendo regnum Dei, & iustitiam eius. Et his dictis voce magna clamauit: Lazare, veni foras: & statim prodijt ligatus institis Lazarus. Hic vide quid sint instituta, pro quo Græcè est *νεπλος*, quam dicunt minutam quandam fasciolam, etiam tenuissimam stolæ mulierum assutam. de qua Ouidius de arte: Este procul vittæ tenues, insigne pudoris, Quæque tegis medios instituta longa pedes. Potarem facillè fasciam esse, qua super syndonem sepeliendi ligantur. Et statim magnæ voci obediuit, quæ, ut ait August. sufficiebat omnes suscitare mortuos, & cuncta vacuare monumenta. Nisi Lazarum specialiter nominasset, in quo miseri notatur cõditio peccatoris, & incommoda eius. Ligatur manus, ne quipiam boni faciat. Ligatur pedibus, ne quæ sibi vtilia sunt, prosequatur. Velatur facie, ne quæ sunt agenda, cognoscat. Sepelitur in peccatis, vndique duro lapide clausus. Qui post vocem Domini suscitatus, datur sacerdotibus corpore soluendus, & anima sacramentaliter & ministerialiter, qui à Deo fuerat anima suscitatus & absolutus authoritatiuè.

Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariseos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.

August. dicit quosdam credidisse, quosdam verò non: ex illis quosdam iuisse ad Phariseos, vel ut factum nunciarent, ut CHRISTO crederent, vel ut in ipsum sæuirent. Inde ex eodem miraculo quidam collegerunt fructum, alij venenum, qui propter cordis duritiam tanto viso miraculo non crediderant, sed æmulis eius narrauerunt: vnde perniciosum contra eum paratum est concilium.

Collegerunt ergo pontifices & Pharisei concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit, quòd Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitauerunt interficerent eum.

Iusto Dei iudicio sæpius accidit peruersis, ut quæ sibi recta conferantur, etiam vertantur in malum. Vnde factum est, ut Iudæi tanquam mortui, qui poterant ad vitam paucò discrimine redire, consilium ineunt aduersus eum, qui solus vitam illis conferre poterat, & ut illi mortem inferrent, qui quatrduanum ad vitam reuocauerat, & qui vita ipsa est, & mortis habet imperium. Si dimittimus eum inquit, sic, omnes credent in eum. Ex qua re lætari

† 11. q. 3. cap. Tunc vera. De penit. dist. 1. Conuertimini. Quam penitet. * Iaco. 1. c.

† 1. q. 1. Dicitur est. De penit. dist. 4. Si ex bono. Hanc societatem. † Matt. 12. b. Marc. 3. b.

debent, ipsi tristantur. Et ut ait Cyrillus, inuidet Soli, quod in plures suæ lucis distribuit radios. Aemulantur hominibus, quod à veri Solis luce illustrentur, & ad fidem adducantur: quasi sibi detractum sit, quod CHRISTO accesserit. Et qui temporalia sibi à Romanis auferenda timebant, nullius momenti æterna facientes, utrunq; simul amiserunt. Nam propter huiusmodi facinus Romani & locum & gentem simul abstulerunt. Vnde vnus ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex, prophetauit, etsi impio in CHRISTVM animo, indignabundòque diceret, relictis Iudæis: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. quasi dicat: Quid adhuc sinimus viuere illum? qui leges nostras institutaque subuertit, totamque Iudæorum gentem ad se attrahit, vnde futurum est, vt venientes Romani, quasi à se deficientes, omnino nos è medio tollant. Quare expedit, vt vnus morte reliqua gens saluetur. Hoc autem teste Euangelista dixit Caiphas alio sensu, verum quam intelligeret. Quod enim pro gente Iudaica intelligebat Caiphas CHRISTVM moriendum esse, cum tamen diceret, ne tota gens, indicabat moriturum CHRISTVM non pro Iudæis modo, sed & vt gentiles quaqua terrarum dispersos, errorumque varietate diuisos, in vnum fidei ouile congregaret. Hoc autem etsi non intelligens, prophetauit Caiphas, quia pontifex erat anni illius. Ex quibus verbis intelligendum est, impius etiam, qui ecclesiæ suæ administrationem gerunt, gratias suas atque dona largiri Dominum. Non valet ergo hæreticorum argumentum: Quid potestatis habeat supra me summus pontifex, cum totus ille peccatis abundet. Nam & potestatem, iurisdictionem, & virtutū gratias plerumque largitur Deus improbis magistratibus. Quomodo autem anni illius pontifex esset, quoque modo venale factum sit summum sacerdotium, alibi diximus, & ex Iosepho ac Vadiano discet.

Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem. Et ibi morabatur cum discipulis suis. Proximum autem erat Pascha Iudæorum. Et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent seipfos.

† Matt. 26.
Marc. 12.
Luc. 14.


Declinaturus Iudæorum furorem Dominus, nõ quod illos metueret, sed quod nondum venisset hora eius, in desertum abiit, & in ciuitatē Ephrem, quam Græci *ἐφραιμ* dicunt. Ante festum Paschæ multi à longe Ierosolymam venerant, vt sanctificarent seipfos: quoniam solis mundis licebat legale Pascha manducare. Immunditiam autem contrahebant non solum ex peccato, sed etiam ex minutulorum aliquo neglectu, rerumque immundarum immundos se censebant contactu. Ideòq; qui se immundos quacunq; ex causa nouerant, ante diē azymorū Ierosalem ascendebant, vt ibi se ex ritu legis purificarent & sanctificarent.

Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum istum? Dederant autem pontifices & Pharisei mandatum, vt si quis cognouerit ubi sit, indicet, vt apprehendant eum.

Quidam pio, alij impio affectu CHRISTVM quærebant: hi, vt eum comprehenderent, alij, vt ab eo quid boni discerent. Et ut ait Cyrillus, in Pascha Iudæi tendebant insidias, & solennitatis diem in cædem conuertere quærebant. O impietatem, cum magis vituti est incumbendum, magis à sceleribus abstinendum, tunc innocentem capere conantur. Quare verò mandatum dederint vt apprehendatur? Quoniam mens agitata furore patranda sceleris nunquam quiescit, donec illud expleuerit. Licet autem quippiam tentauerit frustra, idem tamen iterum atq; iterum aggredi annititur, vt præceptis ruat in facinus, quod apud se perficere constituit. Mandatum igitur iniquum Iudæorum vertitur illis in peccatum, qui quærent CHRISTVM occidere, venientem ad diem festum, non cum ipso in festo viuere, & vnanimis vnus moris in domo Pascha manducare.

CAPVT DVODECIMVM.

Maria CHRISTVM Iudæis murmurante Bethania vngit presente Lazaro, quem Iudæi propterea cogitauerunt occidere. CHRISTVS a seculo uentus Ierosalem ingreditur exultantibus turbis, quem Gentiles videre cupiebant, hos uero à Iudæis tritico grano discernit, & Iudæos excacandos prædicat.



Iesus ergo ante sex dies Paschæ uenit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus uero vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici preciosi, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta ex odore unguenti.

† Matt. 26.
Marc. 14.
Luc. 7.f.

Ne calumnientur æmuli Lazarum phantasticè suscitatum, placuit Marthæ & Mariæ præparare CHRISTO conuiuium, in quo ipse Lazarus simul accumberet, vt uideretur uerè suscitatus, comedens, bibens, & loquens, & cum familia sua familiariter agens, atque ante mortem suam, vt æmuli vel inuiti faterentur miraculum, & CHRISTI potentiam agnoscerent, & eorum confunderetur infidelitas. CHRISTVS igitur ad locum passionis accedit, vt uoluntarius pati uideretur, quem ut Deum Maria protestata, unguentum preciosum super pedes eius, dum accumberet, effudit, illius præueniens sepulturam. Fuit autem uerum ac germanum, nec sophisticum. Nam Plinius lib. 13. asserit nouem herbarum species esse, quæ nardum imitatur, & adulterant: propterea dicitur nardi pistici, hoc est, ueri & fidelis nardi. *πιστικος* enim fides Græcis, *πιστικός* autem fidelis. Rectè igitur pisticum dicitur, quod uerum est ac sincerum, & rebus alterius generis minimè permixtum. Sed ut inquit Cyrillus, non solum pedes hæc mulier unxit, quod dicit Ioannes, sed etiam caput, quod Matthæus & Marcus dicunt. Nonnulli tamen, inquit Cyrillus, authores antiqui, & eruditione præclari putarunt, scriptoribus reliquerunt, alteram esse mulierem, de qua hic Ioannes meminit, & alteram, de qua Matthæus & Marcus perhibent, quod super caput Domini effuderit unguentum. Verum nõ uidetur illi satis attendisse easdem hic & ibi ipsius unctiois circumstantias: ex quibus haud magno negotio deprehenditur, eadē esse mulierem ungens, & eadem itidem unctio. Hæc ille.

Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare unguentum non uenit trecentis denarijs, & datum est egenis? Dixit autē hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo Iesus: Sinite illam, ut in diem sepulture meæ seruet illud. Pauperes enim semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis.

† Matt. 26.
Marc. 12.
Luc. 19.d.

Etsi idem Cyrillus eandem & mulierem & unctioem fuisse asserat, quam hic Ioannes, & Matthæus & Marcus describunt, alteram tamen putat propter diuersas circumstantias fuisse, quam describit Lucas cap. 7. Cuius rationes & circumstantiæ minus sunt efficaces, quam ut credere me cogant. Nam quid prohibet Simonem leprosum, apud quem facta est hæc unctio, fuisse Pharisæum, cuius meminit Lucas. At quia multa Lucas præoccupat, non repugnat eam, de qua idem Lucas dicit, unctioem paucis diebus ante passionem, sicut cæteri dicunt Euangelistæ. Sed quod peccatrix fuerit, tenet ecclesia. Quod Simon murmurauerit, uerisimile est eum id fecisse, cum murmurantes uideret discipulos. Iudas igitur traditor indignatus propter illam unguenti effusionem tanquam superfluum, & ad

luxum factam murmurat, quod illi ablata fuerit furandi occasio, qui in proprium conuertebat usum, quæ dabatur in communem. Ex qua effusione præcipuam videtur sumpisse occasionem dominum suum tradendi Iudæis, ut perditam, quam putabat pecuniam, recuperaret. Cui respondit CHRISTVS: Permite illam, nec ægrè feras, quod illa diem sepulturæ meæ præuenerit, quod tunc forsitan facere non poterit. Nam quod pauperes caufaris, hoc semper illis facere licebit: mihi verò hoc facere illi non succurret.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt, non propter Iesum tantum sed ut Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. Cogitauerunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

Turba multa Ierusalem venit, CHRISTVM visura tanti miraculi autorem, & Lazarum suscitatum, alij fortè curiositate, alij verò fide & charitate. Quorum principes quasi furia agitati, videntes quotidie CHRISTO accrescere gloriam, & nuper maiorem ex suscitato Lazaro, quam obrem ipsum interficere decernunt: quandoquidè cum semel habenas animus laxauerit, in scelus præceps proruit, ut vllò in loco sistere nequeat.

In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, Benedictus qui venit in

† Mat. 21. a nomine Domini, Rex Israel. † Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: † Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit, sedens super pullum asinæ.

Quanto appropinquauit hora CHRISTI passionis, tanto appropinquabat loco passionis. Verùm quia præceptum erat Exodi. 11. seligere à grege agnum Paschalem decima luna, hoc est, decima die primi mensis, ad immolandum decima quarta sequenti. Ante sex dies igitur Paschæ CHRISTVS venit Bethaniam, vbi splendidam parauerunt illi cœnam. In crastinum autem, id est, ante quinq; dies Paschæ, Ierosolymam venire voluit, tanquam agnū immaculatum à peccatoribus selectum se offert immolandum, & illi agno typico finem imposturum. Cui turba frequens cum ramis palmarū obuia venit, clamans: * Hosanna, Benedictus qui venit. Et inuenit asello sedit super eum, sicut prædixerat Zacharias 9. ca. Noli timere filia Sion. Ut eruditus quisq;, inquit Cyrillus, cognosceret ipsum esse CHRISTVM, quem sic venturum prophetia dudum designauerat, quem & plebecula ipsa cognouit, & tanquam regem & saluatorē recepit. Sed & pueri, ut inquit Matthæus, ipsum talem agnouerunt. Peramplius videas Matth. 21.

† Psal. 109. Hæc non cognouerunt discipuli eius primum, sed † quando glorificatus est b. & 116. d. Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc scripta erant de eo, & hæc fecerunt ei. Isa. 40. c. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit.

Id est, discipuli videntes CHRISTVM ingredi super asellū Ierosolymā, iubilantēmq; turbam obuiam ei ire, non cognouerunt tunc impleri prophetiam: sed postquam glorificatus est in ascensione CHRISTVS, effuso in se Spiritu sancto in die Pentecostes, quando scriptu-

do scripturarum cognitionem acceperunt, collatis cum scriptura Iesu actis, cognouerunt huiusmodi scripturas propheticas de eo scriptas esse: & quod iuxta prophetas hæc illi ingredienti Iudæi fecissent.

Erant autem quidam Gentiles ex his qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ. Et rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dixit Andreae. Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora ut clarificetur filius hominis.

Ad magnificentiam templi Ierosolymitani, quo festis solennibus vndecunq; Iudæi conuenire iubebantur, plerique ex longioris etiam partibus Gentiles confluxebant, quod de Eunucho Candacis reginæ Aethiopum factum legimus Act. 8. Gentiles igitur quidam cum adorandi gratia, & visendi templi Ierosolymam venissent, audita de Iesu fama per Lazari suscitationem increbescente, videndi eius desyderio incensi, Philippum aduentum, rogantes Iesum videre: quorum affectū Andreae & Philippus CHRISTO aperiuunt. CHRISTVS autem non sese illis communicat, sed tantum respondet: Venit hora ut clarificetur ac glorificetur (nam *δοξαοτη* vtrunq; significat) filius hominis. Quem locum quidam interpretantur, quod non dixerit Iesus, veniant, sed dicendo, venit hora ut glorificetur filius hominis, ascensione scilicet sua, & missione spiritus sancti, per quam Gentes ad Euangelium vocatæ sunt, satis ostendit se gratam habere Gētilium visitationem. Hanc interpretationem ut non improbo, sed laudo, ita & aliam quoque non inutilem afferre posse iudico huiusmodi. Gentiles qui ad visendum templum conuenerant, ut credere par est, curiositate ad videndum Iesum adducti, de quo tantum miraculum audierunt, ita eum videre & alloqui cupiebant, quemadmodum Herodes CHRISTVM, absque vllò fructu sequente. Ideo ad eorum affectum non respondet, sed tantum ait: Venit hora ut clarificetur filius hominis. quasi dicat: non iam hora est ut se filius hominis in ore hominum venditet, visendumque præbeat, sed venit hora ut clarificetur filius hominis, id est, ut exaltetur, & cruci affigatur, extremamque ignominiam patiatur, non gloriam aucupetur ab hominibus. Ut autem interpreter clarificationem filij hominis exaltationem eius in cruce & passionem, facit locus Pauli ad Hebr. 2. Eum autem qui modico quàm angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionē mortis gloria & honore coronatum. Quod autē gloriam & honorem CHRISTI vocet mortē ipsam, docet cōsequenter Paulus, dicens: Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolus. Quod si per mortem coronam & triumphū de deuictō diabolo reportauit, nonne mortem ipsius rectè clarificationem & glorificationem appellabimus?

† Amen amen dico vobis, nisi granum frumētī cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multū fructum affert. † De decimis. Cum non sit in homine.

Quod igitur interpretatus sim CHRISTVM non propter suscitatum Lazarum fuisse clarificatum, sed potius ut morte & passione sua clarificetur, moueor ex sequenti parabola grani triticeæ, quod nisi mortuum fuerit in terra, solum absque vllò fructu manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ita inquit, ego, nisi pro hominum salute mortem patiar, absque fructu ero: quippe per cuius mortem salutem mundo adferre pater constituit. Si autem mortem perpetiar, multum fructum afferam: omnium quippe in me credentium salutem. Itaque nolite me sollicitare, ut illis me visendum ostentem, quia iam hora instat, ut me Iudæis ad immolandum tradam.

† Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Decretum est à CHRISTO, ut mundi vita tot delitiis dedita, gloriæ futuræ postponatur, ad quam nos CHRISTVS inuitat, si passionum suarum participes fieri desideramus. Hic autem animæ nomine vita præsens designatur, aliàs huius vitæ delectatio, quæ cum martyribus post CHRISTVM perdenda est, ut cum ipso inueniatur in regno Dei. Quoniam tribulatio præcipua est chorda, quæ trahit ad regnū. Vnde Iudith 8. *Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transferunt fideles. Quoniã ut Paulus Roma. 5. confirmat: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.

*Iudith 8.

*Rom. 5.

Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.

Nunc respondere videtur ad Gentilium desiderium videre eum cupientium. Si quis inquit, seruus ac minister meus esse vult, non tam curare debet ut me videat, quàm ut me sequatur, & me sequendo imitetur, animamque suam, si quando opus erit, me exemplo pro amicis ponere non dubitet, nec sine fructu me imitabitur, quia pro toleratis meo exemplo afflictionibus, ubi sum ego, id est, in cælo, à quo nusquã absum, nec absui, tamen & illic erit, cœlestem demum gloriam adepturus, atque à patre meo honorificandus, & glorificandus.

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum.

†De cōser. dist. 3. cano. fina.

Venit ergo vox de cælo, dicens: † Ego clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij autem dicebant: Angelus ei locutus est.

Quoniam de clarificatione sui, quæ est exaltatio eius in crucē, & mors, locutus erat, & discipulos ad se sequendum & imitandum hortatus fuerat, ne animum desperarent, si quando naturali mortis horrōre caperentur, ait: Nunc anima mea turbata est, id est, cum imminentium suppliciorum horrorem perpendo, totus horreo, & naturali pauore conturbor. Quapropter nihil mirum, si quãdo vos puros homines turbatum iri contingat. Nunc enim anima mea turbata est, & quid in hoc horrore & pauore dicam? Pater, serua me hac hora, id est (ut penè omnes exponunt) serua me ab imminentibus periculis. Mihi tamen alio modo legenda videtur lectio, scilicet: Et quid dicam? Pater, serua me hac hora. Saluifica me, id est, in hac animi perturbatione patrem ne orabo, ut me ex imminentibus seruet, & eruat periculis, quasi dicat, Non. Id enim indicant verba sequentia: sed propterea veni in hanc horam, id est, ut patri obediam, ad gustandum mortis poculum veni. Est enim connexio illius quod ante præcessit, dicam ne? Pater, serua me hac hora, quia propterea veni in hanc horam, quasi dicat: non. sed quid dicam? Pater, clarifica nomen tuum, id est, patrem orabo, nõ ut mihi obsequatur seruando à periculis, propter quæ toleranda iussu illius in mundum veni, sed ut nomen suum clarificet & illustret, quod morte mea futurum est multo illustrius. Miror quomodo hanc intelligentiam assecuti non sunt, qui ante me commentarios in Euangelia ediderunt, cum ipsissima sint ex Chrysofomo Theophylacti verba, quæ huc addere visum est, ne nouam ex me intelligentiam comminisci videar. Docet autem per hæc nos, inquit Theophylactus, ut nos etiam si turbemur & mereamus, non fugiamus pro veritate mortem, quia & ego inquit, cum turber (homo enim verè sum, & permitto naturæ ut sua ostendat) attamen non dico ad patrem, ut saluet me ex hac hora. Sed quid dico? Illustra nomen tuum, hoc est, probetur tibi ut & ego suscipiam crucem & periculum pro salute omnium. Vide autem quòd gloriam Dei nominavit mori pro veritate. Inde & Pater: Et illustraui inquit, & iterum illustrabo. Nam & miraculis quæ ante crucem, quæ in nomine meo perficiebas, illustraui, & iterum factis per te miraculis in ipsa cruce illustrabo, & post sepulturam, cum resuscitauero te, & spiritum misero, magis gloriosum & meum nomen, & te constituam.

Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Ambigentibus

Ambigentibus de hac voce Iudæis, quibusdam tonitruum, aliis angeli vocem fore afferentibus, ait CHRISTVS, non sua gratia, sed ipsorum huiusmodi vocem cælo delapsam esse, ut vel testimonio patris adducti fidem sibi habeant.

Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras.

Mundi nomine impios omnes & mundanos, carni que tantum deditos, cum suo principe & capite diabolo intelligere debemus, cuius iudicium instare dicit CHRISTVS: quia per eius mortem damnata est mundi impietas, & condemnata carnis opera, eiccto mundi principe diabolo. Per peccatum enim diaboli in orbem mors ingressa regnavit ab Adam vsque ad Moysen, id est, toto tempore legis naturæ, & à Moyse vsque ad CHRISTVM, id est, toto tempore legis Mosaicæ. Superueniens autem CHRISTVS diaboli caput contriuit, vniuersaque eius arma abstulit, deque iam dudum possessio imperio deturbauit, & eiecit, plantata per prædicatores suos fide euangelica.

† Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, † quia Christus manet in æternum. Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Et quis est iste filius hominis?

†sup. 3. b

†Isa. 6. e

Matt. 13. b

Marc. 4. b

Luc. 8. a

Act. 28. d

Exaltari filium hominis nihil aliud est, quàm in cruce pendentem cruci suffixum esse. Et quia dixerat, nunc & statim per mortem suam deturbandum ab imperio suo & eiciendum mundi principem cum sectatoribus suis, ostēdit quomodo id fiat: nempe quotquot ille imperio suo premit & victos tenet, per crucem ad me traham, inuito ac nolente illo. Turba autem audiens illum cruci affigendum, & iam persuasa CHRISTVM ac Messiam suum æternum, offēdebatur dictis CHRISTI. Ideoque ait: Quis est iste filius hominis? q. d. dicent: Dixisti quia oportet exaltari filium hominis? Te autem CHRISTVM ac Messiam esse putamus, quem ex lege & scriptura didicimus perpetuò mansurum, id est: Ergo iste filius hominis, quem exaltandum esse prædicas, & cruci affigendum, quis est, & cuius est? Intellexerat enim turba, quid per exaltationem CHRISTVS intelligeret, nimirum mortem crucis.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, † ut filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis.

†1. Thess. 5. a

Græca quæ nunc stant, paulo secus habent, ἐτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἔσται, id est, adhuc modicum tempus lumen vobiscum est. Primo modo legit & interpretatur Augustinus hoc modo: Modicum adhuc lumen, id est, modica adhuc in vobis est scripturæ intelligentia, qui & exaltationem mortem meam esse intelligitis, & CHRISTVM perpetuò regnaturum creditis, quanquam non temporaliter, malè putatis, sed spiritualiter. Ambulate igitur, id est, proficite ac promouete, dum adhuc aliquid lucis habetis. Chrysofomus legit & interpretatur: Adhuc pusillū temporis lux est mansura vobiscū: de se nempe intelligens, qui paulo antè dixerat: quandiu sum in mundo, lux sum mūdi. Dicit ergo, modico tempore conuersaturus sum vobiscū in mundo: quandiu igitur versantē inter vos me lucem habetis, ambulate, id est, de bono in melius proficite, in me credentes, ne si me veram lucem reiicitis, tenebræ vos comprehendant & peccatorum, & ignorantia, & denique exteriores gehennæ tenebras adeatis. Nam qui in tenebris peccati & ignorantia, hæresis & infidelitatis ambulat, nec videt quo tendat, ignorans quia præceptis in æternæ damnationis palatium ruit. Itaque dum lucem habetis, id est, veræ lucis cognitionem, me lucem quærite, ut sitis filij lucis ac

*Ioa. 1. b Dei, non tenebrarum ac diaboli. Alio enim modo filij lucis esse non possumus, quàm si in lucem credamus. Ipse enim CHRIS TVS * dedit potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.

† Isa. 53. a
Rom. 10. d *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaia impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?*

Cum tanta inquit, & tot signa (vtrūque enim significat *ποσάυτω*) fecisset coram eis, non credebant tamen in eum: ut sermo inquit Isaia impleretur: ubi τὸ ut, non causam finalem dicit, sed euentum, id est, quapropter in eis impletus est sermo Isaia, dicentis quinquagesimo tertio capite: Quis credidit auditui nostro, id est, prædicationi nostræ: & brachium Domini cui reuelatum est, id est, potentia CHRIS TI filij Dei. Dolet enim Isaia eo loco, quod virtutem CHRIS TI diuinam Iudæi non agnouerint, sed infirmitate humana te-
dum uti despectum ac nouissimum virorum habuerint, neque eum reputauerint.

† Isa. 6. a
Matth. 13. b
Marc. 14. b
Luc. 8. a
Rom. 11. b
Act. 28. f *Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Isaia: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Isaia, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Phariseos non confitebantur, ut è synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.*

Chrysofomus interpretatur, non poterant, id est, nolebant, & reuera propter innatam malitiam & affectatam, quam habentes credere non potuissent, vel intelligere non poterant: difficillimum erat illis credere, quia dixerat de illis Isaia: Excæcauit Deus oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non videant oculis, & c. Vbi sicut antè diximus, non causam finalem dicit, sed rei euentum. Indurauit cor eorum, Græcè dicitur, *καὶ πτωσώκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν*: id est, obdurauit, & in modum topi concalescere permisit. Vnde excæcare siue indurare in Deo sanè accipiendum est. Nam excæcare & indurare dicitur Deus peccatores, non quod in illis obstinatum creet animum vel cor, aut liberum arbitrium, sed quod eos suis affectibus relinquat, speciale illis auxilium suum propter longam in malo perseuerantiam, & diuini verbi neglectum, non tribuens. ut dicitur Psal. 80. * Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Hæc autem obduratio ex duobus causatur. Primò negatiuè, cum Deus non apponit gratiam suam. ut Rom. 9. * Cuius vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Secundò positiuè: quomodo peccator seipsum non obediendo diuinis præceptis, & non faciendo quod in se est ad recipiendam gratiam. ut Zach. 7. * Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum spiritu suo per manum prophetarum priorum.

† sup. 8. b *Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum. Non enim veni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus sum,*

sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

His & sequentibus verbis vsque ad finem capitis nihil aliud vult CHRIS TVS, quàm nihil se dicere, nisi quod à patre habeat, ideòque qui in se credit, non in se credere modò, sed in patrem. Itaque qui verba sua neglexerint, non eos se dicit iudicaturum: quippe qui primo aduentu non iudicaturus mundum venerit, sed saluaturus. At ne immunes se peccatores fore promittant, sermo inquit, quem locutus sum, id est, quod eos nunc hortor verbis meis parere, hæc ab eis neglecta mea admonitio, etsi nunc ociosa videtur, iudicabit illos, & damnabit in nouissimo die, cum deprehendentur eam neglexisse: neque eam modò & me quoque mouentem, sed & patrem meum, à quo habeo quicquid illis prædico.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

CHRIS TVS à cena surgens, discipulorum pedes lauat, exhortans eos ut sic faciant, proditorem suum Ioanni indicat per buccella traditionem, quo egresso dilectionis mandatum profert, & triam Petri abnegationem.

† Nte diem festum Pasche sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Ipsa scilicet die azymorum, cuius nocte à vespera in vesperam incipiebat pasche, & præparatio ad celebrandum Pascha, quæ apud nos est dies Iouis: ea ergo die sciens IESVS iam tempus adesse ut transiret ex hoc mundo ad patrem, hoc est, moreretur. Bene autem mortem suam transitum appellat, quia vix triduum in morte mansit: alluditque ad Pascha & Phase Iudæorum, quod transitum significat. Tota enim CHRIS TI vita è celo prodeütis fuit veluti transitus per mortem ad patrem, in ascensione redeundus. Quod autem dixit: Cum dilexisset suos qui erant in mundo: quidam interpretantur omnes electos, siue hic degentes, siue in limbo, quem generali mundi nomine complectuntur. Sed præstat cum Chrysofomo intelligere Apostolos. Nec ociosè additum est, qui erant in mundo. quasi dicat, quos in mundo relinquebat sui præsentia orbos, in finem dilexit eos, Græcè, *εἰς τέλος*, id est, perfectè, ut interpretatur Chrysofomus: siue in finem, id est, vsque ad mortem pro eis tolerandam.

Et cena facta (cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotis) sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad Deum vadit.

Cœna indubiè legali agni Paschalis peracta. Nam consentiunt omnes doctores, quod peracto veteri Paschate, nouum cum discipulis corporis & sanguinis sui Pascha celebravit, cum diabolus iam inquit, misisset, & c. Nam in effusione vnguenti iam destinauerat magistrum proditor tradere: cuius rei obiter hic meminit Ioannes, ut ostendat miram CHRIS TI humanitatem, qui proditorem iam agnitum non modò à mensa legali non est auersatus, sed ne à mensa corporis sui. Nam indubiè credo Iudam cœnæ corporis & sanguinis Domini interfuisse, etsi scio ea de re problema esse inter antiquos. Vtque ita credo, in quo ducor, quod CHRIS TVS post cœnam pedes Apostolorum lauit. Nam quod beatus Augustinus putat hic facta, pro parata, ut quidam habent codices Græci, non admodum qua-

drare videtur ei quod sequitur: Surgit à cœna. Vt quid enim antè sedisset, cœna tantum parata, & non apposta? Cœna ergo facta & peracta surgit ab ea, & ablutus Apostolorum pedibus, iterum recubuit, eisque ad mutuam concordiam & humilitatem exhortatus, verum Pascha corporis sui ad edendum discipulis suis proposuit: & inter cæteros Iudæ multi afferunt, de quo tamen nolo pertinaciter contendere, cum inter doctos & antiquos sit problema. Nam qui volet dicere buccellam panis, de qua postea agitur, non in ista cœna mystica corporis CHRISTI, sed in cœna Paschalis legalis, habet quo se tueatur. Nam quod dici contra potest, CHRISTVM facta & peracta cœna Apostolorum pedes lauisse, responderi potest, Græcam lectionem non significare cœnam peractam, sed potius inter cœnandum, siue dum cœna fieret. Nam Græcè est, *ἀεὶ ὡς νῦν*, quod est præsentis temporis. Potius itaque inter cœnandum, ac media cœna ad lauandos Apostolorum pedes dicendum ipsum surrexisse, & lotis illis, ad peragendam cœnam recubuisse, quo tempore intinctum panem Iudæ dedit. Quod verò subdit: Sciens quia omnia dedit ei pater in manus: hoc intelligit: Quamquam se omnium dominum, omniâque sibi à patre credita esse constet, quòdque à Deo patre exiisset, ad illumque esset reuersurus, non est tamen dedignatus ad lauandos Apostolorum pedes sese demittere. Quòd autem Petrus sibi à Domino lauari pedes ferre noluit, non erat quòd dedignaretur mandata CHRISTI, sed rem tanta maiestate indignam arbitratus, CHRISTI consilium ignoraret.

Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cepit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò. Scies autem postea. Dixit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum.

† De panis.
distin. 1. ca.
Potest.

Immolato agno, & peracta cœna veteri, surgit CHRISTVS à mensa, reliquias veteris legis in discipulis mundaturus. Deponit igitur veteris legis indumenta: præcinxit se linteo albo, vt lex sequens præcedentem munditia præstet. sicut propheta prædixerat: Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. Deinde misit aquam ablutionis, qua veteris legis sordes ablueret: & cepit discipulorum pedes lauare, & primò Petri. A lotionem igitur corporali detrectantem Petrum, ad lotionem spiritualem attrahit. Nisi te lauero inquit, id est, nisi iniquitates tuas absterfero, non habebis, siue non habes, vt Græci legunt, *ἔσῃ*, siue *ἔχῃς*, partem mecum. Lotio ergo corporalis typus erat lotionis spiritualis animi. Petrus autem intellectis verbis CHRISTI, quàm fuit ad detrectandam lotionem pedum promptus, tam fuit ad offerendam totius corporis lotionem vehemens. vnde subdit:

† De consecr.
distin. 4.
Quando ab
Ierusalem.
& sequens.

Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum. Propterea dixit: Non estis mundi omnes.

Pedes hoc loco intelligit Augustinus humanos ac terrenos animi affectus. Vti enim cui super hanc terram ambulandum est, quantumcunque cætera lotus est ac mundus, necesse est tamen vt ex terræ contactu immundæ non nihil maculæ pedes contrahant. Ita qui in mundo hoc degit (vnum CHRISTVM & virginem matrem excipio) quantumcunque pura sit ac integra mente, quia tamen fieri non potest (necesse est enim terreni aliquid habeat) quo non possunt non sordidari animi pedes, id est, terreni ac carnales animi affectus.

Neque

Neque tamen propterea mundus esse desinit, sed vt inquit CHRISTVS, mundus est totus. Quia veniales illi mentis affectus hominem ita non sordidant, vt dici mereatur immundus. Opus tamen habet, quantumuis iustus, vt huiusmodi pedes animi lauet, & terrenæ cupiditatis affectus: quia nihil in sanctam ciuitatem immundum introire potest. Facile autem eliduntur huiusmodi leuiculæ maculæ & offensæ, siquidem offensæ dici mereantur, quæ Deum nobis offensum non reddunt, ad eò mititer sua gratia nobiscum agentem. Vos autem, inquit CHRISTVS, mundi estis, sed non omnes. Quod propter Iudam dixisse Euangelista testatur.

Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis. Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior est eo qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

† Matt. 10. e
Luc 6. f
Inf. 15. f

Vsq̄ ad hunc locum non de omnibus dico vobis: docet CHRISTVS, quod Petrum dixerat ignorare. Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea: nimirum vt sui exemplo, qui cum magister esset ac Dominus, suorum tamen discipulorum pedes lauisset, tanto se submissius gerere, quanto maiores essent, futuròque illos beatos, si magistri factum intelligentes fecerint.

Non de omnibus vobis dico: Ego scio quos elegerim. Sed vt adimpleatur scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. A modo dico vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis quia ego sum. Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

† Psal. 40. e
Matt. 10. d
Luc. 10. e

Quidam referunt hoc ad illud: beati eritis si feceritis ea: à quo excipit Iudam. Aliis non placet eò referre, quòd hinc excipiat Iudas, quippe qui beatus foret, si magistrum suum imitaretur. Alij interpretantur: Beati eritis, siue estis, vt nunc Græca habent, si feceritis ea, id est, quia hæc facturi estis, & me imitaturi: quamquam non de omnibus vobis hæc dico: Ego enim scio quos elegerim, id est, quamquam enim omnes vos ad Apostolatam elegerim, sicut paulo antè dixit: nonne vos duodecim elegi? non tamen omnes elegi ad beatitudinem, sed vt adimpleatur scriptura. Hic egyptica est locutio, necesseque est aliquid supplere: Sed cum dico vos fore beatos, aliquem ex vobis excipio, vt adimpleatur scriptura Davidis, qui dicit de quodam sodali ac commensali suo: Qui manducat inquit, meum panem, leuabit contra me calcaneum suum, id est, in me insurret, & calce me ferire audebit. Potest etiam sic interpretari: sed qui manducat meum panem, id est, sodalis meus, leuabit contra me calcaneum suum, id est, in me insurret, vt opprimat ac supplantet: vel leuauit, vt Græci habent *ἔωρθε*, quia iam me proderè constituit, vt fixum habet in animo. Quod quidem Deus pater fieri finit, vt impleatur scriptura Davidis, quæ id ipsum de eo prædixit, quod ego prædico vobis, me scilicet ab vno ex vobis prodendum. Quod dico, priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis quia ego sum, id est, quia ego sum Deus, solus cordium scrutator, & καρδιόγνωστis. Et Daniel. 13. * Deus æternæ, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. * Dan. 13. e

Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit:

† *Matt. 26. b*
Marc. 14. b
Luc. 22. c
 2. q. 1. cap.
 Vnus ex
 vobis.
 † 1. quæst. 1.
 Christus.
 De consec.
 dist. 2. cap.
 Et sancta
 malis. Sicut
 Iudas. De
 offi. ord. Si
 sacerdos.

Amen amen dico vobis, † quia vnus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hesitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cum recubisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. † Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam introiuit in eum Satanas.

Turbatus est ab imminente periculo, & tanta proditoris ingratitude. Nec voluntariè modò hunc affectum induit, sed & naturaliter, considerata obiecti præsentis indignitate: animo turbatus est, & protestatus est, Græcè ἐμαρτυρίασεν, quod Theophylactus interpretatur, prædixit, protestatus est, affirmavit, id est, palàm de proditore testatus est, tacito tamen nomine, quòd vnus ex eis se proditurus esset. Quæ res cum oscitantes redderet discipulos, nec rogare Petrus auderet, sæpe à Domino increpatus, nutu Ioanni indicauit vt rogaret: quis est de quo dicit? A quo cum quæsiuisset, respondit: is est, cui tinctum porrexero panem. Quo accepto à Iudæ, intrauit in eum Satanas. De quo Aug. Expressus est traditor, nudatæ sunt latebræ tenebrarum: bonum est quod accepit, sed malo suo accepit, quia malè bonum malus accepit.

† 12. q. 1. ca.
 Habebat.

Et dicit ei Iesus: Quod facis fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit. Quidam enim putabant, † quia oculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox.

Videns IESVS obstinatum Iudæ consilium, non tam impellendo, quàm exprobrando, & pernitioua sua consilia abire sinendo, ait: Quod facis, fac citius: id est, quia iam omnino certum est tibi prodere me, rumpe moras, & exple desiderium tuum.

Cum ergo exiisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum. Filioli, adhuc modicum vobiscum suum.

Id est, iam iam adest, in ianuis est filij hominis mors & crux, per quam tunc primùm bene clarificatus dicitur: etsi gloriosum eum præcedentia reddidere miracula, at consummatio gloriæ in passione fuit, quæ iam iam incipiebat: & Deus inquit, clarificatus est in eo. Nam si gloria patris, quomodo ait Salomon, filius sapiens est, glorificato eo glorificari necesse est & patrem: non quòd in se gloriosior reddatur, cuius immensa gloria augeri non potest, sed quòd subinde magis ac magis hominibus eius gloria appareat ex tam potente filij infirmitate, & tam gloriosa mortis ignominia. Et si Deus inquit, clarificatus est in eo, scilicet filio hominis, hoc est per eum, & Deus vicissim clarificabit eum in semetipso, scilicet patre: nam gloria patris gloria filij. Clarificabit autem eum per semetipsum, cum resurgere faciet à mortuis, & ad dexteram suam assumet. Nec dabit sanctum suum videre corruptionem, sed post triduum excitabit illum.

† *sup. 7. e*
 † *Quæretis me: & sicut dixi Iudæis: Quo ego vado, vos non potestis venire,*

venire, & vos dico, modò.

Vide supra 7. ca. Quod autem ibi dixit Iudæis absolutè: quo ego vado, non potestis venire, ad patrem scilicet meum. Vobis autem dico, quòd non potestis venire modò, donec effuso in vos spiritu, imitati crucem meam fueritis.

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Quomodo videtur nouum, cum in lege veteri dilectionis præceptum habeamus. At si inspiciamus, mandatum est hoc nouum. Nam mandatum vetus tantùm hoc habet: Diliges proximum tuum sicut teipsum. hoc autem habet: Diligatis inuicem, sicut dilexi vos, id est, tam admodum, quàm admodum animam meam pono pro vobis, ita & vos parati esse debetis & pro me, & pro inuicem animas ponere: tunc enim veros vos discipulos meos esse ostendetis, si dilexeritis inuicem eo modo quo ego vos dilexi.

Dixit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea. † Dixit ei Petrus: † Quare non possum te sequi modò? † animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.

Cum autem Petrus etiam se per mortem posse sequi confidentius iactaret, modèstè correptus à Domino, audiuit: Non cantabit gallus, donec ter me abneges.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Consolatur discipulos si in fide permaneant, Thomam docet se viam, vitam, & veritatem esse, Philippum verò, se in patre videri, & contrà. Omnes modum docens petendi, spiritum sanctum promittit se eis missurum, qui dilectionem & pacem illos doceat.



Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite. † In domo patris mei mansiones multe sunt.

Cum Petri lapsus, qui cæteris feruentior erat, prædictus cæteros perturbasse videretur, subdit: non propterea turbemini, quòd dixi me abiturum, vòsque modò sequi me non posse, sed & Petrum negaturum. At quemadmodum in Deum creditis, vniquè illi fiditis, ita & in me credite, mihi que fiduciam habetote. Quod enim vni Petro dixit: sequeris autem postea: nolite putare vobis irrogatum iri. Nam in domo patris mei mansiones multe sunt, quæ & Petro, & vobis, & electis omnibus sufficient. Diuersas autem mansiones, diuersos beatitudinis gradus, quibus pro retributione meritorum, ex liberalitate tamen, & misericordia Dei fideles donantur, intelligit August. de quibus ænigmaticè dicit Paulus 1. Corinth. 15. * Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella dif-
 fert in claritate.

Si quominus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.

Græcè, *ei de un*, quod interpres vertit, si quo minus, significat fin minus, vel alioqui, ut sit sensus: in domo patris mei multæ mansiones sunt: alioqui si multæ non essent, dixissem vobis, quod abirem paraturus vobis locum: quod quidem opus non est, cum paratum sit vobis regnum à constitutione mundi, Matth. 25.

Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum: ut ubi sum ego, & vos sitis. Et quo ego vado, scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus. † Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me.

† Di. 8. cano
si consue-
tudinem.
De pœnitē.
distin. 2.
Si enim.

Chrysostomus legit pro venio & accipiam, iuissem & suscepissem, cuius verba hæc sunt: Si autem defuissem domus, ego iuissem & parassem vobis, quod sic autem, & propter hoc iuissem, ut præpararem vobis locum, ne sic quidem reliquissem vos, sed suscepissem vos, ut ubi sum ego, & vos sitis. Non vult enim innuere, non quod iturus sit ad parandum illis locum, qui iam antè iacta mundi fundamenta paratus erat, sed quod si ea gratia abiisset, non ideo tamen illis reliquisset, sed secum assumpsisset eos. Quod autem ait: iterum venio, & assumam vos ad meipsum: significat quod non propterea si ad patrem abibit, illos sit deserturus, quandoquidem venturus ad eos est per diuinitatis præsentiam, & spiritus sancti consolationem, cumque eis futurus vsque ad consummationem seculi. Hæc expositio, quæ est Albini, melior mihi videretur, quam si interpreteris, veniam ad iudicium, & recipiam in generali resurrectione, præstaretque exponere: veniam ad vos in particulari iudicio mortis, & assumam vos ad me in vitam æternam, scilicet, ut ubi ego nunc sum, à qua nunquam abfui, & in ea vos sitis. Interim non est quod per absentiam meam tristemini, quippe qui scitis quo ego vado, viamque qua ego vado non ignoratis. Nec obstat quod Thomas ait: Nescimus quo vadis. Nam cum rudi ac paruo esset ingenio, ignorabat ipse quod Petrus atque alij capere poterant: præsertim cum suprâ cap. 7. dixerit CHRIS TVS: Adhuc modicum temporis vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit. Ex ignorantia tamen Thomæ occasionem captat CHRIS TVS amplius illos erudienti, dicens: Ego sum via, & veritas, & vita. Via scilicet, per quam, & non aliam ad patrem itur. Veritas, per quam pater cognoscitur, Et vita, per quam omnes resuscitantur.

Si cognouissetis me, & patrem meum utique cognouissetis, & à modo cognoscetis eum, & vidistis eum.

Chrysostomus hoc modo interpretatur: Si cognouissetis meam substantiam, & patris quoque substantiam & essentiam cognouissetis. Nam eadem vtriusque substantia & essentia est, licet diuersæ hypostases & personæ. A modo autem, id est, ex quo habitare mecum coepistis, cognoscetis eum per me, ut medium, cognoscere coepistis, & vidistis eum, hoc est mente vestra, quantum possibile est, spectastis. Visus enim perfecta cognitione sumitur. Alio quoque modo exponit: cum enim dixisset: quo ego vado, scitis, ad patrem scilicet, Thomas respondisset: Nescimus quo vadis: subiunxit: Si cognouissetis me, & patrem meum cognouissetis. Quod non dubitatiuè sumendum est, sed ratiocinatiuè, quia scilicet me cognouistis, cognouistis & patrē: à modo enim cognoscetis eum, meque videndo eum vidistis.

Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis.

Non repulsa Thomæ ignorantia, audet & eum Philippus interpellare, dicens: Ostende

Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. quasi diceret: Non satisfacit quod eum viderimus & cognouerimus in ænigmate, sed si præsentem oculis nostris corporalibus ostenderis, sufficit nobis.

Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. ^{† sup. 5. f}

Quasi diceret: Video quod nondum veram de me cognitionem habetis, qui Dei patris substantiam, quæ eadem mecum est, corporeis oculis spectabilem esse putatis. Philippe, qui videt me, videt & patrem, id est, qui veram mei notitiam habet, verè quoque patrem agnoscit. Nam ego in patre, & pater in me est: quod te quoque credere non dubito. Qui ergo me videt, & eum videt: sic enim pater in me est, & ego in patre, ut eadem sit vtriusque substantia, iidem vtriusque sermones. Quos enim vobis annuncio, non à me sunt solùm, sed etiam ab illo. Eadem ipsius opera. Quæ enim ego facio, patris sunt opera. Credite igitur in me propter ipsa opera, dicentem quod ego in patre sum, & pater in me est.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. † Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. † Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. ^{† Inf. 16. d}
^{† Mat. 21. d}
^{Marc. 11. e}
^{Inf. 15. b. &}

Amplius super discessu suo consolaturus discipulos, pollicetur credituris in eum, quod maiora quam ipse opera sint facturi. Vbi maiora, pro plura exponit Theophylactus. Neque enim reuera maiora facere potuissent: ideo est veluti quædam hyperbola. ut sit sensus: Opera facient maximè mirabilia. Quia ergo inquit, ad patrem vado, ut pro vobis interpellem, & pro vobis, ut homo, miraculorum potestatem impetrem. Quapropter non est quod turbemini aut contristemini ex discessu meo, quia cum apud illum ero, quicquid eum meo nomine petieritis, non modò impetrabo ut homo & aduocatus, sed etiam ipse ut Deus patrique æqualis faciam, ut gloria filij, in cuius nomine postulata omnia obtinebitis, in patre redundet, & elucescat. Hoc est enim quod ait: ut glorificetur pater in filio. ^{16. f}

Si diligitis me, mandata mea seruate.

Quia ut inquit Grego. probatio dilectionis exhibitio est operis. Ne putarent in dolore, quem ex discessu & morte ipsius accepturi erant, dilectionem consistere, ait: Si diligitis me, mandata mea seruate. Non sufficit credere, non sufficit vtcunque Deum diligere, nisi mandata eius seruentur.

Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, neque scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

Quia verbum discessus repetiuerat, dicens: Ego vado ad patrem: verbum quidem ipsis inuestigatum, ne se putarent desolatam iri, subdit: Ego rogabo patrem, & alium para-
 cletum dabit vobis, id est, consolatore alium, spiritum scilicet sanctum, qui alius quidem est à filio, quia alia persona, at aliud non est, quia eadem vtriusque substantia. Dabo inquit, vobis, non ad tempus, vt triennio tantum, quemadmodum & ego, sed vt vobiscum in æternum maneat. Dabit autem vobis pater spiritum, non falsitatis, sed veritatis, id est, veracem, qui non nisi vera vos docturus est, aut docere potest: quem inquit, mundus capere non potest, id est, cuius capaces mundani non sunt, terrena tantum sapientes: quia eum neque vident, neque sciunt. * Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Vos autem inquit, qui carnales & animales non estis, neque de mundo, eum cognoscetis, quia apud vos manebit: siue vt Græca nunc habent, cognoscitis, quia apud vos manet: tamen videtur Euangelista scripsisse non *uivis*, sed *uivis*, id est, manebit, quemadmodum interpretis vertit, cum etiam sequatur futurum, & in vobis erit, *erit*, non *erit*. Loquitur enim non de gratia spiritus sancti, quam tum quidem habebant, sed de spiritu sancto, quem missurus erat in die Pentecostes, cum quo gratias & dona eius receperunt.

*1. Cor. 2. d

† De consecr. distim. 2. In Christo. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus iam me non videt. † Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos uiuetis.*

Tanto magistri amore tenebantur discipuli, vt nec promissa spiritus consolatione de magistri absentia non dolere non possent. Subdit: Non relinquam vos orphanos, meaque presentia planè destitutos. Veniam enim ad vos. Et ne putetis me cum spiritu parem omnibus futurum, adhuc modicum temporis restat, & iam me resuscitatum, immortalè, que factum mundus non videt, id est, visurus non est. Præsens hinc pro præterito usurpatum est. Vos autem me videbitis. Sic enim *deus*, quanquam sit presentis temporis, tamen quia ad tempus resurrectionis referuntur *CHRISTI* verba, præsens illud re-
 et vertit in futurum interpretis. Quod enim propè futurum est, quasi iam sit in manibus, plerunque per præsens effertur. Sic Chrysostomus notiori sententia per futurum interpretatus est: Vos inquit, soli videbitis me, etiam post resurrectionem. Vivo enim, id est, verè viam, immortalis factus. Refertur enim illud vivo, ad tempus resurrectionis, & vos uiuetis. Cuius duplicem sensum facit Theophylactus: Videtis, hoc est, cum videbitis me, lætabimini, & quasi mortis meæ mœrore occisi ac mortui, manifestatione mea reminiscetis. Secundo modo, quemadmodum mors mea in vitam mutata est immortalis, ita & vos, etsi ad tempus moriemini, in æternum uiuetis.

In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.

Malo cum Chrysostomo ad diem resurrectionis referre diem suum, quam ad diem Pentecostes. Nam in die resurrectionis perfectè agnitus est à discipulis *CHRISTVS* Dei filius ac Deus esse, eandemque cum patre potestatem & substantiam habere, quando suapte virtute surrexit. Quod enim per resurrectionem maximè declaratus sit Dei filius, testatur Paulus ad Roman. 1. cuius secundum Græcam lectionem sensus est: * Qui declaratus est Dei filius ex sua à mortuis resurrectione. Cognoscetis itaque inquit, quia vos in me, quia per fidem & charitatem incorporati mihi estis. Vos enim, inquit Theophylactus, estis sicut membrum in capite. Cyrillus interpretatur, vos in me, quia diuinæ ratione substantiæ quodammodo participes vos facti, dum

*Rom. 1. d

facti, dum per me homo Deus factus est, & ego in vobis per naturæ vestræ assumptionem, quando Deus homo factus est.

† Qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Dicit enim ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.

† De consecr. distim. 2. species. Matt. 10. g. & 18. a. & 25. f. Luc. 10. e

Quia inquit Theophylactus, post resurrectionem se eis manifestaturus erat cum diuiniore corpore, vt ne putarent ipsum spiritum & phantasma esse, propterea prædicit eis hoc, vt videntes eum non discredant, sed recordentur, quod ea prædixit eis, ne scilicet simile eis accideret, quod & Iudæ nunc accidit, qui Dominum putabat post mortem, vt spectrum & phantasma in somnis solet. Iesus autem volens eius opinionem eluere, ait: Si quis inquit, diligit me, non fictè, sed verè, sermonem meum seruando, præterquam quod pater meus diligit eum, ad eum veniemus: & ne putetis, quod vt spectrum statim transeam & disparem, illi appaream, mansionem apud eum faciemus. Ad eum autem venit Deus, quem gratia sua veritatis illustrat, quoquo modo id faciat, seu per se, seu per ministros suos. Manet autem apud eum, qui acceptam gratiam non reiecit aut negligit, sed accepta in bono vitur.

Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixerero vobis.

Theophylactus interpretatur, docebit vos, & declarabit quæcunque nunc obscura vobis videntur, & intellectu difficilia, vel docebit quæcunque non dixerat *CHRISTVS* illis, utpote adhuc portare non valentibus: suggeret autem quæcunque vobis per imbecillitatem memoriæ exciderint.

† Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis.

† 22. quæst. 1. Nisi bella.

Id est, Nolite putare quod abiens vnà cum presentia corporali benevolentiam meam, aut fauorem meum auferam à vobis. Neque enim vos abiens eadem amicitia prosequi desinam, quam non aufero, sed vobis relinquo, non qualem mundus dat, fictam & simulatam, sed veram & synceram. Ne formidetur igitur propter corporalem mei absentiam, qui ita intellexistis me abiturum, vt statim ad vos redeam, & in corpore immortalis spectabilem hanc essentiam meam ostendam: & inuisibilis ad vos venturus sum, in spiritu sancti super vos effusione. Quapropter quod enim magis vos oportebat, quod ad patrem vado, quia pater maior me est secundum humanitatem, quam bene tantum adhuc in me spectatis: secundum quam etsi inops issem, vos gaudere tamen oportebat, quia pater, ad quem vado, meipso secundum humanitatem maior, potens est vos ab omnibus

molestiis & afflictionibus erueret. Et nunc dixi vobis me rediturum ad vos, neque orphanos relicturum, sed spiritum sanctum missurum, ut cum factum fuerit quod prædixi, credatis, id est, in omnibus quæ antè dixi, mihi quanquam veraci, fidem habeatis.

† 23. q. 8. ca. *Iam non multa loquar vobiscum. † Venit enim princeps mundi huius, & si in morte in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem: & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.*

Id est, iam non plus vobiscum agam. Interpellor enim à mundi huius principe diabolo, qui per ministros suos mortem meam molitur: quanquam non est quod ipsum timeam, non enim habet in me quicquam, id est, nihili illi iuris est in me. Sed ut cognoscat mundus quod patrem amo, præceptisque illius pareo, qui me mortem vult pro mundo obire: sic facio, id est, immolandum ad mortem propero. Surgite ergo, iam satis in hac mensa sedistis, & eamus hinc ad locum, ubi sum tradendus. Ex quibus verbis videtur CHRISTVS surrexisse à mensa, & itineri se ad hortum accinxisse, quo itinere se verba, quæ sequentibus duobus capitibus scribuntur, habuisse, hymno tamen antè dicto, vero simile est, sicut recitant Matthæus & Marcus.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

CHRISTVS discipulos suos ad dilectionem suam hortatur, sub qua sua præcepta commendat: deinde seipos diligant, & tandem ab inimicis sibi caueant, & exemplo suo patientia studeant, quos Iudæi ut reprobis persequentur post magistrum suum.



† Sup. 13. b
De consecr.
distin. 4. ca.
Aliud est.

† 1. Ioan. 3. d
Matth. 21. d
Marc. 11. c
Sup. 14. d
Inf. 16. f

Go sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. † Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

Ad consolandos in futuris afflictionibus discipulos parabola vitis vtitur, dicens se vitam veram esse, Deum patrem agricolam, qui se in hoc mundo plantavit, nos autem palmites, quicumque videlicet fide illi adhærent. Nam planè infideles palmitis nomine non censentur, quia nihil in illis est, unde à vera vite CHRISTO dependant, & illi communicent. Vt cunque enim malus sit Christianus, quandiu fidem habet, adhuc viti adhæret. At illi metuendum est, si infructuosus esse pergat, fideique bona opera non adiungat. Nam pater eum tollet, & à vera vite abscindet, nullo iam vitore reliquo vitæ percipiendæ, nisi respiscat. Quemadmodum vtcunque ægrotum sit membrum, quandiu hæret corpori, spes est ut sanitatem recipiat: cum verò semel abscissum est, nulla iam spes reliqua est. Sic enim locum interpretatur Theophylactus, dicens omnem hominem, qui per fidem factus

factus est pars radicis, & vnitus Domino, ac illi incorporatus, oporteat & fructum afferre, hoc est, vitam habere virtutibus præditam. Quod si quis solam ac nudam fidei confessionem habeat, & non per obseruationem mandatorum fructum ferat, mortuus palmes est. Fides enim absque operibus mortua est. Palmitem verò fructum ferentem purgabit eum, ut fructum plus afferat. Nemo enim tam bonus in hac vita esse potest ex natura, quin superfluis aliquando vanitatibus, curisque seculi huius, ac blanditiis vtatur huiusmodi, quemadmodum vineæ palmites purgare oportet. Quemadmodum enim si luxuriare palmes incipit, lignum quidem affert multum, sed infrugiferum, ac multo infirmius: ita veros ac fideles Christianos plerunque seculi huius curæ ac delitiæ à perfecto Dei abstrahunt amore: quas missis afflictionibus amputat pater & purgat, ac tum fortiores multo fiunt. Quis enim non vidit ab innumeris afflictionibus fortiores exire & exurgere martyres? Itaque turbari eos ob afflictiones non oportet, ex quibus copiosorem fructum CHRISTO & ecclesiæ sunt reddituri. Christianos autem palmites purgant ab inutilibus & superfluis non modò afflictiones, sed & ipsum Dei verbum. De primo, Psal. 15. * Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. De secundo dicit CHRISTVS discipulis suis, cum vera fide ac vna accepissent Dei verbum, iam mundi erant propter verbum quod locutus erat eis: propter quod mundi ac purificati erant, nihilque aliud supererat, quàm vt in vera vite CHRISTO permanerent. Qui enim per hæresim ac infidelitatem à vera vite CHRISTO se disiungit, vt inutilis palmes in ignem mittetur, & ardebit. Semel enim à vite palmes abscissus, succum à vite recipere non potest: ita neque fide à CHRISTO dissociati, spiritus sancti succum & gratiam, unde illis spiritualis gratia est.

* Psal. 15. a

In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego patris mei præcepta seruavi, & maneo in eius dilectione.

Non facilè video quomodo hic sumi debeat vt, & Græcum *ua*. Neque enim glorificatur Deus, vt discipuli CHRISTI fructum afferant, sed contra fructum afferre debent, vt glorificetur pater. Mihi videtur vsus Euangelista *ua*, pro *ei*: ac vide ne ita Græcè sumatur. Sic enim Theophylactus interpretatur: in hoc inquit, glorificatur pater meus, si vos fructum multum attuleritis. Certè finalis causa fructificantium discipulorum est, esseque debet gloria patris. Glorificationis autem Dei patris finis non est fructificatio discipulorum.

Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

Gaudium CHRISTI est patri per omnia obedire, & mandata eius implere, ac pro mundi salute in cruce exaltari. Hæc ergo locutus sum vobis, prædixi scilicet me ad patrem per crucem abiturum, neque tamen vos derelicturum: iussi vos mandata patris mei seruare. Hæc inquit, omnia locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, id est, quemadmodum re nulla sic tristior, vt animum abiiciam, sed alacer & gaudens suppliciis eo obuius: ita vos oportet in omnibus afflictionibus, quas meo nomine toleraturi estis, alacres & gaudentes: vt gaudium vestrum impleatur, id est, vsque ad finem in Deo maneat, plenumque sit ac perfectum. Sic enim interpretatur Theophylactus, subdès: Non enim mœrore digna sunt præsentia, sed gaudium, licet crux, licet confusio, licet ignominia accedat.

† Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos. † Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non

† Supr. 13. d.
1. Cor. 4. d.
Ephes. 5. a.
† De penit.
dist. 3. Qui
vult facere.
De renūcia.
cap. Nisi cū
pridem.
Philip. 3. d.
1. Thess. 4. b
1. Ioan. 4. e
3. e. d.
Matt. 28. d.
Marc. 10. g

dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ut quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligatis inuicem.

Vsq̄ ad hunc locum: si mundus vos odit: aduerte, quòd cum gentiles aut Iudæos auxiliij gratia ad se venientes CHRISTVS alloquitur, fidei tantum meminit, vtpote ad Evangelium initiandis: dilectionis autem illis raro loquens meminit. Cum autem perfectis ac iam consummatis discipulis loquitur, raro fidei meminit, quam in animis eorum iam plantatam esse, ac altè radices egisse sciebat. Dilectionis autem mandatum tam frequenter inculcat, & mandatorum obseruationem, vt nihil amplius. Hoc notatum volui propter eos, qui soli fidei omnia tribuentes, si qua est in sacris literis fidei mentio, penè semper annotant ad marginem: cum autem de dilectione agitur, penè nihil, nec amplius de operibus.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote

sermonis mei, quem ego dixi vobis. † Non est seruus maior domino suo. † Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, † quia nesciunt eum qui misit me.

† Aduersus futuras afflictiones armat ac munit Apostolos, quòd videlicet mundus non potest non odisse, qui sui non sunt, quemadmodum & ante CHRISTVM oderant. Qui ideo tantum Apostolos oderant, quia de mundo non essent, hoc est, mundi vanitates, & carnis desyderia non sectarentur, sed à CHRISTO selecti à mundo essent, & in discipulos electi. Commendat illis tamen, esse mundi odia, & afflictiones læto animo ferendas: quippe quæ propter CHRISTVM illis intelligendæ sint. Qui si multo grauiores pro illis pertulit, graue esse non debet seruo ac discipulo, qui maior esse domino suo non debet, minores pro eo ferre.

Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & patrem meum.

† Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: † Quia odio habuerunt me gratis.

Quoniam paulo antè dixerat: quia nesciunt eum qui me misit: ne viderentur per ignorantiam excusari à peccato, subdit: Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Itaque cum prædicantem me audierint, non habent quod excusent. Ne verò prætexent, dum mihi contradicunt de se gloriam quærere, dicentes: Hic homo non est à Deo, & similia, subdit: Qui me odit, odit & patrem meum. Qui verò rursus dicere poterant, non debere se illi credere, sed Moyse potius, ostendit nullam eis superesse excusationem: quoniam diuina opera, quæ faceret, vrgebant illos credere. Itaque quòd sibi contradixerint nulla ignorantia, seu mero odio, quòd excusari non possit factum esse, ait: Ita ut impleatur in eis quod scriptum est in persona CHRISTI Psalm. 68. Quod significat

ficat hinc sine vlla causa, nullòque CHRISTI demerito illos eum odisse.

Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum est is.

Et si me habuerint odio, cum venerit ille paracletus, quem ego mittam vobis à patre, velint nolint ille testimonium verum de me perhibebit, quia spiritus est veritatis. Sed & testes adducit ipsos Apostolos, qui coram Iudæis dixerunt Act. 5. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Cum autem de spiritu sancto, quem ego mittam vobis à patre, apertè inuenit processionem spiritus sancti à patre & filio.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.

CHRISTVS discipulos suos super futuris consolatur persecutionibus, quòd ipse quoque abiturus sit, vt paracletum ad eos mittat, quos & ipse agenda doceat, mundum arguat, & CHRISTVM clarificet, cuius nomine à patre quicquid voluerint petant, & consequentur, modò debite petant.



† Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. † Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Sed & hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.

Nihil aliud docet CHRISTVS, quam afflictiones, quæ discipulos manent, ne inopinato superuenientes imparatos illos ad nihil tale cogitantes nimirum perturbent. Prædicat autem fore, vt à Iudæis excommunicentur. Hoc enim significat verbum Græcum ἐπινομιαν, id est, synagogicè eiecere, interficiaturque ab iis, qui se Deo cultum victimamque offerre, obsequiumque præstare Deo putabunt: hoc est, vt inquit Theophylactus, rem piam, Deoque gratam facere. Hæc autem inquit, ab initio non dixi vobis, quia vobiscum eram. Non enim possunt filij sponsi, quandiu cum illis sponsus est, ieiunare, & mœstus esse. Nunc autem cum ab eo ad patrem, visum est mihi eorū vos præmonere, quæ tamen mœstitia tantum vos affecerunt, vestram ex abitione mea commoditatem ignorantes, nempe paracleti ad vos accessum: ad vos alioqui venturus non est. Perperam igitur ait, qui cum me de discessu ad patrem rogare deberetis, ac mecum de eo consolari, vsque ad eò contristamini.

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me.

Fateor, vt ingenue dicam, hunc locum maximè, quod attinet ad duo membra, de iustitia,

& de iudicio, haftenus non intellexisse, neque adhuc intelligere, quanquam in eo multum laboravi, neque apud aliquem legi quod mihi satisfaciat. Dicam tamen uti potero, quod lector boni consulat, dum autem meliora ipse reperero, aut ab alio didicero. Quod inquit: arguet mundum de peccato: quanquam de quouis peccato intelligi possit, ut multi explicant, tamen de peccato affectatae infidelitatis docet CHRISTVS, subdens: De peccato quidem, quia non crediderunt in me, sive ut Graeci habent, non credunt in me. Certè in libris Regum de Regibus impiis, quotienscunque dicitur, mortuus est, dicitur, mortuus est in peccatis, in quibus peccare fecit Israel: de peccato infidelitatis, & de idololatria intelligitur. Et 4. Reg. 10. de Iehu dicitur, quod non recessit à peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Israel, id est, idololatrare. Quod enim de eo peccato intelligatur, declarant verba sequentia: nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. Et 4. Reg. 21. de Manasse dicitur: fecitque malum in conspectu Domini. Quod de idololatria intelligi docent verba sequentia: iuxta idola Gentium, &c. Et paulo post scribitur: Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleteret Ierusalem usque ad os, absque peccatis suis, quibus fecit peccare Iudam, ut faceret malum coram Domino. Indicat enim verba, quod praeter peccatum idololatriae homicida erat. Dicit ergo CHRISTVS, quod cum venerit spiritus, arguet & conuincet mundum, hoc est, carnales & mundanos Iudaeos, de peccato, id est, de infidelitate. Sive quod si malis nomine mundi alios carnales homines etiam praeter Iudaeos intelligere, nihil moror: nempe quia tantae & tam apertae veritati credere recusant, sed & eos qui credunt persequuntur.

De iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Hoc August. in Ioannem exponit, quod spiritus sanctus arguet mundum de iustitia eorum qui credunt, quod ipsa fidelium comparatione infidelium est vituperatio, quando fidelium comparatione iniuste vixisse arguentur infideles. At sic exponendo, non video quomodo apte coniungatur illa ratio naturalis: quia vado ad patrem. Theophylactus explicat: Arguet Iudaeos de iustitia mea, id est, conuincet illos, palamque ostendet, quod ego cum iustus fuerim, & irreprehensibilem egerim vitam, iniuste occisus sum, & in eius iudicium ad patrem vadam: neque enim si iniustus fuisset, ad patrem ascendissem. Aliter Clarius exponit: Quod iustus fuerim, inquit CHRISTVS, atque omnino innocens, qui ob hanc iustitiam meam ab aspectibus hominum ad patrem sublatus profectus sum: cui rei testimonio erunt ea quae in nomine meo per spiritus sancti aduentum fient. Tertium membrum, videlicet, arguet mundum de iudicio, id est, de iudicato huius mundi principe. Video autem vnum forte suppleri posse, ac debeat, ut quidam interpretantur, & ἐλέγξει Græcum pro κερταγοῦν, id est, accusari poni possit, ut sit sensus: quod accusabit vitam de iustitia reiecta, quia me, qui sum iustitia, abiecerunt. Et arguet de iudicio neglecto: quia videlicet neglexerunt iustitiam & iudicium facere. Sed restat scrupulus de causali quia, ideo non occurrit melior expositio, quam Theophylacti. Fortè etiam intelligi potest, quod arguet mundum, id est, Iudaeos, de iudicio, id est, quod iniquae me morti adiudicauerunt, dicentes: Reus est mortis. Arguet autem de eo, quoniam princeps mundi iudicatus est, & damnatus per mortem meam. Quod abundè spiritus sanctus arguet & ostendet, quando post missionem eius palam erit videre in nomine CHRISTI crucifixi daemones torqueri, palamque discipulis eius & seruis subiici.

† De consec.
dist. 5. cap.
saluator.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. † Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur, & quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis: † Omnia quaecunque habet pater, mea sunt: propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

† Matt. 11. g.
Luc. 10. f.

Facit hic

Facit hic locus aduersum eos, qui nihil Christianis de necessitate credendum putat, quod in Euangelio non contineatur. Quia inquit: sufficienter nobis credenda omnia proponuntur in Euangelio à CHRISTO. Contra quos facit hic locus: quia instante CHRISTI passione nondum planè spirituales Apostoli multorum incapaces erant, quae CHRISTVS pollicetur se à spiritu voluntatis accepturos, qui eos docebit omnem veritatem, sive ut Graeca habent, deducet in omnem veritatem. Constat ergo multa à spiritu sancto post eius missionem credenda nobis & facienda accepisse Apostolos, quae scripta non sunt in Euangelio. Neque enim omnes scripserunt, sed ecclesias suas per manus tradenda docuerunt. Mitto hinc innumeras antiquissimorum sanctorum & conciliorum sententias, quod alibi reperiantur, & prolixiora essent, quam decet scholiastè. Quemadmodum autem nihil locutum esse, nisi quod à patre acceperat, antè dixerit, ita spiritum nihil eos docturum, nisi quod ab ipso accipiet: & quemadmodum ipse patrem clarificauit, ita inquit spiritus clarificabit me: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis, id est, nihil diuersum à me docebit, sed ea quae à me acceperit, omnia per vos loquetur, & faciet, meque glorificabit. Nam per vos in nomine meo miracula faciet. Dicendo autem se à patre accepisse, & à se spiritum, non distinctionem facit bonorum, sed communionem potius.

Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit: Modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc queritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: † sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

† 76. di. cap.
Ieiunium.

Cum ex his verbis offenderentur discipuli, quod ea capere non possent, declarat illis CHRISTVS, quid sibi velint. Amen amen inquit dico vobis: quia plorabitis & flebitis, cum iam me non videbitis, sed planè mortuum credetis: interim vero mundus gaudebit, id est, Iudaei cum principe mundi diabolo exultabunt, tanquam demum victores: vos autem inquit, contristabimini, sed ad tempus, Nam tristitia vestra vertetur in gaudium, cum me rursus resuscitatum videbitis, non longo post tempore, triduum videlicet. hoc est enim quod aiebat: & iterum modicum, & videbitis me.

Iere. 31. c.
Iacob. 4. c.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit praesurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non interrogabitis quicquam. Amen amen dico vobis: † Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, † ut gaudium vestrum sit plenum.

† Supr. 14. b.
Matt. 21. c.
Marc. 11. c.
Luc. 11. b.

Exemplo mulieris parturientis ostendit breuem fore illorum tristitiam. Nam quemadmodum parturiendo multum angitur ac laborat mulier: cum autè enixa est, ac peperit puerum, iam non meminit praesurae, quia natus est homo in mundum: ita Apostoli in triduo mortis CHRISTI fuerunt tanquam mulier parturiens. Parturiebant enim dolores, quae

† I. Ioan. 1. b.

parturientes censebant, donec per resurrectionem ad vitam immortalem regeneraretur
 CHRISTVS. Cùm autem natus est homo in mundo, id est, in mundi salutem resuscita-
 tus CHRISTVS, tunc tristitiæ prioris non meminerunt, conuersæ in gaudium inaufe-
 ribile. Quòd autem hominem natum in mûdo CHRISTVM fuscitatum interpreter, fa-
 cit, quòd Paulus Act. 13. de resurrectione CHRISTI loquens, allegat locum Psalm. 2. Ego
 *Act. 13. d hodie genui te, dicens: * Et nos vobis annunciamus eam quæ ad patres nostros repro-
 missio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filiis vestris, resuscitandi Iesum. sicut & in
 Psalmo 2. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora, cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de patre annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.

Hoc ænigmaticè & obscurè hætenus locutus sum: at iam non obscurè, sed palàm ac pla-
 nè de patre vobis loquar, cui tam chari estis, vt posthac apud eum intercessore me opus non
 habeatis. Quippe quos etiam pater diligit, ideo tamen, quia ab eo me exiuisse credidistis, &
 me iuuastis. Hæc est enim vera causa, quare vos pater amat. Si igitur eius ab amicitiâ excide-
 re non vultis, curate vt me semper ametis.

Dicunt ei discipuli eius: Ecce, nunc palàm loqueris, & prouerbiū nullum dicis, nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget, in hoc scimus quia à Deo existis.

Sublatis prouerbijs, & omissis parabolis, aperta te nunc dicere cognoscimus, imò quòd
 omnia noueris, etiam futura, quæ nos torquere possent. In quo nos ad tui agnitionem omnes
 adducis, vt verè sciamus te à patre exiisse. Apertum enim deitatis iudicium est, futura &
 occulta nosse, & reuelare secreta.


† Matt. 26. c Respondit eis Iesus: Modò creditis. † Ecce venit hora, & iam venit, vt
 Marc. 14. c dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum
 Zach. 13. c solus, quia pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.
 In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.

Quia dixerant se iam abundè credere, & iam sibi ob hanc fidem nimium fidere incipie-
 bant, prædicit illis CHRISTVS, quàm mox imbecilla sit eorum futura fides, & breui fo-
 re, vt eo relicto solo, id est, omni humana ope destituto (quia semper illi pater adest) vnus-
 quisque salutis propriæ consulat. Hæc autem inquit, locutus sum vobis, vt quemadmodū ego
 vici mundum, ita speretis per me de eo parta victoria pacem & quietem vos habituros,
 vt cunquæ interim vos mundus affligat, & opprimere tentet.

CAPVT DECIMV M SEPTIMVM.

CHRISTVS oratione sua à patre petit sui claritatem, & operum suorum
 manifestationem & exaltationem, discipulorum, & per eos cre-
 dentium in fide confirmationem, & illorum in
 sine glorificationem.

Hæc locutus



*Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis in caelum, dixit: Pater, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. † Si-
 cut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti
 ei, det eis vitam æternam.*

† De panit.
 dist. 4. Si ex
 bono.
 Matt. 28. d.

Quoniam instabat tempus & hora, cùm mundi iudicio ignominiosissima morte dam-
 nandus esset, clarifica inquit, filium tuum à turpissima morte, quam illi inferre tentat, vt per
 gloriosam resurrectionem filius tuus clarificet te. Nulla enim re magis inclaruit nomen pa-
 tris, quàm per CHRISTI resurrectionem, quando per eam Dei patris filius mundo agni-
 tas est. Clarifica ergo eum, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, id est, sicut in omnes ho-
 mines illi potestatem dedisti, nò Iudæos modò, sed Græcos: vt inquit, omne quod dedisti ei,
 det eis vitam æternam. Is modus loquendi, qui perinde Græcis habetur, atque Latinis, Græ-
 cis tamen auribus infrequens est, mihi videtur Hebraismum redolere, vt sit sensus: vt omni-
 bus quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Nam quod hîc philosophatur Caietanus, nihil
 datum CHRISTO à patre esse, quod non dederit vitam æternam hominibus in se cre-
 dentibus, videtur durus. Quam autem potestatem dederit CHRISTO pater, declarat
 CHRISTVS, cùm ait: Vt det omnibus quos ei dedisti, vitam æternam.

Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

Hic solus non sic sumitur exclusiue, vt à Dei appellatione filium secludat, & spiritū san-
 ctum, quasi tantummodo pater sit Deus, & nò filius, aut spiritus sanctus, sed sumitur, vt Logici
 vocant, de excluso extremo, vt sit sensus: Quòd pater est Deus verus, ac solus, sic filius ac so-
 lus Deus, similiter ac spiritus sanctus, vt rò solus determinet rò Deus, vt intelligamus tres
 personas verum esse Deū, qui solus & vnicus est Deus. Nec enim pater alius est Deus, quàm
 filius & spiritus sanctus, licet alia sit persona. Porro quia Iudæi Deum patrem agnoscebant,
 filium verò ignorabant, & adhuc ignorant, cùm dixisset: vt cognoscant te solum Deū verū,
 subdidit: & quem misisti IESVM CHRISTVM: subaudi, agnoscant solum verū Deum.

*Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt fa-
 ciam. Et nunc clarifica me tu pater apud te ipsum, claritate quam ha-
 bui, priusquam mundus fieret, apud te. Manifesta nomen tuum homini-
 bus: quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dedisti, & sermo-
 nem meum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi,
 abs te sunt: quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & cognouerunt verè quia
 à te exiui: & crediderunt quia tu me misisti.*

Quemadmodū glorificatur à nobis Deus, quando rectè viuētes mandata eius seruamus,
 & ministerium nobis ab eo commissum fideliter consummamus, ita CHRISTVS, cùm
 discipulos & sequentes fideles sufficienter docuit ad vitam æternā præcepta & viam, ad quæ
 docenda missus fuerat, dicitur glorificasse & clarificasse patrē, & opera doctrinæ cōsummas-
 se. Cōsequenter petit à patre clarificari, ac si diceret: Hætenus me mundus vilē & abiectum
 habuit, quippe qui (quod de se Dauid antetestatuserat) factus scilicet* Vermis, & nò homo, *Psal. 21. b.
 opprobriū hominū, & abiectio plebis. Loquitur enim de ignominia crucis, quasi iam eam,
 quæ proximo instabat, ferret. Ego igitur inquit, pater, qui te clarificaui super terram, id est,
 nomen tuum orbi propè incognitum illustre illi reddidi & gloriosum, quique mandata tua
 omnino peregi & consummaui, factus obediens tibi vsq; ad mortem crucis. Consummasse
 enim se dicit, quo ad doctrinā, & suæ missionis & Deitatis probationē: & quod reliquū esset,
 proximo cōsummaturus. Ne sine igitur hominū iudicio, qui hætenus inglorius vixi, posthac
 M m

inglorius remaneam, clarifica me pater, ea claritate, quam habui apud te, priusquam mūdus fieret, id est, fac ut tandem orbis agnoscat, & credat me verum Deum, Deiq; patris filium, quemadmodum ab æterno ex te Deus sum genitus. Quod de filio etiam secundum diuinam naturam intelligendum est. Nam etsi ante C H R I S T I mortem Deum multi agnoscebāt, ridiculum tamen putabant Deo filium tribuere. Sunt qui interpretantur: Clarifica me, id est, humanam naturam meam, ea claritate & gloria, quam habebam apud te ante mundum cōditum: quod non est intelligendum, quasi C H R I S T V S eam de nouo ad id dignitatis & glorię sublimari desyderet, quæ statim atq; à verbo Dei; filio assumpta est, omni qua ipsissimū Dei verbū gloria, quo ad animā, ornata atq; locata erat. Petit igitur glorificari eū, id est, ut per resurrectionē orbi innotescat eadē cum verbo dignitate & gloria frui. Quod autem dixerat paulo antē: Clarificauit te super terram: ostendit quid sit, dicens: manifestauit nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: ita nomen suum petit manifestari.

†35. q. 10. c. † *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui Fratertatis. sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis.*
 †De sum. *Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater trinit. Dā ter sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut namus. & nos. Cum essem cum eis ego, seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti De celebra. mihi, ego custodiui: & nemo ex eis perit, nisi filius perditionis, ut scri- Martha. ptura impleatur.*
 †Esa. 108. b

*1. Ioan. 2. a. Cū idem Ioannes Euangelista secundo capite Epistolæ primæ dicat: *Aduocatū habemus apud patrem I E S V M C H R I S T V M iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autē tantū, sed etiam pro totius mundi: nunc autē asserat C H R I S T V M dixisse, non pro mundo rogo, indubium est mundū duobus modis accipi. Vno modo pro tota hominum congregatione, qui sub cælo degunt: quomodo Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vnigenitum daret. Vult enim Deus teste Paulo 1. Timoth. 2. omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: pro quibus sufficienter passus est C H R I S T V S, licet non pro omnibus efficaciter, pro his videlicet, qui credere in eum noluerunt. Secūdo modo accipitur mundus pro reprobis: quemadmodum Ioan. 14. Mittam vobis spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Similiter multis locis, ca. 15. 16. & infra in hoc cap. quando de discipulis loquens, dicit: non sunt de mūdo. Cui contrarium vnum est, quod paulo antē dixit: & iam non sunt in mundo, & qui in mundo sunt. Nam hīc mundus pro tota hominum congregatione sumitur, quæ electis constat, ac reprobis. In quo se C H R I S T V S non esse dicit, quasi iam moriturus, & ad patrem rediturus. sicut paulo post agit: Cū essem cum eis: non quod non esset. Sic Paul. 1. Cor. 11. Cū iudicamur à Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

†Supr. 11. c. *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo: sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum.*

Sed quia per mortem statim relicturus eos esset, & ideo præmisit: quia iam in mūdo non sum, & hi in mundo sunt, id est, quia statim abiturus sum à mundo, & eos in illo relicturus, vbi cum probis eos degere oportet, & reprobis. Serua eos in nomine tuo: non rogo ut tollas eos de mundo, id est, non rogo ut ab impiorum & reproborum cōgregatione eos tollas ac

segreges. Oportet enim versari probos cum improbis, ut eorū improbitati resistant: sed rogo ut serues eos à malo, Græcè est, τὸ πονηρῶν, quod potest significare malignū, scilicet diaboli. Sic enim aliquoties in scripturis vsurpatur. Aliquādo sumitur pro peccato, & utroq; modo hīc sumi potest. Nō enim pro malo pœnæ sumitur. Nō enim rogat C H R I S T V S patrē, ut eos ab afflictionibus liberet, qui discipulos suos crucē suā tollere, & magistrū sequi vult.

Et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbū eorum in me.

Sanctum in lege Moyfi vocabatur, quicquid Deo seponeretur offerendū, aut sacrificandum. Inde sanctificare, pro sacrificiū offerre sumitur. Ergo inquit C H R I S T V S, ego sanctifico me pro eis, id est, Deo patri me offero in cruce moriturum pro eorū abluendis peccatis, & totius mundi immolādum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate, id est, ut sint ipsi verē sancti, & non quemadmodum typica olim legalia, sed qui in veritate Deo se offerant in prædicationis & veritatis testimonium, ac si opus est, in sacrificium, & immolationem. Sic enim interpretatur ex Chrysoſtōmo Theophylactus: Sanctifica & conserua discipulorum animos, & fac eos veras oblationes, & corrobora eos, ut pro veritate se sacrificent, paratūque pro ea sustinenda ad mortem.

Ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.

Ibi τὸ sicut non dicit omnimodam similitudinem. Vnum enim essentia & substantia sunt pater & filius: quod esse homines non possunt. Itaq; intelligendum est, ut vnum sint fidei & charitatis vnanimitate, vnumque corpus in C H R I S T O. ut Paul. Roma. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actū habent, ita multi vnū corpus sumus in C H R I S T O, singuli autē alter alterius mēbra. Idē dicit. 1. Cor. 12. *Rom. 12.

Et ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo ut vbi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.

Id est, gloriæ meæ, quam abs te habeo, participes eos feci, quam etsi re ipsa nondū habēt, habituri sint, ideo eos feci immortales, spe tamen iam obtinent: quippe qui signati sint spiritus sancti promissione, qui est pignus hæreditatis nostræ. Quod enim dicēdo, dedi eis, non intelligat, quod iam re ipsa obtineant, probant sequentia, cū dicit: volo ut vbi ego sum, & illi sint mecum, in vita æterna scilicet, ut videant gloriā meam, quam dedisti mihi.

Quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Pater iuste, mundus te non cognouit, Ego autem te cognoui: & hi cognouerunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Græcè est, πρὸ καταβολῆς κόσμου, id est, ante iacta mundi fundamenta, ante conditū mundū, vel ante mundi conditionē. Nam constitutio οὐρανοῦ, seu κατὰ οὐρανοῦ potius dicitur. Veni inquit C H R I S T V S, ut te mundo manifestarem, & inde mundus te agnosceret, qui dictis meis fidem adhibere noluit: quasi te nusquam nouissem: & scis quia te cognoui. Rogo pater, ut præ te feras erga illos charitatem, quam erga me hætenus tulisti, ut & ego agnoscar in eis, & illi tanquam membra mea sint, quia ego in ipsis.

CHRISTVS Iudæos voce sua prosternens, à Iuda traditus, ad Annam ductus, & interrogatus, à seruo eius percussus. Inde coram Caipha condēnatur, coram Pilato accusatus innocens declaratur, pro quo tamen Barrabas liberatur.

† Matt. 26. c.
Marc. 14. c.
Luc. 22. d.
2. Reg. 15. c.



HEC cū dixisset Iesus, † egressus est cū discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiit ipse, & discipuli eius. Sciebat autem Iudas qui tradebat eum, locū, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

Ex eo die, cū honorificè Ierusalē ingressus est Dominus, passioni suæ iam proximus, de die in templo docebat, noctu verò in monte Oliuarū diuersabatur. Vnde dicit Matthæus egressum esse secundum consuetudinem in montem Oliueti, trans torrentem Cedron. Pro quo verisimile est interpretē legisse τὸν κέδρον. Nam Hiero. in locis Hebraicis indicat vallem ad torrentem quēdam nomine Cedrum esse, ad Orientalē plagam vr̄bis Ierusalem, qui quidem Oliueti proximus est. De hoc torrente scribitur 2. Reg. 15. quòd cū fugeret Dauid à facie Absalom ex Ierusalem, transgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam oliuæ. Græca autem lectio Ioannis hoc loco habet non τὸν κέδρον, sed τὴν κέδρον, id est torrentem cedrorum, quòd locus sit cedris confitus, sicut mons Oliueti, quòd oleis. Cedron autem vox Hebræa, קדרון tam torrentē, quàm conuallem significat. Et nunc pro conualle ipsa, nunc pro torrente, qui vallem transit, sumitur. De qua etiam 3. Reg. 15. de Afa rege Iuda dicitur, quòd cōfregit simulachrum turpissimū, & combussit in torrente Cedron. De conualle Cedron scribitur 4. Regum. 23. quòd Iosias efferri fecit lucum de domo Domini foras Ierusalem, in cōualle Cedron, & combussit eum ibi. Trans huiusmodi autem conuallem & torrentē hortus erat, quem introiit non fortuito, nec temerè CHRISTVS, sed diuina prouidentia, vt sicut in horto deliciarū paradiso, prodito à serpente Adamo, mundi perditio cōperat, ita in horto prodito CHRISTO mundi salus inciperet. Sciebat itaq; Iudas hunc hortum, in quem sapius CHRISTVS exacta cœna diuersabatur. Hic Euangelista Ioannes multa omittit gesta in horto, quæ prius cæteri scripserant Euangelistæ, sicut & ipse Ioannes alia plurima scribit, quæ cæteri omiserant.

† Matt. 26. e.
Marc. 14. e.
Luc. 22. e.

† Iudas ergo cū accepisset cohortē, & à pontificibus & Phariseis ministros, venit illuc cū laternis, & facibus, & armis. Iesus itaq; sciēs omnia quæ ventura erāt super se, processit, & dixit eis: Quē queritis? Responderūt ei: Iesum Nazarenū. Dixit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eū, cū ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierūt retrorsū, & ceciderūt in terrā.

Ne elaboretur Iudæorū manibus CHRISTVS, atq; ita promissam pecuniā nō acciperet Iudas: erat enim turbis maximè gratissimus CHRISTVS, quarū metu plerunq; ab eo Pharisei abstinerant. Non contentus Iudas Phariseorū ministris aduersum vim turbæ & populi, si qua fieret, cohortis prætoris subsidiū accipit. Est autē cohors prætoris Budæo teste, quæ cōsuli aut prætori in prouincia præsto semp erat, quasiq; latus eius cingebat. Prætor verò, siue præfectus prætorio, Gallis dicitur magnus magister hospitij regis, qui & tribunus.

Iterum ergo interrogauit eos: Quem queritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me queritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quenquam.

Quod ad mitissimam Domini vocem, Ego sum, ceciderunt in terrā aduersarij, diuinam in CHRISTO

in CHRISTO potentiam arguit, qui nō nisi volens vincitur ac tenetur, discipulis primū permittis abire illæsis. In quo Iudæorum manifesta est obstinatio, qui cū tam apertam CHRISTI potentiam viderent, non abstinerunt à tanto facinore perpetrando.

† Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen serui Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum? † Matt. 26. e.
Marc. 14. e.
Luc. 22. e.
24. q. 1. cap.
Si Petrus.

Refert Lucas Apostolos facultatem quæsiisse à Domino seipos tuendi. Cuius responsum cæteris audentior Petrus non expectans, leuitate potius, quàm modestia eduxit gladiū, & occidere primum sibi obuium putans, solam abscidit auriculam. Subita enim passio non patitur responsum, quæ nec sui compos iudicium superioris expectat. In quo nec ipse Petrus omnino excusatur, qui sua percussit autoritate, aliàs ipsum non arguisset CHRISTVS, qui etiam vulnus à Petro illatum sanauit.

† Cohors autem & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderūt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primū. Erat enim seruer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphæ, qui consilium dederat Iudæis: Quia expediret unum hominem mori pro populo. † Matt. 26. f.
Marc. 14. f.
Luc. 22. f.
† Supr. 11. f.

Cū dixerit Ioannes præter cæteros Euangelistas: Adduxerunt eum ad Annam primū: quidam hic esse eclipsum, & suppleendum esse: deinde ad Caipham. Et certè Cyrillus statim subdit, facta Annæ mentione. Miserunt autem eum ligatum ad Caipham pontificem. Eoq; modo legendo, omnes Petri negationes, CHRISTIq; interrogationes apud Caipham factæ sunt, non apud Annam, ad quem tantū ductum dicunt à ministris, in hoc genere Caiphæ gratulatoris. Sed restat scrupus: Si hæc recitat Ioannes in domo Caiphæ facta, quomodo post ea recitata subditur: Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem: nisi dicas, quòd per repetitionem hæc dicta sunt. Via autem communior sequitur textus nostri ordinem & contextum, vt prius ad Annam ductum, & ibi interrogatum dicamus, & inde ad Caipham. Autoritas tamē allegata: Et misit eum Annas ligatum, & c. aliter intelligi potest, vt ἀποσταλῶν præteritum plusquam perfectum sit, id est, miserat: quo admissio, omnis controuersia tam de CHRISTI interrogationibus, quàm Petri negationibus soluta est. De pontificum autem Iudæorum sub Romano Imperio successionem refert Iosephus Antiq. Iuda. lib. 18. ca. 3. Valerius Gratus à Tyberio missus est præfes in Iudæam. Hic adæpto Anna, aliàs Anano sacerdotio, Ismaelem Fabi filium iussit esse pontificem: quo paulo post deiecto, in Eleazarum Annæ pontificis filium eum honorem transtulit. Elapso deinde anno & hūc redegit in ordinem, & Simoni Camithi filio pontificatū tribuit. Hic quoq; anno in hac dignitate exacto iussus est cedere Iosepho, qui cognominabatur Caiphæ, aliàs Caiaphas. His autem pontificum successionibus vicissim præfuerunt, vt inquit Euseb. histo. Ecclesi. lib. 1. cap. 12. per tempus, quo CHRISTVS saluator noster prædicauerit. Consonanter igitur inquit Euseb. secundum ea quæ Iosephus scribit, Caiphæ pontificem anni illius, quo CHRISTVS passus est, etiam Euangelij scriptura designat, qui primò cōstitutus fuit anno CHRISTI 22. deinde per successiones Imperatoris, procuratores pro libidine conferebant. Eutropius lib. 1. cap. 12.

Sequebatur autem Iesum Simō Petrus, & alius discipulus: discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autē stabat ad ostium foris. Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrū. Dixit ergo Petro à cilla ostiaria: Nūquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dixit ille: Nō sum. Stabāt autē serui &

ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis Petrus stans, & calefaciens se.

Videtur Ioannes, cum aliquot Petri negationibus recitatis ad historiam Iesu venisset, recitatis iis quæ apud Annam gesta sunt, subiunxisse: Misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem: deinde redire ad negationes Petri, dicens: Erat autem cum eis & Petrus, stans, & calefaciens se. Certè Chryso. videtur asserere, quod cum CHRISTVS adduceretur ab Anna ad Caipham, stetit immotus in domo Caiphæ Petrus, qui tãto stupore detinebatur, vt etiam cum magister abduceretur, non commotus sit, sed adhuc calefaciebat se, ita vt iterum interrogatus neget. Quamquam cæteri Euangelistæ Annæ mentionem non fecerint, Petrique negationes in domo summi sacerdotis Caiphæ factas asserunt. Vide August. de concordia Euangelistarum.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus sim ipsis.

†93. dist. ca. Dominus. *Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. † Hæc autem cum dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus: † Si malè locutus sum, testimoniū perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? † Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.*

†23. q. 1. ca. Paratus. 2. q. 7. cap. Presumit. *Notandus est hic locus aduersum huius tempestatis hæreticorum occulta conciliabula, & clandestinas prædicationes, qui nec palàm, nec in templo, quo omnes conueniunt, subdolum & erroneam doctrinam suam prædicare audēt. Itaq; sicuti non dāno occultas prædicationes omnes, quæ magnatum gratia in cubiculis fiunt, præsertim si illis per morbum aut alia impedimenta templum adire non licet: ita eas probo. Admoneo tamen fideles omnes, ac verè Christianos, vt huiusmodi clancularios prædicatores cautè obseruent. Interrogatus igitur CHRISTVS de doctrina sua, quid aliud breuius respondere debuit, quàm ad auditores suos remittere eum, inter quos vnus esse debuit: veller ne totà iam triennio prædicatam doctrinam palàm reuocare. In quo igitur malè iudicatur respõdisse, & contra iustitiã coram iudice alapam fuisse passum. Qui etiam suscepta alapa, percussorè docere non dedignatur.*

†Matt. 26. g. *Erat autē Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: † Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscedit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus. Et statim gallus cantauit.*

Ex hoc loco ardua oritur inter doctores & interpretes difficultas, de loco & concordantia negationum Petri. Tres etenim priores Euangelistæ dicunt eas fuisse in domo factas Caiphæ, Ioannes verò in domo Annæ: cui potius videtur credendū, quibus ipse interesset. Hieronymus & Beda eas in domo Annæ incepisse, in domo verò Caiphæ consummatas asserunt. Vnde cæteros Euangelistas negationis finem attendisse dicunt, Ioannem verò principium. August. autem omnes dicit in domo Annæ factas: sed cum Caiphas pontifex esset, quod in domo Annæ factum est, Caiphæ tributū. Nec minor de tempore earum scrupus oritur. Nam hîc Ioannes cum Matthæo & Luca dicit gallum post trinam negationem cantasse, Marcus verò post primam. Vero simile est post primam negationē, vt ait Marcus, gallū emisisse vocem, quam tamen Petrus non audiuit, & similiter post tertiam, quam ipse audiēs, CHRISTI prædicationis meminit, & inde exiens fleuit amarè. Quærūt insuper quomodo Petrus

do Petrus dicatur ter CHRIVM negasse, cum ad vnã interrogationem responderit, & alteram: Non sum. In aliis Euangelistis modò ita respondet, modò respondet: Nescio quid dicis: vel, non noui hominem. Respondet Aug. Sanè in hac negatione Petri debemus aduertere, non solum ab eo negari CHRIVM, sed ab illo etiam, quicumque negat se esse Christianum. Vnde negauit CHRIVM Petrus, dum negat se CHRISTI discipulum. Dum enim dicit: Non sum: perinde est atque si dicat: Non sum Christianus. & idem de aliis, quas Matthæus explicat manifestius: quia primò simpliciter negauit, secundò cum iuramento, tertio cum blasphemia: vt agnoscamus quantum sit periculum in peccato perseverare.

† Adducunt ergo Iesum à Caipha in pratorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in pratorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem assertis aduersus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. †
†Matt. 27. Marc. 15. a. Luc. 23. 4. †De panit. dist. 1. ca. Periculose.

Feria quinta ad vesperam, id est, die Iouis serò, quando incipit feria sexta (à vespera enim in vesperam dies suos Iudæi cõputabant) CHRIVS Pascha celebrauit, die præfixo ex lege. Iudæi verò non ex lege, sed ex patrum traditione die sequenti celebrarunt. Cuius controuersiam Burgenis super Matthæum diluit. Et quia Iudæi per ingressum domus gentilitiæ sese immundos censebant, dicit Euangelista: quod ne contaminarentur: sed vt mundi Pascha manducarent, gentilis Pilati pratorium ingredi noluerunt, non intelligentes miseri innocentis CHRISTI sanguine sese amplius contaminatum iri. Nam congressus cum gentilibus, aut rerum gentilitiarum palpatio animam eorum maculare non poterat, quem admodum innoxij hominis homicidium. Erat autem pratorium ædes prætoris ac præsidis, siue præfecti prouinciæ.

Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam: † vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. † Introiuit ergo iterum in pratorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudeorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti? †
†Mat. 20. c. †Matt. 27. b. Marc. 15. a. Luc. 23. 4.

Aut mentiuntur hæc dicentes, alioquin quomodo Stephanum occiderunt? Sed inquires, quod fecerunt quod non licebat: aut fortè per præsidum inhibitionem non licebat in quenquam morte sæuire, aut potius quia innocentem eum sciebant, ne iniqui iudicij, quod per se tulissent, accusarentur, malunt à præside condemnari. Causam autem aliam adfert Euangelista, vt sermo IESV impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Sermo iste videlicet: Oportet exaltari filium hominis, id est, in crucem agi. Quod genus supplicij insolens erat Iudæis, frequens autem Romanis, præsertim aduersum seditiosos: cuius criminis reum CHRIVM faciebant.

Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus

sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?

Satisfacit illi quæstioni: Tu es rex Iudæorum. Per quam non contendebat Pilatus illum verum regem Iudæorum esse, qui solum agnoscebat eorum regem Cæsarem. Sed hoc sensu quærit: Tu ne ille es, qui per seditionem regnum ambis & affectas Iudæorum? Huius enim rei accusabant eum. Cui quæstioni respondet CHRIS TVS, dicens: Regnum meum non est de hoc mundo: ac si responsionem temperans, ut se ab affectati Iudæorum regni supplicio liberet, & se tamen regem esse non neget. Ex qua responsione infert Pilatus: Ergo rex es tu. Quod legi potest & affirmatiuè, & interrogatiuè. Videtur tamen potius affirmatiuè legendum, propter CHRIS TI responsionem: Tu dicis. Nam si Pilatus interrogaret: Tu ne Rex es? CHRIS TVS non responderet: Tu dicis. Nam qui aliquid interrogat, non asserit. Cùm ergo dicat CHRIS TVS: Tu dicis: sensus est: Verè dixisti me regem esse, quia rex sum. Ego in hoc natus sum, &c. Theophylactus interpretatur: Ego in hoc natus sum, id est, ut rex sim, quippe de rege natus. At mihi videtur esse sensus: Tu verè me dixisti regem esse. Rex quippe sum ego. Neque veritatem negare possum. Quippe qui in hoc natus sum, in mundo videlicet. Et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam meæ veritati, non ut veritatem negem. Cùm ergo me interrogasti: Num rex Iudæorum essem? Respondi tibi regnum meum de hoc mundo non esse. At me tamen, quod tu ipse verè dixisti, regem esse.

Et cùm hoc dixisset, iterum exiit ad Iudæos, & dixit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. † Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha. Vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum? Clamauerunt rursus omnes, dicentes: Non hunc, sed Barrabam. Erat autem Barrabas latro.

Vnde hæc consuetudo manarit, ut præses unum dimitteret vinctum in Pascha, cùm nihil in lege scriptum habeatur, penitus ignoratur: nisi fortè quod Beda agit, ex antiqua patrum consuetudine, ut ob recordationem liberationis ex Aegypto unum etiam in die Paschæ vinctum dimitterent. Quam consuetudinem à Romanorum præsidibus obseruatam iri impetrauerant: alioqui non diceret Pilatus: Est autem consuetudo vobis.

CAPVT DECIMVMNONVM.

CHRIS TVS à Pilato flagellatus, & coronatus, ad crucifigendum à Iudæis acclamatur, à Pilato morti adiudicatur, ad locum supplicij crucem portat, in qua inter duos latrones suspenditur: diuisis à milibus vestimentis, matrem Ioanni, & Ioannem matri commendat, aceto potatus, spiritum emittit, à cruce aperto latere depositus, à Ioseph & Nicodemo cum honore sepultus.

† Mat. 27. d
Marc. 15. b
Luc. 23. a



Iunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, † & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Iudæorum. & dabant ei alapas. Exiit iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. Exiit ergo

ergo Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam.

Moris erat præsidum Romanorum, ut plures dicunt, priusquam mortis supplicio aliquem damnarent, flagris cædere. At nescio an ob eam causam flagellari CHRIS TVM Pilatus, quem in omnibus interrogationibus reperit innocentem, an ut Iudæorum parumper temperaret iram, ac quoquo modo mitigaret, ut dicit Theophylactus post Chrysostomum, qui mitem illum faciunt, sed mollem iudicem. Qui cùm iniuste flagellasset eum, et si inuitus, eum abire liberum finire debebat, potius quàm Iudæorum voluntati flagellatum, illudum, & spinis coronatum tradere crucifigendum.

Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. † Et ingressus est pratorium iterum, & dixit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: † Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset de super. † Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde querebat Pilatus dimittere eum.

Nouum crimen CHRIS TO intentant, ad eius condemnationem, legis suæ præsidio vtètes, quæ Leuit. 24. dicit: Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. CHRIS TVS enim si pura fuisset creatura, verè blasphemasset, naturalem se Dei filium faciens, patrèmque suum dicens esse Deum. Ad huius ergo criminis intentionem timuit Pilatus, non nihil numen reueritus, si blasphematorum eius indemnatum fineret, cùm Iudæi ad mortem pererent, quem Dei filium esse ex operibus nouerant. Itaque IESVM interrogat, unde nam esset. Cui, quia non ex pietate, ac dignoscenda veritate, sed metu interrogabat, non respondet, quia nihil etiam profuisset. Vnde minas intentanti sibi Pilato respondet CHRIS TVS, nihil se eum timere, qui nihil in se iuris haberet, nisi coelitus à patre permittente datum esset. Quapropter absolui eum nitente Pilato, nouum semper calumniatur Iudæi inuenire crimen, quod mouere posset iudicem.

Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha.

Cùmque Iudæi viderent nihil se profecisse per diuinæ blasphemæ accusationem, læsæ maiestatis crimen obiiciunt, quod plus mouere Pilatū sperarent: nempe quod contra Cæsaris authoritatem seditione regnum Iudæorum affectauerit. Quorum importunitate, ac magis offendendi Cæsaris metu victus Pilatus, Iesum illis tradidit crucifigendum: cùm prius pro tribunali sedisset in loco, qui Græcè dicitur λιθόστρωτος, ἀπὸ τῶν λίθων, id est, lapidibus, καὶ τῶν στρώνυμι, id est, sterno, quod locus ille lapidibus esset constratus, qui Hebraicè dicitur גַּבְּתָא Gabbatha, quæ vox significat locum eminentem.

Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta. Et dicit Iudæis: Ecce rex

uester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.

Parasceue dictio Græca, nam παρασκευή preparationem significat. Et sic appellabatur dies præcedens magnum sabbatum Paschæ, quæ est apud nos dies Veneris, quod ea die se præparabant Iudæi ad edendum Pascha. Quod autem Ioannes ait, erat hora quasi sexta, & Marcus, erat hora tertia, & crucifixerunt eum, videntur non nihil pugnare. Pro quo intelligendum est, Iudæis primam horam incepisse ab ortu solis, atque ita cum tunc esset æquinoctium, sol oriebatur hora sexta, propterea prima hora erat inter sextam & septimam nostram, tertia verò circiter nonam, & sexta circa meridiem, nona verò circiter horam tertiam pomeridianam, declinante iam sole ad vesperam. Mane ergo cum adduxerunt IESVM in prætorium ad Pilatum, erat hora prima more Iudæorum, & sexta more nostro. Itaque ab aduentu CHRISTI in prætorium, usque ad crucifixionem, penè sex horæ secundum Ioannem fluxissent, secundum Marcum verò tres. Quos ita concordat Victor, quod Dominus IESVS hora media inter tertiam & sextam crucifixus est: & quia extrema sunt nominata, & medium sæpius nomen sortitur extremorum, ideo dicit Marcus hora tertia, & Ioannes hora sexta, non simpliciter, sed cum determinatione, quasi sexta. Aliter concordat August. Hora tertia crucifixus est Dominus IESVS linguis Iudæorum, & sexta manibus militum. Non malè igitur dicit Ioannes, quod cum Pilatus tradidit IESVM Iudæis ut crucifigeretur, erat hora quasi sexta, circiter meridiem videlicet. Nec obstat, quod Marcus longè antequam faciat mentionem horæ tertiæ, dicit de Pilato, quod tradidit IESVM ut crucifigeretur, quia hoc dicit Chrysostomus & Theophylactus. Nequaquam tunc eum planè tradidit illis: nam ab vxore admonitus, nihil sibi esse cum iusto IESV, post illud tempus videlicet, quo Marcus ait, tradidit ut crucifigeretur. Post impostam illi spineam coronam, & indutam purpuream vestem, sic affectum illum populo produxit Pilatus, multis de eo cum Iudæis disputans: rursusque in prætorium reduxit, deque liberando eum contendit. Itaque cum importunitate ac metu Cæsaris victus pro tribunali sedisset, poterat esse quasi sexta, id est, circiter meridiem. Nec obstat quod Lucas dicit: Paulò antequam CHRISTVS expirasset, erat autem ferè hora sexta: quod pauciori tempore pependisse CHRISTVS in cruce videretur, quàm quo fieri potuerint ea quæ interim facta narrantur ab Euangelistis. Nam cum hora tertia Iudæorum, ut dixi, tres nostras contineat, inter illud autem de quo Ioannes, & illud de quo Lucas dicit, intercedere potuit quasi vna hora. Dicimus enim instare duodecimam, quando bona pars vndecimæ tranfiit.

† *Matt. 27. d* † *Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt. Et baiulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Caluarie locum, Hebraicè autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.*

Cum dicitur, eduxerunt, Græca, duxerunt, ἀπαγωγὴν, id est, abduxerunt. Est autem ἀπαγωγή aliquando ad supplicium rapere, siue ad pœnam abducere: quod magis hoc loco quadrabat. Educitur itaque CHRISTVS tanquam blasphemus extra castra moriturus, uti ille de quo Leuiti. 24. qui collegerat ligna sabbato: & educitur ad Occidentalem partem

partem vrbs, à facie Pilati, qui eum ad talem damnauerat pœnam. Et contra morem baiulabat crucem suam, in grauius tormentum, ut maiora pateretur, & citius deficeret. Cumque venissent ad locum supplicij, exuerunt eum vestimentis suis, uti nudus Adam fuerat creatus: sed quia peccatum verecundum reddiderat, nuditatem CHRISTO esse opprobrium tanquam peccatori studuerunt. Opprobrium quidem à genere mortis passus est, quia cruci affixus: de quo dicitur: *Maledictus qui pendet in ligno. A loco, qui pro malefactoribus deputatus erat. A societate, quia inter duos latrones, ut verum habeat illud: Et cum iniquis reputatus est. A ministris, qui gentibus & idololatriis. Et ab impietate, qui in conspectu matris piæ, & multorum amicorum. Insuper titulum cruci apponi voluit tanquam ridiculum, nisi velis ipsum uti Caipham prophetasse, & verum scripsisse: vnde August. Auelli à corde Pilati non potuit CHRISTVM esse regem Iudæorum, tanquam hoc in eius corde ipsa veritas fixerit: quanquam ipsum, flagellari, coronari, & rideri à militibus, ut Iudæos mitigaret, permisit.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit, ut scriptura impleretur, dicens: † Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

† *Psal. 21. e*
Matt. 27. d
Marc. 15. b
Luc. 23. e

Vestimenta CHRISTI, non latronum partiti sunt sibi milites in conspectu Domini in ludibrium, in his sanè subsannantes, quasi regia essent vestimenta: ut prophetia Davidis impleretur: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Tria autem ferent habuisse CHRISTVM vestimenta, quorum duo sibi milites diuiserunt in partes, vestem autem inconsutilem, à matre, ut inquit, illi contextam, sorte diuiserunt, ut nihil eorum, tam corporis, quàm bonorum, quæ CHRISTVS possidebat, maneret iniuriis non affectum.

Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleopha, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.

Mulieres CHRISTVM ad supplicij locum secutæ, cum crucifigeretur, eminus aspiciabant, ipsi autem crucifixo recedentibus turbis appropinquauerunt. Eas cominus contemplatus CHRISTVS, matrem intra crucem astantem videt, quam Ioanni discipulo commendat custodiendam: quam ille atque suam accepit, Græcè est, εἰς τὰ ἴδια, id est, ad sua, ac sibi propria. At mihi interpret non malè vertisse videtur, in suam. Id enim significat, ut interpretatur, in suum ius. Itaque cum CHRISTVS dixisset discipulo: Ecce mater tua: rectè mihi vertisse videtur interpret, accepit eam in suam matrem. Ac fortassis pro τὰ ἴδια, legit τὴν ἴδιαν: sed hæc Græca, εἰς τὰ ἴδια, significare possunt in suas aedes, & secum, siue in suam curam.

Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. † Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.

† *Psal. 68. e*
Matt. 27. f
Marc. 15. f
Luc. 23. e

Quamquam non dubium, præ vehementissima suppliciorum immanitate, & à vespera in meridiem ieiunio, calefactis & siccis faucibus vehementer CHRIS TVS sitiret, nostram tamen salutem, & Iudæorum conuersionem, quam potum aliquem potius sitiebat. De corona, clavis, & cruce silet, sitim expetit, sed magis animarum salutem, quam corporis sui cruciatum queritur. Obtulerunt autem illi spongiam plenam aceto. Spongia enim animal est in mari degens, & rupibus adhærens, siccatur, & si aqua immergatur, multam bibit, quam, si prematur, emittit. Immersa igitur spongia aceto bibit quantum potuit, quam hyssopo circumligantes arundini, obtulerunt ori CHRIS TV, vt qui in omnibus membris passus fuisset, in ore & lingua demum pateretur. Pro circumponentes hyssopo, Græcè est περιέβρες, id est, circumdantes, vel circumligantes spongiam, non ligno, sed herba hyssopi, quæ flexibilis, & ligaturæ apta est.

Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudæi ergo, quoniam parasceue erat, vt non remaneret in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.

Consummatum est, id est, iam actum est de me, ne quidem vltima mihi mensa deest: iam accepere finem, quæ de meis afflictionibus propheta prædixerant. Consummatis itaque figuris & scripturis in testimonium, consummantur in effectum, quibus consummatis, inclinato capite tradidit patri spiritum, qui primò dedit illum. Vnde Aug. Tradidit spiritum, tanquam qui potestatem habebat ponendi eum, & iterum sumendi. Neque Iudæis sufficiebat vniuersam poenarum intulisse afflictionem, nisi etiam in mortuum scirent, vt si quid residui esset sanguinis, exprimerent, & extraherent, in passionis tamen effectum, quod non intendebant. Ex eius enim lateris apertione fluxit sanguis & aqua, ex quibus efficaciam habet sacramenta. Latronum verò, quia adhuc viuerent, crura frugerunt, vt citius morerentur, & deponerentur propter sequens sabbatum, ne scilicet die sequenti confluentibus ad magnum festum innumeris penè turbis, verentes Iudæi, ne vsque in diem illum viuerent latrones, ac fortè CHRIS TV innocentiam testarentur, sicut pius latro iam dudum testatus fuerat. vnde subdit:

† De sum-
matrini. in
Clem. ca. 1.
† De celeb.
missæ. ca.
In quadam.
† Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non frugerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis.

Sanguis & aqua, quæ de CHRIS TV latere exeunt, indicant nos merito passionis eius & crucis per aquam regenerationis & baptismi saluatum iri. Duobus enim hîc opus est, vt & CHRIS TV sanguinem pro nobis sufficienter, & si volumus, efficaciter, effusum credamus. Deinde aqua regenerationis & baptismi tingamur.

† Exo. 12. g
Numc. 9. b
† Zach. 12. d
Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur: † Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura: † Videbunt in quem transfixerunt.

Locus prior Exodi 12. est, & Num. 9. Nec os illius confringetis. Quod quidem de agno Paschali, qui quidem typus erat veri agni CHRIS TV, dictum est. Atque id in CHRIS TV sequens locus: Videbunt in quem transfixerunt: qui quidem propheticè à Zacharia de CHRIS TV dictus est. Quod Hebraicè sic habetur: Aspicient in me quem transfixerunt. Vbi & diuinitas CHRIS TV, & humanitas manifestatur.

† Matt. 27. g
Marc. 15. g
Luc. 23. g
† Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eo quòd esset discipulus

discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleretur corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. † Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primam, ferens mixturam myrrhæ & aloes quasi libras centum. Acceperunt autem corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Ioseph autem cum decurio & vir nobilis consularis esset, vt apud Lucam dictum est, ne synagoga pelleretur, occultus erat, & tamen verus CHRIS TV discipulus: ideo audens petit à Pylato corpus IESV. Quod cõcessum ei deposuit à cruce, cum Nicodemo cõditum in sepulchrum suum sepeliuit: sed absque CHRIS TV discipulis, ne si sepeliuissent, arguerentur abstulisse. De qua sepultura amplius in cæteris Euangelistis dictum est.

CAPVT VIGESIMVM.

Maria Magdalene rediens à monumento, discipulis nunciat lapidem à monumento sublatum, ad quod videndum currentes, inuenerunt sicut à Magdalena dictum fuerat: huc Magdalena rediens, illum agnoscit, qui & discipulis absente Thoma, & post octo dies presente apparuit, potestatem dimittendi & retinendi peccata contulit, & se palpandum præbuit.



† Na autem sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus. Et dicit illis: Tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.

Singuli Euangelistæ breuitati studere volentes, non omnes CHRIS TV apparitiones eodem modo scripserunt. Vnus enim duas vel tres refert, quas cæteri omiserunt. Ioannes autem vnus Mariæ Magdalene meminit, quam cæteri Euangelistæ ab aliis mulieribus dicunt fuisse comitatam. Vero simile autem est leuius solam cucurrisse, & prius cæteris monumento aduentasse, & nihil inueni in monumento, ad discipulos secundum Ioannem cucurrisse. Interea verò cæteras venisse, & viso angelo perterritas fugisse, iuxta Matthæum & Marcum. Tunc aduenientes duo discipuli, Magdalena sequente nihil inuenerunt. Magdalena autem illis abeuntibus CHRIS TVM vidit, iuxta Ioannem, quæ cæteris nunciauit mulieribus. Quibus redeuntibus apparuit omnibus, & tenuerunt pedes eius, iuxta Matthæum, & nunciauerant discipulis, iuxta cæteros.

Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiit monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum

in unum locum. Tunc ergo & introiuit ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit. Nondum enim sciebant scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo discipuli ad semetipsos.

Facilis est historia, ex qua discimus difficultatem Apostolorum in credenda resurrectione, simulque vehemens erga CHRISTVM præceptorem desyderium. Audita igitur Magdalena, Petrus & Ioannes ab illa excitati monumentum adeunt, qui corpore non inuento domum redeunt, ipsum sublatum esse credentes. Vnde ipse Ioannes de se ait: Tunc ergo & ille discipulus introiuit, & vidit, & credidit, dictis scilicet Magdalene, quæ sublatum corpus nunciauerat. Causam verò quare ita crediderit, subdit, cum dicit: Nondum enim sciebant scripturam, quæ docebat eum debere à mortuis resurgere. Et tunc cum tali dubio redierunt ad domum.

† *Mat. 28. a* Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum erat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est.

Ante omnes & mulieres & Apostolos hæc se Mariæ dilectio prodit, quæ præ timore Iudæorum recedentibus discipulis à monumento sola ad monumentum stabat. Theophylactus putat hanc Mariæ visitationem aliam esse ab ea quam Matthæus tribuit non soli Magdalene, sed & alteri Mariæ: quòdque Magdalene sæpius conuistauerit. Nam priusquam Petrus & Ioannes venissent ad monumentum, visitauerat ipsa. Eos enim accessit ipsa visitos, & cum eis non est dubium reuersam esse illam. Nam cum prædixerat Euangelista, quòd discipuli iterum abierunt ad semetipsos, id est, ad se reuersi sunt, hoc est, in domum & diuersorium suum, subdit: Maria autem stabat. Discipuli quidem abierunt, Maria autem stetit perseverans hac hora. Vnde non modò angelos, sed & Dominum videre meruit.

Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortolanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

Licet Maria perseverans Dominum videre tandem meruerit, eum tamen ab initio non bene cognouit, donec eam suo nomine appellaret. Ad quòd verbum illum agnoscens, eum tangere, sicut prius solita erat, voluit. Ad quòd dixit: Noli me tangere, &c. Quòd quidam interpretantur: Noli me tangere, quia nondum ascendi ad patrem meum, id est, quia non me resurrexisse credis, quòd non credo. Neque enim viso CHRISTO ambigebat eum resurrexisse. Porro etsi CHRISTVS nondum ascenderat ad patrem, permisit tamen se à mulieribus palpari, vt habetur Matth. 28. At illæ tenuerunt pedes eius. Ideo non mala mihi videtur interpretatio huiusmodi: Noli me tangere, id est, noli nunc occupari ad me tangendum,

dum, & palpandum. Nondum enim ascendi ad patrem meum, quasi dicat, superest adhuc tibi facultas & tempus me tangendi, interea dum ad patrem ibo. Quapropter istum carnalem affectum, quo me amplexari solebas, deponere. Sed vade ad fratres meos Apostolos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum: id est, dic illis me breui ad patrem ascensurum: quia de re propè futura per præsens loqui solemus. Quòd verò dicit: patrem meum, & patrem vestrum: non eodem modo sumendum est. Nam adoptione & gratia est pater noster, substantia verò pater CHRISTI.

† *Cum ergo sero esset die illo una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gausi sunt ergo discipuli viso Domino.* ^{† Marc. 16. e} ^{Luc. 24. f} ^{1. Cor. 15. a}

Narrantibus duobus discipulis, redeuntibus à castello Emmaus, quæ illis contigerant in via, & quomodo post multa diuersorium cum eis ingressus, ab eis demum in fractione panis agnitus est. Et cum hæc narraret, CHRISTVS stetit in medio eorum, & dictis illorum fidem facit. Nocte autem apparuit, cum magis esset illis à Iudæis timendum, vt eos tutiores redderet, qui maximè adest, quanto casus est periculiosior: quandoquidem nocturno tempore, quàm diurno magis timere solemus. Dixit autem eis: Pax vobis. Mulieribus autem dixerat: Auete. Viris igitur pacem, mulieribus imprecatur lætitiæ. At ne de illo dubitarent, ostendit illis manus, & loca clauorum, atque latus, & lanceæ vulnus. Quo agnito, gausi sunt, & quanto tristati sunt de morte, tanto lætantur de resurrectione, & quibus passio causa fuerat tristitiæ, resurrectio fit causa lætitiæ.

Dicit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos.

Hoc est, sicut misit me pater ad euangelizandum, pacemque annunciandum per me credituris in eum, ita ego vos mitto idem nunciaturos credituris per vos in me & in illum.

Hæc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum.

† *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt.* ^{† Mat. 16. e} ^{& 28. d} ^{1. g. 1. Remissionem.}

Flatus iste non spiritus sancti substantia, sed eius signum erat, quem elargitus est dicendo hæc verba: Accipite spiritum sanctum. Per quæ simul remittendi retinendique peccata potestatem illis fecit, atque super corpus CHRISTI mysticum. Quæritur autem an tunc primum potestatem acceperint, an Matthæi 18. cum dictum est eis: Audiuim? Quæcunque ligaueritis super terram: an, quòd dicitur, quia data est eis iurisdictio excommunicandi & absoluendi, hinc verò potestas tantum in foro penitentiae dimittendi & retinendi peccata? Quæritur an tunc primum facti sunt sacerdotes, an in die cœnæ? Quæritur an Thomas absens in vim verborum CHRISTI eam potestatem acceperit, an postea præsentem collata est? Cyrillus ait absenti datam esse potestatem. Nota autem cum ait: Quorum remisistis, & quorum retinueritis, non remissa aut retenta declaraueritis: ipsis Apostolis datam esse potestatem dimittendi & retinendi peccata, licet non vt CHRISTVS. Nam CHRISTVS authoritatiuè remittit, ipsi verò ministerialiter. Nota quoque quòd his verbis fundatur præceptum confessionis coram sacerdote faciendæ. Nam retinere remittere peccata alicui nemo potest, qui ea non nouit: nosse autem non possunt puri homines, nisi quis eis indicauerit. Cum igitur quisque teneatur velle sibi peccata remitti, tenetur illi, qui eius rei potestatem habet, confiteri, & indicare illa.

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis

quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

Recens mortuo Iuda retinetur adhuc numerus duodenarius, quod propediem sufficiens erat duodecimus Matthias loco eius. Agnominatur autem Græcè διδυμος, quod Latine geminum significat. Diuina autem dispensatione creditur factum, ut vnus absentia discipuli, qui fortè post fugam nondum redierat ad agmen, multa nobis de resurrectione fierent manifestiora. Quoniam ut ait Grego. Plus mihi profuit Thomas, qui diu dubitauit, quàm Magdalena, quæ citò credidit. Ille enim dum in magistro vulnera palpauit carnis, in nobis vulnera sanauit infidelitatis. An non peccauit, qui per auditum credere noluit, nisi etiam per visum, imò per tactum intelligeret? Hunc videtur Chrysostomus aliquo modo excusare, cum dicit: Sicut simpliciter & qualitercunque credere leuitatis est, iuxta illud Ecclesiastici 19. Qui credit citò, leuis corde est, & minorabitur: ita & multum inuestigare, est grossissimæ mentis. Hunc tamen CHRIS TVS infidelitatis arguit, post dies octo rursus illis apprensus illo præfente.

Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & offer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thomas, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.

Post octo dies, quibus suspensus est Thomas à visione, rursus apparuit IESVS, & dixit Thomæ discipulo suo non credenti: Infer digitum tuum huc, ad latus palpandum. Manus ostendit, vulnerum cicatrices manifestans, infidelitatis illius vulnera sanauit. Quibus visis, & nondum tactis, Thomas credidit, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Dicit illi IESVS: Licet beati sint me videntes, beati tamen futuri sunt, qui per vestras prædicationes in me credent, licet non viderint.

† Inf. 21. g. † Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est filius Dei, & ut credentes vitam haberetis in nomine eius.

Quasi sub epilogo finem facturum Euangelista, multa alia fecisse signa ad salutem conducentia, hæc tamen sufficere dicit tanquam ad fidem necessaria, ut credamus CHRIS TVM esse Dei filium, in quo credendo possidere & mereri possimus vitam æternam.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Piscantibus ad mare Tyberiadis discipulis, & multa piscium capta multitudine, prandet cum illis: ter Petro commendat oues, & Ioanni super ceteros eminentiam & dilectionem commendat.

Postea



Ostea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis. Manifestauit autem sic. Erant autem simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Chana Galilææ, & filij Zbedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado pescari.

Dicunt ei: Venimus & nos tecum. † Et exierunt, & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Dixerunt ei: Non. † Luc. 5. a.

Discipulis CHRIS TVS ad prius negocii reuersis manifestat se tertio CHRIS TVS. Et cum piscationi additi essent, Dominus illorum exercitium in aliam conuertere voluit piscationem. Cum ergo nondum illis commissa esset prædicatione, nec aliud, quid agerent, occurrebat, pristinum exercitium repetere, quàm ociari maluerunt. Quod autem piscium multitudinem præfente Domino ceperunt, cum ipso absente nihil ceperant, maximum futuræ prædicationis profectum post spiritum sanctum acceptum præfagebat.

Dicit eis: Mitte in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.

Cumque peteret CHRIS TVS ab eis an quid obsonij haberent, illique negociatorem esse putarent, responderunt: Non. Iussit ergo rete iactari in dexteram nauiculæ partem, ne fortuitam putarent capturam. Cum ergo tantum ceperint, tunc Dominum esse cognouerunt: quo præfente prosperè illis accidit, cognoscentes quia sine illo parum proficimus, præfente autem illo plurimum.

Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.

Cum dicit: tunica succinxit se, Græcè est, ἐπεδύσθη διὰ τὸ ἄνδρῳ, id est, pallium suum succinxit. Nam ἐπεδύσθη vestis est, quæ superne induitur, quæ propriè dicitur pallium. Petrus itaque nudus, cognoscens per Ioannem quia Dominus esset, impatiens moræ, pallio præcinctus, se iecit in mare, ad portum vsque nataturus: ceteri verò socij nauigio cum tanta piscium multitudine applicuerunt.

Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo discumbentium audebat interrogare eum: Tu quis es, scientes quia Dominus est. † Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis. † Luc. 24. f.

Qui absque nauigio ad terram venerat Petrus, adueniente naui ascendit in ea, tanquam cæteris leuior, & traxit rete in terram cum centum quinquaginta tribus piscibus, quot piscium species ferunt esse in mari. Horum autem piscium partem comederunt, reliquos pauperibus erogarunt.

† 6. q. 1. Imi-
tare. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: † Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterum: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti. Tu scis quia amo te. Dicit ei: † Pasce oues meas.

† De maioribus. & o-
bed. c. Solita

Prandissent per a legendum est, non per e, à prandeo. Interrogauit autem Simonem Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? id est, plus quàm hi diligant me. Nam alioqui significare posset: diligis me plus quàm istos. Quod autem ter interrogationem de amore repetit, facit teste Chrysostomo, ut trinæ negationi medeatur, ne ob eas Petrus animam despondeat. Siue ut ait Bernardus: Nisi me ames, & valde perfectèq; ames, hoc est, plus quàm tuos, plus quàm te, non te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguinem meum fudi. Quod autè agnorum ouiumque suarum pascendarum curam soli Petro tradidit, neque ulli nominatim alij ex Apostolis, docet Theophylactus, dicens hoc loco: Cùm prandendi finem ipse fecisset, totius orbis ouium præfecturam Petro committit, non autem alij, sed huic tradidit: primum quidem qui omnes præcellerat, & totius cœtus os erat. Vide Græca, quæ Theophylactum vertens Oecolampadius, ex insigni malitia omisit.

Amen amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cùm hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, † qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid?

Vocat iuniorem Petrum ea scilicet ætate, qua fide adhuc rudis, nondum planè spiritum acceperat: seniore autem, quando iam in fide promouerat, ut illi vilesceret mundus, despectuique cum minis suis omnibus haberetur. Iuuenili autem ætate, qua fuit in præsentia CHRISTI, ambulabat Petrus quo volebat, nemine eum cogente, neque enim id magister sinebat: ubi autem fide senuit, ac promouit, insurrexit in eum mundus, hoc est, impij, & ad mortem, quam pro humano affectu deprecabatur, licet spiritu apprimè cuperet, duxit. Genus autem mortis indicauit, nimirum crucifixionem, dicendo: & extendes manus tuas. Quo genere mortis clarificauit & glorificauit Deum. Deus enim voluntaria & intrepida morte glorificatur & illustratur, dicente Dauide: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Exijt ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, non moritur, sed, sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est di-

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibuit de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius.

Curiosè nimis de Ioannis exitu rogantem Petrum carpit CHRISTVS, dicens: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te, scilicet spectat, anxie de illo me interrogare? Quamquam non de exitu Ioannis rogasse Theophylactus asserat Petrum, sed de eo quod dixit CHRISTVS: Sequere me: fortasse quia se solum tantam præfecturam secuturum non curiosè, sed amicè rogat. Quod dicit: Sic eum volo manere: Græci codices, qui nunc extant, non habent sic, sed id est, si: quamquam in commentario quodam in Ioannem habeatur id est, ut scias, id est, si sic volo eum manere. Theophylactus cum Chrysostomo alludere ad hoc satis videtur, cùm inquit: illum autem si velim manere in hoc loco, Galilæa scilicet, & non mittere tecum, quid ad te? ut sit sensus: Si sic & hic eum volo manere, nec regiminis totius ecclesiæ, quod vni tibi credidi, confortem eum facere, quid ad te?

Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Potuit hoc hyperbolicè dicere, qui modus in scripturis satis tritus est. Vel ut ait August. Non spacio locorum credendum mundum capere non posse, sed capacitate legentium, quæ fit per intellectum. Quia ergo scimus intelligentiam nostram incapacem eorum esse, quæ de ipsis actis CHRISTI scribi possent, cùm nec scripta exactè intelligamus, sufficient nobis scripta ad fidem necessaria, & magis vtilia. Quæ studeamus recta fide intelligere, recta operatione exercere, quæ docuit, ut ad bona perpetua perueniamus, quæ ipse CHRISTVS suis imitatoribus promisit.

FINIS INTERPRETATIONIS
QUATVOR EVANGELIORVM.

EIVSDEM IOANNIS GAGNEII
PARISINI THEOLOGI
IN ACTUS APOSTO-
LORVM SCHOLIA
(CLARISSIMA.

Græcè *πρῶτος* non minus Latine *actus*, quàm *acta* verti potest, imò magis, teste Budæo in Commentariis. Sic autem hic liber Lucæ appellatur, quòd in eo bona pars eorum, quæ de Apostolis *C H R I S T O* assumpto facta sunt, describuntur.

CAPVT PRIMVM.

C H R I S T V S post varias per 40. dies apparitiones ascensus in cælum, promisit spiritum sanctum discipulis suis: secreta autem sua illos præsire negat: videntibus illis ascendit in cælum, post cuius ascensum loco Iudææ proditoris Matthiam sorte sufficiunt.



*P*rimum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, † quæ † *Matth. 5. c.*
capit Iesus facere & docere, vsque in diem qua præcipiens *Luc. 24. g.*
Apostolis per spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: *Iacob. 1. b.*
quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in
multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, &
loquens de regno Dei.

πρῶτον μὲν λόγον: vbi *πρῶτος* vice comparatiui sumitur: & cum *λόγος* librum ac volumen significet, non incommodè verti potest, superiore libro seu volumine. Duos enim libros Lucas edidit. Priore de *C H R I S T I* actibus & doctrina, qui est Euangelij Lucæ liber. Altero nascentis ecclesiæ rudimenta, ipsa scilicet Apostolorum acta complexus est: quos libros Theophilo dedicauit, siue is Theophilus viri cuiuspiam proprium nomen est, siue suos libros omnibus Dei studiosis atque amantibus, quod Theophili nomen sonat, dedicare Lucas maluit. Quamquam vero similis est, virum quempiam Dei studiosum fuisse, ac Lucæ amicum. Nam si illo nomine vniuersos Dei studiosos comprehēderet, non diceret in prologo Euangelij sui: vt cognoscas verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Sed & Oecumenius Græcus prouinciæ præsidem, aut magistratum aliquem fuisse putat, dum ait: *ὁ θεόφιλος*, id est, præses erat hic Theophilus. Quòd autem ait: de omnibus quæ cœpit Iesus facere & docere: hyperbaton longum habet, Græcè simul ac Latine. Græcè est, *τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποισάμην περὶ πάντων ὧν θεόφιλε, ὧν ἤρξατο ὁ ἰησοῦς ποιῆν τε καὶ διδάσκειν, ἄχρι ἧς ἡμέρας ζῶντος λέμενος τοῖς ἀποστόλοις διὰ πνεύματος ἁγίου, ὅς ἐβλήθη, ἀνελεῖσθαι.* Quod ita mihi verti posse videtur: Priorem quidem librum ὁ Theophile edidimus de omnibus Iesu actis & dictis, ab initio prædicationis suæ, vsque ad diem illam quo assumptus est, dato per spiritum sanctum mandato iis quos elegerat Apostolis. Alludere enim videtur ad mandatum illud, quod scribit Marcus ultimo capite: * Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et Matth. ultimo: docentes eos seruare omnia quæcunque mandauimus vobis. Et statim subdit Marcus: Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. Sensus ergo est: De *C H R I S T I* actis & dictis priorem librum

edidimus, ab initio prædicationis CHRISTI IESU, vsque ad diem qua in cœlum assumptus est, dato prius per spiritum sanctum Apostolis, quos elegerat, mandato de prædicando per vniuersum mundum Euangelio, & baptizando omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Nec ignoro τὸ διὰ πνεύματος ἁγίου, & Latine per spiritum sanctum, referri posse ad τὸ ἐξελέξατο, id est, elegit, dato scilicet mandato Apostolis, quos per spiritum sanctum elegerat. Similiter ad ἀναλήθει, assumptus est, licet incommodius, propter particulam mediam, οὗς ἐξελέξατο, referri posset, atque ita sensus esset: vsque ad diem qua assumptus est per spiritum sanctum. Tamen quia Chrysostomus refert τὸ διὰ πνεύματος, ad τὸ ἀναλήθει, visum est & mihi vertere: dato per spiritum sanctum Apostolis, quos elegerat, mandato. Interpretatur autem Chrysostomus dare mandata per spiritum sanctum, spiritualia ad illos verba loqui, aut quod per spiritum sanctum illis præcipiebat, sicut nihil non per spiritum sanctum agebat. Quod autem ait, de omnibus, Græcè, περὶ πάντων, sic interpretatur Chrysostomus: Non ut omnia CHRISTI acta & dicta Lucas se scripsisse dicat, neque de omnibus aliquid. Nam quod de liberata adultera, de suscito Lazaro, de cæco nato, de aqua in vinum mutata, Ioannes dicit, Lucas tacet, & multa alia. Itaque interpretatur περὶ πάντων, summam, & in genere. Ait enim: quomodo igitur, inquiet aliquis, hinc Lucas loquitur de omnibus? Atque non dixit omnia, sed dixit de omnibus, περὶ πάντων, perinde ac si dicat quispiam, summam, & in genere, aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt, vrgentque. Itaque duplex est Chrysostomo sensus, quod summam & in genere tractarit Lucas in Euangelio de his quæ ab initio Iesus fecit & docuit: aut quod tractarit de omnibus eius dictis & factis, non simpliciter, sed quatenus necessaria sunt ad vitam & salutem. Per acta autem CHRISTI omnia eius miracula, & acta beneficia, mortem quoque ipsam & resurrectionem intelligit. Per doctrinam verò, dogmata, præcepta, sermones, & disputationes eius intelligere debemus. Quod autem dicit: Quibus & præbuit seipsum viuum: Græcè est: οὗς καὶ παρέσχον ἑαυτὸν ζῶντα. περίημι autem plus significat quàm præbere, scilicet, representare se, & quasi præsentiam corporis exhibere: quo significato & hic sumitur. Significat enim & hic Lucas: Apostolis se visendum exhibuit viuum multis indiciis: quod hic magis quadrat, quàm argumentis. Ne putes, quod ratiocinatione & demonstrationibus, sed certis ac verissimis signis & indiciis, ut puta sui palpatione, vulnerum ostensione, & manducatione.

† Luc. 24. g.
Ioan. 14. d.
Infr. 2. b.
19. a.
† Et conuescens præcepit eis, ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent
promissionem patris, quam audistis (inquit) per os meum.

Græcè, συναλιζόμενος, quod Erasmus maluit vertere congregans illos, vel congregatis illis, quod συναλιζω quandoque significat congreco. At cum ἀπὸ τῶ ἁλός, quod sale significat, à quo ἁλιζω, salio, vnde componitur συναλιζω, quasi conuesci, & communi sale viuere. Sic enim interpretatur Oecumenius Græcus, id est, simul cum illis edens & bibens, hoc est, communi sale, communi que mensa vtens. Eoque modo planè Chrysostomus interpretatur, qui cum multa viuentis sui indicia CHRISTVM protulisset, subdit: ac ne is quidem contentus fuit, sed mensam etiam addidit: nimirum hoc est, quod deinceps dicit: Et conuescens simul cum illis. Sic hoc argumento ipsi quoque Apostoli semper asseruerunt resurrectionis fidem, ut cum aiunt: qui quidem cibum simul sumpsimus, & bibimus cum illo. At cum præcepit illis promissionem patris expectare, spiritum sanctum promissionem patris appellat, nimirum quod Apostolis se spiritum sanctum missurum pater promiserat: quem inquit, audistis per os meum: siue ut Græca habent, ex me, quod idem est, nimirum cum diceret illis CHRISTVS: Ego rogabo patrem, & alium paraclætum dabit vobis.

Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu
sancto non

sancto non post multos hos dies.

De baptismo Ioannis, an gratiam conferret, quoque modo & à baptismo Apostolorum differret, disserunt doctores plerisque locis. Nam August. de baptismo contra Donatistas diff. August. de baptismo Ioannis & Pauli baptisimi deducit ca. 9. Baptizatos inquit, à Paulo eos, qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent, legimus in Actibus Apostolorum, nõ ob aliud, nisi quia contra Donatistas ca. 9. libri 5. baptisimus Ioannis non fuerit baptisimus CHRISTI, sed Ioanni à CHRISTO concessus, qui Ioannis propriè diceretur: sicut idem Ioannes dicit Ioan. 3. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de coelo. Vnde ut idem ait August. Tracta. 5. in Ioannis cap. 1. Qui baptizati sunt à Ioãne, nõ eis sufficit, baptizati sunt enim baptismo CHRISTI: quia non baptisimus CHRISTI erat baptisimus Ioannis. Qui accipiunt baptismum CHRISTI, baptismum Ioannis non querunt: qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum CHRISTI quaesierunt. Ioannes enim tantum baptizauit, non spiritum sanctum credentibus dedit. Hoc enim saluatori reseruatum est, utpote Domino, ut filij Dei non fierent, nisi accepto à filio Dei spiritu sancto. Effectus ergo baptisimi Ioannis, quod tacite operabatur sine interrogatione, non tamen sine saluatoris mentione, ut firmum esset quod agebat. Baptizabat ergo Ioannes in deserto baptismo penitentiae in remissionem peccatorum, non quod commissa crimina deleteret, sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum CHRISTI gratia seruabatur. Hæc ille. Quod si gratia absque spiritu sancto non conferatur, spiritus verò sanctus in hoc Ioannis baptisimate non conferebatur, sed aqua tantum, ut hic. In illo igitur gratia non conferebatur, sed tantum dispositio ad gratiam & remissionem peccatorum, per penitentiam baptizatis iniunctam.

Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: † sed accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, † & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.

† Inf. 2. b.
19. a.
† II. 93. cap.
Aestimât.

Israel hoc loco datiu casus est: nam Græcè est τὸ Ἰσραὴλ. Si, Hebraico more ponitur pro nonne interrogatiue: quia collapsum iam erat Israelis regnum, utpote ad alienigenas redactum. Discipuli autem qui nondum plenè spiritum acceperant, non nihil adhuc carnale cum reliquis Iudæis sapientes: sperabant enim fore, ut omnium dominatio ad Iudæos transfret, temporaléque regnum CHRISTVS ac Messias obtineret. Quæ spes filios Zebedæi ad postulata sua animauit, & duos discipulos Emmaunta proficiscentes dicere coegit: Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel, ab alienigenarum tyrannide per regni affecutionem vindicaturus. Aut certe sperabât fore, ut regnum ablatum de tribu Iuda, fugatis alienigenis, Israeli restitueretur, inaugurato in regem Messia CHRISTO. Vnde dicunt: Num tu restitues Israeli ac Iudæis regnum ab eorum gente ademptum? CHRISTVS autem sic responsum temperat, ut de regno temporali nihil dicat, & curiositatis inanis quæstionem ab eis tollat, dicēs: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutè superuenientis spiritus sancti in vos, quasi diceret: Nolite solliciti esse de regno temporali Israelis, quasi potètiore in eo essent reges futuri. Satis enim roboris ac virium creditur vobis à spiritu sancto suppeditari, ad conterendos omnes hostes vestros. Ita & vos, qui nunc ad Iudæorum tumultus trepidatis, nec de me nisi clam loqui audetis, palàm ac liberè de me meaque resurrectione testimonium feretis, non solum Ierosolymis, sed in Iudæa ac Samaria, & vsque ad extrema terræ.

† Et cum hac dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.

† Mar. 16. g.
Luc. 24. g.
De cõsecra.
dist. 5. Ieiunium.

Ampliores vitas CHRISTVS eorum curiositatem, his solutis quæstionibus, quæ magis illos angebant, cernentibus illis cepit conscendere cælum: quem viderunt continuo & paulatim, vsq; quo visus hominis extolli potest, ascendentem: quem deinceps videre non potuerunt, sed à nube susceptus, ab eorum oculis ereptus est, iuxta Davidis prophetiam: **Psal. 96. a* *Nubes & caligo in circuitu eius, vt omnis creatura suo famularetur creatori, astra nascenti & morienti, nubes ascendenti, & iudicium redeunti.

Cùmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cælum.

Græcè, καὶ ὡς ἀνελθόντες ἵκαν ἐς τὸν ἄραν παρενομένους αὐτοῦ. vbi τὸ ἐς ἄραν, referri potest ad τὸ παρενομένους, & tunc sensus est: Cùmque fixis & immotis oculis essent, eunte illo in cælum. Potest referri & ad τὸ ἀνελθόντες. & tunc sensus est: & vt contentis in cælum oculis essent, eunte illo, ecce viri duo, &c. Angeli autem fuerunt, quos viros appellat, qui in virili forma apparuerunt, qui spectantibus Galilæis dicunt: Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Vbi Chrysostomus putat non ociose positum esse, euntem, vt intelligamus suapte illum virtute, non aliena ope in cælum ascendisse. *Qu* id autem aiunt: sic veniet: consolantur eos, rediturum promittentes. Et sic inquit, veniet, nimirum cum nube, & glorioso corpore, similiter quoque plagato, iudicaturus orbem terrarum in æquitate, ciuibus cælestibus sociatus, iuxta illud Isa. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.

Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, sabbati habens iter.

Mons Oliueti, siue Oliuarum, tam propinquus vrbi fuit Ierosolymorum, vt cùm Titus Iudæos fame confecturus murum ingenti opere circum urbem duceret, partem etiam montis Oliueti complexus fuerit. Certè initium montis potest distare ab Ierusalem vno miliari. Id enim hic Lucas indicat, dicens: Sabbati habens iter: id est, tanto itinere distans ab Ierosolymis, quantam sabbato Iudæis conficere licebat, nempe vno miliari, siue duobus mille cubitis. Neque enim Iudæis sabbato ulterius progredi licebat. Oecumenius enim ex Origine exponit iter sabbati esse miliare vnum, dicens: μίλιον ἐν ἡ τῷ σαββάτῳ ὁδὸς, ὡς φησὶν ὀρίγηνος ἐν τῷ πέμπτῳ στρώματι, id est, miliare vnum est sabbati iter: vt inquit Origines in 5. Stromaton.

† Matt. 10. a *Et cùm introissent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebat † Petrus, & Marc. 3. d.* *Ioannes, & Iacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius.*

Cœnaculum referendum est ad ascenderunt: cùm scilicet Ierosolymam introissent, ascenderunt in cœnaculum: quod expressius habetur Græcè, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερώϊον. vbi inquit, manebant Petrus, & Ioannes, & Iacobus, &c. Vbi tribus tantum Apostolis addit cognomen, scilicet, Iacobus Alphæi, Simon Zelotes, & Iudas Iacobi, &c. Vbi cùm dicitur Iacobus Alphæi, filius intelligendus est, qui fuit Simonis & Iudæ frater, quem Marc. 15. ca. minor em nominat, ad differentiam maioris & senioris, qui frater Ioannis, quem Beda dicit appellatum Iustum, & Alphæi scilicet filium, & Iudæ fratrem, & fratrem Domini, cuius fuerit Maria Cleopha mater, quæ & soror erat Mariæ. Cleopha autem, vt inquit Egesippus, erat Ioseph frater.

seph frater. Simon autem Zelotes ipse est, qui in Euangeliiis dicitur Chananæus, de Chana Galilææ, vbi CHRISTVS aquam mutavit in vinum, ortus. Et quia Chana interpretatur Zelus, ipse Zelotes appellatus est. Hunc Euseb. Ecclesiast. histo. lib. 3. cap. 2. teste, post Iacobi martyrium in Ierosolymorum episcopum omnes vnanimi cōsensu elegerunt, Iacobo fratri in episcopatu successorem. Iacobus autem Iustus eodem Euseb. teste. lib. 2. cap. 23. sic dicitur est, quod ex suæ matris vtero natus sit sanctus, qui pro incredibili continentia & iustitia appellatus est Iustus: qui à Iudæis lapidatus est, postquam Ierosolymis sedit 24. annis. Pro cuius cæde, eodem Eusebio teste, crediderunt Ierosolymorum oppugnationem fuisse secutam. Horum Apostolorum gesta & mores eleganter descripsit Ioachimus Perionius Benedictinus, si quis iam cupiat ampliora videre. Iudas Iacobi Iusti frater, ac Alphæi filius, ab Euangelistis nunc Lebbæus, nunc Thaddæus appellatus est, quem quidam ad Abagarum regem Edissæ missum, iuxta Domini promissum, affirmant.

In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit. Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti. Vri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os David de Iuda, † qui fuit dux † P/al. 40. c. Iohan. 18. a.

Qua autoritate fretus hic Petrus primatum inter fratres exercet, nisi quia se toties aliis prelatum meminit, & spiritu sancto ductu cæteris in Matthiæ suffeccionem præfertur: quod si aduertissent Antipapæ, non tantum in Romanam sedem insurrexissent. Exurgit enim Petrus, non Iacobus, aut quiuis alius, tanquam is, cui autoritas & præsentia cæterorum communi omnium decreto commissa erat. Centum etenim simul aderat in charitate vnanimis. Pro hominum autem, Græca habent ἑνομάτων, id est, nominum, vt intelligamus certos ac de nomine notos homines fuisse eo numero. Erasmus putat interpretem vertisse nominum, sed ab audaculo deprauatam lectionem. Ego autem cùm nomina pro hominibus vsurpari non videam, nisi fortè pro debitoribus, puto interpretem, vt sensum clariorem redderet, pro ἑνομάτων, vertisse hominum, cùm Latini omnes codices, ac vetustissimi constanter ita habeant.

Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius.

Græcè est καταριθμημένος, id est, in nostrum ordinem ac numerum cooptatus, & sortitus, inquit, erat, sortem ministerij huius. Vbi pro sortem, Græcè est κλήρον, cùm κλήρος & sortem significet, & conditionem. Itaque melius aut sortem, aut conditionem vertamus, quàm Erasmus, partem. In quo ridiculum est quod hic annotat quidam, quod hinc apparet æquam fuisse Apostolis omnibus potestatem, quod dixerit Lucas: sortitus est partem ministerij huius. Si enim partem quisque sortitus est, nemo sanè totum, id est, rerum summam obtinuit. Præclarum sanè argumentum, cùm his verbis aliud nihil velit Lucas, quàm quod sortem & conditionem Apostolatus sortitus erat Iudas, sicut & cæteri vndecim. Neq; diuisus erat Apostolatus in partes, vt portionem suam quisq; acciperet. Sed hoc ille facere videbatur ad tollendum Petri in alios primatum, qui in hoc satis monstrabat, quis, & qualis esset.

† Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.

† Matt. 27. 4

Pro possedit, Græcè est ἐκτήσατο. κτάναι autem & possideo significat, & acquiro, siue mihi comparo: præstatque secundo vertere significato, quandoquidem agrum illum Iudas non possedit, sed ex recepta emptus est pecunia, vt sit sensus: comparauit agrum de mercede iniquitatis. Quod si dicas: Neque hic comparauit, sed principes sacerdotum, de quibus Matth. 27. cap. quod emerunt ex eis argenteis à Iuda redditus agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Respondeo, quod emisse hic dicitur, quia ex pecunia sua emptus est, ex mercede scilicet iniquitatis, hoc est, ex iniqua & impia mercede innocentis domini sui prodiiti. Certè Oecumenius κτάναι interpretatur pro ἰκέταμαι, id est, emo, siue comparo.

Et suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalē, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Hacheldema, hoc est, ager sanguinis.

Græcè est, καὶ πρηνὲς χερόμοτος, vbi πρηνὲς significat pronum & præcipientem, siue cum qui est capite propendēte, & vultu in terram deiecto, qualis esse solet eorum habitus, qui laqueo sibi vitam finiunt. Vnde miror ambigere virum quendam alioqui doctum, laqueo sibi vitam finierit Iudas, an præcipitio: cum Matthæus expressè dicat: Et abiēs Iudas, laqueo se suspendit. Certè Oecumenius Græcus asserit laqueo vsum, sed nondum strangulatū, rupto fune præcipientem illum factum, medium crepuisse. Narrato Iudæ exitu prophetiam subdit.

† Psa. 68. c. *Scriptum est enim in libro Psalmorum: † Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea. † Et episcopatum eius accipiat alter.*

Vbi nota quod ad connexionē huius loci. τὸ enim refertur ad id quod præcessit: Oportet impleri scripturam, quam prædixit spiritus sanctus per os David de Iuda. Quæ verò sequuntur omnia: qui fuit dux eorum, & c. per parenthesis legēda sunt. Sensus ergo est: Oportet, magis quàm oportebat (nam de cooptatione in locum Iudæ nōdum facta agitur) impleri scripturam de Iuda. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. Vbi duæ priores sententiæ ex Psalmo 68. sumptæ sunt, vbi desolatio & vastitas Ierolymorum futura prædicitur, aliis autem verbis: Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui habitet. Tertia verò pars: Episcopatum eius accipiat alter: ex Psalmo 108. sumpta est, quæ partim de populo Iudaico in genere, partim de Iuda intelligitur, sicuti totus ille Psalmus: scilicet ut eo mortuo, in episcopatum eius & Apostolatū alter subrogaretur.

Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptisate Ioannis, usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis.

Hoc est, Oportet vnum ex his qui nobiscum omni tempore conuenerunt & versati sunt, ex quo Iesus inter nos frequentare cœpit (id enim significant hæc verba: intrauit & exiit: assiduam nempe cum illis Iesu consuetudinem) à baptisate Ioannis, usque in diem assumptionis, fieri & cōstitui testem resurrectionis eius. Hic enim erat scopus Apostolorum, ostendere Iesum ad tempus tantū esse mortuum, ac verè resurrexisse.

Et statuerunt duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et orantes dixerunt:

Duos solum designauerunt, ne fortè maior fieret confusio, si plures reiecti fuissent. Hos autem tanquam cæteris moribus præstantes statuerunt & ordinauerūt. Nec priorem tamen ab hominibus vsque adeo laudatum, & nomine & cognomine conspicuum dignatur Dominus, sed alterum, quem is qui solus cordium scrutator est, melius nouerat, Matthiam scilicet in Apostolatū honorem ostendit assumendum.

Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, ut abiret in locum suum.

Totam

Totam electionem in Dei constituunt arbitriū, tanquam absconditorū cognitorē, quiq; omnia nouit antequam fiant, nec cuiusquam accipit personam, nec in electione fallit, quam dirigit. Ostende inquit, quem elegeris ex his duobus vnum, Græcè est, ἀνάλαβον, ὃν ἐξελέγω ἐκ τῶτων δύο ἕνα λαβεῖν τὸν κληρὸν τῆς διακονίας τούτης καὶ ἀποστολῆς, ἢ ἢ παρὲς Ἰσραὴλ, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. id est, Designa quem elegeris ex duobus his alterum, ut accipiat sortem & conditionem ministerij huius atq; Apostolatus, in quo præuaricatus est Iudas, abiitque in locum suum. Hic τὸ ἢ παρὲς Ἰσραὴλ, verito, in quo præuaricatus est: quod frequens Euangelistis est, vnam pro altera propositione vsurpare. Nec admodum quadrat: ex quo præuaricatus est. Fortasse non malè veritas, vnde excidit. Scio autem commodè verti posse πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, ut abiret in locum suum, referrique ad Iudam, qui præuaricatus est in suo Apostolatu, & inde excidit, ut abiret in locum suum, ad laqueum videlicet se dignum, atque à se fabricatum. Vbi τὸ vt, non rei finem dicit, (neque enim eo sine præuaricabatur) sed euentorum consequentiam. Potest etiam referri ad τὸ ἕνα λαβεῖν, ut sit sensus: vt alter eorum quem elegeris, conditionem Apostolatus huius, in quo præuaricatus est Iudas, accipiat, abeatque in locum suum, sibi que proprium, vtpote à te ordinatum: vel in locum ipsius Iudæ. Sic enim etiam interpretatur Oecumenius, vt ad Iudam referatur, qui abeat in locum suum, scilicet laqueum, vel suspendiū, quo se per proditiōnē dignum iudicauit: vel ad Matthiam, vt abiret in locum Apostolatus, à quo Iudas exciderat, cui Matthias succedens, episcopatum alter ab eo accipit.

Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam: & annumeratus est cum vndecim Apostolis.

Cum dicit: dederunt sortes eis: Græcè est, ἀνῶν, id est, eorum. Quomodo autem fiebant huiusmodi sortes, fateor me ignorare, nec quem vidi, qui mihi satisfaciatur. Forsan non malè putem nihil aliud Apostolos hic sortitos esse, quàm eorum nomina inscripsisse, & in vnam misisse, Deūque rogasse, vt eius nomen prius exiret, quem aptiorem huic muneri sciret: quanquam verba sequentia videntur innuere, non tam forte, quàm Apostolorum suffragiis electum esse Matthiam. Nam pro eo quod interpret vertit: cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim: pro annumeratus est, Græcè est συγκατεψηφίσθη, id est, suffragiis & calculis omnium cooptatus est. De qua sorte vide Tho. 2. 2. q. 95. ar. 8.

CAPVT SECVNDVM.

Discipuli CHRISTI simul cum adiunctis accepto spiritu sancto cum donis suis in die Pentecostes admirationi Iudæis facti sunt, quibus constanter Petrus prædicat CHRISTI fidem, doctrinam, & mores, ex dictis prophetarum: quorum plurimos ad CHRISTI fidem & baptisma inuitans, tandem ad CHRISTVM conuertit.



Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes.

Græca quæ nunc extant, habent τῶν ἡμερῶν in singulari, id est, dum compleretur dies Pentecostes. Interpretem legisse putamus τὰς ἡμέρας in plurali, sed nihil refert ad sensum. Sensus enim est, quod ingressa die quinquagesimo à Paschate & CHRISTI resurrectione, erant omnes discipuli pariter in eodem loco, cenaculo videlicet. Pro pariter autem, Græcè est ὁμοθυμαδόν, quod magis significat vnanimiter, vt non tam corporum coniunctionem, quàm

Oo iiij

animorum & voluntatum consensum intelligas. Erat autem quinquagesima dies à die Paschæ, & ab immolatione agni Paschalis, & egressu filiorum Israelis de Aegypto, Iudæis ipsis sancta & celebris, quòd ea die data esset lex in monte Sinai: eademque die festum primitiarum celebrabant Iudæi. Rectè itaque sub id tempus, quo ad solennitatem diei festi dispersi ex omni natione Iudæi confluebant. Perseuerantibus itaque vnanimè in eodem loco, vt antè dictum est, in oratione Apostolis, factus est repente de cælo sonus. Ac bene repente: nescit enim tarda molimina spiritus sancti gratia, qui vbi & quando vult spirat. Non fuit autem leuis iste sonus, tanquam spiritus ac venti vehementis ac violenti, qui totam domum suo impleuerit flatu.

† 24. q. 1. ca. Audiuimus. *Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ, tanquam ignis, † seditque supra singulos eorum.*

Vbi pro dispersitæ, Græcè est *διασπασταῖς*, quod melius vertit interpres dispersitæ, quàm Erasimus, dissectæ. Nec enim constat an sectæ fuerint linguæ illæ: at constat dispersitas ac distributas in eos fuisse qui aderant. Linguæ autem illæ erant tanquam ignis, id est, igneæ, vt tollas æquiocum nominatiui & genitiui ignis: nam Græcè est *ἑρπύς*. Notat autem Chrysostomus rectè dici, tanquam venti, & tanquam ignis, quòd reuera ventus non esset, aut ventus vrens, sed quid in similitudinem eorum: veluti tonitrua, quæ cœperunt audiri super montem Sinai, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, cum lex vetus Moyfi esset cõferenda, vt Exod. 19. Seditque supra singulos eorum. Non satis apparet quòdnam sit suppositum verbi sedit, & Græci *ἐκάθισεν*, an spiritus vehemens, quod non puto, propter longam distantiam constructionis, an ignis. Crediderim tamen intellexisse Lucam, quòd dispersitæ linguæ tanquam igneæ sederunt supra singulos eorum. Quòd autem addidit verbum singularis numeri *ἐκάθισεν*, non retulit ad vocem dispersitæ linguæ, sed ad rem significatam, spiritum videlicet sanctum, qui per illas linguas significabatur.

† Inf. 4. d. 19. d. *† Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.*

Non tantùm gratia gratum faciente repleti sunt Apostoli, qua CHRISTVS resurgens insufflando illos repleuerat, de qua Ioan. 20. sed etiam gratia gratis data, de cuius speciebus 1. Corinth. 12. Ex quibus gratis omnes scientias, prophetias, & linguas proferre & intelligere possent, ac illos loquentes omnes, cuiusvis idiomatis essent, facillè intelligebant. Vnde cœperunt loqui variis linguis. Græcè pro variis, est *ἑτεροῖς*, id est, aliis linguis, vt alludat ad id quòd CHRISTVS promisit Marci ultimo: Linguis loquentur nouis: quàmquam non vna tantùm lingua, vt plerique putant, locuti sint, sed diuersis. Quòd hinc coniicitur, quia cum ex diuersis linguis ac nationibus tunc Ierosolymis conuenissent plerique, audiebat vnusquisque, si quem Apostolorum conuenisset, lingua sua illos loquentes. Neque enim putarim facillè, quòd tantùm vna lingua locuti sint, quæ exaudita sit ab omnibus: quòd tamen factum puto prædicante Petro, quem putandum est vna tantùm Hebræa lingua concionem illis habuisse, quam quidem linguam omnes isti diuersarum nationum, qui postea recitantur, intellexerunt: quippe qui Iudæi essent. Nam Iudæi in dispersione habitantes, atque extra Iudæam, præter suæ nationis linguam Hebræam etiam callebant. Quòd autem ait: Erant autem Ierosolymis habitantes viri religiosi Iudæi ex omni natione quæ sub cælo est: dubium est an perpetui incolæ Ierosolymorum fuerint, an adorandi tantùm gratia in die festo Ierosolymam venerint, aut ibidem studiorum gratia commorati fuerint, quomodo olim Athenas ex omnibus locis mittebantur, & nunc Parrhisios, atque ad alias Academias. Vnde subdit:

Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat

audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt? Et quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Profelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes nostris linguis magna Dei.

Nec mirum, si tanta audiens mirabilia mente confusa sit multitudo, quòd hæc in eius virtute fierent, quem tam ignominiosè occiderant, quòdque illos agnoscerent Galilæos, prius inopes manu victum quærentes, tunc omnium hominum linguis disertissimè sapientissimèque loquentes. Vero simile est enim omnes linguas in confusione Babel distinctas, ipsis Apostolis in vnam, quæ ante confusionem erat, linguam coactas, qua ipsi loquentes, vnusquisque pro captu suo intelligebat, etsi omnia noscerent genera linguarum. Dubium tamen est, an loquentes Hebræicè, Græcus, aut Latinus, Gallus, aut Germanus intellexisset. Omnium quæ hîc describuntur nationum, aliqui eos ac propriam maternam linguam loquentes intelligebant. Et vt distantia locorum maiorem faciat legentibus admirationem, paucis duximus ea describere, vt & sequentibus lectori adminiculo sint & leuamen. Prima harum Parthia dicta, in Orientali plaga, cui sunt affines populi ab ortu Arii, ab occasu Parthiæ. Parthiæ occurrens vtraque regna includit. Ab ortu autem habet Parthos & Caspios, à meridie Persas, à septentrione Armeniam. Cuius regia vrbs Ecbatana, in quam decem tribus Iudæorum capta Samaria transtulerunt. Elam, à qua Elamitæ nuncupati, duplex est, altera in Persia, siue Susiana regione, altera in Media. Contra quam prophetat Ieremias cap. 49. in fine, quòd captiuos detineret Iudæos, & eos supra modum affligeret. Mesopotamia vltra Syriam latissimè patet, regio inter Euphraten & Tigrim media, vnde Mesopotamia nomen sortita est. *Μέσος* enim medium, *Ποταμός*, mare, inde Mesopotamia. In hanc venit Abraham cum patre & familia, Vr Chaldæorum fugiens, ibique moratus est in Haram, siue Charan, donec à Domino iussus in Palæstinam peregrinatus est, Genes. 12. de qua amplius infra 7. Iudæa pars quòdam Palæstinæ fuit, inter fluuium Euphraten, & mare Aegyptiū. Ab oriète Iudæa. Moabitas, ab occidente mare Aegyptium, à meridie Cades Barneas habet, à septentrione Ioppe portu clauditur, qui nunc Iappa dicitur: regio multis celebrata nominibus. Cappadocia regio Pontica, paruam cõtinentens Armeniam. Ab ortu magnam tangit Armeniam, ab occasu Galatiam & Pamphiliam, à meridie Ciliciam, & Taurum montem, à septentrione Euxinum fluuium. In qua præcipua vrbium & regia est Mazaca, quæ postea à Claudio Tiberio Cæsarea dicta est, in qua Basilius Magnus sedit Archiepiscopus. Pontus in minori Asia, vrbs septentrionalis est. Ab ortu Colchidem habet, ab occasu Hali Pontus. fluuius clauditur, ab Austro Cappadociam, & eam præcipuè partè, quæ minorem complectitur Armeniam, à septentrione mare Ponticum, à quo nominata est, tangit, quam Tertullianus optimè cum suo Apostolo Martione suis depingit coloribus, lib. 1. cõtra Martionem. Regnum quondam Mithridatis regis maximi, quem populus Romanus multis annis ægrè demum superauit. Asia duplex, maior, & minor, quæ mediam totius orbis partem continent. Maior ab India Asia. incipit, quæ ab Europa fluuius Tanais, ab Africa Nilus distinguit. Minor, quæ pro bona

- parte Turchia dicitur, præclaras continet vrbes & regiones, Phrygiam, Cariam, Lyciam, Lidiam, Lycaoniam, Cheronesium, Pontum, Bythiniam, Cappadociam, plurimisque celebres prouincias, quas Pius papa longius describit.
- Phrygia.* Phrygia pars est Asiæ minoris, quæ duplex est. Maior inter Galatiam & Lidiam, ad Pamphiliam, Lissiam, & Cariam usque protensa. Cuius præcipuæ sunt vrbes, Ancyra, Symiada, Apamia, Hierapolis, & Cibira. Minor verò Troadi adiacet, ad Galatas usque protensa, à meridie Misiam maiorem, à septentrione Bythiniam tangit.
- Pamphilia.* Pamphilia olim Mopsopia dicta, tota ferè montana, à Tauro monte usque ad mare protenditur, ab ortu Thracheam Ciliciam tangit, ab occasu Climacem montem, & Phrygiam, à septentrione Pisidiam. Inter huius præcipuas vrbes est Perga, ad quam Paulus cum Barnaba profectus est, vt patet Act. 13. & ad alias huius prouinciæ vrbes, quæ hic designantur, quas speramus ibidem describere.
- Aegyptus.* Aegyptus Asiæ maioris pars, ab oriente partes habet, quæ inter Arabicum sinum, & Nilum locantur, ab occidente loca usque ad Abases, & ad 7. ostia Nili, à meridie mari Rubro, & desertis Arabiæ, à septentrione Palæstina clauditur. Quæ fertilissima omnium terrarum fertur, nisi quia accessu interdum destituta, famem sentiat.
- Libya.* Libya interdum pro tota Africa sumitur. Ea verò portio, quæ ab occasu Aegypto adiacet, Libya dicitur, iuxta Mareotidem & Cyrenaicam regionem.
- Cyrene.* Cyrene vrbs præcipua Cyrenaicæ regionis Libyæ, Africæ cõtermina, Carthaginis quondam æmula, & clarorum virorum memoria percelebris. Cuius incolæ Cyreni vel Cyrenenses dicti, sicut Symon ille Cyreneus, vel Cyrenensis, in Euangelio celebratus, pater Alexandri & Ruffi, discipulorum **C H R I S T I**, qui ab ea ortus erat. Hanc autem mercatores nunc Barbariam vocant.
- Romani.* Et aduenæ Romani. Pro aduenæ, Græcè est *παροδῆται*, quod significat peregrinantes, siue illic tanquam peregrini versantes. Indicat autem Romanos, qui Ierosolymam diuenterant siue religionis gratia, seu studiorum. Quod verò subdit: Iudæi quoque & Profelyti: vbi Græcè non est quoque, sed *καὶ*, & sensus est: Et aduenæ Romani, Iudæique & Profelyti, siue Iudæi fuerint genere, siue Profelyti, hoc est, adsciti ex gentilitate ad Iudaismum, & Iudæorum religionem. Nec enim hoc loco Iudæos pro ipsa tota Iudæorū natione sumere oportet, imò omnes istos, quos antè nominauit, intelligendum est genere ac religione Iudæos fuisse, aliis tamen in locis, quàm in Iudæa natos regione: ideo inquit, quod inter Romanos, qui tunc Ierosolymis conuenerant, aliqui Iudæi erant genere ab illis locis orti, vt vero simile est, quod deuictis per Pompeium Ierosolymis, vel per Antiochum, quidam Romani transferant, vel Syriam, aut Aegyptum, & huius, & cum iis Romanis genere & religione Iudæi erant, & alij Romani Profelyti, qui scilicet ex meris gentibus ad Iudaismum transferant.
- Creta.* Cretes, siue Cretenses, à Creta insula, quæ nunc Candia dicitur, sub Venetorum dominio maribus vndique clausa, ab ortu Carpathio, ab occasu Iouio, à meridie Africano, à septentrione Aegeo, inter Atticam Græciæ, & Cyrenaicam Africæ oram media iacet: terra admodum ferax, & maximè optimi vini, quod dicunt Maluafaicum vinum.
- Arabia.* Arabes, ab Arabia dicti. Ea autem triplex est. Petrea, à Petra vrbe regia eius præcipua, quam Petram deserti vocauerunt propheta, Isa. 16. incipientem à Pelusio ad Palæstinam. Altera deserta, quæ ab occasu Petream habet, & sinu Persicū, à meridie foelicem Arabiam, à septentrione Euphratem. Tertia, quæ dicitur Foelix, siue beata, à mari Rubro clauditur ab occidete, à meridie Palæstina, cuius vrbs percelebris thurifera Saba est, in sacris scripturis celebrata.
- Cum verò dicit: Loquentes magnalia Dei: pro magnalia, Græcè est *τὰ μεγαλῆα*, id est, diuinam in se magnificentiam, à spiritu sancto, donoque linguarum, Dei que magnificas & admirabiles virtutes. Obuiis enim quibusque lingua eorum propria diuinam in se largitatem & magnificentiam enarrabant Apostoli, quod aliis quidem admirationi erat, lingua sua Galilæos loqui audientibus.

Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alij autem iridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.

Nec

Nec sine admiratione hæc præsentibus audiri poterant, aliis tamen derisioni, vino & ebrietati tribuentibus. Sunt qui putant vna tantum lingua locutos fuisse Apostolos, sed miraculo factum, vt quisque eos intelligeret, perinde atque lingua sua loquentes. Quod cum audientium magis, quàm ipsorum Apostolorum miraculum fuisset, & textus dicat, quod loquebantur variis seu aliis linguis, credendum est diuersis esse locutos: alioqui si sua tantum ab omnibus intellecta, falsum esset quod loquerentur variis aut aliis linguis: quanquam in generali locutione Petri, quæ paulo post sequitur, vna tantum, id est, Hebræa lingua locutus est, quam non mirum erat ab omnibus intelligi, cum Hebræi penè omnes, etiam vbicunque gentium nunc habitant, præter linguam gentis illius, etiam Hebraicam teneant.

Stans autem Petrus cum undecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos aestimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora die tertia.

Cum audisset quosdam dicentes musto plenos esse Apostolos, non ferens blasphemiam Petrus, vt quod spiritus sancti opus erat, ebrietati tribueretur, non inquit, sicut vos existimatis, hi musto madent, cum nondum sit tempus musti aut vindemiæ, sed tantum veris: nec sunt ebrij, cum hora diei tertia sit. Ita argumentatur Petrus: Tertia tantum hora diei est, id est, circiter octauam, quo tempore impransi adhuc sunt homines: non ergo ebrij sunt, sed ieiuni. Iudæi enim ab ortu solis, qui tunc circa quintam vel paulo antè oriebatur more nostro, dies suos auspicantur. Vnde circa Pentecosten, si circa quintam oriebatur, tertia eorum hora, nostra octaua erat. De horis autem Iudæorum in Euangelis nostris diximus.

Sed hoc est quod dictum est per prophetam Ioel:† Et erit in nouissimis diebus,† Ioel. 2. g (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem, & propheta. 44. a phetabunt filij vestri, & filie vestrae: & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & ancillas meas in diebus illis† effundam de spiritu meo, & propheta. 2. b & dabo prodigia in caelo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem, & vaporem fumi.† Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.† Et omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.† Ioel. 2. b Matt. 10. e & 24. b † Rom. 10. c

Quasi diceret Petrus: Quod ipsi nunc variis loquuntur linguis, non est hoc à musto, sed à spiritu sancto, illos ad id agente, quem largiter & abundè receperunt, sicut antè futurum prophetauit Ioel, dicens: Et erit in nouissimis diebus, &c. In quibus prophetae verbis vocabulo effundam, profusa spiritus sancti, donorumque eius largitio intelligitur. Quod autem ait: super omnem carnem: Hebræo more locutus est, pro supra omnes homines, Iudæos & Gentiles. Nam cum carnis, tum animæ nomine totum hominem Hebræi significant. In hac autem Ioelis propheta duo tractantur: Primum de larga sancti spiritus effusione in Dei seruos, & filios Iudæorum Apostolos. Posterior pars ab eo loco: Et dabo prodigia in caelo, &c. à quibusdam exponitur de prodigiis & miraculis circa **C H R I S T I** natiuitatem, mortem, & resurrectionem factis, pauloque post ascensionem in primitiua ecclesia. Prodigia enim, vt aiunt, in caelo apparuere, cum nascente **C H R I S T O** noua stella visa est, multitudoque angelicæ militiæ, coelesti luce circumfusa. Signa autem in terra data sunt, tot æditis à **C H R I S T O** miraculis. Sanguinem autem, effusum è **C H R I S T I** latere sanguinem exponunt: ignem, spiritus sancti inflammationem: vaporem fumi, Iudæorum excecationem. Solem versum in tenebras **C H R I S T I** passio vidit. Luna autem quomodo versa sit in sangui-

nem ante C H R I S T I passionem, non facile explicant, nisi quod ante eclipsim visa sit rubra, instante C H R I S T I passione. Quod autem sequitur: antequam veniat dies Domini magnus & manifestus, siue illustris: nam Græcè *μεγαλὴ*, quod vtrunque significat, Hebraicè *גדול* nora, horribilis, terribilis: & interpretantur diem resurrectionis. Alij interpretantur posteriorem partem: Dabo prodigia & signa, &c. de signis Ierosolymitanum excidium præcedentibus: alij de signis futurum iudicium præcessuris.

† Inf. 5. d. † Viri Israelitæ, audite verba hæc. Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis.

Cum dicit approbatum, interpres legit ἀποδοκιμασμένον, ἀπὸ τῶ ἀποδοκιμασίου, quod significat approbo. Græci tamen codices, qui nunc extant, habent ἀποδοκιμασένον, id est, demonstratum, siue declaratum, ἀπὸ τῶ δεικνύναι. Quod verò sequitur: hunc definito consilio: hunc, pleonasmo Hebræorum abundat. Sensus est enim: I E S U M approbatum à Deo, &c. definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes, interemistis. Affigentes enim legendum esse declarat verbum Græcum *προσπαύσαντες*: quanquam in nonnullis codicibus obtinuit pro eo verbum affigentes, genus videlicet pro specie, etsi perparum ad sensum refert. Quod autem interpres legit: præscientia Dei traditum: Græci habent participium λαβόντες, id est, cum ipsum Dei patris consilio & præscientia accepissetis. Quod autem sequitur: per manus iniquorum: referri potest ad τὸ ἐκδοῦν, vel λαβόντες, & ad τὸ προσπαύσαντες. Primo modo sensus est: Hunc Dei præscientia per manus iniquorum traditum cum accepissetis, vel cum accepissetis per manus iniquorum. Si referatur ad προσπαύσαντες, sensus est: affigentes cruci, videlicet per manus iniquorum.

† Inf. 10. d. † Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: † Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc letatum est cor meum, & exultavit lingua mea, in super & caro mea requiescet in spe. † Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, & replebis me incunditate cum facie tua.

Dolores mortis Chrysofomo & Oecumenio teste vocat calamitates omnes, quæ mortem consequuntur. Non enim sic intelligit, solutis doloribus mortis, vt dolorem moriens C H R I S T V S non senserit, sed licet per illos mortuus sit, ab illis absolutus est, nec ex illis corporis passus est corruptionem. Itaque suscitatum esse C H R I S T V M, solutis inferni siue mortis doloribus (nam interpres, qui habet inferni, legit *ἀδης*: Græci tamen codices habent *θανάτου*, id est, mortis) nihil aliud est, quam ad immortale omnino, corruptionisque planè expers corpus surrexisse. Si legas doloribus inferni, notandum, *Σινω* seol Hebraicum non modò locum supplicij, tartarum videlicet ipsum significat, sed & sepulchrum, foueam, & mortem ipsam. Quod verò ait: iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: significat quod impossibile erat C H R I S T V M diutius, quam triduum à patre definitum, à morte & in sepulchro detineri. Quod probat ex adducto Psalmo 15. ex quo vno præcipuo loco Petrus C H R I S T I resurrectionem concludit. Ex parte inquam animæ: quia vt ait Hierony. propterea illuc descendit anima C H R I S T I, vt electos suos inde eiiceret, & diabolum ligaret. Diabolus antea se taliter iactabat, vt omnia regna mundi haberet: nunc à C H R I S T O ligatus tenetur. Ex parte verò corporis, quia non dabis sanctum tuum, id est, corpus à te sanctificatum, vt cætera corpora sanctificaret, & non videret corruptionem, nec in sepulchro

chro corrumpere, quod idem est. Quod autem seiunctū filiū ab aliis hominibus dicat, ex hoc patet, quia non sicut alij peccatores in sepulchro iacuit absque spe resurrectionis, nec anima in inferno, quia vtrunque verbo diuino vnitum fuit.

Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, † quoniam † 3. Reg. 2. b. defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. Prophetia igitur cum esset, & sciret quia iure iurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem, cuius omnes nos testes sumus. Dexteram igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit donum quod videtis & auditis.

Ex quibus præmissis Davidis autoritatibus sic argumentatur Petrus: David cum propheta esset, hæc verba verè de quodam prædixit, non autem de seipso, qui apud nos defunctus est, sepultus, & eius sepulchrum apud nos hæctenus manet. Non ergo de seipso prophetauit, sed de quopiam, cui iuravit Dominus, quia sederet super sedem suam: & cuius providens resurrectionem prophetauit, quod neque anima ab inferis detineretur, nec caro videret in sepulchro corruptionem, quemadmodum ipsius David caro antea vidit. De C H R I S T O igitur, & eius resurrectione hæc dicta fuerunt.

Non enim David ascendit in cælum. Dicit autem ipse: † Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. † 109. a

Ostendit quod quemadmodum David prædixerat fore, vt C H R I S T V S ad vitam planè immortalem, atque interitus & labis nesciam resurgeret, ita fore, vt in cælos ad dexteram Dei patris ascenderet. Hoc autem probat ex Psal. 109. vbi ait David: Dixit Dominus Domino meo, &c. id est, Dominus pater dixit Domino meo C H R I S T O, sede à dextris meis. Nam de Dauide non potest intelligi locus, qui se non dominum suum vocasset. Quibus verbis Matth. 22. C H R I S T V S Pharisæis probavit, C H R I S T V M non esse purum hominem, aut Davidis omnino filium.

Certissimè sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum meum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.

Hoc est, Norint vniuersi Israelitæ, quod I E S V S ille, quem vos crucifixistis, constitutus est à Deo patre Rex & Dominus vniuersorum: sicut ait Psal. 2. * Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Constituitque illum C H R I S T V M, id est, vnctum, & Messiam, sicut de eo David prædixerat Psal. 44. * Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. † 44. b

His autem auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos: † Pœnitentiam inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. † Matt. 4. c Marc. 1. c Luc. 3. a Apoc. 2. d



Stupore & extasi in eo quod contigerat illi.

Erectus autem claudus, qui nondum ambulare nouerat, parumper coepit firmare gres-

*Aug.in Pfal.30.

Cum viderent autem Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quae appellatur Salomonis, stupentes.

Interpres legisse videtur εδλυντες, id est, cum vidissent:quanquam Graeca, quae nunc ex-

*3.Reg.6.a

Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelita, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?

*Mat.10.a *Marc.3.b

Quauis sancti virtute naturali aut acquisita aedant miracula, virtute tamen diuina & diuinitus sibi indita miracula faciunt, vt Matth.10. * Et fecit vt essent duodecim cum illo.

Pro eo

Pro eo autem quod dicimus, potestatem, Graeca quae nunc extant, habent εουεστεια, id est, pietate aut religione. Interpres legit εουεστια, id est, potestate: quod magis quadrat.

Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, authorem vero vitae interfecistis, quem Deus suscitauit a mortuis, cuius nos testes sumus.

Iudaei itaque qui prophetias nouerant, & CHRISTI gesta, miracula, & doctrinam iuxta prophetarum scripta conspiciebant, neci eius pro virili consentientes, vt iudex eum morti traderet, liberato homicida, insistebant.

Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Deus autem qui praeuocauit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic impleuit.

Quod Iudaei CHRISTVM ignoranter occiderunt, probat Apo.1. Cor.2. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Iudaeorum autem quidam principes erant, scientes quae praedixerant futura prophetae, quae in CHRISTO cognoscebant, nisi excacasset eos malitia eorum, propterea in CHRISTO Deitatis mysterium ignorabant.

Ut cum venerint tempora refrigerij a conspectu Domini, & miserit eum qui praedicatus est vobis Iesum Christum, quem oportet quidem caelum re-

P p iij

cipere, usque in tempora restitutionis omnium, de quo locutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo prophetarum.

Tempora refrigerij dicens, ostendit futurum, vt in multas miseras & calamitates Iudæi incidant. Tempora autem refrigerij Græci interpretantur, vel tempora resurrectionis, in quibus planè deuicta morte ad vitam immortalem perpetuum refrigerandi refocillandique surgent electi. Interpretantur etiam dies qui consecuti sunt vehementem illam Ierosolymorum expugnationem, & captiuitatem, qui dies propter electos abbreviati sunt, vt credentes inuenirent refrigerium, & seruarentur à vehemēti illa miseria & necessitate. Hoc autem loco: vt cum venerint tempora refrigerij: cum nihil sequatur verbis illis respondens, manifesta est eclipsis, supplendumque est, salui sitis, aut aliquid simile. Quod autem dicit: quem oportet quidem cœlū suscipere: Occumenius Græcus asserit, τὸ εἶναι positum ἀπὸ τῆς ἐκεί, id est, oportet pro oportebat quidem in cœlum recipi. Et ad vitandum amphibologiæ incommodum ita vertere posses: quem oportebat quidem in cœlum recipi, usque ad tempora restitutionis omnium, id est, vniuersalis iudicij. Quæ locutus est Deus, id est, de quibus locutus est Deus.

† *Deut. 18. d* *Moyſes quidem dixit: Quoniam ꝑ prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis, iuxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Erit autem, omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.*

Quod autem dicit, refertur ad id quod antè præcessit: & misit eum qui prædicatus est, siue antè prædicatus est vobis: nam Græcè est προειρηνημένον. Et si tanquam seipsum audiendum iubet Moyſes, non designat omnimodam similitudinem, quoniam CHRISTVS absque comparatione Moyſe maior est, & attentius audiendus. In hoc tamen quædam est similitudo, quoniam vterque Israelita, Leuita, & sacerdos: hunc persecutus est Herodes, illum Pharaon: infantes propter vtrunque occidi iubentur: vterque legillator: hic veritatem, ille figuram prænuñciabat. Et propterea hic magis, quam ille audiendus & suscipiendus. Quia igitur hic veritatem tantundem expectatam, sui que discipuli prædicant, audiendi sunt sub pœna damnationis & deletionis de numero electorum, & libro vitæ.

Et omnes propheta à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, & annunciauerunt dies istos. Vos estis filij prophetarum & testamēti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: ꝑ Et in semine tuo benedicentur omnes familie terræ.

Quoniam à tempore Samuelis plures fuerunt propheta, quàm antea, ideo prophetias à Samuele incipit, quæ de primo CHRISTI aduentu prædicauerunt, qui omnium fuerit finis prophetarum, vt Luc. 16. *Lex & propheta usque ad Ioannem, & omnes præuiderunt, & scripserunt dies istos. Quod autem dicit: Vos estis filij prophetarum: Græcè est, υμῶν ἐστέ υἱοὶ τῶν προφητῶν, καὶ τῆς διαθήκης, ἧς δέδοται ὁ θεὸς πρὸς τοὺς πατέρας ὑμῶν. Quod vertere possis: & pacti seu fœderis, quod pactus est Deus cum patribus. Vbi διαθήκη hoc loco pollicitationem Abrahamo factam à Deo de nascituro ex eius semine saluatore significat, quam testamentum appellare interpres Latinus solet, quod testatoris morte demum confirmata est illa pollicitatio, vti non nisi testatoris morte validum est testamentum: quemadmodum inquit Paulus ad Hebr. 8. διαθήκη itaque in singulari pactum magis & pollicitationem significat, in plurali autem significat testamentum: quanquam in singulari etiam pro testamēto nonnunquam inueniatur, vt vult Budæus in Commentariis. Vbi autem Budæus legit διαθήκης ἧς ἐδοθη, Græca Stephani habent, δέδοται. Cum autem vtrunque accusatiuum regat τὸ ἦτε, oportet esse genitiuum instrumentalem, vt sit sensus: Vos estis filij prophetarum & pollicitationis, per quam


quam pactum & fœdus iniit cum patribus nostris Deus. Filij enim fœderis Hebræo more sunt, qui partem & portionem habent in fœdere.

Vobis primum Deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.

Hic Petrus spem illorum ad potiora erigit. Existimabant enim gratia & misericordia indignos, atque salute, quod salutis authorem, & gratiæ largitorem nuper in crucem egerant: quamobrem nō vero simile erat, vt eos deinceps curaret. Quod longè aliter Petrus illis nūnciat, CHRISTVM illis benedicentem, & remissionem facinoris pollicitantem. Non tamen mihi satis aptè vertere videtur, & multo minus Erasmus, dum vertit: ita vt vnusquisque conuerteret se ab iniquitatibus suis. Neque enim ἐν τῷ ἀποστρέφειν, ita vt conuerteret, verti debet, sed cum Græcè ἀπέστειλον αὐτὸν εὐλογῶντα ὑμᾶς, ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν, id est, misit eum benedicentem seu beneficientem vobis, dam vnusquemque vestrum à vestris nequitias conuertit. Nam εὐλογῶν, & benedicere, & benefacere significat.

CAPVT QVARTVM.

Petrus & Ioannes à Iudæis inclusi in crastinum, examinantur super claudi curatione: qui intrepidè respondent in nomine Iesu suscitari hoc fecisse, in quo solo salus est figenda. Quos igitur à se Iudæi eijciunt, qui caterorum concioni redditi, orantes spiritum sanctum recipiunt, ad quorum consortium plurimi confugiunt, venditis omnibus bonis suis, & in communitate positi.



loquentibus autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes & magistratus templi, & Sadducei, dolentes quod docerent populum, & annunciant in Iesum resurrectionem ex mortuis: ꝑ & iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum. Erat autem iam vespera.

Nec sua Iudæis impietas in CHRISTVM ac doctrinam eius sufficiebat, nisi in discipulos etiam eius animaduertent, nitentes contra Dei dispositionem & prouidentiam: atque etiam secus quàm sperabant accidit, qui quanto spiritus sancti flammam extinguere nituntur, tanto amplius accendunt. Quod autem dicit: & annunciant in Iesum: Græcè est, ἐν τῷ ἰησοῦ, id est, in Iesu: atque ita puto vertisse interpretem, hoc est, de Iesu. Alij autem interpretantur non solum Iesum resurrexisse, sed omnes per Iesum resurrecturos. Quod verò sequitur: Et posuerunt eos in custodiam in crastinum: Græcè, εἰς πύλιν ἀντίον, id est, usque ad posterum diem, sequenti scilicet die ab illis iudicandos.

Multi autem eorum qui audierunt verbum, crediderunt. Et factus est numerus eorum quinque milia.

Hic conicere potes verbi Dei efficaciam, quia tam paruo tempore tot crediderint contra principum suorum obstinationem, quos videbant post magistrum persequi discipulos, & illos in carcerem conici: quos Iudæi occultè examinare quærebant, ne in responsionibus suis auditores redderent audaciores.

Factum est autem in crastinum, vt congregarentur principes eorum, & seniores, & scriba in Ierusalem, & Annas princeps sacerdotum, & Caiphas,

Et Ioannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio, interrogabant, in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vobis?

Congregantur itaque omnes magistratus templi cum Anna principe sacerdotum, qui populum contra eos concitauit. Hunc credunt tuum summum fuisse pontificem: quum enim maximus pontificum, adeoque callidissimus esset, atqui cum Caiphas anno passionis CHRIS-
T I pontifex esset, alternatim autem sibi succedebant, vero simile est Caipham tempus suum in Paschate finisse, & tunc ad Annam pontificatum rediisse. Aut ut docuimus in Euangeliis, principem sacerdotum dici non modo pontificem anni illius, sed quicumque prius fuerant pontifices, eo nomine perpetuo donarentur. Conuocata igitur multitudo & coetu doctorum, iubent adduci coram se Apostolos, tanquam pauperes, & idiotas, ut eos in concilio suo confutarent & terrerent, petentes in cuius virtute aut nomine claudum sanassent. Illi itaque sperabant Apostolos tanquam victos timere palam metu poenae fieri veritatem.

Tunc repletus spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, et seniores, audite: Si nos hodie iudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

*2. Cor. 3. d. Quoniam vbi spiritus Domini, ibi libertas: ideo Petrus spiritu sancto repletus, liberè & intrepidè principibus populi & senioribus loquitur, & quod occultum fieri curabant, Petrus vniuerso populo Iudæorum cupit manifestum iri & publicum. Veruntamen illos Petrus modestè perstringit, quod in eorum commodum, si saperent, hoc factum acciderat, in quo maximè lætari debeant, quia salus eorum tantopere expectata & desiderata aduenerat, Messias scilicet ille patribus promissus, à prophetis prædicatus, & à populo desideratus, quem licet crucifixerint, illum tamen Deus suscitauit a mortuis, & in eius nomine & virtute hic claudus sanatus est. In hoc autem quod dicit: Si nos hodie iudicamur in beneficio hominis infirmi, &c. Græcè est, *ei huius diei σημερον ανακρινομεθα επι ευεργεσια ανθρωπου αδουτου, ου την ουρανους ολωσθη*, id est: Si nos hodie ad questionem habendam producimur ob beneficium homini infirmo præstitum, quo tandem ipse modo saluatus est. *ανακρινω* enim significat informationem facere, examinare, discutere, & indagare.

† Psa. 117. d. † *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub*
† Isa. 28. d. *put anguli: et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub*
Matt. 21. g. *cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*

Luc. 20. c.

1. Petr. 2. d.

Rom. 9. g.

Græcè est articulus *ο λιθος*, id est, lapis ille, de quo Isa. 28. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, preciosum, fundamentum fundamine: qui crederit, non festinet. Super quod Hiero. Hic lapis dicitur angularis, quia circumcisionis & gentium populos copulauit, de quo & in Psalm. dicitur: Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Isti sunt edificantes & cementarij, qui nunc appellantur viri illusores, & principes populi, qui sunt in Ierusalem, principes scilicet sacerdotum, & scribæ, & Iudæorum doctores, quibus commissa cura fuerat ædificandi & perficiendi populum in fundamento legis, ut facilius illo lapide construeretur ecclesiæ ædificium, ex Iudæis & Gentibus coagmentatum. Hic tamen lapis ab illis reprobatus, tanquam inutilis & contrarius eorum operibus, de quo Sap. 2. * Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropert nobis peccata legis, & diffamat in nos

in nos peccata disciplinae nostræ. Hic ergo lapis aptus erat vtrunque coniungere parietem, ex electis Iudæorum, & Gentilium: & licet à Iudæis præcipuis reprobatus, factus est in caput anguli in ædificio ecclesiæ & fidei, faciens vtrunque in vnum: & à nullo alio expectanda est salus.

Videntes autem Petri constantiam et Ioannis, comperto quod homines essent sine literis, et idiotæ, admirabantur, et cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant: hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere, et conferebant ad inuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem manifestum est, et non possumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc illi hominum.

Cum verò Petrum doctissimorum caterua cinctum, at intrepidum cernerent principes, non possunt non mirari, utpote quem nouerant indoctum, & idiotam: nihilominus quia CHRIS-
T I discipulum nouissent, & paria signa facientem, quæ etiam negare non poterant, inter se valde anxij erant. At cum Apostolos per carcerem emollire tentassent, nihilominus fortiores euasisse videbant, & sanatum illos iam sequentem, & defendentem, nihil aliud quàm interdicerere, ne in tali prædicarent nomine, procurabant. Quibus dictis illos extra concilium suum eiciunt.

Et vocantes eos, denunciauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. Petrus verò et Ioannes respondentes dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus et audiimus, non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos, non inuenientes quomodo punirent eos, propter populum: quia omnes clarificabant id quod factum fuerat, in eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

Quod dicit, denunciauerunt, Græcè est *περησαντες*, quod significat interdixerunt. Sensus ergo est: interdixerunt eis, ne omnino in nomine Iesu loquerentur, aut concionarentur. Nec aliud audent illis inferre molestum, quia timebant populum contra se concitari. Petrus igitur & Ioannes ductore spiritu sancto rem totam aduersariorum committunt iudicio, an videlicet magis Deo, in his quæ Dei sunt, quàm hominibus obediendum sit, iudicent. Quos igitur Iudæi audientes rubore perfusi non audent detinere, aut palam vel occultè occidere, siue ad Pilatum ducere condemnandos. Nec omnino talia audent propter populum, qui eos magni faciebat, & illustrabat, propter factum inauditum in homine ab utero matris claudis, & iam 40. amplius annos agente.

Dimissi autem venerunt ad suos, et annunciauerunt eis quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. Qui cum audissent, unanimiter leuauerunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es qui fecisti cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt: qui spiritu sancto per os pa-

† *Psal. 2. 4.* *tris nostri David pueri tui dixisti: † Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim uere in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.*

Audientes autem cæteri discipuli, quid Petro & Ioanni contigisset, non possunt non prorumpere in reddendas Deo gratias: ideo unanimes Deum exorant, non ut hostium persecutiones & molestias illis auferat, sed ut uerbum suum ex animi sententia & bene succedat: nec ab eorum manibus poscunt liberari, sed tantum ut euangelium suum liberè etiam coram ipsis loquantur. quasi dicerent: Fac eos Domine inania aduersus nos meditari, sicut aduersus CHRISTVM meditati sunt, & inane bellum aggressi, in deteriorem exitum perueniunt. Quis enim prosper expectetur exitus, si opus contra opificem, lutum contra figulum arma sumere tentet? Quemadmodum enim Herodes & Pilatus, Caiphas & cæteri Iudeorum inania aduersus CHRISTVM arma sumpserunt, ut ipsius nomen extinguerent, & Romanorum manus euaderent, oppositum tamen illis contigit, quia nomen CHRISTI tanto magis exaltauerunt, & in manus Romanorum deuenerunt. Ita Apostolos persequentes inania tantum sunt meditati.

Et nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui uerbum tuum, in eo quod a manum tuam extendas ad sanitates, signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu.

Nec propterea vindictam in eos à Deo postulant, sed tantum ne eorum minæ & persecutiones impediunt promulgandum Euangelium, sed illud liberè & magna cum constantia loquantur Apostoli: & in potestate tua ad uerbi tui confirmationem signa edant, eo quod ad sanitates signa & prodigia manum tuam fieri extendas. Vbi pro fieri, Græcè est *γίνεσθαι*, quod clarius uerteretur per gerundium, ut sit sensus: in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa & prodigia faciendâ.

Et cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur uerbum Dei cum fiducia. † Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

† *Supr. 2. 4.*
Infr. 19. 4.
Dist. 8. c. 1.
1. q. 2. c. 1.
12. q. 1. cap.

Dilectissimi In hoc autem terræ motu fiunt Apostoli certiores super orationis suæ exauditione, tam illi autem quod ad principum terræ uictoriam, quam ad piorum aures ad uerbi Dei assensum demulcendas, & animos eorum attrahendos, ut deinceps uerbum Dei constanter prædicare audeant. In hoc etiam apparet, quantum profuerit illis oratio, quia illos charitate spiritus sancti repleuerit, ut quauis magna esset multitudo, cor tamen unum omnium, & anima una, ita ut quicquid amaret aut uellet unus, hoc & cæteri omnes: sed & diuitias suas communes facerent, ut cuique, quod opus habebat, distribueretur, & nemo aliquid proprium sibi tribuebat, sed quod unius, hoc & reliquorum: nullus inter eos egebat, eo quod nemo quippiam sibi proprium uendicabat: inde cuncta illis erant communia.

† *Sup. 2. d.*
1. q. 2. Pasto.
res ecclesie.
& 12. q. 1.
ca. 2. & ca.
videntes.

Et uirtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri. & gratia magna erat in omnibus illis: † neque enim quisquam

quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, uendentes afferebant precia eorum quæ uendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. † Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.

† *12. q. 1. ca.*
quia tua.

Reddere enim ex quodam conredito debitum dicit: quia cum gratiam donorum ad uerbum Dei confirmandum, ut Marc. ultimo, accepissent, per illa signa resurrectionem CHRISTI persuadebant, tanquam debitores ex sibi iniuncto officio. Sed resurrectionis precipuè meminit, tanquam minus credibilis, quæ & passionem, & ascensionem completebatur. Quod autem ait: uendentes agros, afferre precia ante pedes Apostolorum: utrumque magnum designat honorem, Apostolorum inquam, quia eos dominos suos constituerent: afferentiū, quod se, ut ad manus darent Apostolorum, credebant indignos: illos uero bonorum illorum iustiores uidebant dispensatores.

Ioseph autem qui cognominatus est Barsabas ab Apostolis, (quod est interpretatum filius consolationis) Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, uendidit eum, & attulit precium, & posuit ante pedes Apostolorum.

Doctores de hoc Ioseph non sibi consentiunt: quidam eum dicunt, qui cum Matthia supra. 1. cap. missus est in sortem, & qui tunc non est locum Iudæ sortitus: postea à Domino cum Paulo missus est, & Apostolus electus, infra ca. 13. Ideo dicebatur supra Ioseph, & Barsabas, sicut hic dicitur. Quod Chrysostomo non placuit, quia Græcè dicitur *βαρσαβας*, non Barsabas. Non mihi inquit Chrysost. ille esse uidetur, qui cum Matthia: ille enim dicebatur Ioseph, & Barsabas, postea autem cognominatus est Iustus. Hic autem Barnabas est filius consolationis ab Apostolis dictus. Et uidetur mihi à uirtute assumptum nomen, quasi ad hoc sufficiat, & studiosus sit. Hæc ille. Vocauerunt autem illum consolationis filium, qui primus uendiderit prædium, & attulerit ad pedes Apostolorum, quem plurimi postea imitati sunt in consolationem Apostolorum, qui fidem credentium per exteriores probauerunt actus. Hic autem Leuites, de genere scilicet Leui, Cyprius tamè natiuitate, quandoquidem in Cyprum parentes eius tempore persecutionis alicuius confugerant, dispersis in nationes Iudæis.

CAPVT QVINTVM.

Ananias cum Sapphira uxore agri precium defraudantes palam occiduntur, Apostoli inde multa alia signa facientes carceri mancipantur, à quo per angelum liberati à Iudæis rursum uocantur, sed quauis facta prohibitione ab incepto non desistunt.



† Ir autem quidam nomine Ananias, cum Sapphira uxore sua, uendidit agrum, & fraudauit de precio agri, conscia uxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit.

† *1. q. 2. ca. 1.*
12. q. 1. cap.
Dilectissimi
17. q. 1. cap.
Ananias.
23. q. 4. cap.
Quod Christi.

Superius Barnabæ uenditionem agri, & precij ad pedes Apostolorum delationem, in huius Ananiæ confusionem præmisit, quod ille absque ulla precij detractioe totum attulerit precium: hic uero partem detrahit, nulla coactus necessitate. Vnde quod fraudauit dicitur, Græcè est, *ενοσιφιστεω*, quod furari & interuertere significat, hoc est, callidè suffurari. Hinc est, ut dicit Oecumenius, Tria tunc edita sunt circa eundem signa: Cognitio occultorum, exterrefactio curæ mentis, & præterea interitus iussu Petri consecutus.

Dixit autem Petrus ad Ananiam: Anania, cur tentauit Satanus cor

tuum, mentiri te spiritui sancto, & fraudare de precio agri?

Græca quæ nunc extant, pro tentauit, habent ἐπιπράσσειν, id est, impleuit. Interpres autem legisse videtur ἐπέπρασαν. Sensus autem Græcorum est: Cur impleuit Satanas cor tuum, vt fallere spiritum sanctum statueres, partemque precij interuertere ex prædio venundato? Exigentibus enim præcedentibus peccatis, frequenter durè tentamur, vt inquit Dionysius, & ideo in tentatione à Deo relinquimur, & Deo promissa frangere cogimur. Vt etiã ait Greg. Peccatū quod non per pœnitentiã statim diluitur, mox ad aliud grauius suo pondere trahit. Veluti hic Ananias prius apud se constituit aliquid de precio apud se retinere, & inde spiritui sancto mentitus est, dicens se non amplius vendidisse.

Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. Surgentes autem iuuenes, amouerunt eum, & efferentes sepelierunt.

Hebraica est locutio, id est, nunquid planè tuus remanebat? Quod verò sequitur: & venundatum in tua erat potestate? non videtur referri ad τὸ χωρίον, id est, prædium, neque enim iam venditum prædium in potestate venditoris est, sed emptoris: nisi intelligas quòd venditum prædium in potestate erat ne venderes. Aut sanè intelligendum est, id quod venditum erat, id est, precium rei venditæ, in potestate tua erat, vt ad nos nõ afferres? quia non de prædio, sed de agro textus meminit. Super quo dicit August. de verbis Apost. Sermo. 25. * Sic nanque Ananias in Actibus Apostolorum, dum putat se rectè offerre, & non rectè diuidit, pecuniam quam obtulit, perdidit, & quam domi seruauit, amisit: pecuniam inquam, pariter perdidit, & salutè. Dum enim ex eo quod promiserat, partem subtraxit, sacrilegij simul condemnatur, & fraudis. Sacrilegij, quòd Deum in pollicitatione fefellerit: fraudis, quòd integris muneribus portionem quandam putauerit subtrahendam.

Factum est autem quasi horarum trium spacium, & vxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introiuit. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus autem ad eam: † Quid vtiq̃ conuenit vobis tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrans autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in vniuersa ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.

Trium horarum spacium sufficiens erat, vt rumor mortis Ananiæ apud multos, etiam eius vxorè, nisi timor subiti casus eos terruisset, & eos redidisset attonitos, facilè perueniret. Vnde vxor illa factum ignorans, ingreditur intrepida, facti tamen conscia. Ad quam Petrus vti ad maritum: Nonne tanti prædium vestrum vendidistis? Vt ipsa se ream condemnaret, & peccatum, quod occultum putabat, omnibus fieret manifestum, propterea illa respondit, quòd tanti scilicet, quanti deposuerant ante pedes Apostolorum, & nõ amplius. At quia in simili delicto cum viro reperit, simili quoque pœna damnauit. Quod mirum valde est, quare nullum pœnitentiæ locum dedit illis, vel saltem spacium cognoscendi sui grauitatem peccati, vt saltem compungerentur. Vnde nec immeritò ceteros timor inuasit, cum in Ananiam, nuper in consortium aduenientem, vel etiam nondum ingressum, tanta sit Petrus vsus seueritate.

seueritate. Quod tamen non temerè factum putandum, quòd etiam contra diuinam legem peccauissent, mendacio scilicet in Deum. De quo August. vbi sup. Si ergo fratres, Ananias condemnatur, quòd non totum dederit quod de suo ipse promiserat, quid censemus de eo qui non vult reddere quod alius repromisit. Videte ergo & vos fratres, quid promiseritis Deo, cum primùm fidei gratiam perceperitis. Quòd autem dicit: Quid vtiq̃ conuenit vobis tentare spiritum Domini? Græcè est, τί ὑμῖν συμφέρει, id est, quid est quod inter vos conuenit, siue compactum est inter vos tentare spiritum Domini.

† Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vniuersim omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat se coniungere illis: sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.

Etsi cæteri taceantur Apostoli à Petro, eorum tamen gesta non silentur, quandoquidem & per manuum impositionem, & per alias gratias gratis datas faciebant signa plurima in populo, non in principibus populi, aut principibus sacerdotum. Distinguunt autem doctores inter signa & prodigia, licet vtrūq̃ aliud, quàm pateat, significet: signa nempe rem præsentem præ se ferant, vt pote diuinam virtutem in faciente signum aut miraculum: prodigia verò aliquid futurum portendunt. Vnde August. Psalm. 45. Prodigia dicuntur, quòd aliquid portendant, scilicet quòd per illa signa designabatur futurum Dei verbum in omnem terrã, quod & factum est. Erant autem Apostoli vniuersim prædicantes & orantes in porticu Salomonis, loco inquam, prædicationi & orationi apto, ex quibus ab omnibus magnificabantur, tum propter plurima signa & miracula super his qui infirmabantur, quos ad eos cateruatim afferbant curandos. Vnde cum dicit: vt in plateas eijcerent infirmos: Græcè est ἐκπέσειν, quod magis significat exportare, vt scilicet extra domos in plateas exportarent infirmos, qua transiturus erat Petrus, qui non solo tactu, sicut cæteri Apostoli, sed etiam vmbra sua: cui cæteri tanquam ad præceptorem præcipua signa deferebant.

Concurrerat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes egros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.

Nec solùm vrbs Ierusalem ciues infirmos curabant, sed etiam ab vrbe remotiores: cum longius Apostolorum fama excurreret, ita fides paucis diebus dilataretur. Ex quibus patet plura, imò innumera fuisse Apostolorum miracula, quæ scripta non fuerunt: quod etiam CHRISTVS Ioan. 14. fuerat illis pollicitus: * Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet. Vnde quotquot illis oblatis sunt, curauerunt.

Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ est heresis Sadducæorum, repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Qui cum audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.

Princeps sacerdotum insurrexit in Apostolos, præcipuè per Sadducæos excitatus, cum

Apostolos viderent nullum non moueri lapidem ad probandam resurrectionem, quam ipsi Sadducei omnibus negarent viribus. Sadducei enim quia resurrectionem impugnabant, lubenter se iungebant principibus sacerdotum, & Phariseis, in persecutionem Apostolorum, quorum præcipuus erat scopus CHRISTI resurrectionem prædicare & persuadere, futuramque omnium nostrum per illum resurrectionem. Commotus itaque pontifex per hos Sadduceos, iniecit manus violentas in Apostolos, & inclusit illos carcere publico: quem tamen propria spectandem fefellit. Ipsi enim Apostoli diuino freti auxilio, ab angelo è carcere educti sunt, & in templum ad prædicandum restituti. Hi summo diluculo templum ingressi, angelicum expleturi mandatum.

Adueniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium, & omnes seniores filiorum Israel, & miserunt ad carcerem, ut adducerentur.

In hoc patet plebeculam Iudæorum magis docilem fuisse, quam principes & seniores. Plebs enim visis signis fidei facile assentit: principes autem nil aliud tentant, quam Apostolos tollere è viuis, ne illorum super CHRISTI morte reueletur peccatum. Hinc magnum cogunt peritorum in lege concilium, & seniorum. At Græcè dicitur, πᾶσαν γερουσίαν, id est, omnem senatum. Sicut enim senatus à senioribus, ita ἀπὸ τῶν γερόντων dicitur κρονοία. Quo in vnum coacto, mittunt ad carcerem ministros, ad Apostolos palam adducendos: sed frustra, quoniam * aduersus Dei consilium non est scientia aut prudentia.

*Pro. 21.d.

†Infr. 12.d. & 16.c. *†Cum autem venissent ministri, & aperto carcere non inuenissent illos, reuersi nunciauerunt, dicentes: Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante ianuas, aperientes autem, neminem intus inuenimus.*

Non minori illusione perdiderunt discipulos, atque magistrum. Vnde aduersus eos Beda exclamat: Quid prophane Iudæe cæca stimularis insania, furantibus dicens Apostolis Dominum de monumento fuisse sublatum? Dic rogo, eosdem Apostolos de carcere tuo clauso cuius furto credis ablatos? Quod autem distulissent illos sistere iudicio, hoc non misericordia fecerunt, sed vt in castinum producerent, & eos condemnarent.

†Infr. 16.c. *†Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi, & principes sacerdotum, ambigebant de illis, quidnam fieret. Adueniens autem quidam, nunciauit eis: Quia ecce viri quos posuisti in carcerem, sunt in templo, stantes & docentes populum. Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi. Timebant enim populum, ne lapidarentur. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio.*

Vide cæcitatem Iudæorum, qui præ nimia inuidia diuinam adesse potentiam non aduertunt: quænam enim humana hoc virtus potuit. Nec tamen illos à templo violentia extrahere populi formidine audent, ne & ipsi à populo lapidarentur. In quo populum prudentiorem fatentur, qui nullo ductus odio signa admiratur, & propter illa Apostolos veneratur.

Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto, & ecce repletis Ierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

Cognitis

Cognitis tot signis in hoc nomine factis, & à tot viris probatis, hoc nomen silentio tegetentant, interrogantes: Nonne toties præcepimus vobis, ne vsquam in hoc nomine prædicaretis? Græcè est, ἢ παραγγέλια παραγγέλαμεν ὑμῖν, μὴ διδάσκων ἐπὶ τῷ ὀνόματι τούτου, id est, vt inquit Budæus: Nonne conceptis verbis interdiximus vobis, ne doceretis in hoc nomine? παραγγέλειαν autem & præcipere significat, & interdicare, & edicere, id est, edicto præcipere: quomodo & hic sumi potest, vt sit sensus: Nonne edicto vobis præcepimus atque ediximus, ne doceretis in hoc nomine? Quod autem dicit: vultis inducere super nos, & c. Græcè est pro inducere ἐπάγειν, quod significat imponere, siue imputare: vultis scilicet imputare nobis mortem huius hominis, & super nos imponere sanguinem huius, quasi crimen homicidij nobis imponentes. Quos velint nolint accusat conscientia, & reos mortis CHRISTI indicat: quod tamen ægrè ferre non possunt.

Respondens autem Petrus & Apostoli, dixerunt: † Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum. Et nos sumus testes horum verborum, & spiritus sanctus, quem dedit omnibus obedientibus sibi.

Si non est potestas nisi à Deo, multo magis Deo obediendum est, quam hominibus, quorum potestas non nisi à Deo est: quasi eos accusantes, qui verba Dei & signa contemnerent & improbarent, sed & purum hominem vocarent, qui & Deus, & saluator erat, & quem Deus pater à mortuis suscitauerat. Nondum enim audebant dicere ipsum se virtute propria suscitasse: quod tamen verum erat, & quod tandem prædicauerunt. Nec tamen falsò sanguinem eius illis imponebant, vt pote quem suspendentes in cruce interfecerant. Patrem autem dicunt illum suscitasse, vt illum à patre non distinguerent. Quorum omnium non solum ipsi, sed & spiritus sanctus perhibet testimonium omnibus sibi obedientibus in his verbis resurrectionis, ascensionis, & missionis spiritus sancti, sed & remissionis peccatorum: nec pœnam admissorum exigit, modò obediatur ei, & pœniteat præteritorum peccatorum, & imprimis mortis CHRISTI, quem iniuste occiderant.

Hæc cum audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

Principes vbi maximum suum audirèt commodum, lætitia & voluptate affici debebant: contra verò dolore & angustia afficiuntur. Apostoli verò è contrario lætitia & gaudio afficiebantur, cum & hi in vinculis, & in iudicio essent, & causam haberent tristitiæ: illi verò liberi, & tamen maximè anxij, vt etiam illos occidere excogitabant.

† *Surgens autem quidam in concilio Phariseus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis vniuersæ plebi, iussit foras ad breue homines fieri, dixitque ad illos.*

Hunc Gamaliel ait Chryostomus Pauli præceptorem fuisse, & admiratione dignum, quod tanto iudicio valens, ac legis doctor existens, nondum crediderit. Non poterat ille per omnia manere incredulus: quod ex illius verbis manifestum est, quæ consulendo affert. Vnde vt maturius quæ censebat decerneret, iussit Apostolos foras paululum secedere. Inde interpretres, pro quo Græci habent ἀποστόλους, legisse videtur ἀνθρώπους, id est, homines. Græca autem sic habent: ἐκέλευσε ἔξω βαρῶν τι τῶν ἀποστόλων ποῖσθαι, id est, iussit scilicet ministris suis, vt foras ad breue summouerent Apostolos.

Viri Israelite, attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante

Q 9 ij

in medium vxorem suam, si quis vellet eam habere, permisit. Euseb. Eccles. histo. lib. 3. cap. 29. Hunc tamen non excusat Epiphanius contra 25. hæresim. De cuius conuersione & sequacium plurima illic videre poteris. Ex quibus pauca elicere dignum duximus. Cum hic inquit, haberet vxorem formosam, & ab ipsa se continuisset, ad imitationem eorum, quos Deo addictos videbat, aliquotenus tolerabat, non tamen in finem suæ intemperantiæ dominari potuit, sed volens velut canis ad proprium vomitum reuerti, prætextus quosdam non ita bonos sibi ipsi venans excogitabat, ad proprii affectus petulantia defensionem, ea quæ magis ipsi conferebant. Deinde igitur à proposito elapsus, cum propria vxore coibat minime curiosè. Postea erubescens se victum esse, & veritus deprehendi, audebat dicere: Nisi quis singulis diebus venerem exerceret, non posset particeps fieri vitæ æternæ. Ex alio enim ad alium prætextum cõfugit, &c. Ex horum verò discipulorum ordinatione patet statim factus profectus, discipulorum inquam multiplicatio. Mirabile est, inquit Chryso. ibi occisus est CHRIS TV S, & illic creuit prædicatio, & non solum non sunt offensi quidam ex discipulis, videntes Apostolos flagellari, alios autem fugari, alios spiritus tentare, alios obmurmurare, sed & sic credentium numerus augebatur, ita emendabatur ex eo quod Anania acciderat, & maior timor illis fiebat.

Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellabatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur: propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia. Tunc summisserunt viros, qui dicerent se audiuisset eum dicentem verba blasphemie in Moysen & Deum.

Stephanus plenus fide & spiritu sancto ante ordinationem suam in diaconum dicebatur, nunc plenus gratia & fortitudine ordinatus & electus nominatur. Nec immerito Stephanus, qui interpretatur corona, vel coronatus, vocatus est, qui primus post CHRIS TV M coronandus erat martyrio, quem etiam Lucas fortitudine illustrat, nimirum qui constanter sustinuit vsque ad mortem. Aduersus eum igitur insurrexerunt plurimi Iudæi diuersarum nationum, cum illo legis zelo disputantes. Et inter cæteros harum quinque nationum Iudæi, Libertini, Cyreneses, Alexandrini, Cilices, & Asiani. Libertinos vocat Chryso. quosdam Iudæos à Romanis in seruitutem redactos, sed tandem libertate donatos, & manumissos, qui studij gratia Ierosolymam cõuenerant. Et quemadmodum illic morabantur hospites multi, ita & synagogas habebant multas, in quibus oportebat & legem legi, & preces fieri. Nec fortasse falsum putem Lyranum, qui ex glossa interlineari putauit à regione quadam dictos fuisse Libertinos, & fortassis à Libya, cum Cyrenenses, & Alexandrini, quibus Libertini iunguntur, in Africa sint. Verum Lyranus non refert hanc regionem, nec illius Cosmographi meminerunt. Ego ut certi nihil habeo, ita nullius in re incerta sententiam damno. At certè non malè putemus de uicta per Pompeium Iudæa abductos fuisse Romam multos Iudæos, quorum fortasse filij manumissi sunt, Libertinique effecti, religionis ac studij gratia Ierosolymam profecti sunt. Cyrenenses autem puto ex eorum profapia fuisse Iudæorum, olim Damasci habitantium, quos Teglatphalasar Assyriorum rex Cyrenem Libyæ transtulit, ut habetur 4. Reg. 16. Omnes hi præcipuè aduersus Stephanum instabant, maxime ut aliquid legi contrarium ab eo extorquerent: nec tamen resistere poterant sapientiæ eius. Cumque nullum ab eo extorquere possent legi aduersum verbum, falsos testes induxerunt, qui dicerent eum falsum contra legem Dei & Moyse dixisse: quod illi præcipuè intendebant, ut eum pontificibus & senioribus accusarent.

Commoouerunt itaque plebem, & seniores, & scribas, & concurrentes rapuerunt eum,

runt eum, & adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum & legem. Audiuimus enim eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

CHRIS TV M non nisi per falsos testes mortis reum iudicauerunt, ita & discipulum eius. Duplicem itaque adducunt accusationem, alteram, quod CHRIS TV S locum illum destructurus erat: alteram, quod mores & cæremonias legis mutaturus. Et præter eorum intentionem vtrunque tandem accidit. destructio loci per Romanos circiter annum quadragessimum post CHRIS TV M passionem: cæremoniæ verò paulatim euauerunt. At cum intuerentur illum, visa est illis facies eius quasi vnius angeli: ita talem illi Dominus gratiam contulit, ut attentiores ad ea quæ statim dicturus erat redderentur.

CAPVT SEPTIMVM.

Stephanus testes falsos confutare volens, longinqua historiarum mysteria discurrens, quibus eos conuincit Dei & Moyse legibus semper fuisse rebelles, ut mererentur loco & lege priuari: unde furentes in eum, lapidauerunt eum pro illius preces fundentem.



Ixit autem princeps sacerdotum, si hæc ita se haberent? Qui ait: Viri fratres & patres, audite.

Angelicus vultus principem cõmouit ad modestiam: unde cum mansuetudine ipsum interrogat, nonne hæc ita essent, vti accusabant illi? Græcè, ἢ ἀπερ, id est, num hæc sic se habent? Propterea mansuetis ille vitur verbis, eos appellando fratres, quia de genere Abrahæ descendentes: sed & patres, quia superiores, & in dignitate constitutos.

Deus gloria apparuit patri nostro Abraha, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, & habitauit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.

Respondet beatus Stephanus ad accusationes sibi impositas, probans non esse in Deum vel Moysen blasphemiam, asserere CHRIS TV M huius mundi saluatorem, nempe qui tot figuris, oraculis, & testimoniis prophetarum futurus est prænunciatus. Concionem verò suam contexit ab exordio fidei, quasi dicat: Si Abraham, quem vos dicitis patrem vestrum, in terra gentium, & ex patre gentili prima vocatione, & promissione futuri saluatoris credit Deo annuncianti: qui talem non imitantur fidem venturi saluatoris, nec fideles, nec filij Abrahæ dici merentur. quod per plures historias probat. Quod autem dicit: cum esset in Mesopotamia: aduerte quod Mesopotamia, de qua supra cap. 2. regio latissime patet. Iacet enim vltra Syriam, neque solis amnis, Euphrate & Tigri clauditur, sed in Chaldæam

quoque & Persiam extenditur: ita ob multos amnes, qui mediâ regionem secant, appellata. Itaque ad Mesopotamiam Chaldæa spectat, utpote quæ intra Tigridem & Euphratem sita est. Cùm itaque esset inquit, Abraham in Mesopotamia, in Vr scilicet Chaldæorum oppido, priusquam moraretur in terra Charan. Nam uti Gene. 11. scribitur: Tulit Thare Abrami filium suum de Vr Chaldæorum, & venit in Charran, siue Aram, siue Charras. Differentiam prolationis facit litera Hebræa Heth η , quam Græci pro ch proferunt, cæteri pro h forti aspiratione. Ideo apud Hebræos, ut in Genesi, vocatur Haran, apud Græcos verò Charran: quod est oppidum Mesopotamiæ, M. Crassi morte, iuxta quod interiit, nobile. Quod autem Stephanus dicit factum à Deo Abrahamæ præceptum, ut de terra sua exiret, cùm adhuc esset in Vr, priusquam moraretur in Charran, videtur repugnare ei quod dicitur Gene. 12. quod mortuo Thare in Aram, ubi tunc cum eo habitabat Abraham, dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, &c. Horum locorum conciliandi gratia intelligendum, quod habitante adhuc Thare & Abram in ea Mesopotamiæ parte, in qua est Vr Chaldæorum, factum est Abrahamæ præceptum, ut de Vr terra sua fugeret: quod præceptum filio factum intelligens Thare pater Abrahamæ, vniuersam familiam suam duxit in Haram, siue Charran. Quod verò sequitur postea cap. 12. Egredere de terra tua: Aug. de ciuita. Dei, lib. 16. ca. 15. asserit per recapitulationem dictum, quasi id quod antè factum est, postea repetiuerit. Nam manifestè Stephanus ostendit præceptum factum Abrahamæ in Vr Chaldæorum. Quanquam & possumus huic scrupo aliter quàm per recapitulationem mederi, ut dicamus duplex præceptum factum Abrahamæ à Deo. Prius factum est ipsi cum Thare patre in Mesopotamia & Vr Chaldæorum habitanti, ut de Vr exiret: qui paruit, profectus cum patre. Vbi mortuo patre, rursus præceptum accepit, ut de Haram exiret, veniretque in terram Chanaan. Itaque prioris præcepti meminit solus Stephanus, alterius Moyses. Quanquam & meminisse satis videtur Stephanus, dum inquit: Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit eum in terram istam. Et de primo etiam præcepto facto Abrahamæ sufficienter Moyses tetigit, cùm ait Genes. 15. Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum: quod indubiè indicat Abrahamæ præceptum factum exeundi de Vr Chaldæorum, quod expressius indicauit Stephanus. De his tractat Hiero. in quæst. Hebrai. & Aug. de ciuita. Dei, lib. 16. ca. 15. & plerisque aliis locis.

Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis, sed repromisit dare illi eam in possessionem; & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.

Pro passu pedis, Græcè est, $\epsilon\delta\epsilon\ \beta\acute{\alpha}\mu\alpha\ \pi\acute{o}\delta\omicron\varsigma$, id est, ne vestigium quidem pedis: licet enim $\beta\acute{\alpha}\mu\alpha$ & vestigium, & passum significet. Non obstat autem huic dicto Stephani, quod 23. Genes. scribitur, quod Abraham à filiis Heth emerit agrum filij Ephron, cum spelunca duplici 400. siclis: cum enim non ad vtendum viuus, sed ad sepeliendos mortuos emerat.

† Gene. 13. c. & 15. d. *Locutus est autem ei Deus: † Quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subiicient, & malè tractabunt eos annis quadringentis, & gentem cui seruierint, iudicabo ego, dicit Dominus. Et post hæc exhibunt, & seruient mihi in loco isto.*

Pro accola, Græcè est $\pi\acute{\alpha}\rho\omicron\iota\tau\omicron\upsilon\varsigma$, quod incolam & inquilinum significat, nimirum qui in terra nõ sua habitat, siue precario, siue cõducto. Accola verò dicitur, qui iuxta aliquè locum, siue suū, siue alienum habitat, ut accola Padi, accola Sequanæ. Quod autem hic ait Stephanus, Genes. 15. ca. scribitur: Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Vbi nota, quod ubi in Actis habetur 400. annis, veteres aliquot codices, & Rabanus, ut recitat glosa ordinaria, legunt 430. annis, quos computant à die qua facta est Abrahamæ promissio, 75. anno ætatis Abrahamæ, vsque ad exitum Israelis de Aegypto. Qui verò tantum legunt 400. annos, à natiuitate

tiuitate Isaac cõputant, vel propè. Aug. de ciuita. Dei, lib. 26. ca. 24. computantur inquit, ab anno 75. Abrahamæ, quando ad eum facta est prima promissio, vsque ad exitum de Aegypto, 430. anni: quos licet ita ex scripturis computare. Abraham cùm genuit Isaac, erat annorum 100. Gene. 21. Isaac cùm genuit Esau, & Iacob, annorum 60. erat, Gene. 25. Iacob cùm genuit Ioseph, annorum 91. Gene. 37. 41. & 47. Ioseph anno 110. mortuus est, Gene. 50. Deinde secuta est seruitus in Aegypto annis 64. cùm natus est Moyses: qui cùm esset annorum 80. ut patet Exo. 7. primo mense egressus est cum populo, & mense 3. legem accepit. Ex his annis simul computatis constantur anni 505. à quibus si auferas 75. annos, quos natus erat Abraham, cùm egressus est de Haran, ut habetur Gene. 12. consequens est, ab egressu Abraham vsque ad legem datam fluxerint anni 430. sicut hoc loco habebat vetus lectio. Aliter supputat Rabanus, & breuius. Ex quo enim Deus inquit, promisit Abraham vsq; ad descensum Iacob in Aegyptum, anni fuerunt 213. à descensu Iacob in Aegyptum, vsque ad egressum Israel ex Aegypto, fuerunt anni 217. qui simul iuncti, 430. annos constituunt. Et totidè annis durauit Abrahamæ & seminis eius peregrinatio, ex quo egressus est de Haran, ut habetur Exo. 12. Quorum Aposto. ad Galat. 3. meminit, dicens: Hoc autem dico testimonium confirmatum à Deo, quæ post 430. annos facta est lex, non irritum facit. Iam si natus erat 75. annum in prima promissione Abraham, ut Genes. 12. & ut scribitur, centenarius natus est filius, tollendo igitur 25. annos ab illa promissione vsque ad natiuitatem Isaac, restant 405. anni: scriptura autem non meminit huius parui numeri 5. Vel dic hos annos computandos à 5. anno Isaac, quando Ismael exiuit domum Abrahamæ, & remansit Isaac solus hæres paternus. Non est autem putandum, quod afflicti sint totos istos 400. annos ab Aegyptiis Hebræi, sed quod tempus afflictionis eorum sub Pharaone hos annos finiat. Puto tamen rependum esse hoc in loco 430. annos: sic enim veteres libri habent conformiter ad Paulum, & ad glosam ordinaria m.

Et dedit illi testamentum circumcisionis, & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octauo: & Isaac Iacob, & Iacob duodecim patriarchas.

Græcè $\delta\iota\alpha\theta\acute{\eta}\kappa\eta\upsilon$, quod foedus & pactum significat: ac magis hoc loco quadrabat. Super quod dicit Raba. Foedus ideo factum est cum populo illo, ut populus Israel non solum moribus, sed etiam signo corporali à gentibus diuideretur. In membro genitali ponitur, ut in illo carnis sit imminutio, quæ tegitur pudicitia secreto: & quia per omnes progenies erat seruanda, in genitali membro est posita.

† Et patriarchæ æmulantes, Ioseph vendiderunt in Aegyptum: & erat Deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam & sapientiam in conspectu Pharaonis regis Aegyptiorum, & constituit eum prapositum super Aegyptum, & super omnem domum suam.

Ita significat ad verbum dictio Græca $\alpha\mu\lambda\acute{o}\sigma\alpha\upsilon\tau\epsilon\varsigma$, seu magis cùm æmulati essent: cùm tamen æmulandi verbum indifferens sit ad bonum & malum, præstitisset vertere inuidia moti. Hic autem non parum taxat eos, Ioseph in medium afferens, qui verè figura $\sigma\eta\mu\epsilon\iota\sigma\iota\sigma$ erat: & quemadmodum per inuidiam fratres Ioseph illum gentilibus vendiderunt, ita & Iudæi, qui se etiam principes dicebant, gentibus tradiderunt ad illudèdum, flagellandum, & crucifigendum. Inuenit autem Ioseph coram rege gratiam, & per eam exaltauit illum super totum regnum suum. Sic $\sigma\eta\mu\epsilon\iota\sigma\iota\sigma$ Rex summus exaltauit, & dedit illi omnem potestatem in cælo & in terra, & eum constituit Regem regum, & Dominum dominantium. Nec igitur illi nocuit inuidia fratrum.

Venit autem fames in vniuersam Aegyptum, & Chanaan, & tribula-

† *Gene. 42. a* tio magna. & non inueniebant cibos patres nostri. † *Cum audisset autem Iacob esse frumentum in Aegypto, misit patres nostros primum, & in secundo cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus eius.* † *Gene. 45. f* Mittens autem Ioseph accersuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.

Et tunc grassabatur fames per vniuersam Aegyptum & Palæstinam, propinquas scilicet regiones, vt altera ope alterius frequenter egeret. Ioseph itaque super frumenta totius Aegypti constitutus, fratres suos ad emendos cibos in Aegyptum descendentes prima vice agnouit, nec est agnitus ab illis: secunda autem vice & eos agnouit, & ab illis agnitus est, nec solum, sed & eos Pharaoni manifestauit: nec his contentus, patrem suum, & omnem cognationem suam accersuit numero septuaginta quinque, quibus tota constabat familia. Animas enim Hebræi pro hominibus vsurpant, vt *Gene. 12.* Tulit Abram omnem substantiam suam quam possederat, & animas quas fecerant in Haran, id est, & homines apud Haran familiæ suæ natos, quos asserit Stephanus fuisse 75. numero: quanquam Hebræi habeant tantum 70. & in hoc secutus est Lucas æditionem septuaginta interpretum, quoniam si solos qui cum Iacob descenderunt connumeret, fiunt tantum 66. quibus si addideris Iacob, & Ioseph, atque duos filios eius, fiunt solum septuaginta: quibus fortasse annumerant Græci filios filiorum Ioseph.

† *Gene. 46. d* † *Et descendit Iacob in Aegyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham precio argenti à filiis Hemor filij Sichem.* † *Gene. 49. d*

Videtur hæc Stephani narratio in multis contrauenire iis quæ scripta sunt in Genesi. Primum videtur dicere Stephanus, Iacob & reliquorum patrum ossa translata esse in Sichem, cum tamen iubeat Iacob moriens sepeliri cum patribus suis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi, quam emit Abraham ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. Quanquam reuera innuat hic Stephanus, Ioseph illuc translatum fuisse, & Hieronymus asserat filios Iacob in Sichem esse translatos, licet Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 2. cap. 8. in Hebron sepultos esse perhibeat. Sed maior habenda est Stephano fides, quam Iosepho. Secundò videtur contradictio, quòd Stephanus asserat Abraham emisse agrum illum à filiis Hemor, filij Sichem, cum *Gene. 23.* scribatur, Abraham emisse ab Hethæo, & *Gene. 33.* scribatur, Iacob emisse agrum à filiis Hemor, patris Sichem: in quo videtur alia contradictio cum Stephano, quòd Stephanus dicat Hemor filium Sichem, quem *Gene. 33.* patrem Sichem dicit. Hunc nodum tractat Hierony. de optimo genere interpretandi ad Pammachium, & in definitionibus Hebraicis. Certè cum *Gene. 33.* dicatur emisse Iacob à filiis Hemor, vbi fixæ erant tabernacula, neque legatur emisse in ius sepulchri, vero simile est ipsum cum filiis in spelunca duplici Ephron sepultum esse. Certè Dionis. Cartusia. & puto ex Hiero. asserit ossa duodecim patriarcharum in Sichem, prædio scilicet Iacob sepulta esse, postea in sepulchrum, quod emerat Abraham ab Ephron Hethæo, translata. Restat ergo tollendus scrupus, quomodo dicat Stephanus translatos esse in Sichem. Cui medebimur, si dicamus agrum & speluncam duplicem, quem emit Abraham ab Hemor Hethæo, prope Sichem fuisse: quod Iacobus Zieglerus sentit, quanquam non probet. Et videre opus esset, vbi sit Hebron, iuxta quam erat spelunca duplex, & vbi Sichem. Nam Sichem longè distat à Hierosolymis, Hebron autem non longè, teste Iosepho. Restat scrupus, quomodo dicat Stephanus Abraham emisse locum illum à filiis Hemor: nam quòd eundem locum emerit Abraham, quem Iacob postea à Mesopotamia rediens emerit, iam ab alienatum Zieglerus dicit: & vero simile est. Sed non minor restat scrupus, quomodo à filiis Hemor Abraham emisse dicatur, cum ab illis Iacob emerit 117. annis, postquam Abraham emerit, *Gene. 33.* sed Abraham ab Ephron Hethæo. Sunt qui putent tam Stephanum narrantem, quam Lucam scribentem posuisse

posuisse pro Abraham, Iacob, sed immutatam esse etiam tempore Hieronymi lectionem. Restat vnus adhuc scrupus, quomodo dicat Hemor filium Sichem Stephanus, cum *Gene. 33.* dicatur pater Sichem? Cui respondemus, nec patris, nec filij Græcè haberi, sed tantum *ἐμὸν τὸ σιχέμ*, quod potest significare *ἐμὸν πατέρα σιχέμ*: quemadmodum *Act. 1.* *Ἰακώβος ἀλφάις* significat Iacobum Alphæi filium: & paulo post in eadem constructione, Iudas Iacobi, intelligitur Iacobi frater. Ita cum Græcè scriptum sit *ἐμὸν τὸ σιχέμ*, interpretari debemus Hemor patris Sichem. Certè Beda suo tempore testatur in Græcis exemplaribus scriptum fuisse pro *τὸ σιχέμ*, *ἐν σιχέμ*: quomodo sensus esset: in sepulchro, quod emit Abraham in Sichem à filiis Hemor. Quidam nodum euadere volentes, dicunt Hemor patrem & filium habuisse nomen Sichem.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abraham, creuit populus, & multiplicatus est in Aegypto, quoad usque surrexit alius rex in Aegypto, qui non sciebat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, affluxit patres nostros, vt exponerent infantes suos, ne viuificarentur. † *Exod. 1. a* † *Exod. 2. a*

Stephanus studens breuitati, paucis narrat quid passi sint filij Israel in Aegypto mortuo Ioseph. Cum igitur finis peregrinationis Israel in Aegypto instaret, vexatus est populus, quòd præcipua fuit causa, cur clamauerit ad Dominum, qui iuxta promissionem Abraham factam super reditu filiorum suorum exaudiuit eos, & de omnibus tribulationibus liberauit eos. Quod dicitur: quam confessus erat Deus Abraham: pro confessus erat, interpretes legisse videtur sic, *ὡμολόγησεν*, id est, confessus erat: quanquam Græci codices, qui nunc extant, constanter habeant, *ἔμοσεν*, id est, iurauerat, aut iuramento promiserat: quanquam verbū Græcum *ὡμολόγησεν*, significat spondeo, & promitto roganti, & paciscor. Itaque quod interpretes legit *ὡμολόγησεν*, verti poterat, quam promiserat, siue pactus erat Abraham Deus. Quod verò dicitur: vt exponerent infantes, ne viuificarentur: Græcè est, *μὴ ζωογονῆσαι*, interpretes legisse videtur *ζωοποιῆσαι*. *ζωογονέω* autem significat viuum producere. Loquitur autem hoc loco Stephanus de præcepto impio Pharaonis, qui iussit mares omnes Hebræorum exponi, & in flumen proiici. Sensus enim textus est, quòd afflixit Pharaon patres nostros, exponendo infantes eorum, ne viuerent, non autem ne viuificarentur, vel viui generarentur, neque ne vitales essent foetus, sed exponi eos iussit, ne postquam nati essent, amplius viuerent. Notandum est autem Græca non habere, vt exponerent infantes suos: sunt enim Græca huiusmodi: *ἐκάλωσεν τὰς πατέρας ἡμῶν, τὸ ποιῆν ἕκαστα τὰ βρέφη αὐτῶν, εἰς τὸ μὴ ζωογονῆσαι*, id est, afflixit patres nostros, exponendo infantes eorum ne viuerent. Non enim Pharaon præcepit Hebræis, vt infantes suos exponerent, sed ipse per populum suum exponendos curauit, vt habetur *Exod. 1.* Genus ergo afflictionis expressit Stephanus, scilicet expositionem Hebræorum masculorum per Pharaonis ministros.

Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. Exposito autem illo sustulit illum filia Pharaonis, & nutritiuit eum sibi in filium. Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus suis. † *Exod. 2. d* † *37. dist. ca.* † *Turbat.* † *cap.* † *qui de mensa.*

Græcè, *καὶ ἦν ἀστῆος τῷ θεῷ*: vbi cum *ἀστῆος* vrbanus ac elegans, siue ciuilis dicatur, cuiusmodi homines gratiosi esse solent hominibus, mihi viderentur Græca aptius sic verti debere: Et erat gratus Deo, siue apud Deum. Significat enim propriè gratiam & elegantiam infantilem, quæ erat in infante Moyse. Vel *ἀστῆος* propriè dicitur in puerili ætate, omni corporis labe ac vitio carens. Quòd autem dicitur eruditus in omni sapientia Aegyptiorum, innuit non omnino extraneam philosophiam esse abiiciendam, vt etiam de Daniele, & tri-

bus pueris dicitur, Daniel. 1. non tamen in illis est senescendum, sed ad superiores scientias, scilicet sacras ascendendum, sicut postea fecit Moyses.

Cum autem impleteretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, ut visitaret fratres suos filios Israel. Et cum vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, & fecit ultionem ei qui iniuriam sustinebat, percussio Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt.

Nec minus beatus Stephanus Iudæos perstringit, qui figuram non capiebant. Quemadmodum enim Moyses populum suum visitauit tanquam præfectus eorum, ut eos ab inimicis liberaret, & iniuriam propulset, ita CHRISTVS eos visitauit, oriens ex alto, ut faceret redemptionem plebis suæ. At sicut Moyses Iudæi in Aegypto non intellexerunt à Deo missum illis, per cuius manum consequerentur salutem, sic neque Iudæi existimabant CHRISTVM tanquam saluatorem ad eos missum, per cuius manum Deus illis salutem daret.

Sequenti verò die apparuit illis litigantibus, & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? Fugit autem Moyses in verbo isto, & factus est aduena in terra Madian, ubi genuit filios duos.

Nec minus eostaxat, qui saluatorem suum semper accusauerunt, & principem aut regem negauerunt, dicens: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Ideo etiam fugit CHRISTVS ab eis ad gentes, ex quibus uxorem accepit ecclesiam, ex qua filios in duplo plures, quam in synagoga, genuerit. Quod autem dicit reconciliabat eos in pace: Græcè est, *καταστανθεις εις ειρήνην*, id est, compulit eos ad pacem.

† Exod. 3. a Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns, admiratus est visum. Et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. † Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. Dixit autem illi Deus: Solue calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi qui est in Aegypto, & gemitum eorum audiui, & descendi liberare eos, † Et nunc veni, & mitam te in Aegyptum.

Moyses cum transegisset annos quadraginta in domo Pharaonis, alios quadraginta profugus in deserto vitam egit pastorem, & alios quadraginta populo Hebræorum præfedit. Cum ergo oues Iethro foci sui sacerdotis Madian cogeret in deserto, tunc illi angelus Dei apparet. Angelum, Dei filium appellat, inquit Chrysostomus, & qui magni consilij angelus. Idem sentit August. de trinitate, lib. 2. cap. 13. & plerique doctores. Lyranus tamen credere videtur fuisse angelum: sed quia Dei personam representabat, & in eius persona loquebatur, ideo aliquando Deus, aliquando angelus nominabatur. Apparuit autem in igne flammæ

rubi,

rubi, Græcè, *εν φλωγι πυρός*, id est, in flamma ignis, vel ignea: sed in rubo arbusculo, non in arbore, ut inquit Isidorus, ne fortè exculperent in eo Iudæi idolum: à quibus semper Deus idolatriæ occasionem abstulit. Cum Moyses admiratus propius accederet, facta est ad eum vox Domini. Non pater, inquit Ambro. de fide, lib. 1. ca. 5. in rubo, non pater in eremo, sed filius Moyfi locutus est. Denique de ipso Stephanus dixit: Hic est qui fuit in ecclesia in eremo. Hic est ergo qui legem dedit, ipse qui locutus est Moyfi, dicens: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: hic est Deus patriarcharum, hic est Deus prophetarum. hæc ille. Et propterea iussit illum soluere calceamenta pedum suorum, quod terra esset sancta, tum propter Dei præsentiam, tum propter diuinam legem illic annunciandam. At ut Dominus populi afflictionem prævidet in Aegypto, & clamoribus eius attendit, ita Deus populi angustias videns, misit illi consolatorem eundem, ut eunt à tot afflictionibus liberet. De monte Sina dicit Hiero. in De locis Hebraicis, quod est mons supra Arabiam in deserto, iuxta He- *Sina.* reb montem Dei, in regione Madian, cui iungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Sunt plerique qui nomen Sina à *Σιν* quod rubum significat, quod & Græcè *πύρος*, Gallicè *ronce*, forsitan propter rubi ardentis, non comburentis miraculū, quem Moyses tunc opilio admiratur. In eo lex quinquagesimo die post exitum Israel de Aegypto data est Moyfi. Ad huius radices populus mensibus decem, diebus viginti commoratus est, quo tempore in vitulo conflati absente Moyse fornicati sunt. In illo monte bis 40. dies ieiunauit Moyses. Iuxta illum fabrefactum est tabernaculum Domini cum omnibus apendicibus suis. *Ibidem Elias 40. dierum consummauit ieiunium.

*3. Re. 19. b

Hunc Moysen, quem negauerunt, dicens: Quis te constituit principem, & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo. † Hic eduxit illos, faciens prodigia & signa in terra Aegypti, & in Rubro mari, & in deserto annis quadraginta. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: † Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis.

† Exo. 7. 8.

9. 10. 11.

14. &

16. a

† Exo. 19. a

Deut. 18. d

Rursum Iudæos accusat, tanquam rebelles, & patribus admodum similes. Quia veluti contra Moysen à Deo ad eos principem & liberatorem missum, qui eos de Aegyptiaca seruitute eriperet, rebelles semper restiterunt: ita aduersus CHRISTVM missum à Deo, qui eos à diaboli seruitute eriperet, non solum eos, sed & totum mundum, rebelles semper fuerunt, & eum tandem occiderunt: quantumuis propheta ille esset, quem Moyses illis promiserat, dicens: Prophetam vobis suscitabit Deus, &c. scilicet noui testamenti legislatorē, quem admodum Moyses veteris. Non quod CHRISTVS, inquit Lyranus, propheta fuerit, quo ad euangelicam cognitionem, cuius anima ab instanti conceptionis diuinæ visionis claritatem habuerit, sed quia longè distantia à cognitione reuelabat.

Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare vobis. † Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis in Aegyptum, dicens ad Aaron: † Fac nobis deos, qui præcedant nos. Moyse enim huic, qui eduxit nos de terra Aegypti, nescimus quid factum sit ei. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

† Exo. 32. a

† Ibidem.

Qui fuit in ecclesia. Græcè ecclesia significat concionem & congregationem. Sensus ergo est: Hic est qui in congregatione Israelitica, hoc est, de congregatione illa existens loquebatur in solitudine cum angelo, vel cum filio Dei, ut supra narratū est. Sunt qui explacent sic, *κενόματος εν τῷ ἐκκλησίᾳ*, præfectū cōgregationis Hebraicæ, quasi tūc primū verè præfe-

R r

Etus sit in monte Sina, quando ei data est lex Israelitis promulganda. De angelo autem, cum quo loquebatur Moyses in monte Sina, idem dici potest, quod paulo ante dictum est de angelo in medio rubi ardentis: à quo quidem accepit verba vitæ, decem inquam præcepta, ceremonias, & iudicialia, quæ daturus erat illis. Verùm quomodo inquit, fingitis eius legem tueri, quæ patres nostri semper exacerbauerunt, & totiens irritauerunt, corda in Aegyptum habentes. Cùm verò pro illis legem super mōtem Sina à Deo reciperet, corda sua Aaroni manifestauerunt, quæ ad idola potius prona erāt, quàm ad Deum. Fac, inquit Aarōni, nobis deos: quos dixerunt se ab Aegypto eduxisse, cùm tamen nondum ficti aut excogitati essent, hos tamen adorauerunt tanquam verum Deum, hostias illis offerentes, ita quod primas hostias, quas pro liberatione sua ab Aegyptiaca seruitute idolis obtulerunt, & diis quos ignorabant, & non Deo, qui eos redemerat de manu inimici.

Conuertit autem Deus, & tradidit eos seruire militia cœli, sicut scriptum est in libro prophetarum: † Nunquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus vestri Rempham, figuras quas fecistis adorare eas.

Militia cœli in scripturis sanctis, maximè in veteri testamento sumitur pro astris ipsius cœli, vt Deute. 17. * Vt vadant, & seruiant diis alienis, & adorent eos, solem & lunā, & omnē militiam cœli. Sic 4. Reg. 17. arguuntur Israelitæ, quod adorauerint vniuersam militiā cœli. Et cap. 21. arguitur Manasses adorasse omnem militiam cœli in excelso, & super reges terre, qui sunt super terram. Tamen Isaïa 24. militia cœli sumi videtur pro exercitibus angelorū, cùm finem iudicij explicans ait: Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiā cœli: quāquam etiam de astris intelligi possit. At certè Lucæ 2. multitudo militiæ cœlestis nō nisi pro angelorum cohorte & exercitu sumi potest. At quāuis Iudæi in deserto 40. annis Deo victimas viderēt offerre, hoc tamen compulsi faciebant: mente tamen auersi à Deo idolis seruibāt. Si autem, inquit Rabanus, postea leguntur Deo obtulisse, non bona voluntate, sed timore pro interfectione eorum, qui pro idolis corruerunt, factum est. Vbicunque enim occasio fuit, semper corde in Aegyptum sunt reuersi. de quibus Psal. * Quadraginta annis offensus fui generationi huic, & dixi semper: hi errant corde, & isti non cognouerunt vias meas, &c. Deus enim non quæ offeruntur, sed voluntatem offerentium præcipuè accipit. Hoc autem maximè probat per librum prophetarum, & primò Amos 5. in fine: secundò Sophoniæ primo, vbi dicit Dominus: * Et disperdam è loco hoc reliquias Baal, & nomina edituorum cum sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cœli. Quod autem propheta Sophonias ait de eo, non malè dicit in libro 12. prophetarum. Fortè etiam non malè punctum facies post militiæ cœli, & , sicut scriptum est, iungetur cum loco sequenti: nunquid victimas. Quod vero dicit: Et suscepistis tabernaculum Moloch: locus hic paulo secus habetur Amos 5. * Et portastis tabernacula Moloch vestro, cui & imaginem idolorum, sydus Dei vestri, quæ fecistis vobis. Septuaginta secus habent: Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis vobis. Quem locum (nam vero simile est Hebraicè locutum fuisse Iudæis Stephanum) Lucas, vt ferè solet, vertens, 70. interpretum textum vsurpauit. Erat autem Moloch idolum Ammonitarum, quod in idololatriam lapsus Salomon adorauit, 3. Reg. 11. Rempham autem, siue Rapham, quo vsi sunt 70. Beda dicit esse Veneris planetam, qui & Lucifer, & Hesperus dicitur.

Et transferam vos trans Babylonem. Tabernaculum testimonij fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, vt faceret illud secundum formam quam viderat. † Quod & induxerunt suscipientes patres nostri cum Iesu in possessionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, † usque in diebus David, qui inuenit gratiam

† Exo. 25. d
Hebr. 8. d
† Ios. 3. c. d
† I. Reg. 16. c
Psal. 131. a
I. Para. 16. c

ante

*ante Deum, & petiit vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. † Salomon † 3. Reg. 6. a
autem edificauit illi domum. Infra 17. f*

Hebræi, & similiter Græci 70. interp. habent trans Damascum, quod etsi Stephanus non ignoraret, quod Damascus in propinquo erat Iudæis, per Epitafim dixit Stephanus vltra Babylonem. Quod postea factum est, abductis ad remotissima Mesopotamiæ Hebræis. Quod autem accusassent eum supra 6. quia minaretur templi sancti ruinam, templum sanctum laudare incipit, quod Moyses exemplari sibi à Deo in monte deliniato construxerit tabernaculum, post quod Salomon 480. annis templum construxit. Nec tamen putandum Deum in templo circumscribi, aut habitare, nisi per opera misericordiæ, & suæ potentiae ostensionem. CHRISTVS verò, quoad assumptam naturam, in templis specialiter continetur, & verius quàm alia loca, templa habitat.

*Sed non excelsus in manu factis habitat, sicut per prophetam dicit: † Cœlum † 1. a. 66. a
mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum edificabitis mihi, dicit Dominus? aut quis locus requietionis meæ est? Nōne manus mea fecit hæc omnia?*

Vide igitur hoc loco, quomodo Deus in templo habitare dicatur, & quomodo non habitare. Non enim intelligit non coli Deum præcipuè in templis, sed vult tollere Iudæorum opinionem, qui arbitrabantur sic in templo Ierosolymis habitare, vt alibi rogatus adiuuandi impos esset. Vel dicit propter carnales Iudæos, qui putabant eum circumscriptiuè, & locali contentia in templo habitare. Habitat autem per effectum & operationem: requiescit in seipso, vbi antequam mundum creasset, requiescebat. Vnde probat per Isa. cap. 66. Cœlum mihi sedes est. i. Ego sum vbique, tam in cœlo, quàm in terra, per præsentiam & potetiam, nullo circumscriptus loco, * qui cœlum & terram impleo, metior pugillo aquas, & cœlos * 1. a. 40. c palmo pondero. Quam ergo mihi domum edificabitis ad habitandum? quasi dicat, nullam, nisi vt in illa inuocetur specialius nomen meum, fundantur mihi preces, oblationes & sacrificia offerantur.

Dura ceruice, & incircumcisi cordibus & auribus. Vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, & vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuunciabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores & homicide fuistis: qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.

Quod autè accusabāt eum tāquam blasphemū legem violasse, in eos retorquet blasphemiam, tum quod semper obstinati fuerint aduersus legē, & legis prædicatores, scilicet prophetas, & quosuis pios & iustos viros. Nec nouū illis nomen inculcat, vocādo eos dura ceruice, quo nomine Deus prius vocauerat Exo. 32. 33. Incircūcisos autè corde & auribus eos vocat, qui infidelitatis pellicula obductū cor & aures haberēt, vt nec intelligere, nec audire possent aut vellēt, iuxta Isa. prophetiam: * Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & cōuertatur, & sanē eū. Et cū his obstinationibus semper spiritui sancto restiterunt. Super quod ait Marc. 14. b Chryso. Quādo spiritus sanctus nolebat esse sacrificia, vos sacrificabatis: quādo volebat, iterū Luc. 8. a nō sacrificabatis: quādo noluit dare vobis præcepta, regrebatis: quādo accepistis, neglexistis: Rom. 11. b iterū quādo stabat tēplum, idolis seruebatis: quando vult absq; tēplo hoc sibi seruire, iterum Ioan. 12. f cōtrarium facitis. Quia potuerūt respōdere, quid nobis patrum peccata improperas? si talia Act. 28. f patres nostri egerūt, quid ad nos? Beatus Stephanus subdit: Sicut patres vestri, & vos. Quem admodum enim prophetas aduentum iusti annunciantes patres vestri persecuti sunt, & vos

R r ij

ipsum iustum vsque ad mortē persecuti estis, ita legi & legislatori Moyſi, & angelis legem diſponentibus, prophetis eam prædicantibus, ſpiritu ſancto, & CHRISTO eam adimplenti ſemper reſiſtiſtis. Cùm dicit: qui accepisti legem in diſpoſitione angelorum: Oecumenius ſic interpretatur: Cùm legem accepissent ordinationes habentem, quæ facerent eos qui ipſam opere complebant, angelis ſimilem ſeruare politiam. Quidam verò hoc aiunt, quòd per angelos ſtatuta eſſet, & Moyſi tradita per angelum, qui ipſi in rubo apparuit. Siue eum angelum fuiſſe dicamus, aut plures angelos, qui acceptam de manu Dei verbi legem ſeruandam ordinauerint cum Moyſe. Sic enim Paulus ad Galat. 3. Lex ordinata eſt per angelos in manu mediatoris.

† ſuprà 6. d. † *Audientes autem hæc, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum. Cùm autem eſſet plenus ſpiritu ſancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.*

Quoniam videbant ſe contumeliã pati, & tamen iniuriam occidendi illum inſufficiẽtem cauſam attedebant, ideo veriſimilem ſaltem cauſam inquirebant, & ita diſſecabatur interius præ anguſtia, & exterius tanquam rabidi canes dentibus ſtridebant, metuentes ne celebrior redderetur, ſi propter illatam ipſis iniuriam illum interficerent. Mortem CHRISTI illis prius impropèrauerat, nunc reſurrectionem eius: quippe quem videt in dextera Dei ſtantem, & quaſi manum laboranti porrigẽtem, videt illum ſtare. Quia de reſurrectione quaſtio erat, & quia dixit, video cælos apertos militi propter fidem & CHRISTI reſurrectionem certanti, habuerunt quod optabant, quia videlicet blaſphemiam reputabant dicere, IESVM à dextris Dei ſedere, quem vt hominẽ perſecuti ſunt, & pro tali occiderunt.

Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Et euicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. † Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum.

† 50. diſtin.
ſi poſt. &
78. Pref.
byter.

Exiſtimantes autem hæc verba Stephani eſſe blaſphemia, obturauerunt aures ſuas, zelum Dei ſimulantes, cuiusque iniuriam pati nolentes, vel tam ſanctam veritatem intelligere nõ potentes, vnanimis in malum, nõ in bonum concordēs. Sed præcipuè falſi teſtes pecunia conducti, qui vt leuius lapidarent eum, eiecerunt extra ciuitatem, ne viderentur contaminare locum, qui nec indignum ducebant occidere innocentem: qui quidem teſtes conducti veſtes ſuas ad pedes Sauli ſeruandas depoſuerunt. Quòd autem Domino ſuum commendauerit ſpiritum, innuit animas pro CHRISTI fide morientium ab ipſo ſuſcipi.


Poſitis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit in Domino. Saulus autem erat conſentiens neçi eius.

Viſum eſt hoc addere, quod de hac Stephani oratione dicit Emiſenus Græcus antiquus author, ad finem homilię de S. Stephano. Dum pro Iudæis ſupplicat, ſpem noſtram ad fiduciam nutrit. Nam dum pro perſecutoribus deprecatur, manifeſta cultoribus ſuffragia pollicetur. Et ne de viuorum ſuffragiis intelligi putes, audi quid initio homilię dicit. Inter hæc inquit, itaque requiramus, quid neceſſitatis, quidue rationis ſit, cùm ſancti martyres in illo paradifi lumine conſtituti humanis laudibus non indigent, aut tantis omnium ſtudiis celebrentur, cur tantopere mundo huic eorum reliquiæ Deo reuelante prodantur. Deinde reſpondet. Primùm ad hoc à ſollicitis fidelibus excoluntur, vt ſedulis cultoribus ſuffragentur.

fragentur. Quòd cùm reliquarum mentionem fecerit, indubiè de mortuorum ſuffragiis ſanctorum intelligi debet. Itaque beatus Stephanus in medio furore lapidantium teſtium non eſt oblitus etiam pro ſuis perſecutoribus exorare Dominum, ipſum imitatus, qui dum crucifigeretur, ait: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Vtrum verò Stephani orationis virtute quibuſdam dimiſſum fuerit peccatum? Certè his qui propter Stephani perſecutionem reſipuerunt, dimiſſum eſt illis peccatum, ita quòd nec immeritò addidit Saulus in neceſſe eius conſentientem: propter cuius orationem dicit Auguſt. in Ser. 1. de S. Stephano Paulum conuerſum. Nam ſi Stephanus inquit, ſic nõ oraffet, eccleſia Paulum non haberet. Sed ideo erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.

CAPVT OCTAVVM.

Lapdato Stephano grauis ſecuta eſt perſecutio in diſcipulos CHRISTI, imprimi à Saulo: vnde diſperſi ſunt diſcipuli, præter Apoſtolos, per vniuerſam Iudæam & ſamariam. Philippus autem diaconus ſamaria multos conuertit, & baptizauit, cum Simone mago, ad quos confirmandos miſi ſunt ab Ieroſolymis Petrus & Ioannes. Philippus autem ab angelo iuſſus eſt adire Eunuchum Candacis reginae, & eum baptizare.



Acta eſt autem in illa die perſecutio magna in eccleſia quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & ſamariae, præter Apoſtolos. Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. † Saulus autem deuaſtabat eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam. Igitur qui diſperſi erant, pertransibant euangelizantes verbum Dei.

Hæc itaque perſecutio præter Iudæorum intentionem cedit in melius, dum diſperſi per varias regiones diſcipuli ampliorem feminandi verbi naſti ſunt opportunitatem, & multo plures cum perſecutione acquiſerunt CHRISTO diſcipulos, quàm ſine perſecutione. Interea quidam viri religioſi inſtaurant Stephano funus, eumque cum honore ſepelierunt. Quòd autem dicit, curauerunt, Græcè eſt *συνεκόμισαν*, quod ita vertit Eraſmus, quemadmodum interpres. Aptius autem verti poterat, extulerunt: eſt enim *συνκομιζω*, quemadmodum & ſimplex *κομιζω*, idem quod efferò mortuum, ac ſepelio. Paulus autem à Stephani cæde factus audacior, facultatem impetrauit ingrediendi domos, & trahendi quoscuque inueniret viros ac mulieres CHRISTVM conſitentēs, etiam cum violentia ad principes. Vnde plures coegit domos ſuas relinquere, & vndique diſpergi, ad verbum Dei promulgandum: quod tamen intendebat proſuſ ſilentio tegi.

Philippus autem descendens in ciuitatem ſamariae, prædicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes ſigna quæ faciebat.

Hic Philippus nõ eſt vnus è numero duodecim Apoſtolorum, ſed vnus è ſeptẽ diaconis, qui cum Stephano electus eſt, ſicut ibidẽ diximus. Quòd ſi Polycrates & Clemens ad Eufebium Apoſtolũ eũ nominant, latius extẽdunt nomẽ Apoſtoli, quàm ad numerũ duodenariũ. Nã & Paulus, & Barnabas Apoſtoli dicuntur, quemadmodum & Philippus poſtea Apoſtolatus munere donatus eſt. Hic autem deſcẽdens in ſamariã, conuertit eam, quanuis non eſſent ex Iudæis, ſed ab Aſſyriis miſſi in locũ decem tribuum captiuarum per ſamariam, fecerunt ſibi ido-

la secundum morem patriæ, à qua missi erant. Ipsi igitur Samaritæ idololatræ erant, tenentes tamen Moyfi Pentateuchum simul cum idolis, & expectantes Messiam, vt patet Ioan. 4. Ipsi autem ad Philippi prædicationem facillè crediderunt, videntes quia dæmones in nomine I E S V eiiciebat, paralyticos & claudos curabat, & plurima alia signa faciebat.

Multi enim qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna, exhibant. Multi autem paralytici & claudi curati sunt. Factum est ergo gaudium in illa ciuitate.

Secus habent Græca: neque enim qui habebant spiritus, exhibant clamantes. Sic Græcè est: πολλῶν γὰρ τῶν ἔχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα, βοῶντα ἔβηρον. Quæ verba Erasmus credit non posse ad verbum reddi, quia τὰ πνεύματα ἀκάθαρτα accusatiui casus esse credidit. Quod si verum esset, commoda non esset lectio Græca. Est enim πνεύματα nominatiui casus, reddens suppositum verbo ἔβηρον, reponendâque est virgula quæ est post ἀκάθαρτα, post ἔχόντων, & tunc Græcorum sensus est: A multis enim obsessis exhibant spiritus immundi, clamantes voce magna.

Vir autem quidam nomine Simon, qui antè fuerat in ciuitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum, cui auscultabant omnes, à minimis vsque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos. Cùm verò credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei in nomine Iesu Christi, baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit, & cùm baptizatus esset, adharebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Hunc Simonem suis coloribus depingit Clemens papa lib. 2. Recognitionum. Simon hic inquit, patre Antonio, matre Rachel natus est, genere Samaræus, ex vico Gittorum, arte magus, Græcis tamen literis liberalibus adprimè eruditus, gloriæ ac iactantiæ supra omne genus hominum cupidus, ita vt excelsam virtutem, quæ supra creatorem Deum sit, credi se velit, & C H R I S T V M putari, atque stantem nominari. Hac autem appellatione vtitur, quasi qui neget posse se aliquando dissolui, adferens carnem suam ita diuinitatis suæ virtute compactam, vt possit in æternum durare. Hinc ergo stans appellatur, tanquam qui non possit vlla corruptione decidere. Et multa alia se iactat facturum, quæ ibi videas. De quo etiam plurima narrat Epiphanius hæresi 21. contra Simonianos. De quo etiam Hierony. dicit: Simon hic in tantam prorupit superbiam, vt diceret: Ego sum sermo Dei, ego virtus Dei, ego omnipotens, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnia Dei. Hæc ille super Matth. 24. Multi enim venient in nomine meo, dicentes. Quod autem dicit: Propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos: Græcè est, διὰ τὸ ἰκανῶ χρόνῳ ταῖς μαγείαις ἐξίστασθαι αὐτοῖς, id est, eo quod magis suis in furorem & insaniam egisset eos, aut de statu mentis eiecisset: quod quidem interpres rectè intellexit verbo dementandi, quanquam in hoc sensu minus Latino vsus. Puto interpretem vertisse magis, sed facilis fuit interpositio literæ c. & ita inoleuisse vsus magicis. Hic autem Simon quantumuis credidisse dicatur Philippo, & illi adhæsisse, plerique dicunt hoc fictè fecisse, vt hæc signa quæ faciebat Philippus, suis magis addere posset, & ex his facere quæstum. De quo hic Beda ait: Quod magis credibile est, credere se, quousque baptisma susciperet, simulauit, vt quoniam laudis erat audiffimus, ita vt C H R I S T V M se credi voluerit, artes quibus miracula faceret, ab eo disceret: quoniam admirabatur, qualiter Philippus tam admiranda signa facere posset.

Cum

† Cùm audissent Apostoli qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptisati tantum erant in nomine Domini Iesu. † Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.

† De sacro
unctio. cap.
s. Per fontis
† De conse-
cra. di. 5. ca.
Manus.

Ex his constat hunc Philippum non fuisse vnum ex 12. Apostolis, quippe qui manus impositione non dabat spiritum sanctum. Creditur autem misisse Ierosolymam ad Apostolos, vt mitterent quendam ex societate, qui manus credentibus & baptizatis imponeret. Tunc miserunt Petrum & Ioannem: quoniam Apostolorum, & ex consequenti episcoporum est manus imponere: nec Philippus huiusmodi donum habebat. Aduenientes igitur Apostoli, Petrus & Ioannes orantes manus imposuerunt baptizatis, & visibili signo acceperunt spiritum sanctum: nondum in quenquam illorum venerat, non quod spiritum sanctum remissionis peccatorum non accepissent baptizati in nomine Iesu, sed quia visibilia spiritus sancti dona, cuiusmodi sunt dona variis linguis loquendi, miracula edendi, &c. non acceperant.

Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposero manus, accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: † Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

† 1. q. 4. cap.
Ecclesiæ.

Cùm ergo Simon à Philippo baptizatus videt se non accepisse dona spiritus sancti, volens esse Philippo superior, petit ab Apostolis hanc potestatem sibi pro pecunia dari, quam nec Philippus habebat. Qui à Petro tanquam indignus reiectus est. Quare illum morte non puniuit, sicut Ananiam, dicendum, quod ipse confessus est culpam, non Ananias, ideo meruit dilationem: sufficiebat enim pœnitentia ad Petri correptionem: & quia nemo ad fidem cogi debet, sed volens suscipiendus est.

Non est enim tibi pars, neque fors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.

Aut nomine sermonis, quemadmodum & verbi, vsus est more Hebræo Lucas pro re quacunque, quemadmodum Hebræi τὸ דָּבָר dabar vtuntur, quod Euangelistæ nunc λόγος, nunc εἶμα vertunt Græcis suis, pro vocabulis res aut factum abutentes. Ita τὸ λόγος hoc loco, quo Lucas nunc vtitur, vertere possumus, in hac re, vel in hoc facto non est tibi pars. Aut si volumus λόγος vertere per rationem aut causam, sensus erit: in hac ratione & causa non est tibi pars. quasi diceret: non es dignus particeps fieri huius potestatis dandi spiritum sanctum, quia non habes cor rectum, sed cupidum, cùm simplicem & ab auaritia alienum oporteat esse, qui huius muneris particeps esse cupit. Amaritudo enim dulcedini contraria est: dulces autem ac mites spiritus sanctus visitat: vnde in specie columbæ apparere multotiens visus, quæ amaritudine & felle caret. Quocunque autem cor se conuerterit in terrenis rebus, amaritudinem inuenit: vnde dulcescat, non habet, nisi leuet se ad Deum, * Quoniam non habet amaritudinem conuersatio illius, Sap. 8. Hic Simon in Psal. 85. pœnitentiam stimulat: sed qualem plagam inuexit in ecclesiam, quem plerique sub simula-

Rr iij

tione imitantur, innumeris pactis dona Dei alienantes, sub obligatione iniquitatis post Simonem corruentes ad ima.

Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quae dixistis. Et illi quidem testificati & locuti verbum Dei, redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.

In hoc loco omnes Graeci & Latini fictam Simonis poenitentiam interpretantur, ad vitam poenam, quam metuebat ab Apostolis, forsan Ananiae & Sapphirae exemplo instructus. Ideo precatur Apostolos, ut Deum pro illo precentur, ne hoc peccatum Simoniae imputetur sibi ad poenam temporalem, & aeternam: quam non vsq; adeo timent huius tempestatis Simoniaci. His auditis redeunt Apostoli Ierosolymam, in multis locis euangelizantes.

Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quae descendit ab Ierusalem in Gazam, haec est deserta. Et surgens abiit.

Angelus Domini nec Eunuchus apparuit, nec eum ad Philippum adduxit, qui nec apparitionibus esset assuetus, in quibus audiendis attonitus fuisset, nec forsan venisset, quia non credidisset. Nec omnino illi eundem erat ad meridiem, sed inter occidentem & meridiem, si recta est tabula Palaestinae: à Samaria ad Gazam desertam iter est. Gaza autem duplex fuit. Primam vetustissimam fuisse sacra testatur historia. Quamquam suspicetur Hieronymus, sit ne illa, quam ad tribum Iudae pertinuisse ferunt, an alio in loco sita sit, quam temporum iniuria extinxerit, alio mox in loco eius nomine Gaza enata, quae etiam hodie extet. Pomponius lib. Geographiae primo à Cambyse Persarum rege vocatam autumat: quoniam bello contra Aegyptum suscepto, illò regias opes contulisset. Fuit ex Philistaeorum quinque orbibus ordine secunda, cuius fores Sampson media nocte in montis verticem transtulit. Cùmq; adeo munita esset & diues, ut multos hostium incurfus nullo discrimine ferret, donec Alexander Macedo iuxta prophetarum verba post bimestrem obsidionem occupans, in sempiternum vertit tumulum, ob id desertam vocari hinc à Luca putandum est. Nouam postea aedificauerunt, quam in honorem Constantini Constantiam vocarunt: post quem veniens Iulianus, rursus Gazam, sed maritimam vocari voluit. Floruit haec Hieronymi aetate adeo ampliata, ut duplo maior ambitu Ierusalem diceretur, distatque à prioribus quinque circiter miliaribus. Hanc hodie Gazeram nuncupant.

Et ecce vir Aethiops, Eunuchus, potens Candacis reginae Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Ierusalem, & reuertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam prophetam. Dixit autem spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam prophetam, & dixit: Putas ne intelligis quae legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?

Candaces non est nomen proprium reginae vnus: sic enim appellabantur reginae Aethiopum, quemadmodum Aegyptiorum reges, Pharaones. Teste Plinio, qui lib. 6. cap. 29. regnare inquit, retulerunt foeminam Candacem: quod multis iam annis nomen ad reginas transit. Vnde Aethiopes omnem regis matrem Candacem appellant: siquidem Aethiopes regum patrem non referunt, sed illos tanquam veros solis filios tradunt: vnus cuiusque autem matrem Candacem appellant. Vna igitur illi Aethiopiae regina erat nomine Candacis, cuius

cuius Eunuchus praerat coelani thesaurorum regionum, ut testatur Lucas: qui & religiosus, quippe qui scripturarum studiosus esset, & adoraturus Ierusalem venisset. Huius igitur miseratus Dominus, doctorem misit ad eum, qui & credenda, & agenda doceret: sicut infra de Cornelio, quia vterq; quod suum erat curabat, & ad veram se religionem disponebat.

Rogauitque Philippum ut ascenderet, & sederet secum. Locus autem scripturae, quam legebat, erat hic: Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius.

Non ex industria, sed spiritus sancti prouidentia in hunc locum incidit Eunuchus, ex quo facile ad fidem informaretur. Hic enim locus finem peregrinationis CHRISTI complectitur, passionem inquam, & resurrectionem. Vnde ait: Tanquam ovis ad occisionem ductus est. De quo Hiero. in eundem Isaiam locum: Hoc testimonium, cum in Actibus Apostolorum reginae Candacis Eunuchus rheda veheretur, & legens non intelligeret, interpretante Philippo super passione & nomine saluatoris, intellexit, & statim baptizatus in agni sanguine, quem legebat, vir meruit appellari, & Apostolus genti Aethiopum missus est. Tanquam igitur ovis, quae ducitur ad victimam, non murmur resonat, non repugnat ducenti, sic ille passus est voluntate, ut destrueret eum qui mortis habebat imperium: & sicut agnus coram tondente non clamat, ita cum sponte pateretur, tacebat. In omnibus angustiis & tormentis humilis, non rebellis de iudicio Pilati, & de sepulchro per resurrectionem sublatum est, & illatum mortis iudicium per Pilatum, per resurrectionem euasit. Vnde maxime admiratur Isaias, dicens: Generationem eius quis enarrabit? De qua August. de symbolo ad Catechumenos lib. 1. ca. 3. Natus de patre sine tempore, natus ex virgine est in plenitudine temporis: istam natiuitatem antecesserant tempora, opportunitate temporis, quando voluit, quando sciebat, tunc natus est. Non enim nolens natus est. Nemo nostrum quia vult nascitur, & nemo nostrum quando vult moritur. Ille quando voluit natus est, quando voluit mortuus est: quando voluit natus est de virgine, quando voluit mortuus est in cruce. Haec ille. Vtraque igitur generatio est inenarrabilis. Prima enim, quia de patre sine matre ante secula cuncta genitus: secunda, quia de matre sine patre in seculo natus. Sed & sublata est per passionem vita eius, & inde per ascensionem sublimior caelis factus, & super omnia quae in terra sunt eleuatus est, iuxta illud Psalmista: Quoniam eleuata est magnificentia tua super caelos.

Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc, de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista, euangelizauit illi Iesum. Et dum irent per viam, uenerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus.

Sollicitus itaque Eunuchus, de quo prophetarum haec tam mira narrantur, rogat Philippum haec edoceri, quem ex habitu & gestu credidit percelebrem & doctum virum esse. Hunc igitur esse Iesum, & hanc in eo esse completam scripturam, Philippus Eunuchus praedicat. Cui etiam obediens, statimque baptizatus, missus est ad regiones Aethiopiae, praedicaturus hoc quod ipse audierat, & crediderat. Deum quidem vnum per prophetas praedictum, huius autem filium iam secundum humanitatem aduenisse, & ut ouem ad victimam ductum esse, & quaecumq; de ipso dixerunt prophetae, egisse, ut impleatur propheta: Aethiopia praeueniat manus eius Deo. Hic autem Eunuchus fertur suscepisse Matthaeum in ciuitate Regali Nadaber, huc missum ad CHRISTI verbum euangelizandum.

Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dicit autem Philippus: Si credis ex

toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.

Adultos oportet per seipsum fidem, infantes per leuantes confiteri: ideo Eunuchus petens baptismum, interrogatur à Philippo, si credat ex toto corde, & non fictè, sicut Simon magus. Ideo non erubuit coram familia nudari, qui peccata sua coram Deo non erubescere proparari: & descendens in aquam baptizatus est.

Cum autem ascēdisset de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus: ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

Dominus autem ab eo abstulit Philippum, quia contentus esset, eo quod à Philippo didicerat: ne quid amplius ab eo peteret, ideo lætus discedebat. Philippum autem spiritus Domini, vel angelus in spiritu Domini statuit in Azoto, 40. circiter miliar. à Gaza distante, & totidem ab Ierusalem. Sita enim est in tribu Dan, vna ex præcipuis vrbibus Philistinorum, Philippi prædicatione insignis, in qua longo tempore post ingressum filiorum in terram sanctam remanserunt Enachim gigantes. Philippus inde post multam prædicationem profectus est Cæsaream Palæstinæ, vbi domum habebat, quam ad tempora Hieronymi ostendebant. de qua infra cap. 10.

Azotum.

CAPVT NONVM.

Paulus Christianos ab Ierusalem in Damascum persequens, prostratus conuertitur, baptizatur, & CHRISTVM super ceteros annunciat, per murum demissus in porta Iudeorum euadit insidias, à Barnaba introductus ad Apostolos. Petrus interea Lydda Aeneam paralyticum curauit, & Ioppe Tabitham suscitauit.

† Galat. 1. c.
Infr. 22. a.
Supr. 8. a.

† Saulus autem adhuc spirās minarum & cædis in discipulos Domini, accessit principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos inuenisset huius via viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.

Saulus legem ad primè à Gamaliele edoctus, cum Stephanum lapidibus obrui cernebat, lapidantium vestes seruabat, vsque adeo in Christianorum persecutione delectabatur: ex quo cœpit illis esse infestus, vt non modò Ierolymis præsentibus cæde afficiebat, sed & foris minis oppugnabat. Nam Ierolymis domos irrumpens, viros ac mulieres CHRISTVM confitentes vi abducebat, ac carceri mancipabat. Nec his contentus, literas à principe sacerdotum ad Damascenas synagogas impetrauit, vt si quos illic huius viæ ac doctrinæ viros aut mulieres inueniret, cum Damascenorum auxilio ac fauore caperet, ac vinciret, & Ierusalem vinctos adduceret morte plectendos. Iam bona itineris parte confecta, iis furiis, eoque malo consilio agitatatus, excæcatur, & equo decedit. Vnde sequitur.

† 23. qu. 4.
Displicet.

Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco, & subito circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: † Saule,

sibi: † Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.

Equo itaq; delapsus, in terra iacens, huiusmodi vocem audiuit: Saule, Saule, quid me persequeris, & adeo ad me oppugnandum afficeris? Si mecum certare tibi liceret, multo sum te fortior, ideo non est tibi calcitrandum. Is multum attonitus rogat: Quis tu Domine? Ego inquit, sum ille IESVS, quem tu tam infesto animo pergis oppugnare. Tu autem proficere Damascum, & ibi audies quid sis deinceps facturus. Iam non est tibi certamen cum hominibus. Querit hinc Chrysostomus, quare hoc non ei contigit vel Ierolymis, vel Damasci, sed in via. Hoc factum est, ne aliis liceret aliter narrare, quod illi contigisset, sed ipse tanquam fide dignus referret, quæ vidisset, & passus fuisset. Hac autem visione excæcatus est, quoniam fortius obiectum sensum debilitat, & grauare solet. Hunc autem solum, non comites excæcavit illa lux, quod non æquali animo, obscuratq; in CHRISTVM animaduersione ceteri afficiebantur. Quo etiam terrore affectus furorè deposuit, & mitior factus, huius se feruum dicit, quem Dominum vocat, & tanquam hostem persequebatur.

Viri autem illi qui comitabantur, cum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.

Non eam quæ desuper lapsa erat vocem audierunt hi qui cum Paulo erant; sed Pauli duntaxat vocem, vt ipse infra cap. 22. dicit: Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Vult ergo comites Pauli responsum quidem eius, qua CHRISTO respondebat, audire, CHRISTI autem vocem non audire. Si enim vocem illam, inquit Oecumenius, audissent, nequaquam increduli permansissent. De hoc amplius infra cap. 22.

Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit, neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce, ego sum Domine. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum qui vocatur Rectus, & quare in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem. Ecce enim orat. Et vidit per visum virum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manus, ut visum recipiat. Respondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem, & hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes qui inuocant nomen tuum.

Cum mitteretur Ananias à Domino ad Paulum, ipse Paulus per visionem vidit illum venientem, & sibi manus imponentem, vt visum recuperaret, vt cum veniret Ananias, certior fieret Paulus, quia à CHRISTO ad illum mitteretur. Hic autem Ananias Iudæus erat, de tribu Iuda, vnus ex 70. discipulis, & diaconus, sed imminente persecutione Damascum profugus venit. Est autem Damascus vrbis præter vetustatem Pauli etiam ad vitam conuersi Christianam memoria nobilis, itinere dierum circiter duodecim ab Ierusalem distans, Syrorum sedes regalis. Procul ab vrbe ad primum lapidè locus ostenditur, vbi Paulus conster-

Damasus.

Tarsus.

natus minas spirare desit, indeq; ad domum Iudæ ductus intra vr̄bis muros, benedictione Ananiæ ex persecutore Christianæ fidei egregius propugnator repente factus est. Hic autem Paulus Tarsensis dictus, à Tarso Ciliciæ oppido, in quo natus fuerat, & tandem Ierosolymam ad literas perdiscēdas missus. Est autem Tarsus metropolis Ciliciæ ciuitas, & quam Romani incolunt etiam Imperio propter dignitatem & vetustatem liberam esse voluerunt. Hæc nobis Paulum Apostolum genuit, virum citra controuersiam sanctissimum, & quem eruditionis excellentia cæteris Apostolis præferre non dubitauit vir doctissimus Eusebius Cæsariensis, vt mirum non sit in tot locis tanta disciplina, grauitate, constantia, haud ita multis retro seculis Christianam fidem per tot celebres ecclesias Ciliciam coluisse, quæ tam fidei iam olim doctore profecerit. Ad Paulum igitur missus Ananias, non alius Apostolus, ne videretur ab eo edoctus, sed sola inspiratione diuina. Obstupescit Ananias, non audet virum adire, quem fugerat ab Ierosolymis, cum CHRISTI fideles persequeretur.

† 21. dist. ca. *Dixit autem ad eum Dominus: † Uade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus & regibus, & filiis Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Quoduis.
22. di. ca. 2.
In princ.

Securum reddit Dominus Ananiam super moderatione Pauli, qui non solum fidelis factus erat, sed doctor conspicuus, qui adeo magna libertate loquetur, vt & reges, & principes vincat, atq; tanquam verus præceptor & prædicator vniuersi orbis: ad quem nomen meum portet, pro cuius prædicatione & fidei defensione multa passurus est, quod ad id muneris exequendi elegi eum.

Et abiit Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via quâ veniebas, vt videas, & implearis spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est, & cum accepisset cibum, confortatus est.

Ad hanc igitur Domini iussione accedit Ananias ad Paulum, tanquam medicus ad ægotum, & curat eum exterius & interius, quia manuum impositione ceciderunt squamæ ab oculis, quæ lucis excellentissimæ virtute super oculos eius excreuerant, & baptizatus conualuit ab ægritudine, quam incurrerat ex itinere, ex metu, ex lapsu, ex tristitia ob cæcitate à Deo sibi repente immittam, vt maiorem intelligeret CHRISTI virtutem.

Fuit autem cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot. Et continuo ingressus in synagogas, predicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei. Stupabant autem omnes qui eum audiebant, & dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Ierusalem eos qui inuocabant nomen istud? & huc ad hoc venit, vt vincitos illos duceret ad principes sacerdotum?

Factus itaq; Paulus audacior, synagogas ingressus CHRIVM palam prædicabat: & quia nouerat legem, & ex locis præcipuis legis CHRIVM vitam, mortem, & resurrectionem nullo discrimine eliciebat, omnium Iudæorum ora obturabat. Cum enim doctor esset, & legis scripturas ad primè nouisset, non erubescerat ea destruere, in quibus clarescebat. Vnde attonitos omnes reddebat, vt dicerent: Nonne ille persequebatur Ierosolymis omnes qui inuocabant nomen istud, & ad hoc missus est, vt qui inuocarent Damasci nomen istud, perduceret multandos in Ierusalem.

Saulus autem multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant

bitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.

Iudæos quos prius ex lege sua cõfuderat Stephanus Ierosolymis, multo validius hic Paulus confundit, & ex scripturis confutat, affirmans quoniam hic est CHRIVS. Græcè est pro affirmans, *συμβιβάζων*. Est autem propriè *συμβιβάζειν* non simpliciter affirmare, sed ex collatione multorum locorum aliquid docere ac probare. Itaque loci huius sensus est: *συμβιβάζων ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστός*: id est, ex collatione sacrorum vaticiniorum docens ac probans, quoniam CHRIVS est, ille scilicet in lege promissus Messias.

Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Iudæi, vt eum interficerent. Nota autem factæ sunt Saulo insidiæ eorū. Custodiebant autē & portas die ac nocte, vt eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli eius nocte, per murum demiserunt eum, submittentes in sporta.

† 2. Cor. 11. g.
27. q. 1. can.
Aduersitas
2. Cor. 2. d.

Iudæi Paulum callidum agnoscētes, non falsos testes inquirunt, sed per seipos moluntur quod per falsos testes exequi soliti sunt, consilium ineunt, vt per se illum interficiant. Quorum insidias cognoscentes discipuli, quos iam nactus fuerat propter eius industriam, per murum demittunt in sporta, & sic eorum manus euasit. Hanc fugam narrat ipse Paulus inter discrimina sua 2. Corin. 11. Ad Gal. verò cap. 1. dicit se primò in Arabiam, antequam veniret Ierosolymam, profectum, & inde in Damascum rediisse. Vel ergo ante hanc fugam profectus est in Arabiam, & ex hac fuga Ierosolymam, vt sequitur.

Cum autem venisset in Ierusalē, tentabat se iungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu. Et erat cum illis intrans & exiens in Ierusalem, fiducialiter agens in nomine Domini.

Quid ergo de hac in Ierusalem profedione dicēdum sit, dubitat Chrysoftomus, & post eum multis rationibus Oecumenius. Sed vide Commētarios meos in epistolam ad Galatas, quia non video nunc aliter dicēdū. Profectus itaq; Ierosolymā, non statim discipulis adhærere audebat, metuens ne illū potius insidiatorē, qualē prius cognouerant, quàm discipulum crederent. Illis tamen modestè quidē de se sentiēs tandē vt discipulus adiunctus, quāuis præceptor esset, & inde à Barnaba ad Apostolos abductus, illis & quæ in itinere, & quæ Damasci cõtigerāt, ex ordinē narrauit, atq; quomodo Damasci fiducialiter cū Iudæis egerat, vt etiā illi insidiarentur ad mortē. Fiducialiter autē agens, Græcè est *παρρησιαζόμενος*, i. liberè ac cum fiducia loquens & agens: idē verbū, quo paulo antea vsus est, vertēs, fiducialiter egerit, quod tamen hic magis quadrat, si ad loquēdi prædicandiq; fiduciam referamus, quàm agēdi.

Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis. Illi autem querebant occidere eum. Quod cum cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.

Neque enim illum voluerunt videre Iudæi principes, qui eum Damascum miserāt: attamen tū loquebatur cum Gentibus & Græcis, qui scilicet Græcè loquebantur, quanuis Iudæi essent. Quos ideo vocant *ἑλληνιστάς*, id est, Iudæos Græcè loquentes, & græcizantes, & fortè in Græcia natos. Qui etiam illi mortē intēbant. Quod metuentes discipuli, ne postea illi idem, quod Stephano, fieret, deducunt illum in Cæsaream Philippi, & inde in Tarsum patriam suam. Tres autem famosæ vrbes fuerunt nomine Cæsareæ: Vna est Palæstinæ in lit-

tore maris sita, quæ olim *ἑρπύρας*, id est, turris Stratonis vocabatur, quam in honorem Octauiani Augusti præclarius extruxit Herodes maior. Hic habitauit Cornelius, de quo cap. sequenti. Altera est Cæsarea Philippi nomine, quam Philippus Herodis maioris filius in honorem Tyberij Cæsaris instaurauit, & Cæsareâ nominauit, quæ & Paneas prius dicebatur, à Dauitis ædificata, quæ antea Laïs dicebatur, vt patet Iudicij 18. ca. de qua nunc ad propositum, vrbs est Phœnicia, ad radices Libani sita, vbi sinit fontes Iordanis. Tertia est Cæsarea Cappadocia metropolis, vrbium dignarum memoratu maximè clara. Hæc prius, vt supra ca. 2. Mazaca dicebatur, postea à Claudio Tyberio Imperatore Cæsarea dicta. Iulianus autè, eo quod Christiana esset, vrbis odio, & tali nomine indigna, vt putabat, Cæsareæ vocem obliterare, & reducere veteris vsus cõtendebat. De Tarso supra eodem ca. diximus, patria quidem Pauli, verùm an illic natus fuerit Paulus, an Gischalis, & inde eo translatus, vt dicere videtur Hiero. ignoratur: quanquam nullam Gischalis mentionem Paulus vsquam faciat. Gischalis enim Galilææ oppido relicto Tarsum migrasse Pauli parentes Hieronymus innuit, an verò ante Pauli natiuitatem, vel post, non dicit. Paulus enim Act. 22. Ego sum inquit, vir Iudæus, natus Tarso Cilicia, nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis eruditus. Vnde cum libera esset Tarsus ciuitas, ac Romano iure gaudens, infra 22. rogante Paulum Tribuno: Dic mihi si tu Romanus es? respõdit: Etiam. Et dicente tribuno: Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum, id est, in libera ciuitate, quæ priuilegiis gaudet Romanis, Romanus natus sum. Vnde vero similis est dicere Gischalis oriundum, Tarsi verò ortum & natum.

Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & edificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti spiritus replebatur.

Persecutionis quidem tẽpore, dum bellũ vrgebat Ierosolymis, Apostoli versabatur, ibiq; prædicabant, & ecclesiam illustrabant: reddita verò pace ecclesiæ in vniuersa Iudæa & Galilæa egrediebantur Apostoli, & alii prædicabant. Hæc tota sententia apud Græcos pluralis est, quod persecutio post mortem Stephani dispersit ecclesiam Ierosolymitanam in varias ecclesias: quibus cum pax reddita fuit, Petrus urbem exiens, ecclesias per vniuersam Iudæam, Galilæam, & Samariam visitabat, & spiritus sancti consolatione multiplicabat.

Factum est autem vt Petrus dum transiret, vniuersos deueniret ad sanctos, qui habitabant Lydda. Inuenit autem ibi hominem quendam nomine Aenæam, ab annis octo iacentem in grabbato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenæa, sanet te Dominus Iesus Christus. Surge, & sterne tibi. Et continuo surrexit. Et viderunt eum omnes qui habitabant Lydda & Saronæ, qui conuersi sunt ad Dominum.

Petrus Ierosolymis prædicato Euangelio annũciat eam per ciuitates & castra. Et primò Lyddam aduenit, vbi Aenæam iandudum paralyticum sanat, non interrogatum quid de fide sentiret: inde non tantum illum sanauit, sed & totam ciuitatem CHRISTO acquisiuit. Signa enim, inquit Oecumene, partim fiebant, vt alij ad fidem attraherentur: partim verò, vt credentes consolarentur. Inde ad multorum consolationem factum est hoc miraculum. Lydda ciuitas Palæstinae maritima, vna ex decẽ toparchiis, & ordine tertia, inter Ioppe & Ierusalẽ, à Cæsarea Palæstinae circiter mille passus distas, quæ postea Diospolis, id est, Iouis ciuitas nũcupata est. Præcipuum inter Iudææ oppida fuit, in qua Petrus hoc miraculũ fecit, cum iam fides etiam extra Ierusalem dilataretur. Saronæ autem apud Græcos, qui nũc extant codices, Assaronæ dicitur: quanquam Hiero. commentariis in Abdiam non Assaronæ, sed Saronæ legit, quam Campestre interpretatur, inter Palæstinam Cæsaream, & Ioppe. Cui magis credendum est, quippe qui locorum *ἀνωτέρως* fuerit, & spectator assiduus.

In Ioppe

In Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & elemosynis quas faciebat. Factum est autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quam cum lauisset, posuerunt eam in cœnaculo. Cum autem prope esset Lydda ab Ioppe, discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis.


Ioppe, nunc Iapha, vel Iapho, oppidum Palæstinae, tribus Manasse, toto orbe terrarum Ioppe antiquissimum, etiam ante aquarũ sub Noe inundationem, sed à filio Iapheth instauratum, & ab eo nuncupatum. Alij ab Ioppe Aeoli filia, & Cephæi vxore. Hic locus est, inquit Hieron. in Ionã cap. 1. in quo vsque hodie saxa monstrantur in littore, in quibus Andromeda religata Persei quondam liberata præsidio. Idem testatur Pomponius, Plinius, atque Tullius, quod pro historia, non fabula referre existimant, licet poeticis veletur figmentis. Huc vocatus Petrus à Lydda Tabitham mortuam suscitauit.

Et cum venisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt eum omnes viduae flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua, orauit, & conuersus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos & viduas, assignauit eam viuam. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Domino. Factum est autem vt dies multos moraretur in Ioppe apud Simonem quendam coriarium.

Ne mulierum fletus, & lachrymarum tumultus Petrum in oratione turbaret, omnes foras eiicit, positus in terram genibus, CHRISTVM orauit, dataq; Tabithæ dextera, illi vitã donando erexit, & rediuuam cæteris assignauit. Ex quo quidem signo multi infideles crediderunt, alioqui non credituri, iuxta illud CHRISTI dictum, Ioan. 4. Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Fideles verò absque signis etiã facillimè credunt. Hic Petrus apud coriarium elegit hospitium, nõ apud insigniorum quempiam, quod adhuc peregrinis ostenditur, ex plurima ruina residuum. Non longe ab hoc portu excelsum saxum monstratur, super quod Petrus lauans retia à CHRISTO in Apostolatũ vocatur, Matth. 4.

CAPVT DECIMVM.

Cornelius pius intentus operibus & orationibus, per reuelationem diuinam Petrum vocauit, qui lintheum cœlitus demissum contemplatus, profectus est ad Cornelium, quem post longum super fide catholica sermonem cum tota familia sua baptizauit, domusque spiritus sancti insigniuit, ita vt cuncti mirarentur fideles, quod etiam in Gentiles spiritus sancti gratia effunderetur.



Ir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens elemosynas multas plebi. Et deprecans Deum semper, is vidit in visu manifestè quasi hora diei nona angelum Dei introeuntem ad se, & di-

St ij

† sup. 3. a.

Lydda.

Saronæ.

centem sibi: *Corneli.* At ille intuens eum, timore correptus dixit: *Quis es Domine? Dixit autē illi: † Orationes tuæ & eleemosyna tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. † Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonē quendam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare, hic dicit tibi quid te oporteat facere.*

† Tob. 12. c. Infr. 12. a. 26. di. can. Deide. in fr. 2. q. 7. Non omnes. De cōsec. di. 4. Non dubito. † Infr. 11. a.

Ortum erat murmur inter Iudæos fideles, & Gentiles conuersos, an incircuncisi baptizandi essent. Quod vt tolleret Dominus, Petrum misit ad incircuncisum, & verè pium, ac religiosum: qui vt ait Gregorius, per fidem Dei vniuersorum, & per inuisibilia mundi venerat ad opera, orationes inquam & eleemosynas, per quas venit ad fidem vnigeniti filij Dei, & in illa cōfirmatus est. Et sic Deus tale illorum murmur abstulit, cum Cornelium Gentilē, militem, incircuncisum, cum tota domo sua saluauit, & cum omnibus qui secū erant, Petrus à Deo missus baptizauit, & spiritu sancto manus impositione repleuit. Magna inquit Chrysostomus, huius viri laus est, quod faciat orationes & eleemosynas, & pius est in tanto principatu: hic enim militum curam gerebat, & faciebat eleemosynam omni populo. Et hæc faciens, vidit angelum monentē quid eum facere oporteat, vt scilicet Petrum vocet ab Ioppe, qui sua opera ad viam salutis dirigat, atq; perpetuum meritum acquirat: vtpote cuius opera & Deum tenderent, & in proximum. Quales nunquam Dominus deserit, quin vel hominū subsidio, vel angelorum ministerio iuuet. Qui cum insolitam audisset iussione, respondit: *Quis es Domine?* Interpretes legit, *τίς εἶ κύριε*, id est, quis es Domine? Græca tamen nunc habent, *τί ἐστὶ κύριε*, id est, quid est Domine? Orationes tuæ, &c. Huiusmodi Cornelij opera in speciem ac moraliter bona, mortua tamen adhuc erant, vt inquit Oecum. cum adhuc fidem non haberent: neq; tamen desinebant grata esse Deo, in cuius memoriam, coram quo ascenderant, videntur grata fuisse, & coram Deo accepta. Quamobrem prouidit tibi de doctore, & Apostolo suo, quem voces ab Ioppe.

Et cum discessisset angelus qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Ioppen. Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare.

Angelus non iussit Cornelium adire Petrum, vt etiam Petri aduentus omnes Cornelij domestici participes essent: sed nec etiam Cornelius eum vocat, quin potius visionē suam nunciis suis narrat, quam Petro narrent. Interea dum pergerent à Cæsarea Palestinæ in Ioppen, quæ inter se distant 36. miliar. ascendit Petrus in superiora domus, oraturus. Græcè est tantum *ἠῶν ἰδίω*, id est, ascendit in domū, quæ adhuc monstratur peregrinis. Hora verò sexta ante cibum orabat: verum inter orandum esurire cœpit, quia hora prandij proximè adesset.

Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnū quatuor inijs summitti de cælo in terrā, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terra, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eū: Surge Petre, occide, & māduca. Ait autē Petrus: Absit Domine: quia nunquā manducaui omne commune & immundū. Et vox iterū secūdo ad eū: Quod Deus purificauit, tu cōmune ne dixeris. Hoc factū est per ter. Et statim receptū est vas in cælum.

Petrus autem credens non dandum esse gentibus euangelium, ascendit hora prandij in cœnaculum, vt prius oraret. Quo orante factus est illi mentis excessus, quem Græci vocant

ἐκστασις, id est, vt ait Augustinus, mens eius alienata est & auersa à consuetudine corporali ad visum quendam contemplandum, alienata à præsensibus. In qua extasi vidit vas quoddam quasi linteum quatuor inijs demitti de cælo. Græca paulo secus habent, scilicet, *τετραγών ἀρχαῖς ἀδαμένον, ὑπὸ καὶ ἐμύρον*, id est, quatuor inijs vinctum, & demissum è cælo. Quid autem significet inijs, & Græcum *ἀρχαῖς*, puto intelligere quatuor angulos lintei, etsi neq; Græcum *ἀρχαῖς*, neque Latinum inijs sic vsurpari inuenio. August. dicit ipsum linteum quatuor lineis submitti è cælo, vbi erat omne genus animalium. Et insonuit illi vox: *Petre, māduca, & manduca.* Qui cum in Iudaica lege, & ceremoniis eius eruditus esset, cuius præcepta hætenus seruauerat, respondit: *Absit à me Domine, nunquam aliquid commune intrauit in os meum.* Quicquid olim commune erat reliquis gentibus, quo abstinere iuebantur Iudæi, id immundum & inquinatum censebant, tanquam solis gentibus commune. Hinc factum est, vt Hebræis τὸ κοινόν Græcè, & commune Latinè, pro immundo & inquinato vsurparetur. *κοινόν* verbum, quod communico significat, tantum in sacris literis iniquo æstimator: quo verbo paulo post vsus est Lucas, *ὅτι μὴ κοινόν*, quod interpretes vertit, tu ne commune dixeris, vel, tu ne opinione tua commune dixeris, & immundum iudicaueris. Hoc autem vas quasi discus, inquit Augu. quatuor lineis subnixum, ter demissum est: quoniam per quatuor orbis cardines, orientem, occidentem, austrum, & aquilonem quatuor Euangelia indifferenter in nomine trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti disseminanda erant. Ideo nō frustra duodenarium Apostolorum numerum aggregauit *CHRISTVS*, qui ex quaternario numero per ternarium multiplicato confurgit. Ideo in omnem terram exiuit sonus eorū, quoniam per ipsos Apostolos & sequaces, mediantibus quatuor Euangeliis, in fide trinitatis patet ad cælum aditus. Vnde dicit: *Et statim receptum est vas in cælum.*

Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio quam vidisset, ecce viri qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam. Et cum vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. Petro autem cogitante de visione, dixit spiritus ei: Ecce viri tres querunt te. Surge itaque, & descende, & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos.

Cum Petrus super tanta visione dubius esset, quidnam significaret, magis dubitabat, tunc missi à Cornelio aduenerunt: & cum infideles & gentes essent, primò dubitabat si se sociaret illis, donec cogitauit angeli dictum: Quod Deus purificauit, id commune ne dixeris. Hos itaque in nomine Domini recepit secum vsque in crastinum: cum eis ideo proficiscitur in Cæsaream ad Cornelium. Vnde sequitur.

Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum quem queritis: quæ causa est propter quam venitis? Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iustus, & timens Deum, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudeorum, † responsum accepit ab angelo sancto accersiri te in domum suam, † Luc. 2. d. & audire verba abs te. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum.

Petrus pro salute proximi, imò & omnium gentium, descendit à contemplatione & oratione, à qua interdum maioris operis gratia cessandum est: & hoc spiritus sancti instinctu factum est. Nuncios itaque intrò vocatos hospitio recipit, causamque professionis sciscitatur, hoc est, inquit Chrysost. initium vocationis gentium ab homine iusto, & timente Deum, à nunciis etiam Deum timentibus, à primo Apostolorum, mediante celesti signo, spiritus sancti instinctu. Audita autem professionis causa, & certior factus, sequenti die

Petrus non solus, sed multa caterua cinctus proficiscitur Cæsaream, vt multos tandem facti testes haberet.

Alteram autem die introiit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis & necessarijs amicis. Et factum est cum introisset Petrus, obuius ei venit Cornelius: & procidens ad pedes eius, adorauit eum. Petrus verò eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos qui conuenerant, dixitq; ad illos.

Petrus per vnam noctem tractauerat nuncios, sequenti die iter aggrediuntur: vna verò nocte in via manent, altera autem die Cæsaream ingrediuntur: illos Centurio attentus vocatis secum amicis expectabat, quos tantæ doctrinæ salutis participes esse cupiebat. Obuius itaq; Cornelius Petro in terram ex humilitate procidens, adorauit eum, se foelicem eius aduentu existimans, quod tandiu expectatum nactus esset optatū. Quem tamen Petrus erigens, hunc adorationis honorem ad Deum tantum pertinere docuit. Ingressus domum Petrus, inuenit multos ibi ad salutis verbum congregatos, & cœpit disserere verbum Dei.

Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem, propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo quam ob causam accersistis me?

Græcè est, ὡς ἀθέμιτον ἐστίν, quod nefas & illicitum est. Quasi simile habetur Ioannis 4. **Iudæi non contantur Samaritanis: iniustam enim Iudæi ducebant communicationem cum alienigenis. Attamen inquit Petrus, neminem immundum esse Deus mihi visione ostendit, cum mihi diceret: Vade cum illis, nihil dubitans, quia ego misi eos. At licet Petrus causam vocationis non omnino ignoraret ex narratione militum, voluit tamen à Cornelio causam particularius audire, vt dicendi exordium coram multitudine attentius redderet audiendum.*

Et Cornelius ait: A nudius quarta die vsque ad hanc horam orans eram in domo mea. Et ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait: Corneli, exaudita est oratio tua, & elemosyna tua commemorata sunt in conspectu Dei. Mitte ergo in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confestim ergo misi ad te: & tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quaecunque tibi præcepta sunt à Domino.

Græca paulo secus habent: ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι πάντης τῆς ὥρας ἡμῶν νηστεύων, καὶ πλὴν ὧν νῆστου ὄραν: id est, à quarta die vsque ad hanc horam sedebam ieiunans, & nona hora orans. Ex quibus verbis apparet Cornelium totum ieiunasse quadriduum. Quod autem dicit interpretis, à nudius quarta die, malim vertere ab hinc quarto die, sentiens Cornelium ieiunasse die quodam, qui quartus esset ab eo quo cum Petro colloquebatur, vt habet Rab. in glosa ordi. Prima inquit, die vidit angelum, & misit nuncios, secunda nuncij peruenerunt Ioppen, tertia profectus est cum eis Petrus, quarta venerunt Cæsaream. Sensus ergo est: Nunc quarta dies est, cum hac ipsa hora eram ieiunans & orans. Vnde ait Chrysof. Mihi videtur Cornelius tempora vitæ religiosæ sibi constituisse, & in aliquot diebus. Vnde consideranda est vis orationis, postquam illi angelus apparet. Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam in CHRISTVM crederet, inquit August. de Prædesti. li. 1. ca. 7. Quod inquit, de Cornelio

Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt elemosynæ, & exauditæ orationes, antequam credidisset in CHRISTVM: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat in quem non crederat? Sed si posset sine fide CHRISTI esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus. Quis nisi Dominus ædificauerit domū, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Et sequitur: Quicquid igitur, & antequam in CHRISTVM crederet, & cum crederet, & cum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur. Cornelius igitur accersito Petro, quæ salutis suæ & societatis congrua sunt, precatur.

Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit Deus filiis Israel, annuncians pacem per Iesum Christum (hic est omnium Dominus.) Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam. Incipiens enim à Galilæa, post baptismum quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute: qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.

Petrus à ceremoniis legis paulatim discedit, animaduertens iam adesse tempus, in quo Deus inter circumcisum & præputiatum non distinguit. Non est enim inquit, personarum acceptio apud Deum: qui vt inquit Apost. * vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Est enim personarum acceptio iustitiæ distributiæ opposita, quæ peccat in his in quibus iustitia distributiua reat distribuit, vt pote cum in eo cui aliquid distribuitur, non attenditur causa in persona propter quam aliquid illi datur, sed persona nuda, vel propter amicitiam, consanguinitatem, vel dexteritatem, non virtutem, vel doctrinam, aut aliquid excellentiæ, ob quam illud sit illi debitum. Duplex enim datio est, inquit Dionysius Carthusia. Prior est actus iustitiæ distributiæ, circa quem contigit personarum acceptione peccare, indiscretè quibus non debetur distribuendo. Altera est actus liberalitatis, qua quis dat cui non debetur, quando nemini est obligatus, & sua cui, & quantum vult, pro libito donat. In quo non peccat personarum acceptione. Quod autem dicit: Verbum misit: Græca secus habent, τὸν λόγον ἐν ἀποστόλῃ, id est, verbum quod misit, auferendo τὸν. Sensus interpretis est clarus, legendo ὅν: ita verti posset: quod verbum misit filiis Israel, euangelizans pacem per IESVM CHRISTVM. (Hic est omnium Dominus): vos nouistis: verbum inquam, quod factum est per vniuersam Iudæam, quod incepit à Galilæa post baptismum quod prædicauit Ioannes IESVM à Nazareth, vt scilicet verbum factum & diuulgatum per vniuersam Iudæam post baptismum Ioannis nihil aliud sit, quam IESVS à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus. Vnctum esse eum à spiritu sancto dixit, quod secundum humanitatem intelligi oportet, * in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Quæ autem per omnem Iudæam miracula fecerit, scitis: hunc autem non scitis, sed hunc vobis annunciamus, tanquam omnium horum oculati & auriti testes. Vnde dicit.

† Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. † Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicari populo, & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. † Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen

eius omnes qui credunt in eum.

Quantūuis CHRIS TVS Iudæis benefecerit, suos egros sanādo, oppressos à diabolo liberando, tamen in fine pro retributione suspendit in ligno. Quem Deus à morte suscitauit, & nos horum omnium testes Deus præordinauit, qui in veræ resurrectionis signum cum eo comedimus & bibimus, & ipse nobiscum: præcipiens nobis hæc omnia & singula omni populo testificari, & quod constitutus est iudex viuorum & mortuorum, & in eius nomine omnes sint salutem accepturi, quandoquidem nec aliud nomen datum est hominibus sub cælo, in quo oporteat eos saluos fieri: & quem omnes prophetæ prædicauerūt daturum peccatorum remissionem.

Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizarentur hi qui spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc rogauerunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

† De consec. dist. 4. cap. Eos. De baptis. cap. I.

Prorogante autem Petro sermonem, fidem iuuabat affectus: vbi verò cœperunt audire baptismate peccatorum fieri remissionem, CHRIS TI passione mediante, perfectè crediderunt, & tunc super eos descendit spiritus sanctus, non modò via communi, sed etiam vt linguis loquerentur nouis, vt mirarentur fideles ex Iudaismo conuersi, quasi Deus non gentium, sed tantum Iudæorum esset. Vnde Petrus etiam illos iussit baptizari, licet spiritum sanctum in eos delapsum cerneret, necessariam tamen existimauit aquam ad baptismum consummandum, & animam corporis ablutione lauandam, vt veterem hominem Dominus sepeliret cum concupiscentiis suis, & nouum excitaret hominem.

CAPVT VNDECIMVM.

Disceptantibus cum Petro conuersis Iudæis, quod diuenteret ad gentes, suam & Cornelij narrauit ipse visionem, & sequentem ex illis effectum: quibus consulti conuersi intrepidè prædicauerunt, & multos CHRIS TO acquisierunt. Quod audiens Ierosolymitana ecclesia, Barnabam misit Antiochiam, & Tarsum, qui propter Agabi prophetiam super futura fame vniuersa collegerunt, eleemosynam Ierusalem deferendam.

Audierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes receperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circuncisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducaisti cum illis? Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordinem, dicens.

† 2. 7. cap. Testes. & sequen.

Offendebantur non parum fratres qui erant, quare Petrus intrasset ad gentes, & manducaisset cum illis, quod nefas esset in lege, & graue inquinamentum. Vnde interpretes legit τὸ id est, quare, vel ad quid: quanquam Græca quæ nunc extant, legunt ὅτι, & tunc refertur ad λέγοντες,

λέγοντες, dicentes, scilicet Petro, quoniam ad viros incircumcisos introisti. Quibus respondet Petrus, se in causam huius ingressus non fuisse, sed Deum, qui eum in mentis ἐκότητι posuit, & vas à cælo coram me dimisit omni genere animalium plenum, &c. vt ca. præcedenti.

† Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis meæ visionem, descendens vas quoddam velut linteam magnum quatuor initiis submitti de cælo, & venit vsque ad me. In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cæli. Audiuī autem & vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, & manduca. Dixi autem: Nequaquam Domine: quia commune & immundum nunquam introiit in os meum. Respondit autem vox secundo de cælo: Quæ Deus mandauit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursum in cælum. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo in qua eram, missi à Cæsarea ad me.

Respondit igitur Petrus, ostendens ex Deo talem causam venisse, cui parere non dubitauit. Ipse inquit, in extasim me rapuit, vas ipse monstrauit, me etiam resistetem coegit: obtemperauī tandem, iussus ire cum nunciis, quos Deum misisse intellexi.

Dixit autem spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri. Narrauit autem nobis quomodo vidisset angelum in domo sua stantem, & dicentem sibi: Mitte in Ioppen, & accersi Simonem qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba in quibus saluus eris tu & vniuersa domus tua. Cum autem cœpisssem loqui, cecidit spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Recordatus autem sum verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes qui dedit aquam, vos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum?

Cum Petrum super duobus præcipuis contra legem increparent, & quod introisset ad præputiatos, & quod manducaisset cum illis, purgat se duodecim excusationibus legitimis Petrus, quas ordine narrat glosa interlinearis. Vnde iussus inquit, non statim cucurri, missus non statim baptizauī, spiritu me impellente prædicaui: quo adhuc loquente, descendit spiritus sanctus. Inde certè patet Deum totum fecisse, misisse, baptizasse, conuertisse, secundum quod aliquando prædixerat Ioannes. Quare si eandem quam nobis Deus gentibus gratiam præstitit, nec eam prohibere potuisssem: quonam pacto eam prohibere poteritis?

His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus penitentiam dedit Deus ad vitam. Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solum Iudæis.

His rationibus apertis & veris conuicti fratres, Deum glorificare cœperunt, qui se non

Iudæorum modò, sed & Gentium esse Deum ostendebat, qui etiam Gentes ad poenitentiam in salutem vocat, sicut & Iudæos. Aliud etiam bonum ostendit ex persecutione ob Stephanum orti, quoniam ab Ierusalem profugi in prouincias discipuli perrexerunt, prædicando & docendo salutis monita vsque Phœnicem, Cyprum, & Antiochiam, vt malum Iudæorum odium conuerterent in bonum fidei exemplum. Solis tamen Iudæis prædicabant, iuxta CHRISTI doctrinam, dicentis: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël: donec audierint Eunuchi conuersionem à Philippo, & Cornelij à Petro. Phœnix, seu Phœnicia, maritima ferè tota regio est, vel à Phœnice Agenoris filio, & Cadmi fratre, qui Phœnicibus imperauit, vel à Phœnice fructu palmi his locis abundante, vel à Phœnice minore vrfa vel arcto, quam nauigio Phœnices maximè obseruant. Hæc autem regio Galilææ contigua est, quoad usq; Libano appropinquat, tamque ad Syriam spectat, vt bona pars incolarum Syrophœnices dicantur. Ingentes habent ciuitates, Ptolemaidem, Tyrum & Sidonem, Sareptam & Decapolim. Cyprus autem insula, aliquando nouem regnorum sedes, media inter Ciliciæ Syriæque littora iacet, Ceraftis aliquando dicta, quòd multis promontoriis seu cornibus infestis assurgat: ab ortu Syrio, ab occasu Pamphilio, à meridie Phœnicio, à Borea Cilicio mari clausa. Veneti autem illam iure hereditario suam fecerunt anno Domini 1470. hodie per prætorem Cyprium regnum, vti & Cretense, & Corcyræum administrat.

Antiochia. Antiochia verò duplex est: Vna Syriæ, quam Orontes insignis fluuius mediam secat, Pauli & Barnabæ memoria insignis, in qua discipuli primò agnominati sunt Christiani. Est & alia Antiochia Pifidiæ, Barnabæ & Pauli celebris prædicatione & mora. Hic Paulus cum Barnaba synagogam ingressus præclarum illum sermonem habuit, cuius Lucas Act. 13. meminit, damnatæque Iudæorum obstinatio est: primùmque omnium in ea vrbe excusso pedum puluere ad prædicandam Gentibus fidem sese accinxit.

Erant autem quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum. Peruenit autem sermo ad aures ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis super istis, & miserunt Barnabam vsque ad Antiochiam. Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino, quia erat vir bonus, & plenus spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba Domino.

Hos autem Cyrenæos & Cyprios quidam Iudæos genere fatentur, natiuitate tamen Cyrenenses vel Cyprios: alij autè purè Gentiles, & nuper ad Iudaismum conuersos, verùm tamen denuò ad CHRISTVM. Græcos autem vocat ἐλληνογενῆς, non Ἰουδαῖος, vt intelligas non Gentiles, sed ordine & religione Iudæos, verùm in Græcia natos. Propterea illis facile persuadebant, quia manus Domini, id est, virtus ad facienda signa, quæ & ipsi palàm faciebant: quoniam signa necessaria esse non dubium est, vt gentiles ad veritatem cœlestium rerum facilius cõuerterentur, & crederent. Tantis quotidie adhærebat illis credentiũ numerus, vt ad Ierosolymam vsque rumor perueniret, vt ad eos Barnabam, quia vir bonus esset, mitterent, qui tantam videns gratiam, consolatus est, hortabaturque eos in eodem permanere proposito.

Profectus est autem Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam: & annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ discipuli Christiani.

Hæc est ratio cur Barnabam virum bonum dixerit, cuius nota erat iam dudum Apostolis bonitas.

lis bonitas. Neque huic repugnat quod dicitur: Nemo bonus, nisi solus Deus: quia Deus est natura bonus, & principium & origo bonitatis: nemo autem natura bonus, sed sola virtute habet, vt bonus dicatur, qua dicitur vir bonus, & simpliciter vel natura bonus. In hoc igitur Barnabæ attenditur bonitas, qui non præsumit solus docere plebem, & illi præfici, licet ad id muneris ab Ierosolymis Antiochiam missus est: qui ne solus sufficeret, petiit Tarsum, vt eius muneris confortem haberet. Inuentum igitur Paulum Antiochiam reuocauit: & annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia: Græcè, ἐγένετο δὲ αὐτοῖς συναχθῆναι, id est, contigit vt congregarentur annum totum in ecclesia, & multum populum docerent, primùmque in Antiochia discipulos cognominarent Christianos. διδάξαντες enim & χρηματίζοντες actiue sunt significationis. Inde aduertit Oecume. quòd ob id potissimum digna habita est Antiochia sede pontificia, quoniam ibi primùm statuerunt vt discipuli nominarentur Christiani, cum nihil tale factum sit in Iudæa: vnde ortum habuit ecclesia, licet tam multi in ea credidissent. Hoc autem studio prædicationis Pauli per annum totum prorogato ascribendum putamus, vt in tantam hoc nomen celsitudinem eueheretur, tanquam signum quoddam futuræ professionis.


† In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis propheta Antiochiam: & surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem prout quis habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.

Nec obest quod dicitur Matth. 11. & Luc. 16. quia lex & prophetæ vsque Ioannem: quandoquidem qui prophetæ CHRISTI aduentum nunciauerunt futurum, ad Ioannem vsque terminati sunt. Non refert tamen post CHRISTI aduentum fuisse prophetas, vt infra de 4. filiabus Philippi. Hinc est quòd prophetarum, qui à Ierosolymis Antiochiam ascenderent, quidam Agabus nomine famem futuram per totum orbem prædixit, quæ etiam 4. Claudij Cæsaris anno contigit. de qua Iosephus lib. 20. cap. 2. ait: * Helena Adiabæ regina desyderio capta est visendi Ierosolymam, templumque illud apud omnes mortales famosissimum, vt ibi Deum adoraret, votiuaque victimas redderet. & sequitur: Accidit autem peropportunè eius aduentum ciuibus: cum enim per id tempus ciuitas graui fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopia, regina Helena ex suis alios misit Alexandriam, comparaturos vim magnam tritici: alios in Cyprum, qui copiam ficuum passarum inde adueherent, quibus omnibus breui reuersis, cibos egenis distribuit, atque hoc beneficio memoriam immortalem sibi apud nostram gètem peperit. Idem penè habet capite quinto sequenti. Verùm quia Dei est futura prædicere, famem igitur futuram prædixerat per prophetam. At ne crederetur propter Christianismum accidisse magis, quam propter illius oppugnationem, prædixit in Iudæa magis seuituram, quam in aliis prouinciis. Miserti igitur fratres qui erant Antiochiæ fratrum qui erant in Iudæa, miserunt ad eos per manus Barnabæ & Sauli quas fecerant collectas Antiochiæ, quemadmodum & scribit ad Corinthios 1. Corinth. vltimo.

CAPVT DVODECIMVM.

Herodes occiso Iacobo Petrum inclusit, quo per angelum ad preces ecclesiæ liberato, profectus Casaream, vbi diuinos assumens honores, miserrimè periit.

* Ioseph. lib. 20. ca. 2. Antiq.



*Odem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affli-
geret quosdam de ecclesia: occidit autem Iacobum fratrem
Ioannis gladio.*

Herode Antipa cum Herodiade sua Lugdunū in exilium misso à Clau-
dio Imperatore, in eius locum Herodes Agrippa successit, primo si i re-
gni anno, ut Iudæorum gratiam consequeretur, Iacobum Ioannis fratrem gladio occidi ius-
sit, secundo Claudij Imperatoris anno. De quorum differentia edita sunt hæc duo metra:

Aschalonita necat pueros, Antipa Ioannem,
Agrippa Iacobum, claudens in carcere Petrum.

Vnde dicitur, Herodes rex manus misit, Græcè, ἐπέβαλεν χεῖρας, id est, iecit manus. Herodes
iste itaque non est ille Antipas, qui baptistam decollauit propter Herodiadem, à quo
CHRISTVS in sua passione illusus est, sed tertius Herodes Agrippa, filius Aristoboli,
& Berenices Herodis filia. Hic etiam fratrem quartum Herodem habuit, & filium nomi-
ne Agrippam.

*Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum.
Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carce-
rem, tradensque quatuor quaternionibus militum ad custodiendum eum, vo-
lens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in
carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo.
Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dor-
miens, inter duos milites vinctus catenis duabus,† & custodes ante ostium
custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit, & lumen refulsit in
habitaculo, percussitque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter.
Et ceciderunt catenæ de manibus eius.*

† sup. 5. d
Inf. 16. e

Videns Herodes se ob Iacobi cædem Iudæorum gratiam consecutum fuisse, existimauit
si caput & ducem Christianorum etiam occideret, maiorem gratiam consequeretur. Verum
quia dies erant azymorum, quando occidere non licuit, Petrum in carcere iussit vsque post
festa recludi: & ut tutius seruaretur, apposuit custodiae sedecim milites, fortè ut singulis vi-
giliis noctis, id est, ternis quibusque horis quatuor essent vigilantes custodes. Sub quorum
custodia Petrus absque timore & solitudine omnia in Deum reiecerat, dormiebátque se-
curus, cum lumen in toto carcere refulsit. Accedens autem simul angelus, Petrum excitauit,
quo excitato, ceciderunt catenæ quibus vinctus erat, & hoc angeli virtute, sicut & seræ por-
tarum vtrò referatæ sunt, cui omnia corpora volente Deo ad nutum obediunt, saltem quo ad
motum localem, vt Aug. 3. de Trinita. cap. vii. Angeli quædam corporalia adhibent ad ali-
quos effectus producendos.

*Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fe-
cit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et
exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per ange-
lum. Existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam
& secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciui-
tatem, quæ vtrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum, &
continuò discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio
verè,*

*verè, quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Hero-
dis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.*

Petrus ad vocem angeli vidit cecidisse de manibus suis catenas, ideo ad eius manda-
tum præcinxit se, & calceauit se caligas suas. Græcè dicit sandalia, quæ dicit Lyranus esse
soleas, id est, calceorum genus non habens corium super pedem. Pro circunda, Græcè est
περιβάλλω, quod magis quadrabat vertere induere, quàm circunda, licet vtrunque περιβάλλω
significet. Ex quibus duas vestes Petrum habuisse infert Oecume. sicut aliquando Pau-
lus 2. Timoth. 4. Neque sciebat Petrus quod fiebat per angelum, imò imaginariam cre-
debat visionem. Putabat enim se somnare liberationem sui, neque vim veram esse cre-
debat, propter difficultatem euadendi præ multitudine custodiae, & carceris fortitudi-
ne. Transeuntes primam & secundam custodiam, de vigiliis militaribus loquitur, quæ
ad moenia excubias agere solebant, tunc autem ad carceris custodiam destinatas: qui-
bus non obstantibus Petrus liberè exiuit. Et tandem ad ferream portam perue-
nit, quam putat Glo. fuisse in atrio carceris, sed extra muros vrbs. Et statim red-
dito viæ Petro angelus discessit ab eo, & tunc sibi conscius factus, agnouit esse ve-
rum quod putabat fantasma fuisse. Inde venit in mentem quod prius in fantasia fuit, agno-
uitque se liberatum de manibus Herodis, & Iudæos sua spe frustratos.

*Consideransque venit ad domum Mariae matris Ioannis, qui cognomi-
natus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes. Pulsan-
te autem eo ad ostium ianua, processit puella ad videndum, nomi-
ne Rhode. Et ut cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ia-
nuam, sed intrò currens nunciauit stare Petrum ad ianuam. At il-
li dixerunt ad eam: † Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere.† Inf. 26. f
re. Illi autem dicebant: Angelus eius est. Petrus autem perseuera-
bat pulsans.*

Animaduertens itaque Petrus se ereptum à carcere, & loco tuto restitutum, ve-
nit ad locum vbi sciebat ecclesiam fidelium congregatam, & pro illo precantem: nec
prius voluit ab Ierosolymis discedere, quàm rem gestam suis sociis plenè narrasset. Pul-
santem illum ad ianuam prius mulier discipulis annunciauit: sicut mulier CHRIS-
TVM. Cui non credentes, sicut nec alteri, insanire eam dixerunt, nisi forsi-
tan eius angelus esset. Quidam interpretantur angelum eius, quem vulgò vocant spi-
ritum, vt cuiusquam mortui diuina permissione spiritus atque anima apparent. Alij
interpretantur angelum Petro datum ab ortu in custodiam. Angelos enim hominum
custodiae deputatos sacrae scripturae doctores passim asserunt: imprimis Basilius con-
tra Eunomium libr. 1. Quod verò singulis fidelium adsit angelus vt pædagogus qui-
dam & pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicit, qui verborum Domini re-
cordatur, dicentis: Ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quoniam an-
geli eorum semper vident faciem patris mei qui in caelis est. Idem de vera vir-
ginitate: Virgo conscientiam suam reuerbitur, etiam si valde sit sola, deinde si-
bi astantem angelum custodem. Angeli enim eorum semper vident faciem patris ei-
us qui in caelis est. Neque verò conuenit vt angeli eius, cui credita est cu-
ra & custodia salutis nostræ, faciem aspernetur homo, atque imprimis vir-
go, quæ hunc ipsum veluti castitatis suæ paranympum custodemque habet. Et
Chryostomus in 4. caput Matthæi, homilia quinta: Duo enim sunt angeli per-
manentes cum hominibus, bonus scilicet, & malus. Idem de laudibus Pauli:

Si enim propriam vitam regentibus tantummodo, nihilque pro communi utilitate facientibus, angeli ab omnium Domino deputati sunt, sicut ait vnus ex iustis: Angelus qui eruit me à iuuentute mea: multo magis his, quibus totius orbis cura commissa est, talliumque donorum onera portantibus virtutes adsunt supernæ. Et Hierony. in Matth. cap. 19. Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum delegatum.

Cum autem aperuissent ostium, viderunt eum, & obstupuerunt. Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.

Aperto ostio viderunt Petrum, nec tacere potuerunt: quibus silentium indicens, ne sua præsentia inimicis manifesta fieret, narrauit rem gestam vt erat, iussitque narrare hæc Iacobo Ierosolymorum episcopo, quod exauditus esset pro eo cum ecclesia orans. Petrus autem ne tentare videretur Deum, aufugit statim, iuxta CHRISTI dictum: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, Matth. 10.

Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci: descendensque à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyrius & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo.

Petrus apertis ostiis exiens, post se reclusit, vel sicut vtrò aperta sunt ei, ita vtrò reclusa, quibus apertis ambiguum non esset eum euasisse. Vnde illusi milites, pariter & illufus est Herodes, qui ea die intendebat occidere Petrum. Deus autem cum Petro potuisset milites eripere de manu Herodis, quod tamen non fecit, ne apparet fuisse fuga ex Petri pacto cum custodibus. Verum coram Herode causa sufficienter agitata, iussit custodes duci. Pro quo Græcè est ἀπεχθῆναι, quod magis vertendum erat, abduci, siue trudi in carcerem, vel ad supplicium. Nam ἀποάγω, abduco ad poenam, siue in carcerem eiicio, siue etiam ad mortem, non autem simpliciter duco: quod ab Erasmo non animaduersum est, qui etiam ducit, simpliciter vertit. Herodes autem aliò vocatus, vt ait Raba, descendit in Cæsaream Palæstinæ, vt Petri solutio nulli noceret: non permittitur Herodes vindicare in custodes, qui non essent in culpa solutionis Petri. Differens autem Herodes Domino prouidente eorum iudicium, ne Petri liberatio aliis esset occasio mortis, descendit à Iudæa Cæsaream, iam tertium totius Iudææ regni agens annum: vbi solennes ludos celebrauit pro salute Cæsaris. Ad quam festiuitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia. Eius celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis solis perculsa, & diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus. Vnde sequitur:

Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, non

*Ioseph. An-
riq. lib. 19.
cap. 8.*

ces, non hominis. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expirauit.

Statutum diem declarat Iosephus, secunda scilicet die celebritatis, qua sedens pro tribunali concionabatur ad populum: moxque adulatorum perniciosi alius aliunde acclamantes, Deum consalutabant, rogantes vt faueret propicius. Hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortale natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigauit, nec repulit, pauloque post suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem: moxque vt sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim à principio vehementia. Conuersis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille vestra appellatione Deus vitam relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Et sequitur: Hæc locutus crescente dolore discruciabatur. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus vitam finiit, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset septennium. Hæc ille. Vnde confydera quàm sceleratum sit non solum quærere, sed tantum admittere assentiones impias: quas cum non reieccisset diuina ultione Herodes, intestinorum dolore correptus interiit.

Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur. Barnabas autem & Saulus reuersi sunt ab Ierosolymis, expleto ministerio, assumpto Iohanne, qui cognominatus est Marcus.

Mortuo itaque Herode fidelium persecutore, quibus erat impedimento quominus fides spargeretur, euangelica creuit prædicatio: & Saulus atque Barnabas assumpto Marco Euangelista reuersi sunt Antiochiam, postquam expleuerunt ministerium suum ex collectis Antiochiæ elemosynis, quas ad succurrendum egenis propter imminentem famem Ierosolymam attulerant: de quibus superiore capite dictum est.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Saulus & Barnabas vocante spiritu sancto mittuntur ad Gentes, & prius in Cyprum, vbi mago quodam excacato prædicatione Sauli, Sergius Paulus credidit. Inde Antiochia Pisidia Iudæis blasphemantibus, & seditionem excitantibus, plurimos ad CHRISTVM conuerterunt Gentilium, Iudæis valedicentes, & ad Gentes properantes.



Rant autem in ecclesia, quæ erat Antiochia, propheta & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collectaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod assumpsi eos. Quod die.

Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

Paulatim diuertens **C H R I S T V S** ad Gentes, ecclesiam suam construxit omnibus ad fidem necessariis, iuxta quod Apostolus Ephes. 4. ait: * Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis **C H R I S T I**. Hos autem omnes habuit Antiochiæ prima gentium ecclesia: qui quidem ferme idem sunt. Prophetæ enim non solum qui futura & prævident & præloquuntur, sed & qui præterita, & præsentia prædicant: & tot modis dicitur prædicatio, & prædicator, & doctor, qui quidem in præsentia arguit & corrigit, præterita **C H R I S T I** & sanctorum acta in memoriam reuocat, atque super futuris poenis terret & minatur, præmiisque futuris & gaudiis consolatur & pollicetur. Horum autem omnium par ferè finis est & ratio. Ex his autem omnibus Barnabam & Saulum spiritus sanctus seligit. Barnabas enim Cyprius genere, qui & Ioseph Leuites cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, à spiritu sancto electus, & à cæteris condiscipulis est dimissus. Quod autem dicit: ministrantibus illis Domino: Græcè est *λατρυῦντων*, id est, sacrificantibus, vt intelligas sanè illos missæ sacrificium celebrasse, quod fecisse Apostolos D. Dionysius dicit. Quod autem spiritus sanctus ait: Segregate mihi: non dicit Domino, vel Deo, vt eandem designet trium personarum virtutem ac potestatem. Quod autem Barnabam & Saulum à cæteris seligentes, ieiunia, preces, manuum impositionem, & dimissionem electioni addiderunt, docuerunt posteros, quid sit in pastorum electione faciendum, si talia in primis exordiis ecclesiæ facta sunt.

Et ipsi quidem missi à spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. Et cum venissent Salaminam, predicabant verbum Dei in synagogis Iudeorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio.

Docet beatus Lucas à quo mittantur, iuxta quod ad Galat. 1. dicit idem Paulus: *Euangelium quod euangelizatum est à me, non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem **I E S V C H R I S T I**. Non ergo ab hominibus, neque per hominem vocatus aut missus, sed à spiritu sancto iussus segregari, & ab eodem missus, abiit cum socio Seleuciam, quæ est Syriæ ciuitas in promontorio sita, ad quam vsque peruenit nemus Daphnes, condita à Seleuco Nicanore rege Syriæ, aliquando dicta Pieria, ex qua teste hic Luca, commodissimus est in Cyprum traiectus. De Cypro autem capite 11. superiore diximus. Salamina autem, vel Salamin, aut Salamis, insula est in mari Euboico contra Athenas, in qua est vrbs eiusdem nominis. Est & Salamis vrbs in Cypro insula, in amœnissimo situ orientalis littoris sita, quam Teucer à Telamone patre expulsus, & in Cyprum nauigans condidit, ibique insigne Ioui sacrum templum construxit. Et de hac nunc præcipuè loquitur, & in hac Barnabas natus & passus, nunc autem Constantia dicta, cuius fuit Epiphanius episcopus, doctor integerrimus, & hæreticorum malleus acerrimus. In hac autem vrbe primum cepit prædicare verbum Dei, & imprimis Iudæis in synagogis eorum.

Et cum perambulassent vniuersam insulam vsque ad Paphum, inueniunt quendam virum magum pseudopropheta, Iudæum, cui nomen erat Bar Ieu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire verbum Dei. † Resistebat autem Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) qua-

†23 q. 4. ca.
Quod Christi-
stus.

rens

rens auertere proconsulem à fide.

Paphus Cypri ciuitas est, in littore occidentali posita. Itaque è Salamine, quæ est in littore orientali, ad Paphum, quæ est in littore occidentali, tendentibus, totam insulam peragraripotuit. Vnde bene ait Lucas *διελθόντες*, id est, cum perambulassent, siue peragrassent vniuersam insulam vsque Paphum. Duplex autem fuisse Paphos dicitur, scilicet vetus, quæ olim totius insulæ metropolis fuit, à vetustissimis authoribus, & præcipuè poetis celebrata, in qua erat templum Veneri dicatum, ob quod dicebant eam Paphiam. In hac septem fratres Machabæi cum matre martyrio coronati sunt. In quorum honore adhuc sanum superest, septem sacellis distinctum, multa deuotione visitatum. Altera Paphos noua, à veteri distans 10. stadiis, templa habet optimè structa, portum habens. Inde ad Alexandriam traiectus 3600. stadiis. In vtra verò earum hæc peracta sint, doctores tacent. Alteram itaque illarum ingressi Apostoli, inueniunt quendam magum auertentem populum à **C H R I S T I** fide & cultu, & præcipuè Sergium Paulum, illius vrbs proconsulem, qui tamen maximè Dei verbum desiderabat audire. Huius autem magi Elymas nomen interpretatur, quod quidam dicunt significare idem quod magus, aut præstigiator, deductumque putant, si à Græco, *ἀπὸ τῆς ἑλυμῶν*, quod nigrum vel pannosum significat, nomen illi à moribus inditum: sin ab Hebræo *בַּר יְהוּ* elymana, vel elyman, quod cæcum significat, qui Paulo & eius resistens monitis excæcatus est. Bar Ieu autem, siue Bar Iesu, quidam putant esse nomen proprium illius magi, saltè à patre tractum, quod idem sonat quod filius Ieu, vel Iesu, sicut Petrus Bar Iona, quasi filius Ioannæ, siue Ioannis. Alij dicunt cognomen sibi fictum, ac vero nomine dictum *ἑλυμῶν*, sed id sibi cognominis acciuisse, vt apud proconsulem fauorem magis conciliaret. Nam Bar Ieu, siue Bar Iesu significat vel filium Iouis, vel filium saluatoris, quo nomine magni quid esse dicebat.

Saulus autem, qui & Paulus, repletus spiritu sancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ. Et circumiens quærebat qui ei manum daret. Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini.

Paulus hætenus semper dictus est Saulus, & vt quibusdam placet, à Sergio Paulo proconsule Cypri: nec postea Lucas eum vocat Saulum, quod tamen plerisque non placet. Quibus tamen omissis adhæreo Hieronymo. in epistolam ad Philemonem, ita dicenti: Saulus ad prædicationem Gentium missus, à primo ecclesiæ spolio proconsule Sergio victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum, vt Paulus diceretur ex Saulo. Chrysostomus autem, & post eum Oecumenius nomen illi inditum diuinitus, ne vel hoc minor esset Apostolis Paulus: quod & Petro accidisse notum est, qui cum Simon diceretur, à **C H R I S T O** dictus est Cephas, qui interpretatur Petrus. Erasmus cum quibusdam aliis eum fuisse binominem putat: maius tamen est Hierony. argumentum, vt à primo ad fidem à se conuerso Sergio Paulo, ante cuius conuersionem nunquam dictus est Paulus, sed semper Saulus, & post cuius conuersionem semper dictus est Paulus, & nunquam Saulus. At vt non ex ira cæcitatem mago imprecatus dicatur, hunc Lucas plenum dicit spiritu sancto, quod verba illa potius conuertentis essent, quæ non perpetuam illi cæcitatem imprecarentur, quàm punientis, vt proconsulem ad suam adduceret sententiam: quod & fecit.

Et cum à Papho nauigassent Paulus & qui cum eo erant, vene-

T t iij

runt Pergem Pamphilia. Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam. Illi vero pertranseuntes Pergem, venerunt Antiochiam Pisidia, & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis & prophetarum miserunt principes synagoga ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

Facto lucro Paphum egressi Apostoli nauigant in Asiam. Ingressi autem Pamphiliam prouinciam, & illius ciuitatem Pergem non infimam, Pamphiliam autem 1. cap. supra descripsimus: in ea est Perge, seu Perga ciuitas, olim ob fanum Dianæ, quæ inde Pergæ dicta est, insignis. Ioannes autem hic est cognomento Marcus, Barnabæ confobrinus, siue, vt alij dicunt, nepos. Nam vocabulum Græcum, quo vtitur Chrysofostomus, est ἀνέλιος παρναβῆ. ἀνέλιος autem filium fratris significat, aut fororis, quem nepotem vocant vulgares, & confobrinum. Cur autem hic Ioannes discessit ab eis, nullam adducit causam Lucas: Glosa autem hanc esse causam futuri dissidij, de qua infra 15. cap. qui iunctus est Barnabæ, & Sila Paulo. A Perge venerunt Antiochiam Pisidiæ: de cuius descriptione vide sup. ca. 11. Ingressi autem Apostoli Iudæorum synagogam, tanquam audituri lectionem, sederunt. Vnde à superioribus, si quid haberent exhortationis, proferrent ad plebem, rogati sunt.

Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelita, & qui timetis Deum, audite: Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cum essent incolæ in terra Aegypti: & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens Gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos. Et post hæc dedit iudices vsque ad Samuel prophetam.

Hunc Pauli sermonem in hanc rationem Lyranus deducit. Deus qui tot beneficia patribus nostris contulit, redemptorem ex semine Dauid promisit daturum se nobis: hanc autem promissionem nuper in filio suo adimpleuit: huic igitur tanquam redemptori sub pena damnationis adherendum est. Assumptionem autem ex veris, & ab omnibus Iudæis concessis, captans eorum beneuolentiam, sic probat: Deus qui nos peculiarem sibi populum elegit, licet omnium sit Dominus, patres nostros inter hostes suos Aegyptios semper exaltauit, & cum brachio excelso inde eduxit, quos per 40. annos in deserto aluit, & illorum mores sustinuit: & post quadringentos quinquaginta annos* deleuit à facie eorum Gentes, & distribuit eis terram Chanaan in funiculo distributionis. Post hæc dedit illis iudices vsque ad Samuelem postremum illorum. Nec eorum refert ingratitude, & post idola adinventiones & errores. Quod autem dicit, post quadringentos annos, Græca quæ nunc extant, secus habent, nempe, καὶ μετὰ ταῦτα ἕως ἔπειτα τετρακοσίοις καὶ πενήκοντα ἔτεσιν ἔπειτα, id est, & post hæc annis quasi quadringentis quinquaginta dedit illis iudices. Beda autem aliter legit: Sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos quinquaginta annos, computans hos annos à natiuitate Isaac, à qua vsque ad egressum Aegypti fluxerunt anni 405. quibus si addas 40. annos quibus vixerunt in deserto, & circiter quinque annos bellorum sub Iosue, quando finitis præliis diuisa est illis terra, conflagrantur anni circiter 450. Sensus ergo Bedæ, & versionis nostræ est, quod illis diuisa terra eorum quasi post quadringentos quinquaginta annos à natiuitate Isaac: quæ supputatio vera est. Sensus autem Græcæ lectionis est, quod distribuit eis terram eorum, & post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta dedit illis iudices vsque ad Samuelem. Vbi τὸ post hæc, refert non ad distributam terram, sed ad egressum ex Aegy

† Psal. 94. a
† Psal. eod.
Exod. 13. d
† Psal. 94. b
Exod. 16. a
† Ios. 14. a
† Iud. 3. b

* Psal. 77. f

ex Aegypto, à quo Moyse illis præfuit 40. annos, Iosue 27. Othoniel 40. Aoth 80. Debora 40. Gedeon 40. Abimelech 3. Thola 23. Iair 22. Iephthæ 6. Abessan 7. Aialon 10. Abdon 8. Samson 20. Eli 40. Samuel & Saul 40. qui simul iuncti, 446. annos constituit. Vnde Paulus non malè dixerit annos circiter quadringentos quinquaginta.

† Et exinde postulauerunt regem, & dedit illis Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin annis quadraginta. † Et amoto illo suscitauit illis Dauid regem, cuius testimonium perhibens dixit: † Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

† 1. Reg. 8. a
† 1. Reg. 9. c
& 10. a.
† Psal. 88. b.
† 1. Reg. 16. c

Assumptum suum prosequitur Paulus, vt typum suum, Dauidem inquam, attingat. Post iudices enim Iudæi regem petierunt, quibus datus est Saul, quo non erat tunc in Israel melior: verum quia honores mutant mores, & sæpius in deteriores, amoto Saule illi suffectus est Dauid, cui Dominus testimonium perhibuit, dicens: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum. Huius expositionem August. refert. De octo dulcitij quæstio. quæst. 5. Quæris inquit, quare Dominus dixerit, nimirum præsciis futurorum: Elegi Dauid secundum cor meum: cum talia tantæque ipse homo commiserit? Quod quidem si de ipso Dauid, qui reprobo Saule & extincto fuit rex Israel, dictum intelligamus, magis quia Deus præsciis futurorum est, præuidit in eo tantam pietatem, tamque veracem poenitentiam, vt esset in eorum numero, de quibus ipse dixit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Cum ergo præsciret eum Deus peccaturum, & peccata sua pia humilitate, & sincera poenitentia deleturum, cur non diceret: Inueni Dauid secundum cor meum: cui non erat imputaturus peccatum, tam multa bona facienti, & cum tanta pietate viuenti, & ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti? Propter hæc omnia verissimè dictum est: Inueni Dauid secundum cor meum: quia licet secundum cor Dei non esset, quod ille peccauit, tamen secundum cor Dei fuit, quod pro peccatis suis congrua poenitentia satisfecit. Hoc solum ergo in illo secundum cor Dei fuit, quod illi Deus non imputauit.

Huius Deus ex semine † secundum promissionem eduxit Israel saluatorem Iesum, † prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius baptismum poenitentiae omni populo Israel. Cum impletet autem cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, † sed ecce venit post me, cuius non sum dignus calceamenta pedum soluere.

† Isa. 21. a.
† Mat. 3. a.
Marc. 1. a.
Luc. 3. a.
Ioan. 1. c.
† Mar. 1. b.
Ioan. 1. d.

Paulus ad prædicta subsumit: Quoniam Deus ex huius Dauidis semine secundum carnem adduxit Israeli saluatorem IESUM, quem etiam Ioannes baptista, antequam se Israeli manifestaret, prædicauit, & poenitentiae baptismum tanquam verus propheta annunciauit. Et cum Ioannes tanquam verus Messias à plerisque acclamaretur, respōdit, dicens: Non me arbitramini quæso tanto dignum honore, vt illius mihi tribuatis honorem, sed ipse post me venit, imò inter vos est, cuius non sum dignus calceamentum pedum soluere. Huius itaque præclari viri non est negandum testimonium.

Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitant Ierusalem, & principes eius, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt: & nullam causam mortis inuenientes in eo, † petierunt à Pilato vt interficeret eum. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monu-

† Mat. 27. c.
Marc. 15. b.
Luc. 23. c.
Ioan. 19. c.
sup. 3. c.

† Mat. 28. a. *mento. † Deus autem suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per*
 Mar. 16. a. *dies multos his qui simul ascenderunt cum eo de Galilæa in Ierusalem, qui*
 Luc. 24. a. *vsque nunc sunt testes eius ad plebem.*
 Ioan. 20. a.

Quos ut ad sibi credendum facilius alliceret, eorum generositatem adducit, utpote qui filij essent Abrahæ, cui de Messia promissio facta est in semine eius, & ideo ad quos talis promissio dirigitur, præcipue Deum timentes. Ut verò eos acrius argueret, qui eius necis causa fuerunt, principes inquit, Ierosolymitani tradiderunt eum viro alienigenæ interficiendum. Id quod tamen ignorantie peccato tribuit: sed & quod oportebat sic fieri iuxta voces prophetarum, in omnium tamen bonum, & vtilitatem. Sic autem mortuum Deus tertia die suscitauit à mortuis. Nec dicit ipsum CHRIS TV M sua se virtute suscitasse, id quod tamen verum erat, sed omnia pro audientium conditione attemperat: sed Deus illum suscitauit à mortuis, scilicet pater eius: vel etiam ipse filius, qui cum patre idem Deus humanam naturam suam reuocauit à mortuis, secundum quod Dei patris potentia est, per quem fecit & secula. Ideo tamen dicitur suscitatus à patre, ad quem vti ad principium causamque æternam cuncta sunt referenda. Huius autem resurrectionis multi adhuc testes supersunt, qui cum eo ante & post mortem conuersati sunt, comederunt, & biberunt, qui ad hoc præordinati sunt, ut de eo apud plebem fidele perhibeant testimonium, quod ipse sit iudex viuorum & mortuorum cõstitutus, & iuxta prophetarum dicta crucifixus, mortuus, sepultus, & suscitatus.

Et nos vobis annunciamus eam que ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filiis vestris resuscitans Iesum sicut & in
 † Psal. 2. b. *Psalmo secundo scriptum est: † Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod*
 Hebr. 1. b. *autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corru-*
 † Isa. 55. a. *ptionem, ita dixit: † Quia dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque &*
 † Psal. 15. d. *in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, † dormiuit, & appo-*
 sup. 2. c. *situs est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus suscitauit*
à mortuis, non vidit corruptionem.

Nec hi soli ad Palæstinos destinati sunt testes, sed & nos mittimur ad dispersos Israel, bonum vobis nuncium afferentes, super facta ad patres nostros promissione, quam his diebus suscitato IES V impleuit in nobis, sicut in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te: quod de CHRIS TV I humanitate interpretatur Apostolus, et si multi de æterna eius generatione interpretentur. Veruntamen Pauli & Chrysostomi, aliorumque Græcorum interpretum de CHRIS TV I resurrectione interpretantium videtur plerisque hoc loco autoritas imitanda, cum vera resurrectio beatorum ad vitam immortalis generatio sit. Cum Matth. etiam cap. 19. generalem omnium resurrectionem regenerationem CHRIS TV S appellet, dicens: In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Quod verò CHRIS TV S excitatus sit à mortuis, non amplius moriturus, neque in corruptionem conuertendus, ex prophetis insinuat: ex Isaia inquam 53. cap. * Dabo vobis sancta David fidelia. Hunc locum citauit Paulus iuxta septuaginta interpretes. Nam Hebræa secus habent: Feriam vobis pactum sempiternum, misericordias David fideles. Sesus autem loci secundum septuaginta est: Præstabo vobis fœdera, quæ David promisit, fidelia & vera. Sancta enim fœdera vocat à sanctificando. Vel dic, quod refertur hic locus ad id quod paulo antè præcessit: quoniam hanc Deus repromissionem adimpleuit filiis vestris. Aut potius probaturus, quod nõ sit subiturus corruptionem, duo testimonia affert. Primum Isaia, quod sic probat: Quicquid Deus promisit Dauidi, promisit illi fore ratum. Et quod hic locus re-

Et citetur

Et citetur à Paulo de resurrectione, patet: cum enim hic CHRIS TV S iuxta plerisque, ut verba Isaia sequentia præterdunt, Dauid appelletur, necesse est ut sit homo, & porro ut moriatur. Hic autè promittit Deus fidelitatem eius firmam & perpetuam, quæ si perpetua sit futura, necesse est ipsum fore perpetuum: qui si desineret, fidelitas finem haberet. Cum ergo homo sit, & tamen perpetuus, necesse est ut hominem mori, & inde in vitam infinitam rediturum, aliàs fidelia eius sancta & firma, ac rata non dedisset illi Deus. Deinde alium affert locum, quo prædixit Dauid fore, ut CHRIS TV S non sentiret corruptionem. Iam si hoc promisit CHRIS TV S Dauidi & Isaia, rata fore & firma fœdera & promissa Dauidi facta, sancta & firma erunt. Quoniam quem Deus excitauit à mortuis, non vidit corruptionem. Dauid autem Dei voluntati seruiens, dormiuit, & ad patres suos appositus est, & vidit corruptionem. Non igitur hic locus de Dauide intelligendus est, ut sup. cap. 2. deductum est.

Notum igitur sit vobis fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciat ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moyse iustificari. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & dispergimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non creditis, si quis enarrauerit vobis. Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.

Propositum ab initio Paulus concludit, quod videlicet huic CHRIS TV S & Messia sic ex Dauidis semine nato, tãquam redemptori & saluatori, per quam remissio peccatorum omni credenti in eum annunciat, adhærendum est, in quo qui credit, iustificatur: qui verò non crediderit in eum, in æternum peribit. Quod prophetia Abacuc probat: Videte inquit, contemptores, &c. Locus iste, quem dicit esse in prophetis, habetur Abacuc 1. iuxta veritatè Hebraicam hoc modo: Aspice in Gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credit, cum narrabitur. Quibus verbis reprehendit Iudæorum incredulitatem propheta, qui non credidissent prophetis de euerfione Nabuchodonosor, & Israelis liberatione promittentibus. Hæc autè verba adaptat Paulus, utens versione septuaginta interpretum, Iudæis tunc existentibus, qui Apostolis liberationem sui per CHRIS TV M promittentibus non crederent, sed contemnerent. Quod verò interpretes vertit: dispergimini ab Assyriis, à Syris, & tandem à Romanis: Græcè est ἀφανίζετε. Est autem ἀφανίζω demolior, & ἀφανίζω demoliri, marcescere, & euanescere, & è cõspectu auferri. Itaque verti possit, marcescite, aut hinc abite, tanquam incredulos ferre non possit, aut videre nolit. Et hæc tanta prædicit futura mala, & incredibilia, ut vix credantur, si quis ea talia narrauerit, & minatur ventura. His diebus exeuntes è synagoga rogantur altero sabbato sequenti perferre. Græca tamen secus legunt: ἐξήντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων, παρεκάλουν τὰ ἔθνη, εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαλοῦναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα: id est, Egressis è synagoga Iudæis, scilicet cum Paulo, rogabant Gentes ipsum, ut sequenti sabbato verba illis faceret. λαλοῦναι enim ad Paulum referens, qui vnus loquebatur, singulari numero verito, licet ad socios eius etiam dirigatur. μεταξὺ σάββατον vocauit futurum, sed proximum sabbatum.

Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudæorum & colentium Deum aduenarum Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei. Sequenti verò sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei. Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: † Vobis oportebat primum loqui

† 12. q. 1. ca. *Futuram ecclesiam. De renuntiatio, nisi cum pridem.*

*verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis aeterna
† Isa. 49. b. vita, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim praecepit nobis Dominus: † Po-
fui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terra. Au-
dientes autem Gentes gauisi sunt, & glorificabant verbum Domini. Et cre-
diderunt quotquot erant praordinati ad vitam aeternam. Disseminabatur
autem verbum Domini per uniuersam regionem.*

Dissoluto coetu multi Iudaei & Profelytae sequuti sunt Apostolos, vt amplius informa-
rentur, & baptizarentur: quos Apostoli per totam hebdomadam viam vitae docuerunt, per-
suadentes, vt sic firmi in gratia Dei permanerent. Sequenti vero sabbato synagogam rursus
Apostoli praedicaturi redeunt, ad quos uniuersa confluit ciuitas, vt verba Dei iterum audiat.
Quod Iudaeos aduersus Apostolos acrius commouit. Iudaei enim plebem ad audiendum
Dei verbum excitare debebant, quam ab illo pro viribus auertebant, & Apostolis contradi-
cunt in omnibus, in quibus illos commendare debebant. Verum contentio sua magis plebem
animabat, & praedicationem augebat, id quod malignis saepissime accidere solet. Quibus
non obstantibus Paulus & Barnabas constanter & cum fiducia praedicantes, Iudaeis dix-
erunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, &c. Iudaei enim quasi soli digni, quibus
veritas aperitur, in caeteros inuidia mouentur, vnde se prorsus reddunt indignos, Gentibus
verbum dei audientibus, iuxta illud prophetae: Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in
auditu auris obediuit mihi. Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & clau-
dicauerunt a semitis suis. Quod autem oporteret illis primo praedicare, ex hoc CHRIS-
TI dicto patet: Non sum missus nisi ad oues quae perierunt domus Israel. Veruntamen quia ver-
bum Dei repellabant, se illius indignos certe probabant. Nec verbis irritantibus eos alloqui-
tur, dicens: Ecce relinquimus vos: sed ad Gentes diuertimur, qui nos benignè excipiunt, &
verbis nostris attendunt, sicut etiam nobis praecepit Dominus: Posui te in lucem Gentium,
Isa. 49. Quae verba dicta sunt de Messia: sed ea sibi rectè Paulus applicat, cui dixit CHRIS-
TUS similia verba infra 22. Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te. Hoc autem
Gentes alacriores reddidit & feruentiores, qui digni sunt frui his quae Iudaei tanquam iudi-
cantes indignos seipfos abiiciebant. Vnde quotquot à Deo praedestinati essent ad vitam æ-
ternam, crediderunt, & Apostolis adhaeserunt: quamobrem verbum Dei quotidie cresce-
bat, & disseminabatur per totam regionem.

*Iudaei autem concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & primos ci-
uitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam, &
† Mat. 10. c. eiecerunt eos de sinibus suis. † At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt
† Marc. 6. b. Iconium. Discipuli quoque replebantur gaudio, & spiritu sancto.
† Luc. 9. a.*

Mirum est, quia quocumque pergunt Apostoli, Iudaeos sibi reperiunt aduersarios, gen-
tem sine consilio & prudentia, qui vbiq; praedicationi aduersantur. Vnde Antiochia egres-
si Apostoli iuxta CHRIS-
TI praecipit, è pedibus suis puluerem eiiciunt, vt nihil è ter-
ra impiorum hominum secum efferant, neque cum illis in aliquo sint participes. Inde ve-
niunt Iconium gaudentes, quos etiam fuga reddidit alacriores, iuxta magistri sui dictum: Si
vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: vt pluribus in locis verbum Domini
spargeretur. Est autem Iconium inter oppida Lycaoniae celeberrimum, ad montem Tau-
rum, vbi Apostoli benignè excepti sunt, & ibidem docuerunt, fortiter agentes praesidio
Domini: à quo tamen Iudaeorum factione salutem sibi fuga quaerere tandem coacti sunt.

CAPVT

CAPVT DECIMUMQUARTVM.

*Paulus & Barnabas multis Iconij conuersis, Iudaeorum tumultibus agitati fuga sibi
consulere adacti sunt. Lystris vero excepti claudum sanant, ideo à plebe
vocantur, & illi sacrificare idolorum sacerdotes nituntur: quod repule-
runt, dicentes se esse mortales, Deum immortalem annunciantes.
Vnde à Iudaeis ibi lapidatus est Paulus: inde fugit in
Derben, & inde reuersus Lystram, & Iconium,
& Antiochiam, Pamphylia, & Atta-
liam, & tandem Antiochiam, vnde
prius egressi.*



*Actum est autem in Iconio, vt simul introirent synago-
gam Iudaeorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudaeorum
& Graecorum copiosa multitudo. Qui vero increduli fue-
runt Iudaei, † suscitauerunt, & ad iracundiam concitau-
runt animas Gentium aduersus fratres. Multo igitur tem-
pore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhiben-
te verbo gratiae suae, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. † sup. 6. e.*

Synagogam Iudaeorum Apostoli pro more ingressi in Iconio, verbum Dei annunciare
coeperunt, ita vt bonam ciuium partem, & Iudaeorum & Graecorum conuerterent ad Do-
minum. Vbi Graecos credit Lyranus Iudaeos in Graecia natos, quos tamen alibi vocat ἐλλυ-
νιστάς, hic autem vocat ἐλλυνας: ideo potius crediderim hos fuisse Gentes, & fortè Profely-
tos: cum quibus Apostoli differentes, eos non modo verbis, sed & signis conuicerunt, atque
prodigijs praedicationem suam confirmantibus, iuxta illud Mar. ultimo: * Illi autem profecti
praedicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.
Ea propter qui non sunt satis persuasi Iudaei, Gentiles concitarunt, quasi non soli perirent,
sed caeteros, quos possent, secum ducerent: id quod mali facere solent. Pro concitarunt, Grae-
cè est ἐκείνων, pro quo verbo Erasmus maluit vertere, corruerunt: verbum autem Graecum
neq; hoc, nec illud significat, sed vexo & affligo. Significare etiam potest, malè habeo, vnde
sensus est: Malè habuerunt animas, vel melius, animos Gentilium aduersus fratres: id est, fe-
cerunt, vt malo essent animo Gentiles aduersus Christianos. * Mar. 16. d.

*Diuisa est autem multitudo ciuitatis, & quidam quidem erant cum Iu-
daeis, quidam vero cum Apostolis. Cum autem factus esset impetus Gen-
tilium & Iudaeorum cum principibus suis, vt contumelijs afficerent, & la-
pidarent eos, intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniae, Lystram &
Derben, & uniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.*

Ex concitatione Iudaeorum scissa est Iconij ciuitas, ita vt quidam Iudaeis, caeteri Apo-
stolis adhaerent, iuxta dictum CHRIS-
TI: Non veni pacem mittere in terram, sed gla-
dium. Ex quo contumelijs coeperunt Apostolos afficere. Graecè est ὑβρίσαι, quod Erasmus
maluit vertere, vt vim facerent, quia inquit, non timebant post contumelias, quasi verò Gen-
tiles & Iudaei vnà cum lapidatione non etiam contumelijs afficerent. Sicut enim contume-
lias non timebant propter CHRIS-
TUM, ita neque mortem. Quod aduertentes confu-
gerunt ad alias ciuitates, non temerè in pericula, CHRIS-
TI memores praecipiti, se conii-
ciantes: Si persecuti fuerint vos in vna ciuitate, fugite in aliam. Non ignauum enim duce-
bant periculum fugere, sed ex diuino praecipito, quo amplior ministerij fructus sequere-
tur. Estque magnè prudentiae impiorum furori aliquando cedere, ne & innocentes interfi-

Lycaonia. ciant. Fugientes igitur Apostoli venerunt Lystram & Derbam, ciuitates Lycaoniae. Est autē Lycaonia Gallatiae contermina, regio insignis, ad ortum solis Cataoniae, ab occasu Pamphyliae & Pisidiae, à meridie Ciliciae, vsque ad Taurum montem austrum versus extensa. Praeclarae in ea sunt vrbes, Iconium, de qua supra. Derba est Cappadociae adiuncta, pariter cum Iconio propter Apostolorum praedicationem claritatis, iuxta quam & Lystra non minus celebris propter Pauli lapidationem, de qua infra.

Derba.
Lystra.
† sup. 3. a. Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum. Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris. *†* Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suae, qui nunquam ambulauerat, hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet ut saluus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exiit, & ambulabat.

Profugi itaque Apostoli peruenerunt Lystram, ibique moram traxerunt, verbum Domini annunciantes, ut omnes duxerint in admirationem: quod persecutiones saepius facere solent, & victos tandem persecutores ostendere, persecutos autē fore victores. Cum enim praedicaret Paulus in Lystra, magnum claudus sanato facit miraculum. Hic enim claudus, quia verbum CHRISTI praedicante Paulo audiuit, nihil impediens claudicatione, quin diligenter attenderet, quod audiens credidit, & credens sanatus est, ut palam saltaret, in perfectae signum sanitatis, soli Deo miraculum possibile credens, nisi cui Dominus Deus dederit.

Turbae autem cum vidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas asserens, cum populis volebat sacrificare.

Quoniam idololatrae videntes hominum facultatem quid excedere, Deo tribuebant. Apostolos igitur signa facere, quae communem excedunt hominum facultatem, Lystris videntes, illos Deos esse existimauerunt, & diuinis illis dignum ducebant honores offerre, imò & illis tanquam diis sacrificare. Barnabam autem propter morum grauitatem & antiquitatem Iouem appellabant, Paulum verò Mercurium, quod dux praedicationis esset. Mercurium enim poetae deum eloquentiae dicebant, & sermonis interpretem, quem ob dicendi peritiam & maiestatem Paulum arbitrabantur: quia & concionibus praerat, & conciones ipse faciebat. Vnde Iouis sacerdos ad huius idoli curam deputatus, parat coronas ad Apostolos coronandos, & hostias illis immolandas.

† psal. 145. c. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscisis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes & dicentes: Viri, quid haec facitis? *†* & nos *† psal. 14. b.* mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuū, qui fecit caelum & terram, & mare, & omnia quae *† psal. 80. e.* in eis sunt, qui in praeteritis generationibus dimisit omnes Gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de caelo dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & letitia corda eorum. Et haec dicentes vix sedauerunt turbas ne sibi immolarent.

Cum audirent Apostoli turbas acclamantes: Dij in specie humana descenderunt ad nos: parum

parum moti sunt, quia nondum illis compertum erat quid dicerent, cum vulgari lingua patriae loquerentur. Vbi verò viderunt coronas ad sacrificium aptatas, exilierunt in eos, & scissis vestibus, more Iudaeorum in Deum blasphemiam audientium, clamauerunt, dicentes: Viri Lystris, cur haec facitis nobis, qui vobis similes sumus, qui ad vos missi à summo Deo sumus, ut vos ab hac idololatria reuocemus, & penitus eam dissoluamus, quanto minus nos existimare debetis, ut ad illam vos inducamus? Vide inquit Chrysofost. illos vbiq; à gloriae studio mundos, quam non solum non desyderabant, sed & cum daretur, repellabant. Inde arguit eos tanquam poena dignos, qui nutritorem suum non agnoscunt Deum, qui dat escam omni carni, dans de caelo pluuias, & cuncta homini necessaria, implens cibo & letitia omnium hominum corda, permittitque ambulare in viis suis omnes gentes, & propria lege frui. Quod autem dicit: Mortales sumus similes vobis: Graecè est ὁμοιωτάτους, vnicum vocabulum, id est, nos eadem mortalitatis conditione vobiscum praediti sumus, simili conditione vobiscum humanitus afficimur, iisdem malis atque affectionibus & passionibus, sicut & vos, obnoxij sumus. Et vix haec dicentes turbas compescuerunt, quin sibi immolarent, & ab hac infania turbam liberarent.

Superuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudaei, & persuasit turbis lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem, aestimantes eum mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben. *† 2. Cor. 11. f.*

Quanto magis Apostoli praedicationibus fidem erigere moliebantur, tanto studio Iudaei deprimere conati sunt. Apostolorum igitur à longe praedicationem audientes, adueniunt, seditionem in eos excitant, Paulum lapidant, & eum veluti mortuum extraxerunt foras portam ciuitatis. Ad eod malignum semper & saeuum in seruos CHRISTI fuit Satanæ regnum. Sed hoc iure belli contingit, ut triumphus non decernatur, nisi hostium victoribus. Proinde denuo reuersi Apostoli Derben & Lystram, Iconium & Antiochiam, docuerunt quod per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum Dei. Vnde sequitur.

Cumque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi Lystram, & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantisque ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt. *† 1. quæst. 3. canone saluator.*

Reuersi itaque Apostoli, vbi fuerant contumeliam passi, ibi intrepidè praedicant, quos conuerterant, confirmantes. Vbi autem dicit animas, aptius dixisset animos eorum confirmandos, ut perseuerarent in fide: qua ablata tota spiritualis aedificij machina corrui, & cum qua per varias mundi, daemone, & carnis atque appetitus sensitiui tribulationes oportet in regnum Dei intrare fideles. Quibus exhortationibus confirmati, qui crediderant discipuli, suffragiis delegerunt illis presbyteros per ecclesias, orationibus & ieiuniis eos Domino commendauerunt. In quo patet Paulum & Barnabam episcoporum dignitatem habuisse, qui non solum diaconos aut subdiaconos, sed etiam presbyteros consecrabant, & beneficiis praeferebant. Ex quibus verbis patet aliam tunc fuisse episcoporum, aliam presbyterorum dignitatem.

Transseuntesq; Pisidiam, venerunt in Paphlyiam, & loquentes verbū Domini in Pergen, descenderunt in Attaliam, & inde nauigauerunt Antiochiam, *† sup. 13. a.*

unde erant traditi gratiæ Dei in opus quod compleuerunt. Cum autem venissent, & congregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

Pisidia.

Pamphilia.

Attalia.

Iam iam fidei ostium Gentibus aperuerant, ideo ad fratres redibant, narraturi quid hactenus egissent, & quod cum fiducia Gentibus prædicare liceret. Reruertunturq; Apostoli per loca ubi antea prædicauerant, referentes quid illis inde contigisset, & confirmantes vt statet fixi annunciatis, & ea cum fiducia prædicarent. Peragrarunt itaque Pisidiam, quæ est minoris Asiæ prouincia, ab Austro Galatiam habens & Pamphiliam, haud magna regio, quæ duodecim magnas continet vrbes. Pamphilia quoque Asiæ regio ab ortu Ciliciam habet, ab occasu Lyciam, & Asiæ minoris partem, à septentrione Galatiam & Cappadociam, à meridie mediterraneum mare. Attalia Græcè ἀτταλία, penulti, prod. ciuitas est Pamphiliæ maritima, auctore Hiero. cuius nominis altera est in Lydia. Quibus regionibus peragratis, patriæ suæ vnde exierant redditi sunt, vt annunciarent cæteris condiscipulis, quantam illis gratiam in conuertendis Gentibus Dominus contulisset, & quanta pro nomine eius passi fuissent, vt & ipsi cum fiducia prædicarent.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Orta inter discipulos super circuncisione & legalibus seditione, Paulus & Barnabas ab Antiochia Ierosolymam ascenderunt, vbi communi omnium decreto statuunt, conuersus ad fidem Gentes legi Moysi non esse obnoxias: reuersi vero Antiochiam Paulus & Barnabas separantur ab inuicem, & Barnaba adheret Marcus, & Paulo Sila.

† 2. Cor. 6. c
Galat. 3. a.

T quidam descendentes de Iudæa docebant fratres: † Quia nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non poteris saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem super hac questione. Illi ergo deducti ab ecclesia pertrāsibant Phœnicem & Samariam, narrantes conuersionem Gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

Suborta Antiochiæ disceptatione, Græcè enim habetur συζητήσις, disceptatione, siue contentione inter quosdam fratres, qui descenderant à Iudæa Antiochiam, & Paulum cum Barnabæ super circuncisionis & legalium Moysi obseruatione: tandem statuerunt mittere Paulam & Barnabam ad Apostolos in Ierusalem pro huius contentionis decisione, nō quod de illa dubitaret, cuius oppositum semper prædicassent, non esse scilicet obseruanda legalia: in qua opinione firmiter persistebant. Ex parte vtraque igitur, Pauli scilicet, & qui ascenderent à Iudæa, missi sunt quidam, vt vterq; suam causam coram Apostolis tueretur. Ideo dicit: Et quidam alij ex alijs: Græca tamen quæ nunc extant, habent ἄλλοι ἐξ αὐτῶν, id est, alios ex ipsis. Noster interpretes legit ἄλλοι ἐξ ἄλλων, id est, alios ex alijs, vt intelligas quod à concilio Antiocheno ex parte Pauli & sequacium missi sunt Paulus ipse & Barnabas, ac Titus, vt idem Paulus fatetur ad Galatas secundo, vbi hanc ascensionem aptissimè describit. Ex parte autem aliorū qui ascēderāt à Iudæa, missi sunt alij, vt vnaquæq; pars pro sua causa apud Apostolos ageret. Hanc autem ascensionem fuisse post 14. annos à sua conuersione, non à prima ascen-

sione,

sione, qua post tres annos à conuersione ascenderat Ierusalem, visurus Petrum, tenet Beda, aliàs hic annus ascensionis decimus octauus esset à passione C H R I S T I, quando Petrus adhuc Ierosolymis esset, nec ex consequenti 25. annis sedisset Romæ, cuius oppositum feruat ecclesia.

Cum autem venissent Ierosolymam, suscepti sunt ab ecclesia, & ab Apostolis & senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Phariseorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi. Conueneruntque Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos:

Non ascendit igitur Paulus, vt ab Apostolis aliquid disceret, vt ipse testatur ad Galatas, sed vt persuaderet contradicentibus eos qui Ierosolymis erant suæ esse sententiæ. Adueniens igitur Ierosolymam, ab Apostolis & senioribus benignè susceptus narravit quæ lapsis 14. annis apud Gentes egisset. Verū tamen vt augetur dubitatio, quidam Pharisei, qui etfi credidissent, tamen necessariam putabant cum baptismo circuncisionem, & legis Moysi obseruationem, ideo Pauli aduersariis adhærentes auxerunt disceptationem. Ad cuius dissolutionem conuenerunt Apostoli & seniores, qui Græcè πρεσβύτεροι dicebantur. Ex quo conuincere licet, quod aliam quandam dignitatem habuerunt Apostoli, quæ presbyterorum dignitatem excederet, propter quam non simul assumuntur ipsi cum Apostolis. Coram quibus cum diutius protenderetur disceptatio, surgens Petrus paucis litem diremit, præ omnibus quasi princeps locutus ex autoritate.

† Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deum, testimonium perhibuit, † dans illis spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.

Ab antiquis autem diebus dicit, quod sic Græcè est, ἀπὸ τῶν ἀρχαίων ἡμερῶν. ἀρχαῖος enim cum significet antiquum & primū, longè aptius erat vertere à primis diebus, videlicet non longè post sancti spiritus missionem. Sensus enim est: Deus à primis diebus voluit inter nos & Gentes per os meum audire verbum euangelij, vt Act. 10. visum est, quando à Cornelio missus est Petrus ad euangelizandum, cum ambigeret, recipiendæ ne essent Gentes in confortium fidei. Quoniam per spiritus sancti missionem in corda Cornelij & domesticorum visus est Deus purificasse corda eorum per circuncisionem cordis, veluti prius in nobis per circuncisionem carnis. Non ideo videtur discernere C H R I S T V S inter Gentilem & Iudæum, inter masculum & feminam, inter liberum & seruum, qui sunt omnes vnum in C H R I S T O, modò crediderint. Nunc ergo, inquit Petrus, quid tentatis Deum imponere, Græcè est ἐπιθεῖν: ideo facilius esset constructio vertendo per gerundium, imponendo præcepta ceruicibus discipulorum: in quo increduli videmini esse Deo, quasi fide non possit ad se accedentes saluare, per cuius gratiam nos credimus saluandos cum fide non minus, quàm olim populus cum lege & ceremoniis saluabatur, quibus fides cum gratia successit.

Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos. Et

V v ij

postquam tacuerunt, respondit Iacobus, dicens:

Probauit Petrus Deum etiam signo visibili Gentes ad fidem acceptasse, absque circuncisione & aliis legalibus. Idem probant Barnabas & Paulus, narrantes cuncta quæ Dominus per eos in Gentibus fecerit mirabilia. Ex quibus Iacobus sufficiens argumentum elicit, quia Deus tanta non fecisset signa & prodigia per Apostolos in Gentibus, nisi earum conuersionem absque circuncisione & lege Moyfi probasset.

Uiri fratres, audite me: Simon narrauit quemadmodum primùm Deus uisitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo. Et huic concordant uerba prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & reedificabo tabernaculum David, quod decidit, & diruta eius reedificabo, & erigam illud, ut requirant ceteri hominum Dominum, & omnes Gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus, faciens hæc. Notum à seculo est Domino opus suum. Propter quod ego iudico non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum: sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Moyse enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicet in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

Iacobo tanquam episcopo Ierosolymitano deferunt ceteri, ut ex auditis tam ueteribus, quam nouis testimoniis censuram proferat, quæ legalibus, & ceremoniis ex lege consuetis finem imponat. Ex narratione igitur Simonis Petri infert sententiam. Græcè hic uocatur Simeon, de quo hic annotat Valla: Ut Paulus inquit, Græcè uocabatur Saulus, Hebraicè Saul; ita Petrus Græcè fortè Simon, Hebraicè שִׁמְעוֹן Simeon: quod confirmat ipsius epistola altera, quæ sic Græcè incipit: *συμεών πῆτρος*: quod uidetur attendisse Iacobus, qui Hebraicè loquebatur. Quod autè dicit, uisitauit sumere, Græcè, ἐπισκέψασθαι λαβῆναι. Cum autem ἐπισκέψασθαι significet uisito & consydero, aptius erat hoc loco, consyderauit, & tunc sensus est: consyderauit assumendum esse ex Gentibus populum nomini suo. Cui Petri narrationi citat uerba prophetarum, qui idem senserunt. Enallage est numeri pluralis pro singulari: uerba enim sunt prophetæ Amos cap. 9. quæ ad hoc adducuntur à Iacobo, ut ostendat quòd inuocandum erat nomen Domini à Gentibus. Quod autem nouissimè additur: faciens hæc: Græci codices qui nunc extant, addunt *πάντα*, id est, omnia: noster interpres non legit *πάντα*, quemadmodum & Hebraicè non habetur, neque apud Septuaginta. Nec igitur, inquit Iacobus, hoc uobis nouum uideatur, sed hæc omnia ab antiquo præfigurata sunt. Propterea iudico illos qui ex Gentibus conuertuntur, non esse impediendos aut obturbandos, sed illis scribendum esse, ut abstineant ab idolorum inquinamentis, & fornicatione, & suffocato, & sanguine. Quod autem dicit, à contaminationibus simulachrorum abstineant, id est, uel à cultu idolorum, uel etiam à comestione idolothytorum, quòd huiusmodi rem apprimè abhorrent Iudæi, & à fornicatione, quam licitam putabant Gentiles olim. Et quâquam sufficienter euangelica prædicatione inhiberetur, censui tamen hoc loco faciendam eius mentionem. Fornicationem enim simplicem dicunt doctores esse peccatum mortale, quòd præcipuè contraria sit matrimonio, in quo secundum ius naturale determinatur copula duorum perpetua, ad bonum totius naturæ humanæ, iuxta quod dicitur Tob. 4. * Attende tibi ab omni fornicatione, præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Et Prouerb. 5. * Ne intenderis fallaciæ mulieris: fauus enim distillans labia meretricis. & sequitur: Longè fac ab ea uiam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Et 1. Cor. 6. * Fugite fornicationem. Hanc enim Gentiles esse licitam, ideo necesse fuit eam particulariter prohibere, maxime quæ sit contra bonum humanæ generationis, educationis, & instructionis, imò & dilectionis,

*Tob. 4. b

*Prouer. 5.

*1. Cor. 6. d

dilectionis, quæ singula sunt secundum se digna morte æterna, quamuis Gentiles respectum ad mortem æternam non haberent, quæ esset pœna peccati mortalis. Præterea censuit Iacobus eos à suffocato abstinere, id est, ab esu animalis per suffocationem occisi, & sanguine, id est, sanguinis effusione, uel etiam manducatione cum sanguine. Propterea inquit, à suffocato & sanguine Gentibus abstinendum esse censeo, quòd iam olim Moyse, hoc est, libri Moyfi per synagogas in singulis ciuitatibus singulis sabbatis leguntur, ubi cum expressè Genes. 9. & Deutero. 12. cum sanguine comestio inhibeat.

Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni ecclesia eligere uiros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, uiros primos ex fratribus, scribentes per manus eorum. Apostoli & seniores, fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem. Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt uos uerbis, euertere animas uestras, quibus non mandauimus, placuit nobis collectis in unum eligere uiros, & mittere ad uos, cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi.

Ad tollendam omnem suspicionem, quam Antiocheni erga Paulum & Barnabam habere potuissent, per alios & ecclesiæ Ierosolymitanæ primos scribunt Apostoli, & totus ordo fratrum ad Antiochenos fratres, super definitione contentionis ibidem ortæ inter quosdam Iudæos, factos tamen Christianos, & Paulum cum Barnaba. At ne uideantur nuncij fortè apud Antiochenos suspecti, tum à Paulo & Barnaba petiti, tum qui essent comites eorum, dicunt Apostoli illos ex toto coetu selectos: sed & Paulum & Barnabam maxime apud eos commendant, qui pro nomine CHRISTI animas suas tradiderunt, neque labori pepercerunt barbaras aggredi nationes: de quibus scribit 2. Timoth. 3. * Tu autem affecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum. & seq. patientiam, persecutiones, passionem, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, scilicet Pifidiæ, Iconij, Lystris, quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.

*2. Tim. 3. b

Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uobis uerbis referent eadem. Visum est enim spiritui sancto & nobis nihil ultra imponere uobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis uos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes uos, bene agitis. Valete. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt epistolam.

Mittunt ergo Iudam & Silam duos de primoribus ecclesiæ, qui per sermonem hæc referant, quæ palàm audierunt. Visum est, inquiunt, spiritui sancto & nobis: non igitur est humanum decretum, sed quod spiritui sancto concilio præsidenti placuit. Quòd uidelicet Gentes doceatis ex legalibus hæc necessaria pauca Gentes obseruare debere: ut abstineant ab idolothytis, de quibus Paulus idem prohibet Corinthiis 1. Corinth. 10. * Sed quæ immolant Genes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem uos focios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Hoc igitur prohibet, non quòd aut idolum, aut idolothytum sit aliquid, sed ne participes sint & focij dæmoniorum: ne loco mensæ CHRISTI mensam comedant dæmoniorum, & ne loco calicis CHRISTI calicem bibant dæmoniorum: quæ omnia ducit Paulus tãquam illicita. A sanguine pariter iubetur abstinere, de quo Chryso. Genes. 9.

*1. Cor. 10. e

Hoc autem facit ideo, scilicet Deus prohibet, ut primis illis temporibus comprimat illorum impetum, & propensionem in homicidia. A suffocato præterea iubet abstinere, quod prohibuit Dominus Gene. 9. dicens: Carnē cum sanguine non comedetis. Quid est caro in sanguine? inquit Chrysostomus, hoc est, suffocatum: bruti enim anima sanguis est. Et tandem à fornicatione, de qua superius diximus. Dimissi itaque discipuli profecti sunt Antiochiam, & congregata multitudine fidelium reddiderunt epistolam.

Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas & ipsi cum essent prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad eos qui miserant illos. Visum est autem Sila ibi remanere, Iudas autem solus abiit Ierusalem. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & euangelizantes cum alijs pluribus uerbum Domini.

Audientes igitur Antiocheni fratres missam epistolā consolationis plenam, gauisi sunt, quod soluti essent ab oneribus legis. Quos etiam Iudas & Silas, cum essent prophetae, non quod essent futurarum rerum vates, sed sacrarum scripturarum interpretes, plurimis sermonibus confirmabant eos, ita ut nulla aduersus eos disceptatio esset super cæremoniis legis, sed rectè composita erāt omnia. Ex omnibus autem illis solus Iudas reuersus est Ierusalem, morantibus hinc cæteris, docentes, & euangelizantibus.

Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes uisitemus fratres per uniuersas ciuitates, in quibus predicauimus uerbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem uolebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non iisset cum eis in opus) non debere recipi.

Sollicitus autem Paulus, ne frustra cum Barnaba cucurrisset, rogat eum, ut rursus uisitent eos in quibus conuertendis tantum laborauerant. Marcus autem penitentia ductus, uidens eos tot tantisque consecutos fuisse honores, consideransque apud seipsum, si illos semper fuisset secutus, particeps quoque esset honorum, sicut & laborum: persuasit itaque Barnabæ consobrino suo, ut assumeret eum secum ad labores. Quem uidens Barnabas compunctum, rogat pro eo Paulum: quod renuit Paulus, dicens, ut ait Oecume. Nō expedit eum qui nobiscum non est profectus ad opus Domini, simul assumere. Dissensio itaque iustitiæ erat, & non iræ. Paulus siquidem quod iustum est quærebat, Barnabas uero quod benignum est ac humanum. Marcus tamen persistebat, cum Barnaba semper conuersatus, simul & labori atque prædicationi accinctus: cuius tamen receptioni resistebat Paulus, non ut illum contristaret, sed ne illos sicut prius in Pamphylia deciperet.

Facta est autē dissensio, ita ut discederent ab inuicem, & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum, Paulus uero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.

Dissensio autem illa animorum in neutro peccatum fuit, quæ nec odij, nec inimicitiae erat,

erat, sed quod quisque rectum iudicabat, id procurabat: quod & ecclesiis maximè profuit, sed etiam ipsi Marco, quæ illum promptiorem reddidit, & magis sollicitum, ac pro futuro cautorem, cuius etiam humilitas apud Barnabam meruit ne omnino desisteretur, sed eum secum assumeret relicto Paulo, & in Cyprum nauigaret. Paulus uero assumpto Sila regressus est in Syriam, consolaturus fratres super præceptis & decretis Apostolorum & seniorum. Neque hæc discessio horum inimicitiae fuit, quia Paulus multis effert laudibus ipsum Barnabam in epistolis suis, sicut & Marcum, ut Coloss. 4. Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrino Barnabæ, de quo accepistis mandata, si uenerit ad uos, suscipite illum. Marcus igitur plurimum Pauli asperitate adiutus, priorem segnitiam studuit summa tege-re diligentia. Paulus uero ad eas quas conuerterat ecclesias prius redit uisitandas, quas ad cæteras transeat.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Paulus cum Sila perueniens Derben & Lystram Timotheum circumcidit, & per varias perambulantes ciuitates à spiritu sancto prohibiti sunt in Asia & Bithynia predicare. Proficiscens autem Macedonia stetit Philippis apud Lydiam mulierem. Ibi quandam puellam à Pythone liberantes uirgū casti coniciuntur in carcerem. Nocte uero sequenti terra motu soluuntur in carcere. Carceris custos credit & baptizatur, & sequenti die per maiores liberatur Paulus.

P*eruenit autem in Derben & Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris uiduæ fidelis, patre Gentili. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio fratres. Hunc uoluit Paulus secum proficisci, & assumens circumcidit eum propter Iudeos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater eius erat Gentilis.*

Paulus inertiam fugiens propositum sequitur. Lycaoniam autem primū profectus, ubi etiam plurima passus, non inane ducit reuerti Lystram, ubi Timotheum quendam reperit discipulum, filium mulieris uiduæ, uel ut Græcus habet, Iudææ, quam ut ait Glos. ordi. Iudæam fuisse apparet ex hoc quod ait, patre Gentili. ELycaonia enim Timotheus fuit, cuius ut patet Lystrius, quem & circumcidit Apostolus, qui nullum lapidē nō mouerat ad abolendam circumcissionem, & quam ex Apostolorum decretis prædicabat non obseruandam. Unde mirum esse uidetur, quod non solum alios prohibet, sed etiam ipse exequitur: uerum ipse circumcidit, ut circumcissioni finem imponat. Videbat enim apud Iudæos imminens scandalum. Ne ergo per occasionem Gentium, inquit Glos. Iudæi à fide recederent, quibus uetus umbra paulatim tollenda erat, sicut Gentibus idololatria, ipsum circumcidit pro Iudæorū uitando scandalo, ne subito legem Moyfi uideretur damnare, sed eam quasi non necessariam Gentibus non imponere, implens in seipso quod de se scribit 1. Corin. 9. *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrifacerem: iis qui sub lege erant, quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege erāt, lucrifacerem. Hunc igitur Timotheum Paulus secum assumpsit itinere socium, quem Ephesinæ demum ecclesiæ præfecit. *1. Cor. 9.

Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Ierosolymis. Et ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie. Transcun-

tes autē Phrygiam & Galatia regionem, vetati sunt à spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabāt ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus Iesu.

Ne superiorum decretis inuiti, & ea velut autentiqa prædicare & docere erubescamus, Paulus quæ non fecit dogmata prædicare non erubuit, sed ea etiam nomine Apostolorum & seniorum custodienda tradidit. Non sic impij nostræ tempestatis hæretici priscis sacrae scripturae interpretibus, quamuis receptissimis deferunt, aut quid autoritatis tribuunt, sed sibi solis fidentes, quicquid animo primum occurrerit, Apollinis oraculum iureiurando asserunt, & sic standū discipulis relinquunt: sed volente Domino paulatim decident * tanquā puluis quem proiicit ventus à facie terræ, iuxta Pauli dictum 2. Timo. 2. * Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittētes. Ex doctrina autem Apostolorum & seniorum numerus quotidie augebatur credentium ex Pauli & sociorum prædicatione. Ex doctrina horum neotericorum numerus quotidie decedit, aliis in flammis passim ruentibus, aliis in carcere morientibus, aliis ob mortis metum latentibus, & suam sectam palam fateri atque tueri non patientibus. Cum verò Apostoli transirent Phrygiam & Galatiam, vetiti sunt ire in Asiam minorem & Bithyniam, ne ut ait Beda, sanctum detur canibus, & cor iniquum de cōtempta prædicatione grauius iudicetur. Lyra, verò, quia tunc maior fructus imminēbat aliis locis prædicando. Ambro. verò, de vocatio. Gent. lib. 2. cap. 1. Non utique illis populis negata gratia, sed quantum apparuit, retardata. Est autem Phrygia Asiæ minoris regio amplissima, à septentrione Galatiæ cōtermina, à meridie Lycaoniæ, ab oriente Cappadociam attingit. Est autem Phrygia duplex, maior scilicet inter Galatiā & Lydiam, minor Troadi superiecta, & ad Galatas vsque ingrediens, ab austrōque Mysiam maiorem, à borea Bithyniam terminum habet. Galatia autem, siue Gallogræcia, Asiæ minoris prouincia est, Bithyniæ contermina, à Gallis illuc profectis, qui à rege Bithyniæ conuocati, regnum cum eo diuiserunt, appellaueruntque Gallogræciam. Mysia autem Phrygiæ prouincia bipartita est: maior ab austro supra sinum Adramyteum iuxta Antandrum littoralem urbem, minor à Bithyniæ finibus in Propontidem flexa, citra Prusam, quæ iuxta Olympum est, in qua mons ipse Olympus est, & plures maritimæ vrbes, quæ etiam Aeolis postea dicta est. Troas verò ciuitas est Asiæ maritima. Bithynia prouincia est Asiæ minoris, quæ & quondam Bebritia dicta est, & deinde Mygdonia. Et Phrygia maior habet ciuitatem eiusdem nominis. Nō igitur totam minorem Asiam prohibuit, sed eam eius partem, quæ finitima est Epheso, quæ Ioanni Euangelistæ relinquebatur conuertenda, Bithynia verò Lucæ.

Phrygia.

Galatia.

Mysia.

Troas.

Bithynia.

Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem: & visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidā erat stans & deprecās eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiua nos. Ut autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniā, certi facti quod vocasset nos Deus euangelizare eis. Nauigātes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitatis colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot conferentes.

Cum vetiti essent prædicare in Mysia, quæ minoris Asiæ erat, & in Bithynia, transeuntes inde venerunt Troadem, vbi visio quædam noctu illi apparuit, quæ vocaret illum in Macedoniam. Nec iam per angelum, sicut supra, Philippus & Cornelius, sed per visionem humanam instruitur: vbi enim facilius persuasio, more magis humano, vbi verò difficilior, diuinitus fieri oportuit. Nam vbi erat prædicandum, per somniū aduocatur: vbi prohibetur prædicare, per spiritum sanctum reuelatur. Qua visione certiores facti tendunt in Macedoni-

doniā. Græcè pro certi facti est *συμβιβάζοντες*, quod cum actiua sit vocis, & *συμβιβάζω* coniecere significet, nec adhuc certo scio, an adiuua voce significet certiore fieri, arbitror locum ita verti posse: coniectātes quod nos vocasset Deus ad euangelizandū illis. Cum qua coniectura egressi à Troade venerunt Samothraciam, quæ est insula è regione Thraciæ portuosissima, Samothraciam habens ab ortu Imbrum insulam minimè obscuram, ab occasu Thasum, & ipsam nobilem & fertilem. Samos autem primum dicta, & Thracia cognominata videtur, ad eius Sami, Samos. quæ Asiæ obiacet, differentiam: de qua Virg. Aencid. 7. Threiciamque Samon quæ nunc Samothracia fertur. Inde venerunt Neapolim maritimam ciuitatem, quæ è Thracia Macedoniam ingredientibus primò obtingit: est autem in continente Macedoniæ contra Thasum insulam. Inde verò applicuerunt Philippos, quæ vrbs est Macedoniæ apud Strimonem fluiuium, prius Crenides, deinde à Philippo rege Macedoniæ Philippi appellata. Ad Philippos autem scripsit Paulus epistolam ab vrbe Roma per Epaphroditum. Ad Corinthios vtranque scripsit epistolam à Philippis: priorem per Stephanam, Fortunatum, Achaicum, & Timotheum: alteram per Titum & Lucam. Macedonia regio Græciæ olim centū quinquaginta populis illustris, quam dicunt à Macedone Iouis & Thyæ filio dictā, quam nunc Albaniam dicunt, inter duo ingentia maria, Aegæum ab oriente, Ionium ab occasu, in septentrionem ad Dalmatiam, superiorēque Mysiam extenditur, ad meridiem Epiro clauditur. Regnum quondam Philippi patris, & Alexandri filii imperio totius orbis celebre. Hodie vniuersa Turcicæ ditionis est, sicut & aliæ Græciæ vrbes, non sine pudendo Christiani nominis decore.

Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse, & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens deum, audiuit. Cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo. Cum autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicatis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos.

Pro eo quod habetur, foras portam, Græcā quæ nunc extant, habent *ἔξω πόλεως*, id est extra ciuitatem, interpretes legisse videtur *ἔξω πόλης*, id est extra portā. Non enim Paulus ad orationē vel prædicationē synagogā quærit, sed vbi putat turbam concursum, illuc vadit ad quærendum fructum. Diem sabbatorum autem eligebat, vbi frequentius sperabant auditorium. Inuenerunt autem solas mulieres, sexum docilem ad faciendā fidei fundamenta: inter eas autem Lydia conuersa cum tota familia Paulum hospitio recepit. Vbi habet: vbi videbatur oratio esse: Græcè est *ἐνομιζέτω*, quod significat & cenferi, & solere, vel putari. Itaque sensus esse potest, vbi futura esse censebatur oratio, vel vbi solebat esse vel fieri oratio. Vbi aliqui codices habent Lidda, alij Græcum sequentes habent Lydia: & pro purpuraria Græcè est *πορφύρα*, id est purpuræ vel purpurarum venditrix. Thyatiri vel Thyatireni populi Thyatira. sunt Thyatiræ vel Thyatirorum ciuitatis, quæ ad ortum Phyladelphiam habet, quæ & Pelopia aliquando dicta est, vnde hæc Lydia, de qua hic sermo, purpuraria. Sed longè notior Thyatirena Christianorum ecclesia inter septem ecclesias à Ioanne in Apocalypsi numerata. Et hæc est in regione Lydiæ, vnde magis nomen hæc mulier vendicasse creditur.

Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum & nos clamabat, dicens: Iste homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciat vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus, spiritui

† 26. q. 2. ca. dixit: † *Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadē hora.*
illud quod.

De cōsecra.

distin. 4.

Nullus au-

tem.

In hac ciuitate puella quædam erat Pythonissa, si probum sit vocabulū, quæ spiritu Pythonico diuinando magnum quæstum dominis suis cōciliabat. Pythonem quidem magnū fuisse draconem in Delo insula dicunt, quem iaculis suis confecit Apollo: quamobrem deinceps Pythius dictus est. Hic autē cū diuinandi artem calleret, arte potius magica, quàm naturæ sequaces suos diuinos Pythonico spiritu actos docuit pariter artem, & nomen reliquit, quos passim scriptura Pythones vocat. Huiusmodi autem ars talis erat apud mulierculas. Pythia enim mulier diuinitatis cruribus in Apollinis tripode sedere solebat, & tunc malignus spiritus infernè ascendens, per illius genitalia ventrem ingressus, mulierem furore replebat, quæ sic Pythonico acta spiritu solutis crinibus debacchari ore spumans incipiebat, & insanæ verba proferre, & si quispiam occultum quid vel ablatum furto petebat, illa sic acta reuelabat, vnde dominis suis quæstum non modicum præstabat. De qua Pythia muliere canit Virgil. Aeneidos 6. sub nomine Cumææ Sibillæ. videas ibidem. Hæc igitur sic acta spiritu puella sequebatur Paulum, enunciens ipsum esse salutis nūcium à summo Deo missum. Cū verò sic vera loqueretur à dæmone, cur Paulus iussit eam tacere, nec diutius vera proferre? Hoc ideo faciebat dæmon, vt mentes hominum ad sibi credendum alliceret, & à Paulo sic pateretur, vt tandem veris falsa miscendo populum sibi credentē illuderet: nec propterea Paulus illum per mulierem amplius loqui permisit, sed ab ea exire compulit.

Videntes autem domini eius quia exiit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cū sint Iudæi, & annunciant morem quem non licet nobis suscipere, neque facere, cū simus Romani. Et cucurrit plebs aduersus eos: & magistratus

scissis tunicis eorum iusserūt eos virgis cædi. Et cū multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi, vt diligenter custodiret eos. Qui cū tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerē, & pedes eorum strinxit ligno.

Ex his patet quot & quantorum malorum est lucri pecunia, cuius causa paganorum inhumanitas non indignum ducebat puellam à dæmoniis agitari, & Paulum cum Sila iniuste virgis cædi, & in carcerem trudi. Causam verò pagani prætexunt, vt putadum est, dæmonū instinctu & suasu, quod Paulus cum sociis rempublicam perturbarent, ita vt eos læsæ maiestatis accusarent, suadentes patriæ mores mutare velle. Vnde ciuitatis magistratus iusserunt nulla penitus facta inquisitione illos virgis cædi, & inde in carcerem conici. Non enim eos accusabant quod dæmonem eiecisset, & puellam ab eius vexatione liberasset, sed quia mores tollerent superstitionis Romanorum. Verum quoniam ex eorū incarceratione magnum futurum erat miraculum, singulari Dei dispensatione in interiorem carceris locum cōiiciuntur, vinctis eorum pedibus ad lignum.

Media autē nocte Paulus & Silas orātes laudabāt Deū: & audiebant eos qui in custodia erāt. Subitò verò terra motus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, & vidēs ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, estimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nil tibi

tibi mali feceris, vniuersi enim hīc sumus. Petitōque lumine introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes, & producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo eius.

Sic Apostoli plurimis plagis acceptis* ibant à conspectu concilij, quoniam digni habiti* sup. 5. g. sunt pro nomine Domini IESU contumeliam pati, in neruum conici, in interiorem trudi carcerem: nec sic dormire poterāt, sed tota nocte infomnes vigilando Deum orantes ita altè laudabāt, vt eos & custos carceris, & cæteri vincti audirent. Interea autem terræ motus adeo factus est magnus, vt carceris fundamenta moueret, ostia carceris aperiret, singulorum vinctorum vincula solueret, & carceris custodem expergefaceret. Quod tamen vincti non ceperūt, aliās fugissent omnes. Experfectus igitur carceris custos, Pauli benignitatem admiratus est, qui non fugisset cū posset, & se à cæde prohibuisset. Hunc autē custodem Occu. ait esse Stephanam illum, de quo meminit Paulus prioris Cor. 1. dicens: Baptizauit autem & Stephanæ domum. & cap. vltimo: Noctis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam sunt primitiæ Achaïæ. & seq. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleuerunt. Vnde compertum est, quod Paulus cum Sila & virgis cæsus, & in carcerem coniectus est: non sine scenore tamen perpeffæ ignominia, quoniam plurimis ad CHRIS TV M conuersis, eius ecclesiæ prima iecit & rudimenta & fundamenta. Cū verò magis adoleuisset, ex vrbe Roma ad Philippenses tanquam iam adultos & in fide maturos scripsit epistolam. Custos igitur carcerem ingressus diuina virtute hoc factum agnoscens, procidit ad pedes Pauli & Silæ, veniam postulans, & quid pro consequenda salute facturus esset exorans. Crede in Dominū IESVM, ait Paulus, & saluus fies cum tota familia tua: quod & factum est.

Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum, & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò. Cūque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & letatus est cum omni domo sua, credens Deo. Et cū dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos. Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus vt dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: Casos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eiciunt. Non ita, sed veniant, & ipsi nos eiciant.

Idco custos ea vsus est in eos benevolentia, quia hoc diuina virtute, & non maleficiis factum cognoscebat, cū per totam noctem eos audiisset orantes & laudantes Deum: quod malefici facere non solent. Eductis autem in cubiculum, apposuit eis mensam, cum illis letatus, quod Paulus eum à morte corporali & spiritali saluasset. Ideo illis gratiam habens, plagas eorum abluuit, & baptizatus cum vniuersa familia misericordiam cōsecutus est. Facto autem die magistratus miserunt lictores ad carceris custodem, vt eos sineret abire, iam super factum certiores forsitan facti: quos tamen per se eicere non audebant. Id quod Paulus renuit, indignum ducens homines Romanos publicè cæfos indicta causa conicere in carcerē, & clam illos eicere, nisi & ipsi illos eiciant, qui commiserant iniustitiam in illos: quod & ipsi fecerunt. Vnde sequitur.

Nunciauerunt autē magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque au-

† 10. di. ca.
 Si in adiutorium.

dito quòd Romani essent, & venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de vrbe. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam, & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.

Lictores igitur magistratibus nunciant, illos tanquam malefactores, & qui deliquerint, nolle exire, sed innocentes declaratos dimitti. Quorum voluntati obsequentes magistratus, veniunt ad eos, veniam precantes, quia ex passione & ignorantia fecerunt: rogantque ut ex vrbe egrediantur ad vitandam seditionem. Egressi itaque carcerem, ingrediuntur Lydiæ domum, consolantur socios, & urbem egrediuntur.

CAPVT DECIMUMSEPTIMUM.

Egressus Paulus Philippos venit Thessalonicam, à qua multi ad CHRISTVM conuersi à Iudæis pellitur Beroam, vnde post multorum conuersionem exire coactus per Iudæos, relictis ibi Sila & Timotheo profectus est Athenas, ad quas Silam & Timotheum accersit. Vbi multorum consuetudinibus superstitionibus urbem penè totam conuertit.



Um autem perambulassent Amphipolim & Apolloniã, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem Paulus introiit ad eos, & per sabbata tria diserebat eis de scripturis, adaperiens & insinuans, quia [†] Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis, & quia hic est Iesus Christus, quem ego annuncio vobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Sila: & de colentibus Gentibus multitudo magna, & mulieres nobiles non pauca.

† Luc. 24. e.

Egressi Apostoli Philippos ad cæteras maiores Macedoniae ciuitates, ad quas vocabantur, pertransitis paruis accedunt. Amphipolis proximè Philippos, ad brumalem iacet occultum, Atheniensem aliquando colonia, quam Strimon fluuius ex Hæmo delapsus peninsulæ forma complectitur: à quo situ vrbi postea nomē datum. Altera eiusdē nominis est in Syria. Apollonia quidem ciuitas est Macedoniae, non longè à Thessalonica. Aliæ autem eiusdē nominis sunt in Macedonia, & altera in Aphrica, quæ nunc vocatur Pentapolis. Thessalonica præterea vrbs etiam Macedoniae metropolis. In illa pius quidam homo nomine Iason erat, qui Paulum hospitio suscepit, apud quem diutius moratus, synagogamque Iudæorum ingressus, Paulus in multo certamine CHRISTI fidem docuit, insinuans de scripturis CHRISTVM oportuisse pati, & resurgere à mortuis. Insinuans dicitur Græcè παρατίθεµενος, quod Erasmus mauult interpretari, allegans. Significat autem παρατίθεµι in medium afferō, atque etiam allego, siue exemplum cito, & auctoritatem scriptoris promo: qua significatione vtitur Atheneus. Vide Budæum in suis Cōmentariis. Cui prædicationi plures crediderūt, & plurimæ nobiles mulieres. Græcè est, γυναικῶν τῶν πρώτων, id est, mulieres primariæ ciuitatis.

Zelantes autem Iudæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem, & assistentes domui Iasonis, quærebant eos producere in populum. Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hîc [†] qui urbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Iason, & hî omnes
 contra

† Ioa. 18. g.

contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis, audientes hæc. Et accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos.

Græci addunt ἀπειθήντες, id est, increduli, siue qui non credebant. Zelantes autem significat inuidia & odio commotos. Iterum itaque Apostolos accusant læsæ maiestatis, & reipublicæ concitata. Non inuenientes autem illos apud Iasonem, qui illos hospitio exceperat, ipsum ad principes ciuitatis tanquam seditiosorum receptatorē cum multa vi traxerūt: quem sufficienti satisfactione & excusatione accepta dimiserunt indemnem. Quod autem dixit, assistentes domui Iasonis, Græcè est, ἐπιτόντες, quod significat vrgentes domum Iasonis, siue violentia opprimentes. Maleuoli enim præ turba domum Iasonis vrgebāt, & opprimebant, quòd clam aduenas exceperat: vnde pro suscepit, Græcè est ὑποδέχεται, quod amplius significat, scilicet clam, siue occultè suscepit, quos palam excipere non audebat. Nam ὑπὸ in compositione clam vel clanculum significat: propterea in illum tam concitauerunt ciuitatem. Quod verò dicit: accepta satisfactione à Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos: Græcè est, λαβόντες τὸ ἴκον, id est, cum satis accepissent ab Iasone, & ab aliis iudicio sistendi sponsonis, ipsos abire iusserunt. Nam ἱκανὸν λαβόντες, est fideiuffores in sponsonem exigere & accipere: quod vulgò dicitur accipere cautionē ab aliquo. Est ergo sensus, quod accepta satisfactione, potius quàm satisfactione ab Iasone, id est, cum pro Paulo & aliis satisfecisset Iason, id est, cautionem præbisset. Alij autem ἱκανὸν λαβόντες, cum satis accepissent, id est, cautionem pro Paulo accepissent, dimiserunt eos. Ergo quod interpret vertit, accepta satisfactione, melius erat, accepta satisfactione. Et fortasse ita scripserat interpret, sed à quodam qui latinum non putabat verbum satisfactio, satisfactionē posuit. Neque enim pro Paulo satisfecit Iason, sed satisfecit, id est, ut ita loquar, seipsum cautionē dedit, promittēs se satisfacturū, si opus esset.

Fratres verò confestim per noctem dimiserunt Paulū & Silam Berrhœã. Qui cum venissent, in synagogam Iudæorum introierunt. Hî autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonica, qui susceperunt verbum cum omni auuiditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentiliū honestarū, & viri nō pauci.

At cum Paulus rursus Iudæorum inuidia premeretur, atque cōcitato in eum magistratu res in periculo essent, nocte intempesta emissus cum Sila à fratribus abiit in Berrhœam, quæ est ciuitas Macedoniae: in qua rursus Iudæorum perfidia Paulus agitur, Athenas usque deductus est. Quod dicit: hî autem nobiliores, &c. Lyranus, & post eum Dionisi. exponunt de Iudæis qui erant Berrhœæ, & erant nobiliores genere & animo, quàm hî qui erant Thessalonica. Quod non videtur mihi, sed illos referri ad fratres qui noctu Paulum à Thessalonica dimiserūt, ut sit sensus: Hî autē fratres qui intēpesta nocte dimiserūt Paulū & Silam Berrhœã à Thessalonica, erāt generosissimi inter omnes Thessalonicēses, qui receperāt verbū Dei cū omni alacritate, quotidie scrutātes sacras scripturas, an ita se haberet, uti Paulus assererat. Iā enim crediderāt, volebāt tamen certissimā à seipsis persuasione de passione, morte, & resurrectione CHRISTI habere. Ex quibus multi crediderunt, etiam honestæ mulieres, & viri non pauci Gentilium.

Cum autē cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia & Berrhœæ prædicatū est à Paulo verbum Dei, venerūt & illuc, cōmouētes, & turbātes multitudinē. Statimq; tūc Paulū dimiserūt fratres, ut iret vsq; ad mare. Silas autē & Timotheus remanserūt ibi. Qui autē deducebant Paulū, perduxerunt eum vsque ad Athenas: & accepto mādato ab eo ad Silā & Timotheū,

ut quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.

Græca quæ nunc extant, habent ἀπὸ τῆς Θεσσαλονικίας, id est, Θεσσαλονικῶν, vel Θεσσαλονικῶν, Theſſalonicenſes Iudæi. Ego credi derim interpretem legiſſe ἐπι, pro ἀπὸ. Quocunq; autem fugiebat Paulus, hunc perſequebantur & Iudæi: nec eoſ timo re mortis fugiebat, ſed eorū vitans furorem, & prædicationem augere cupiens. Vbi ergo cœpit Berrhœæ prædicare, Theſſalonicenſes Iudæi, qui eum à Theſſalonica expulerāt, proſequuntur vſque Berrhœam. Quem ſtatim fratres emiſerunt, vt iret tanquam ad mare, Græcè, ὡς ἐπὶ θάλασσαν, quod Eraſmus maluit vertere, velut ad mare. At hoc non ſignificat Lucas: neque enim id vult Paulus, quòd dimiſerint Paulum fratres, vt iret tanquam ad mare, ſed re vera vſque ad mare iret. Itaque interpres ὡς, pro ἐως, id est, vſque vſurpauit, aut legit ἕως. Qui verò eum deducebant, comitati ſunt eum vſque Athenas: Græcè, οἱ δὲ καὶστώτες τὸν πᾶλλον. Eſt autem καὶστωμι, componere, & id quod labat ſtabilire, ac nutantem & trepidantem confirmare: quo ſenſu probè hîc quadrat. Nam concitata aduerſus Paulum turba, dimiſerunt eum vſque ad mare. οἱ δὲ καὶστώτες, &c. id est, Qui verò comitatu ſuo eum cõfirmabāt, ſecuritatem ei præſtātes, vſque Athenas perduxerunt. Ad quem Silas & Timotheus ſtatim profecti ſunt.

Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipſo, videns idololatriæ deditā ciuitatem. Diſputabat igitur in ſynagoga cum Iudæis, & colentibus. & in foro per omnes dies ad eos qui audierant.

Conſydera quantas habeat Paulus difficultates cum Iudæis, quocunq; pergat, & maiores, quàm apud Gentes. Iudæi enim cum ipſo verberibus, Gentes verò ſolum verbis contendunt. Ipſo igitur Athenis expectante ſocios, exacerbabat eum ſpiritus ſuus, tot idola, quot nuſquàm viderat, conſyderās. Vbi pro irritabatur, Græcè eſt παροξύνω, excañdeſcebat, irritabatur, ægreſcebat, exacerbatur. Non ergo ibi ſignificat irā, ſed excitationem quandā ad zelū: & quaſi tabeſcebat ob zelum, iuxta Pſal. Tabeſcere me fecit zelus meus. Diſputabat quotidie & in ſynagoga, & in foro, cum omnibus qui ipſum audierant. Vbi pro audierant, Græcè eſt παρατυγχάνοντες, quod ſignificat eos qui ſuperuenerant, aut caſu atque obiter venerant. Aut igitur interpres pro audierant, verterat, adierant, ſed fortè ſcriptoris vitio mutata eſt lectio in audierant, aut interpres legit παρακρίνοντες.

Quidam autem Epicurei & Stoici Philoſophi diſſerebant cum eo, & quidam dicebant:† Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? Alij verò: Nouorum demoniorum videtur annunciator eſſe: quia Ieſum & reſurrectionem annunciat eis.

† Diſt. 43. ca. ſit rector.

Athena.

Athenis igitur conſtitutus Paulus diſſerit cū Philoſophis, & cum Epicureis, præcipuè & Stoicis, aliis alia Paulo impropertibus, modò quia verbifator quidam aduenerit, modò quia novos deos annunciat. Athenæ autem ciuitas, ab Athena Minerua, quam Græci Athenam vocant, dicta, in Attica regione quondam muris, naualibus ædificiis, armis, opibus, virtis, omni ſapientia atque prudentia florentiſſima & nobiliſſima, & nullius indiga præconij, tanta eius ſuperfuit claritas. Eadem noſtro tempore parui oppiduli ſpeciem gerit, atque in vicum quendam eſt redaeta. Quam verè Ouidius deplorans ait: Quid Pandionia reſtant niſi nomen Athenæ? Nam ciuitas illa olim ſpectabilis & inclita, à meridie Aegeo mari clauditur, à ſeptentrione Aſopum habet fluuiū, cuius modò ſola veſtigia reſtat, humile quoddā caſtellum, cum arce quondam ſacra Mineruæ. Hæ ſunt Athenæ, quas ſapientia fama tot ſeculis celebres primùm Paulus vera ſapientia illuſtrauit. Nō Socrates, nō Plato hoc dedere lucis vrbi ſuæ & intelligētiæ, quod humilis, & à recēti virgarū cæde madēs Apoſtol⁹ impartiuit. Nolim prolixius huius vrbis gymnafia proſequi, porticus, fora, theatra, tēpla, & caſtra. Velim tamè quaſdā ſectas interea, de quibus Lucas hîc nobis ppoſuit, ſcrutari. Harū prior eſt

Epicureorum, à quodam Epicuro philoſopho dicta. Hic Gargeti ortus duodeuigeſimo vitæ anno Athenas ſe contulit, cum Xenocrates Academiam teneret, florerētque tum maximè Ariſtoteles in Chalcide. Laudatam itaque ab Epicuro adeò voluptatem, quæ ex veri rectiq; contemplatione oriatur: dogma tamen infame voluptatis fœdæ aſſertor erat, quæ ex venere, oculis, auribus, & ſapore oriuntur. Ex quibus peiora ſcribit orta Iosephus Antiq. lib. 10. ca. 14. in fine. Epicureorum error arguitur, qui prouidentiam è vita eiiciunt, & Deo regimen rerum nolunt permittere, nec credunt vniuerſitatem à beata illa & immortalī eſſentia vel conſeruari, vel gubernari, ſed ſine rectore & curatore mundum ſuoſte impetu ferri aſſueverant: qui ſi ita, vt illi autumant, careret præſide, quem admodum naues ſine gubernatoribus videmus procellis & fluctibus obrui, curruſque aurigis deſtitutos euerti & confringi, ita & ipſe mundus perderetur immoderato impetu. Stoici verò philoſophi à Stoa porticu, vbi frequens eorum erat gymnaſium, qui maximè morali philoſophiæ ſtudere ſolebant, ideo ſapientiſſimi fuerunt reputati, & veritatis amiſſiſſimi, antea vocati Zenonij, à Zenone eorū primo doctore. Horum de ſcientiâ nonnulli ſuperbientes, Paulum irridebant, dicentes: Quid nam vult hic verbifator, an novos nobis deos annunciat? Græcè eſt σπερμολόγος, qui Latinè dicitur nugator, loquax, vaniloquus, blaterator, & vt Plautus ait, qui lubēs verba fundit: quod ita magis propriè vertitur, quàm ſi dicamus, qui novos rumores ſpargit in vulgus. Pro annunciator, Græcè eſt κηρυγμῆν, quod enunciatorem magis & denunciatores ſignificat. Pro nouorum autem, Græcè eſt non καινῶν, id est, nouorum, ſed ξενῶν, id est peregrinorum, vt τὸ ξένος hoc loco ſignificet rem peregrinam, nouam & inſolentem. Ita hîc ſumere debes noua dæmonia, non pro recens factis, ſed pro nouis & inauditis. Sic ſumendum eſt, vt paulò poſt ſequitur: noua quædam inferſ auribus noſtris, id est, peregrina, inſolentia, inauditaque, quod Græcè Lucas dixit, ξενίζοντα γὰρ τινά. Vbi aduerte ξενίζοντα aut neutraliter ſumi pro ξένα, aut vide quo alio modo intelligi poſſit.

Et apprehenſum eum ad Arcopagum duxerunt, dicentes: Poſſumus ſcire quæ eſt hæc noua, quæ à te dicitur, doctrina. Noua enim quedam inferſ auribus noſtris. Volumus ergo ſcire quidnam velint hæc eſſe. Athenienſes autem omnes, & aduenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere, aut audire aliquid noui.

Hi autem philoſophi magna iactantes, Paulum ridiculum reputant. Hic autem celeſtia ſola profeſſus, crucis ſtultitiam prædicat. Proinde in Martio illo pago, qui celeberrimus Athenis erat, frequenti auditorum corona ſeptus, nullo ſermonis fucò, ſed nuda aperta que aſſeueratione vnū illis Deum, quem vel ignorant ſe colerent, ob oculos ponit. Arcopagus autem duo ſunt vocabula, τὸν ἀρειον πάγον, quod Eraſmus malè vertit, vicum Martium, falſus verbo Latino pagus, pro G ræco. Credidit enim τὸν πάγον, idem ſignificare quod pagus Latinè: cum πάγος Græcè collem vel rupem, & locum eminentem ſignificat, & locum altum, mœnibus ac valle munitum. Et Stephanus de vrbibus τὸν ἀρειον πάγον, promontorium fuiſſe dicit Athenis, in quo iudicia & quaſtiones rerum præcipuè criminalium, de que nece perpetrata exercebantur. Athenis duo fuerunt conſilia: Alterum quotānis mutabile, quod rempublicam conſtituebat: alterum perpetuum, quod de cædibus iudicabat, & rebus criminalibus. Eo in loco, qui dicebatur etiam Arcopagus, de quo Suidas: Vocatus eſt Ariopagus, quòd in rupe & edito loco ſitum ſit illud forum: de foro cauſarum forenſium intelligo. Arius autem, ſiue Martius dicitur, quòd de cædibus, quibus præeſt Mars. De Ariopago autem, Arcopagitarumque moribus ſi vis latius videre, lege Budæum in Pandectas. Melius ergo interpres noſter Græcam vocem Ariopagum reliquit, quæ Latinis etiam inaudita nō eſt, quàm Eraſmus, qui vertit vicum Martium. Veruntamen poetæ nomen eius loci fingunt à Marte dictum, qui ibidem adulteri j cum Venere Vulcani vxore poenas dedit. De quo ludat Mātuanus lib. 1. Dionyſij: Eſt locus inſignis tēplo Mauortis, & alta mole ab it in nubes, vbi conſultare ſenatus ſæpe ſolet, Martis pagum dixere, quòd illuc Mars in iudicium tractus purgauerit olim longè infame nephas, cauſam agnoſcente deorum concilio.

X x. ij.

Arcopagus

Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos video. Prateriens enim, & videns simulachra vestra, inueni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.

Constitutus Paulus coram senatu Areopagi, vt si quid afferret boni, probaretur, si quid verò mali, ab illo puniretur. Qui igitur omnibus omnia fieri nouerat, vt omnes lucrifaceret, suam eloquentiam ad omniū mores obtemperat, dicens: Viri Athenienses, per omnia quasi *superstitiosos* vos esse video. Est autem superstitio vitium religioni oppositum secundum excessum, qua quis cultum diuinum exhibet cui non debet, vel eo modo quo non licet: quod tribus particularibus modis contingit: Vel quia honor latræ idolo exhibetur, quomodo est idololatria. Vel quando loco Dei à dæmonibus petitur instructio, & hæc est diuinitio. Vel obseruantur quædam etiam à Deo ad hominis directionem instituta, aliter quàm fuerint ordinata, & sic est obseruatio, quæ multas potest habere species, quas amplius declarat Aug. de doct. Christiana, lib. 2. Et his modis Paulus vocat superstitiosos, quasi dæmones verentes omnia pro numinibus colebant, & lapides, & ligna, & bestias, & spiritus. Vnde sic ratiocinatur Paulus, quia contra Gentes philosophos & sapientes agit: Oportet vnum esse Deum super omnia summum, à quo omnia tanquam à prima causa pendent, & ipse à nullo. Sed nullus vestrorū deorū talis est, qui omnes esse cœperūt. Est igitur alius Deus ab illis à vobis ignotus: hunc autem annuncio vobis. Neque itaque vobis quid peregrinū aut nouum prædico. Rationes autem diuersas afferunt, quamobrem Athenienses cuidam aræ inscripserunt Ignoto Deo. Duas enim rationes adducit Clarius: Aiunt enim inquit, Philippidem quædam missum ab Atheniensibus ad Lacedæmonios pro ineunda societate, cum Persæ in Græciâ mouerent exercitum. Huic in Parthenio monte occurrisse spectrum quoddam, Panis scilicet illius Gentiliū dei, qui quereretur se ab Atheniensibus negligi, cæteros autē deos coli, & pollicitus est se opitulaturum. Parta ergo victoria, huic templum erexerunt, & aram construxerunt. Et cauentes ne tale quid in posterum paterentur, prætermisso à se aliquo deo, quæ ignorarent, erexerunt & arā illā illi, inscribentes, Ignoto Deo. Alij verò sic dicunt, inuasisse olim Athenienses pestilentiam, quæ ita illos incenderet, vt ne tenuissima quidem lintea ferre possent. Cum autem consuetos deos colerent, & orarent, nihil iuuabantur: cogitauerunt ergo esse aliquem fortasse Deum, quem ipsi inhonorum reliquissent, qui pestilentiam illam immisisset: quocirca ædificato altari, & inscripto, Ignoto Deo, & immolantes ei, cōtinuò liberati sunt. Ferunt autem totam aræ inscriptionem hanc fuisse: Diis Asiæ, & Europæ, & Libyæ, Deo ignoto & peregrino. Aliam rationem affert Comestor in Act. Aposto. Die enim dominicæ passionis solis infuetam eclipsim videntes totam tenebris terram obscurantem, & huius causam non inuenientes, ad hoc inducti dixerunt Deum naturæ pati. Construamus inquit, illi aram, & dedicemus: quod & fecerunt, inscribentes illi, Ignoto Deo. De eadem eclipsi scribit beatus Dionysius ad Apollophanem.

† 145. a. *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manu factis tēplis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ.*

Minorem subsumit Paulus, dicens: Is Deus quem ignoratis, cæteros deos in hoc excelsit, quia mundum & omnia quæ in mundo sunt, fecit, & gubernat, & cum vniuersæ terræ sit Dominus, sed & cælos regat & dirigat, non est existimandus concludi in aliquo loco,

loco, aut templis circumscribi, ita quod non sit in alio loco, sicut dii vestri, aut humanis fabricari manibus, aut sacrificiis coli, quasi indigens aliquo, qui omnia continet, & à nullo continetur, quæ cæli capere nō possunt, cuius ditioni sunt omnia, qui dat omnibus & vitam, motum, respirationem, quæ non daret, nisi haberet: quod non faciunt dii vestri: nullus ergo deorum vestrorum est illi æquiparandus. Quod autem non habitet in templis manu factis, piè intelligendum est. Dicere enim nephas est, quod in templis non habitet, cum sit vbique præfens. Legitur autem templa sibi ædificari iussisse, & templa domum suam appellet: & Ezech. 43. dicat: Maestas Domini ingressa est templum: quæ non magis ingredi templum potest, quàm habitare vel replere. Intelligendum est ergo, quod non habitat localiter ac circumscriptiue, sic vt si in templo sit, alibi non sit. Vel intellige, quod non in templis habitat, nec humanis manibus colitur, tanquā indigens aliquo, vtpote quod domo egeat pro mansione, aut adoratione nostra vel oblatione, quæ partim manuum complicatione, partim sacrificio fit, opus habeat. Ideoque tractim legendum est: non in manu factis templis habitat, indigens aliquo: aut humanis colitur manibus, indigens aliquo, cum ipse omnibus det vitam, & inspirationem, & omnia. Vbi interpretis pro, & omnia, legisse videtur *καὶ πάντα*: quum tamen Græci codices qui nunc extant, habeant *κατὰ πάντα*, id est per omnia. Inde Chriſto. interpretatur non per omnia, sed omnia, dicens duas cōiecturas Deitatis. Ostendit & quod ipse nullo egeat, & quod omnia cunctis suppeditet, qui etiam fecit ex vno omne genus hominū, &c. Græci codices qui nunc extant, habent *ἀμωσ*, id est, vno sanguine, quod interpretis non legit, & sensus esset, ex vno sanguine, id est, ex vno homine, scilicet Adam.

Definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorū, querere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. † In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus. † Genus ergo cum simus Dei, nō debemus aestimare auro, & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile.

Cumque Deus ille summus totum genus humanum ex vno homine per generationis contumationem multiplicarit, constituit terminos eius, limitauit vniuersæ terræ possessiones & regiones, distribuit cuique regioni portiones, quas coleret, & habitaret, præscripsitque cuiusque vitæ spacia, quæ nemo posset sibi prorogare, quæque præteriri non poterunt, vt eum cognoscant, requirant, & precentur, & eum per amorem attrectent, si forte attrectent eum, aut inueniant eum. Vbi pro attrectent, Græcè est *φύλασσαν*. *φύλασσω* autem & palpare significat, & obscura vestigare. Cumque Deus palpabilis non sit, neque attrectabilis, quatenus Deus, mihi videtur hic *φύλασσω* pro obscura vestigare sumi posse, vt sit sensus: vt querant eum, si forte obscuram & incognitam eius naturam inuestigare possint & inuenire, quomodo mortalis animus ad Dei notionem accedere potest: quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. Quia dixerat Deum non habitare in templis manu factis, ne forte putarem incircumscriptibilem eius naturam, ad eam non posse nos attingere & peruenire, subdidit: Non longè abest ab vnoquoque nostrum. Per ipsum enim viuimus, & mouemur, & sumus: quia ipse in nobis est, nos viuificans, & viuos ad operationem mouens, ac omnino esse, quod aiunt, & naturam nobis suppeditans. Quod autem subdit Paulus: Sicut quidam poetarum dixerunt: sensum poetæ Arati Phenomenis, at non verba reddidit. Nec enim verba eius naturam carminis respiciunt hoc in loco. Aratus autem non planè dixit, quemadmodum Paulus, sed quod Iouis ac Dei plenæ sunt viæ omnes, omnia hominum fora, & mare, & portus. Alterum autem hemistichium, quod sequitur: ipsius enim & genus sumus: verum hemistichium est Arati, initium quinti carminis, *τὸ γὰρ καὶ γένος ἑσμέν*: genus

autem Dei sumus: non quod ad carnem aut corpus attinet, sed quod ad animum, secundum quem in genere dicitur de homine: *ad imaginem & similitudinē suam creauit illum Deus. Genus ergo cum simus Dei, &c. Græcè, γένος ἐν ὑπαρχόντες τῷ θεῷ, ἢ ὁμοίωμα νομίζεν χρυσῶ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ χαράγματι τέχνης καὶ ἐνούμιαστος ἀνθρώπου τὸ θεῖον εἶναι ὁμοίον, id est, Genus itaque cum simus Dei, putare non debemus auro, aut argento, aut lapidi, quæ sunt sculpturæ hominum arte & inuentione fabricatæ, numen ac Deum esse simile. χαράγματι enim puto appositiuè referri ad tria illa, auro, argento, & lapidi, vt etiam hoc modo vertere possis: auro, aut argento, aut lapidi hominum arte & inuentione sculptis & fabricatis.

Et tempora quidem huius ignorantie despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbiq̄ue pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.

Despiciens Græcè dicitur ὑπερφύων, aoriston participium, quod meo iudicio verti possit: Et tempora huius ignorantie cum diffimulari Deus, ac quasi per conniuentiam transmiserit, nunc annunciat. Fiduciam enim illis ingenerat, ne ob præteritam idololatriam animum despondeant, excusans eos, quòd per ignorantiam peccauerint, cuius rationem non habiturum Deum asserit, modò pœnitentiam agant: ad quam inuitat futuri iudicij mentione facta, quod per virum fore dicit, quem Deus definiuit, **CHRISTVM** scilicet, quem à mortuis suscitauerit, fide omnibus præstita, quotquot eam volunt apprehendere. Decreuit enim orbē terræ iudicare per eum, quem vobis prædico, cuius rei hanc Deus fidem facit, quòd eum à mortuis suscitauerit.

Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem iridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidā verò viri adherētes ei, crediderūt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.

Cum audirent Athenienses Deum esse spiritum, & mente ac corde spiritualiter coli debere, & honorari, cuius gloria iam ad nos proximauerit, quem per filium suum annunciauit, & quam, si consequi velimus, in melius vitam commutemus, in quibus prædicandis ipse filius occisus est, & resurrexit. Vbi verò resurrectionem adiecisset **CHRISTI**, ex consequenti mortuorum resurrectionem possibilem intellexerunt, alij eum ridebant, alij eum rursus audire constituerunt, quasi hoc prorsus impossibile, & æquè ac mundum creare difficile. Quibus tamen quidam crediderunt, inter quos fuit Dionysius Areopagita. Hic est cuius extant libri de cœlesti Hierarchia, & ecclesiastica, de diuinis nominibus, & mystica theologia, & alij nonnulli, quicquid dicant Valla & Erasmus. Hic autem apud Athenienses nequaquam parui nominis erat. Quæ autē dignitas Areopagitarū esset, vide Budæū in Pandectas.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

*Paulus ab Athenis egressus, Corinthum veniens, ab Aquila & Prisca benigne exceptus est: & cum illic multas à Iudæis pateretur calumnias, per visum intellexit multum ibi conuertendum populum: ibidem tamen à Iudæis apud iudicem accusatus venit Ephesum, & inde Casaream, & postea Antiochiam. Apollo autem Iudæus quidā vir doctus venit Ephesum, qui conuersus conuincebat Iudæos, ostendens per scripturas **CHRISTVM** esse Verum Messiam.*

Posthac



Posthac egressus Paulus ab Athenis, venit Corinthum: & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem eius, (eo quòd præcepisset Claudius discedere Iudæos à Roma) accessit ad eos. Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur (erat autem scenofactoria artis) & disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Iesu, suadebatque Iudæis & Græcis.

Paulus inde venit Corinthum, olim Romanam coloniam, quæ adeò quondam celebris fuit, vt M. Cicero pro Pompeio totius eam Græciæ lumen appellauerit. In ea autem Paulus sefquiāno prædicauit, donec Iudæorum inuidia, & variis agitatus calumniis eam reliquerit. Corinthi Paulus hospites, qui eum benigne acceperunt hospitio, reperit, Aquilam Iudæum, & Priscillam uxorem, quos Claudius imperator cum cæteris Iudæis à Roma expulerat. Græcè, διὰ τὸ διαπεραχέναι, id est, eo quòd edixerat, siue statuerat. Id enim διαέρτω significat, ne simplex præceptum intelligas. De hoc Claudij edicto varij varias scribunt causas. Suetonius eum asserit Iudæos ob tumultus, quos assidue in ciues excitabant, Roma expulisse, impulsore **CHRISTO**. Vnde Beda: Quòd vtrum contra **CHRISTVM** tumultuantes Iudæos coerceri & compriui iusserit, an etiam Christianos simul velut cognatæ religionis homines voluerit expelli, nequaquam discernitur. Comestor verò dicit Claudium Iudæos expulisse, eo quòd uxorem eius Agrippinam præ nimia familiaritate, quam habebat cum eis, adeò traxerant ad ritus suos, vt iam Iudaizaret. Aquilæ duo fuerūt, vterque Ponticus genere, sed alter quidem Iudæus, cuius hîc Lucas, & Paulus Roma. vltimo meminit. Alter Profelytus, qui vetus instrumentum post 70. Interpretes ex Hebræo in Græcam linguam conuertit, de quo Eusebius lib. 5. cap. 8. Erant autem scenofactoriæ artis. Græcè, ἵσαν γὰρ σκηνωπιῶν τὴν τέχνην, id est, erant tabernaculorum artifices, siue tentorium. σκῆναι Græcè, tabernacula dicuntur. Disputabat autem ibidem cum Iudæis & Græcis, persuadens ex scripturis sacris, quoniam **CHRISTVS** iam dudum expectatus venerat.

Cum venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis esse Christum, Iesum. Contradicientibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego: † ex hoc ad Gentes vadam.

Paulus semper prædicationi insistebat, testimonia de **CHRISTO** adducens. Græca quæ nunc extant, secus legunt, scilicet συνέχεον τὸ πνεύματι, id est, continebatur à spiritu, vel coarctabatur spiritu, videns scilicet Iudæos perstare incredulos: aut continebatur à spiritu, ne inde discederet, quemadmodum paulo post scribit. Cum itaque Paulus hîc solus esset, Dei verbum annuntiabat, non obstantibus Iudæis. Aduenientibus autem Sila & Timotheo, cepit instantius prædicare, etiam testimoniis scripturæ & prophetarum prædicationem suam confirmans, vel etiam miraculis, donec Iudæorum in **CHRISTVM** blasphemiis iussus sit urbem egredi, & in suburbiis apud quendam nomine Titum Iustum diuersari. Exiens autem dixit illis: Sanguis vester super caput vestrum: id est, Peccatum vestrum capiti vestro sit, vósque soli pœnas eius luetis: quia per me non stetit, quo minus ad meliorem frugem rediretis, & crederetis. Propterea subdit: Mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam: id est, innoxius posthac ero, si vobis relictis, qui verbum Dei reiicitis, ad Gentes transeo. Sic & Ezech. 33. cap. ac si diceret: Quicumque à **CHRISTO**, qui vita est, defecerit, inquit Clarus, ipse se interficere videtur, à vita ad mortem transiens, & sanguinem suum quodammo-

Xx iiij

do effundēdo, se ipse interficit. quasi diceret: vos ipsos incredulitate iugulatis, huius facti vos ipsi causam subite, cum ego fecerim quod in me erat, & inde culpa caream. Et hæc dicens, vestimenta sua excussit, ut non verbo solum, sed & opere terreret eos. Adeoque illud dixisse videtur, illos excitandi gratia.

Et migrans inde, intravit in domum cuiusdam nomine Titi Iusti, colentis Deum: cuius domus erat coniuncta synagoga. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

Quidam dicunt hunc Titum non fuisse vocatum, sed Iustum, hoc autem nomen à Latinis additum, quo Græci carent. De quo Beda. Aut proprium nomen viro fuit, aut merito iustitiæ sic cognominatus est. Non fuit hic Titus discipulus Pauli, ad quem scripsit epistolam, & Cretæ episcopum ordinavit, cum quo & Barnabas ascēdens Ierolymam, contulit euangelium cum Apostolis, Galat. 2. Apud illum autem Paulus per annum cum dimidio mansit, & hunc, & Crispum, plurēque alios ad synagogam venientes ad CHRISTVM conuertit, & baptizavit per se vel discipulos suos, ut I. Cor. 1.

Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat: quoniam populus est mihi multus in hac civitate. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.

Siue autem per somnium, siue vigilans IESVM viderit, nocte tamen vidit: sed hoc magis videtur per somnium. Vnde I. Cor. 9. ait: Nōne CHRISTVM IESVM Dominum nostrum vidi? Vbi de hac visione videtur illis dicere, quam apud eos viderit: vel fortè de prima, de qua supra cap. 9. Quod autem dicit: Nemo apponetur tibi, ut noceat: & Græcè pro apponetur, est ἐπιτίθειμαι. Significat autem ἐπιτίθειμαι, irruo & inuado. Itaque sensus esse potest: Nemo in te irruet, aut nemo te inuadet, ut tibi noceat, siue ut te malè habeat: id enim significat verbum ἐπιτίθειμαι. Quoniam Paulus iam fugā tentabat, fortasse apparuit illi CHRISTVS, confortans eum, quia nihil erat hīc passurus, sed multum populum conuersurus.

Gallione autem proconsule Achaia insurrexerunt uno animo Iudei in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudeos: Siquidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, ò verè Iudei, rectè vos sustinerem, si verò quæstiones sunt de verbo, & nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis: iudex ego horum nolo esse. Et minavit eos à tribunali. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagoga, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

Volente Deo, vbi frugem multam videbat futuram, diutius manebat Paulus. Mansit itaque Corinthi annum integrum, & sex menses, quibus quoad sufficiebat lucratum, aggrediuntur Iudæi pro more, adducentes eum ad Gallionem, qui tunc Achaia proconsulem agebat. Huius statim patuit in his prudentia Gallionis, qui non dixit, non est mihi curæ negotium vestrum: sed, si eum iniustitiæ vel alius facinoris grauis accusaretis, rectè vos sustinerem. Vbi pro rectè, Græcè est κατὰ λόγον, quod pro ratione, siue meritò significat. q. diceret: meritò vos sustinerem.

sustinerē. Verum cum de verbo & nominibus vestræ legis sit quæstio, non mea interest, sed vestra. Quibus dictis Iudæo, à suo abegit tribunali. Hac autem cōtumelia cōfusi, Sosthenem archisynagogum coram Gallione vexabāt, indiscretè quasi furore acti: hic autem patienter toleravit, à Paulo persecutiones sustinendas esse sufficienter edoctus. Quæ videns iudex, illis modestior tacuit, & quæ æquitatis erant, leui sententia pensavit.

Paulus verò cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, qui sibi totonderat in Cenchræis caput, habebat enim votum: deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse verò ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit, sed valefaciens, & dicens: iterum reuertar ad vos Deo volente: profectus est ab Epheso.

Paulus tandem reliquit Corinthum: profecturus Syriam, prius peruenit Ephesum, ducēs secum Aquilam & Priscillam. At cum egrederetur Corinthum, in Cenchræis portu Corinthiorum caput rasit, ex voto iuxta legem Nazareorum, de qua Nume. 6. quam prius vouerat. Sciens autem eam non amplius obligare, rasit cæsariem, & eam dedit igni. Græcè est, κείραμενος τὸν κεφαλήν ἐν Κενχρεαῖς. Est autem ambiguum an κείραμενος referatur ad Paulum, an ad Aquilam: utrius enim referri potest. κενχρεαῖς aut portus est, ac naualis statio Corinthiorum, ex qua Phœbe ecclesiæ Dei Cenchrensis ministra erat, de qua Roma. 16. ca. Ephesi iterum cum Iudæis disputavit, sed etiam rogatus noluit ibi diutius remanere, cum festinaret ad festum in Ierusalem. Vnde Græci codices addunt: Oportet omnino me festum, quod instat, agere in Ierusalem: sed iterum reuertar ad vos Deo volente. Et tunc soluit Epheso, quæ est vrbs in pulcherrimo sinu posita, longè omnium urbium Ionicarum clarissima, & Asiae olim lumen dicta. Urbis splendorem situs auxit: primum oppidorum frequentia circūseptus, quorum omnis olim Asiatica claritas fuit. A sinistris Meandrus fluius fluit, à Phrygia exortus, & per Cariam in Aegeum mare effluit. A dextris Caistrus Asiaticarum opum vector, à Lydia veniens. Ephesi præterea à Dianæ templo vsque adeo aucta est fama per orbem, ut cum 12. vrbes Ionia aliquando teneret, omnium tamen præcipua habita est Ephesus. Nec aliud opulentius templum aut ornatius creditum aut spectatum est: per Asiam, quàm Dianæ Ephesinæ templum: cuius longitudo 425. pedum, latitudo 220. erat, columnæ 127. à singulis regibus Asiae dicatæ. Hoc autem 220. annis à tota Asia factum ferebatur. Iuxta templū Asylum erat libertatis inuiolata, ad stadij spacium ab Alexandro extensum. Vnde nec mirum, si templa Christiana immunitate gaudeant, sicut apud Israelitas ciuitates refugij. Hoc verò eodem conflagrauit templum Ephesi, quo natus est Alexander 353. ante CHRISTVM natum. Vnde Egeſias Magnesi ioco dixit, Dianam dum parturiret Olympias, Alexandrum adeo fuisse occupatum, ut templum suum ab igne defendere non potuerit.

Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit ecclesiam, & descendit Antiochiam. Et factò ibi aliquanto tempore, profectus est, per ambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

Ad quam verò Cæsaream Paulus ab Epheso venerit, multi multa dicunt. Verum Beda Cæsaream Cappadociae intelligit, à qua in Antiochiam Pisidiae descendit. Nondum enim in Syriam Phoenicis aduenerat. Hæc quondam à Mosoe filio Iapheth Mosacha dicta, post à Cæsare Augusto Cæsarea dicta, de qua sup. Et itidem de Antiochia Pisidiae, quæ prius Paulo venienti ab Epheso occurrebant, quàm Cæsarea, vel Philippi, vel Palæstinae, aut etiam Antiochia Syriae. Nondum, inquit Rabanus, in Syriam Phoenicis venerat, à qua longè distabat: inter quas mediæ erant Phrygia & Galatia, quas Paulus transiens illustrabat, confir-

mans discipulos quos prius conuerterat, ut patuit supra cap. 16.

Iudæus autē quidam Apollo nomine, Alexandrinus natione, vir eloquēs, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantum baptisma Ioannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini.

Græcè est ἀπώλλω, quartæ inflexionis. Hic autem Apollos, ut recitat Oecumenius, fertur Corinthiorum fuisse episcopus, ob id fortasse, quod Paulus ad Corinthios ait: Ego plantaui, Apollo rigauit. Hic si ad baptisma Ioannis, inquit Chryso. quomodo spiritu feruebat? nondum enim datus erat sic spiritus. Si autē qui post illum opus habuerunt baptisate CHRIS-
TI, multo magis ille. Verisimile est, inquit Oecume. & hunc baptizatum fuisse. Nam etsi qui discipuli Ioannis fuerant, accedentes ad fidem, etsi baptisma Ioannis susceperant, rursum baptizabantur, oportebat quoque discipulos & hoc facere.

Cum autem vellet ire Achaïam, exhortati fratres, scripserunt discipulis, ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderunt. Vehementer enim Iudæos reuincebat publicè, ostendens per scripturas esse Christum, Iesum.

Trahebat enim illum spiritus in Achaïam, vbi erat Corinthus, cuius postea factus est episcopus. Vbi vehementer Iudæos reuincebat, hisque multum profuit credentibus per gratiam. Hoc est ergo quod eisdem Achaïcis Apostolus scribit 1. Corinth. 3. * Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Cum Iudæis itaque disputans, ostendit per scripturas ab illis receptas CHRIS-
TVM esse IESVM illum, ac Messiam in lege promissum.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Paulus reuersus Ephesum quosdam Ioannis discipulos baptismo IESV CHRISTI baptizauit, qui post manus impositionem spiritum sanctum receperunt. Inde per tres menses in synagoga, & per biennium in schola cuiusdam tyranni disputauit, signa faciens. Filij autem Sceua principis sacerdotum tentantes in nomine IESV euicere daemona, vulnerati sunt à daemónico, vnde plerique combusserunt libros superstitiosos. Tandem quidam Demetrius faber seditionem in Paulum mouit, quam Alexander vix sedare potuit.



Actum est autem cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus per agratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos, dixitq; ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si spiritus sanctus est, audiuimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptisate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui ven-

† Matt. 3. c
Marc. 1. a
Luc. 3. c
Ioan. 1. d
Sup. 1. a.
2. a. 12. e

turus

turus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum.

Egressus Paulus Ephesum fratres in superioribus partibus Asiæ, Phrygiæ scilicet & Galatiæ, reuersus est Ephesum, cum iam Apollo relicta Epheso esset Corinthi. Inuentis autem Ephesi discipulis Ioannis, Paulus petiit ab eis: Si post baptisma per manus impositionem spiritum sanctum acceperunt. Ut autē Chryso. ait, iam patet quod in CHRIS-
TVM non perfectè credidissent, ex eo quod Ioannes dixerat: Ut credant in illum qui post ipsum venturus erat. Et non dixit: Nihil est baptisma Ioannis: sed imperfectum. Et neque hoc addidit simpliciter, sed ut doceat illos, ac persuadeat in nomine IESV baptizari oportere. In cuius baptismo per Pauli manus impositionem spiritum sanctum efficaciter acceperunt: quod linguarum locutione apparuit. Veruntamen si qui Ioannis baptismo baptizati erant, authore Paulo rebaptizati sunt, & verus baptismus iterari non potest, indubium est Ioannis baptisma non fuisse verum atque perfectum. Quod cum Cypriano, Chrysostomo, Hieronymo, & Augustino, ac Bedæ, & penè omnibus doctoribus visum sit, miror stultam quorundam perniciam, qui contendunt baptisma Ioannis tam fuisse verum atque perfectum, quàm Apostolorum. Verum ut argumentum fugiant de rebaptizatis, aiunt baptizari baptismo Ioannis nihil aliud esse, quàm instrui doctrina illius: quæ cum perfecta non esset, baptizari eos iussit Paulus in nomine Domini IESV, id est, amplius & perfectius instrui in doctrina CHRIS-
TI. Sed hæc mera commenta, quæ apertam vim scripturæ faciunt. Miror inquam, quomodo sibi permittant, catholicos verò non ferant vllam ex antiquissimis patribus scripturæ expositionem afferre, textum ex solo textu exponi volentes.

His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. † Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit spiritus sanctus super eos: & loquebantur linguæ, & prophetabant. Erant autem omnes viri ferè duodecim.

† De cōsecr.
dist. 4. cap.
& quodā.
Sup. 2. a.
D. 4. f

Audita igitur Ioannis baptisimi imperfectione, baptizari voluerunt in nomine Domini IESV, ac manuum Pauli impositione spiritum sanctum argumento sensibilis gratiæ acceperunt. Et ut ait Oecumenius, vnus quidam Perfarum lingua protinus loquebatur, alter Romanorum, tertius Indorum, & alius similiter alia quadam, & omnes omnibus. Nec solum linguis loquebantur, sed & prophetabant, hoc est, docebant, vel etiam futura præfagebant, & ea annunciabant audientibus. Hic repletur duodenarius discipulorum numerus, qui si per denarium ducatur, resultabit numerus 120. discipulorum, qui repleti sunt in die Pentecostes, de quibus supra ca. 2. sed vnus in Ierusalem Iudæorum metropoli, alter in Epheso præcipua vrbe Græcorum, ut ostendat tam Iudæos, quàm Gentiles spiritu sancto repleti, si maneat in fidei vnitatem.

Introgressus autem synagogam cum fiducia, loquebatur per tres menses, disputans & suadēs de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis segregauit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles.

In quancunque ciuitatem ingressus fuerit Paulus, reperit Iudæos dispersos, qui illi semper contradicerent: quod illi continua fuit exercitationis occasio. Ingressus igitur synagogam Iudæorum in Epheso, per trimestre liberè nemine contradicente prædicabat non de fabulis, aut inutilibus rebus, sed de regno Dei, scilicet æterna beatitudine, & via perueniendi ad eam. Credentibus autem Gentibus plurimis, quidam indurati hanc viam ad vitā æternā difficilè videntes, resiliunt, huic viæ maledicentes. Hanc viam, inquit Oecumenius, CHRIS-
TVM dicit, aut veram eius fidem. Hæc enim via est, quæ ducit ad regnum cœlorum. In

quo tales se monstrant reprobos, qui tanquam petrae pro nihilo semen iactum duxerunt, quia non habebant humorem, ideo ab illis Paulus discedens, segregauit veros discipulos in scholam cuiusdam principis. In quo nos docet, ut ab iis qui conuicia iactant in filium Dei & doctrinam eius, segregentur veri Christiani veram doctrinam sectantes, ne verbis haereticorum inficiantur. Quis autem fuerit hic tyrannus, certi nihil inuenitur. Cum autem tyrannus olim in bonam partem sapius pro dignitate, ut ait Rabanus, diceretur, & de regibus ac aliis potentibus ac fortibus dominis, Esther 6. Primus de regibus principibus ac tyrannis teneat equum eius. Et Dan. 1. Ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula. Et Virg. Pars mihi pacis erit dextram tenuisse tyranni. Putarim magnatem aliquem, & ex potentioribus ciuitatis, quem tyrannum veteri appellatione nuncupat, scholam aliquam secessus gratia, in qua feriaretur, aedificasse. Hanc autem praedicationem per duos annos continuauit, ex quo fama eius per totam Asiam spargeretur, & bona pars tam Iudaeorum quam Graecorum crederet verbo Domini.

Virtutesque non modicas quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita etiam ut super languidos deferrentur a corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Virtutes non vulgares aedebat Paulus super infirmos languentes, quod patet, cum mitteret ad eos vel pallium, sudarium, aut semicinctium, per eorum tactum sanabantur. Sudaria enim & semicinctia Oecumenius existimat esse linea. Attamen sudaria inquit, super caput tenduntur: semicinctia vero in manibus tenent, qui *ἀσκήσια* gestare non possunt: veluti sunt, qui consulares gestant stolas, aut *ὑψία*, ad abstergendos a facie humores, nempe sudores, saliuam, lachrymas, & similia. Et horum virtute Pauli indumentorum tactus non languores modo & morbi ab aegrotis recedebant, sed & mali spiritus ab obsessis egrediebantur.

Tentauerunt autem quidam & de circumueuntibus Iudaeis exorcistis inuocare super eos qui habebant spiritus malos nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum quem Paulus praedicat. Erant autem cuiusdam Sceuae Iudaei principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis? Et influens homo in eos, in quo erat demonium pessimum, & dominatus amborum inualuit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.

In hoc quod ait, tentauerunt, docet eos non veros fuisse exorcistas CHRISTO credentes, sed forte Salomonis arte CHRISTI nomini applicare tentabant. Salomon enim, ut ait Ioseph. lib. 8. ca. 2. Antiqui Iudaicam arte diuinitus consecutus est, ad utilitatem & medelam hominum, quae aduersus daemones est efficax. Incantationes enim composuit, quibus morbi pelluntur, & coniurationum modos scriptos reliquit, quibus credentes daemones ita fugantur, ut in posterum nunquam reuerti audeant: atque hoc sanationis genus nunc usque plurimum apud nostrates pollet. Et sequitur: Modus vero curationis erat hic: Admoto naribus daemониaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radice species a Salomone indicata, ad eius olfactum per nasum extrahebatur daemonium, & collapsa mox homine, adiurabat id, ne amplius rediret. Hi itaque filij Sceuae tanquam exorcistae existimantes Paulum inuocato tamen CHRISTI nomine ad curandos morbos daemonesque fugandos his artibus ac incantationibus uti, hoc ipsum tentantes, a daemониaco vexati sunt & vulnerati. Quod autem dicit, dominatus amborum, interpretis Graecae legisse videtur, *κατακυριεύων ἀμφὶν*, id est, amborum. At Graeca quae nunc extant, habent pro *ἀμφὸν, ἀντὶν*, id est, & dominatus eis: quae

quae videtur aptior lectio. Non enim de duobus, sed de septem Sceuae filijs agitur exorcistis, qui haec tentabant. Quibus daemон per daemониacum respondit: Non vos creditis, sed hoc nomine abutentes haec verba fingitis: & ut ait Chryso. Non estis huius nominis praecones, sed mei inquit daemон, estis. IESUM cognosco. Confundamini igitur vos, qui hunc ignoratis, & melius me scire deberetis. Paulum scio huius verum esse praecorem. Videt inquit Chryso. gratiores esse daemones, quam Iudaeos, & non audentes contradicere, neque accusare vel CHRISTVM, vel Apostolos. Omnino enim formidarunt & timuerunt sanctos illos, quod tantam habuerint potestatem.

Hoc autem notum factum est omnibus Iudaeis atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi, & cecidit timor super omnes illos, & magnificabant nomen Domini Iesu. Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos. Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus, & computatis precibus illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.

Cum vero hoc factum omnibus Ephesiis, tam Gentibus quam Iudaeis innotuerit, mirum est cur non omnes conuersi sint. Ad quod Chryso. responder: Ne mireris. Malitiae enim nihil est quod persuadere: nempe quia illi exorcistae per irrisionem haec fecerunt, ideo & puniti sunt. Verum ad eorum malum conuersi sunt plurimi, confitentes peccata sua, & annunciantes actus suos. Vel ex hoc loco manifeste apparet, quod non sufficit confessio hodiernorum haereticorum, qui putant satis esse si te peccatorem agnoscas, nihilque boni in te, prout ex te, fore. Quod enim nominatim peccata confitenda sint, praesertim criminalia, patet ex hoc, quod ad confessionis nomen adiecit, annunciantes actus suos. Oecumenius inquit: Oportet quenque fidelem dicere peccata sua, ad demittere seipsum coarguendo, ut iustificetur: iuxta illud Isa. 43. secundum 70. Inter. * Dic tu primum iniquitates tuas, ut iustificeris. secundum Hebr. autem: *Isa. 43. Narra si quid habes, ut iustificeris. Sed etiam a CHRISTO videmus eam institutam Ioan. 20. * Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & *Ioan. 20. quorum retinueritis, retenta sunt. Cuius quidem potestatis executio, praesertim quantum ad retentionem peccatorum, sine particulari criminum cognitione retineri nequit, aut etiam exerceri, ut satis aperte colligitur, quod ex vsu clauium necessitate necessitas requiritur vocalis confessionis. Nec habent quod causentur hanc confessionem publicam debere intelligi, quum publica immediatè sequatur, his verbis: Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros: hoc est, qui magicam artem publice exercebant, magicos libros palam exusserunt, libros inquam veteris iustitiae, & magicae superstitionis plenos, nec paruo precio comparatos, licet plerique ibi adessent, qui eos sibi comparare vellent, flammis tradere non incommodum duxerunt: qui tamen quinquaginta milium denariorum aestimabantur. Quae summa Budæo teste valet quinque milia aureorum nostrorum coronatorum. Ac vel ex hoc loco liquet, non esse rem nouam impios libros publice exuri.

Huius autem expletis proposuit Paulus in spiritu transita Macedonia & Achaia ire Ierosolymam, dicens: Postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.

Achaia. Expleto igitur biennio, vel etiam plus minus triennio, magna vrbs pars spreta Diana, & reiecto idolorum cultu, Paulus aliò tendere retia parat: atque ab Asia, vbi est Ephesus, in Europam, vbi est Macedonia & Achaia, transire, & rursum in Asiam, vbi est Ierusalem, redire, leue pro *σνκριστο* duxit. De Macedonia supra dictum est, Achaia definienda. Est enim præcipua Græciæ regio, peninsula, Aegeo & Ionio mari cingitur, cuius metropolis est Corinthus. Achaia enim antea Aegialos dicta, propter vrbes in toto littore elegantissimo ordine collocatas appellata. *αγιάλος* enim Græcis littus significat. Alteram Achaiam post Epirum Ptolemæus depingit, eamque Græciam vocatam fuisse contendit. Volens igitur Paulus iter aggredi, & missis prius discipulis remansit ad tempus Ephesi in Asia. Græcè pro remansit, est *ἠμείνη*, quod cum significet remorari aliquem & inhibere, significat etiam neutraliter cunctari, morari, & expectare in aliquo loco: id quod annotauit Budæus in Commentariis.

Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ades argenteas Diana, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans, & eis qui huiusmodi erant opifices dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: & videtis & auditis, quia non solum Ephesi, sed penè totius Asia Paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii qui manibus fiunt. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, & destrui incipiet maiestas eius, quam tota Asia, & orbis colit.

Inuidia semper prosperitati resistere nititur. Vnde quidam Demetrius nomine, argentarius, parua Dianæ delubra faciebat, quibus non exiguum artificibus quæstum præstabat, quique lucrum saluti præferens seditionem cum sociis infidelibus mouit contra Paulum & alios fideles, ita vt à diuitiis & quæstu fieret idololatria: vnde viri malitia patet. Abundans enim, inquit Chrysofostus, erat, & ipsi quidem non tantum damnum inde futurum, illis autem plurimum, vtpote pauperibus, qui & quotidiano visitabant opificio. Attamen hi quidem nihil dicunt, ipse autem eos qui socij artis erant, socios assumit & tumultus. Deinde periculum exaggerat, addens: Periclitatur nobis portio hæc, ne reprobetur. Vos inquit, scitis, quia ex hoc opificio est nobis acquisitio: Græcè, *ἡ ἐμπορία ἡμῶν ἐστίν*, id est, obuenit nobis quæstus & lucrum: quoniam non solum Ephesi, sed quasi toti Asiæ hic Paulus persuasit non esse deos, qui manibus hominum fiunt. Nec solum hæc pars nobis in periculo est, ne ars nostra reprobetur, verum etiam magnæ Dianæ templum pro nihilo cunctis erit, quam totus colit orbis, Græcè est: *ἡ μόνον δὲ τῆσιν κινδυνεύει ἡμῶν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἔλθειν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆσιν μεγάλως βῆαι ἀργέμους ἱερὸν εἰς ἄδὲν λογισθῆναι, μέλλαν δὲ καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλότητα αὐτῆς*. Quæ Græca Budæus ita vertit: Periculum enim nobis est, non modò ne pars ista, quæstus scilicet nostri, & artificij improbetur, sed & ne magnæ Dianæ templum nihili tandem fiat, cuiusque maiestas imminuatur, vel deiiciatur, & pessum detur: id enim significat *καθαρεῖσθαι*. Vnde de Paulo & Apostolis dant inimici testimonia, quòd Dianæ maiestas, quam per orbem cæli dicebant, à solo Paulo eorum testimonio deprimebatur, imò destruebatur, nisi subito occurrerent.

His auditis repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in populum, non permisissent discipuli.

scipuli. Quidam autem & de Asia principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum Alij autem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa, & plures nesciebant qua de causa conuenissent.

Non hic furor de Dianæ periculo, sed de lucri iactura, qua magis vulgares accèdi solent, quàm de deorum cultu, aut templorum periculo. In hoc autem furore clamare cœperunt: Magna Diana Ephesiorum. Quo clamore totam confusione affecerunt vrbes, nullius rationem habentes, sed qui primò occurrerent, arripientes. Et primò Gaium & Aristarchum, qui se primos in theatrum ad sedandum tumultum dederant. Cùmque Paulus se theatro committere vellet, à principibus prohibetur, quoniam populus incompotus, inquit Chrysofostus, irrationabili impetu omnia audet. Quibus obtemperat Paulus non arrogans, neque inanis cupidus gloriæ. Alij itaque quiddam, alij aliud clamabant, ita vt tota ecclesia confusa esset. Nec ecclesia hic dicit fidelium congregationem, sed diuersorum hominum concionem, qui temere illò conuenerant, commotionis causam ignorantes.

De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. Quem ut cognouerunt Iudæum esse, vox facta una est omnium quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. Et cùm sedasset scriba turbas, dixit:

Hic Alexander scriba erat Iudæus, Paulo tamen iunctus: quem Iudæi detraxerunt, siue vt alij volunt, protraxerunt, instruentes quid dicturus esset ad sedandum tumultum. Græci habent *προσβιβάζω*, à verbo *προβιβάζω*, præmoneo, instruo prius quid sit inde dicturus. Interpret legere potuit *προσβιβάζω*. Qui igitur intrusus, & manu silentium postulans rationem reddidurus, amplius mouit tumultum. Pro quo Græcè est, *κατασίσεις τὴν χεῖρα*. Est autem *κατασίσεις*, non voce, sed manu silentium indicare. Quod in eo significato aliquando habet accusatiuum *χεῖρα*, vt hic: aliquando datiuum *χειρὶ*, vt sup. 13. *ἀναστὰς δὲ ὁ παῦλος, καὶ κατασίσεις τῇ χειρὶ*: Cùm surrexisset autem Paulus, & manu silentium indixisset, ait. Et quanquam Paulus biennio Ephesi prædicasset, nihilominus multa adhuc turba Gentiliū Dianæ adhærebat, timens ne illius cultus extingueretur, vna voce quasi per duas horas clamabat, cùm videret Alexandrum esse Iudæum, & suæ Dianæ malè affectum. Hic tamen paulatim sedauit tumultum, & sic locutus est, quasi publicum in ciuitate officium agens.

Viri Ephesij, quis enim est hominum qui nesciat Ephesiorum ciuitatem culttricem esse magnæ Dianæ, Iouisque prolis? Cùm ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere. Adduxistis enim homines istos neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.

Ephesus, de qua supra, Ionæ minoris Asiæ prouinciæ præclara ciuitas, 32. Davidis regni anno ab Androdo Codri regis filio condita fuit, vbi & regiam constituit: cuius posteri Reges dicebantur, in qua naualia multa erant. In illa inter cætera templum toto orbe terrarum celebre Dianæ dicatum, quod vrbes plurimum decorabat, eratque vnum de septem mundi mirabilibus habitum. Quod tamen Erostratus iniquissimus nebulo atque scelestus, natione Græcus, vt perpetuam sibi famam conquireret, turpiter succendit 20. anno Artaxerxis Ochi regis Persarum: quo die Alexander Macedo fertur natus Idibus Augusti. Quo viso, senatus Ephesius decretum tulit, ne quis vnquam eius nomen literis demandaret, dignum planè supplicium, sed minimè obseruatum: quandoquidem huius sacrilegi nomen ad nostra vsque tempora peruenit. Veruntamen Ephesij aliud longè præstâtius tēplum

extruxerunt, mulierum præsertim ornamentis, & innumeris aliis ad id collatis muneribus. Sacrum autem illud Dianæ simulachrum *διοπετής* dicebatur, quasi à Ioue è caelo in terras delapsum, & non ab homine factum. *διοπετής* enim dictum est, veluti quod à Ioue decidit, ad stuporem simplicibus immittendum, quod supernè à Ioue in caelo esse formatum crederent. Viri Ephesij, inquit Alexander: Quis usquam hominum ignorat Ephesum Dianam colere, & eius simulachrum à Ioue delapsum? Quod autem dicit civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Græcè est *νεωκόρον*, quod magis significat edituam, quasi curatricem templi Dianæ, quæ templum verrit & ornat. Iouisque prolis: Græcè, *καὶ τῆ διοπετής*, quasi à Ioue è caelo demissum, quomodo palladium Troianum, & ancyle Romanū. Itaque simulachra quæ Gentiliū artifices fabricabant, è caelo delapsa fingebāt, vt simpliciores leuius illuderent, quomodo hic Demetrius. Et hoc modo sensus est: delapsi ab Ioue vel caelo simulachri. *διοπετής* autē cum Homerus reges vocet, veluti ab Ioue profectos & ortos, non dubito quin interpretis legerit *τῆ διοπετής*. Quibus verbis Alexander primum restinguit furorem, vt nihil amplius agerent præcipitanter. Adduxistis inquit, hos homines nec sacrilegos, nec deam vestram blasphemantes aut contumeliis afficientes. Hoc autem totum inquit Chryso. mendacium est. Ita tamen ad populum sedandum dicebat. In hoc saltem officiosum erat mendacium, quo populus temperaret à tumultu & seditione.

Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem alterius rei queritis, in legitima ecclesia poterit absolui. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ, cum nullus obnoxius sit, (de quo possumus reddere rationem,) concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit ecclesiam.

Si igitur Demetrius cum sociis habeat causam contra aliquos, agat in iudicio. Sunt enim iudices ad hoc constituti, vt controuersias dirimant, si quæ occurrant. Sunt enim forenses iudices, qui *ἀγοράται* dicebantur, & pauperibus ac forensibus hominibus, sicut & *ἀντίπρωτοι* proconsules, diuitum causas agentes, & criminum causas audientes. Ad vitandum igitur seditionis periculum coram illis agant, inquit Alexander, causas suas, & sic legitima dissolui poterit ecclesia, id est, legitima congregatio, non per tumultum congregata, sed legitimo more indicta, per consules & præsides, vt moris est. Quoniam in periculo sumus ne arguamur seditionis, cum nullus nostrum istius concursus sit obnoxius: Græcè, *μηδενὸς ἀπ' αὐτῶν ὑπάρχοντος* *περὶ οὗ διυνησόμεθα* *δέναι λόγον τῆς συντροφῆς ταύτης*. Vbi *ἀπ' αὐτῶν*, & *μηδενὸς*, neutri generis magis esse putarem, quàm masculini. *συντροφῆ* autem coitionem arcanam, & factiosam pactionem significat. vnde sic reddere locum possumus: Cum nulla subsit causa, vnde rationem reddere possimus huius conspiratæ coitionis. Et his dictis reliquit ecclesiam, id est, cōcionem. Neque enim in toto hoc capite de fidelium congregatione intelligit: interpretes autem reliquit Græcam vocem. Hoc tamen inquit Rabanus, vt quasi Iudæus, nolens Iudæos occidi ab idolorum cultoribus: aut quasi Christianus locutus est, quemlibet remittens in domum suam.

CAPVT VIGESIMVM.

Paulus tumultui cedens, peragratis multis Asia & Græcia vrbibus, Macedoniam tandem peruenit, & inde Troadem, vbi cum prædicaret Eutychus, quidam adolescens lapsus occisus est, & à Paulo suscitatus: & peragratis aliis plurimis locis peruenit Miletum, vnde maiores natu Ephesios vocans, ecclesiam illis commendauit, & valedixit illis, nunquam reuersurus eos.

Postquam



Postquam autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam: vbi cum fecisset menses tres, facta sunt illi insidia à Iudæis nauigaturo in Syriam, habuitque consilium, vt reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum Sosipater Pyrrhi Beroensis: Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, & Timotheus: Asiani verò Tychicus, & Trophimus.

Permittit Dominus iustos tribulari, qui nouit eos de tribulatione eripere, iuxta illud 2. Cor. 1. Benedictus Deus, &c. Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Ab hoc itaque tumultu, inquit Chryso. multa consolatione opus erat. Ex quo quidem tumultu Deus, multorum consolationem Pauli discipulorum elicit, eorum scilicet qui in Græcia, Macedonia, & Asia. Cùmque venisset in Græciam, illam scilicet partem Græciæ, quæ dicitur Achaia, in qua est Athenæ ciuitas: vbi cum menses tres mansisset, discipulos prius conuersos consolatus, passus est à Iudæis insidias, cum vellet nauigare in Syriam: consilio verò amicorum reuersus est per Macedoniam. Quem comitati sunt discipuli eius, Sosipater Pyrrhi: Græci autem habent Sopater, nec Pyrrhi habent. Sosipater autem Pyrrhi, id est, filius Pyrrhi cuiusdam Beroensis. Pro comitatus est, Græci habent, *συνέταξε δὲ αὐτῷ ἀγγελὸς τῆς ἀσίας*, id est, consecutus siue comitatus est eum vsque in Asiam. Quod autem dicit: Gaius Derbeus, & Timotheus: ceteros, inquit Oecumenius, patriis suis clariore designat, Timotheum verò minimè: quoniam suprà cap. 16. dictum est in principio. Peruenit autem in Derben & Lystran, & ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus. Vnde satis Derbeus cum Gaio exprimitur.

Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade. Nos verò nauigauimus post dies Azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, vbi demorati sumus diebus septem. Una autem sabbati cum venissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum: protraxitque sermonem vsque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo vbi eramus congregati.

Passus rursus Paulus à Iudæis insidias in via ad Syriam, per aliam viam reuertitur in Macedoniam. Quidam discipulorum præcesserunt illum in Troadem, ibi expectantes eum, & parantes. Vbi igitur dicit, sustinuerunt, Græcè est *ἐμμένον*, id est, expectauerunt. Nauigans itaque Paulus post discipulos à Philippis, quinque diebus peruenit Troadem, ibique moratus est diebus septem. Interea vna sabbati, siue sabbatorum, vt Græca habent, & more Hebræo significat primam diem hebdomadæ: cum conuenisset ad frangendum panem Paulus, suo more disputabat. Hic fractionem panis Beda interpretatur celebrationem sacramenti Eucharistiæ. Dies enim dominicus erat, & Paulus sermonem ad mediam vsque noctem protraxit. Aded inquit Chryso. salutem discipulorum cupiebat, quia licet per totam diem prædicasset; neque tamen nocte silebat, non modò ad cœnam, sed etiam post cœnam, multis in cœnaculo accensis lampadibus.

Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio

cenaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari: anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satisque allocutus est usque in lucem, & sic profectus est. Adduxerunt autem puerum uiuentem, & consolati sunt non minime.

At ut ait Chyso. conturbauit festum diabolus, quantum potuit, demergens somno auditorem, ac deprimens, ut sequitur verbis sequentibus. Quidam enim adolescens audiendi desiderio motus, super fenestram sedebat: verum quia profunda iam erat nox, non potuit comprimere somnum, quin graui somno depressus caderet deorsum. Ad quem cum descendisset Paulus, illum rediuuium non sine magna omnium admiratione restituit. Cum dicitur, ductus somno cecidit, Græcè est, *δαλεζομένῳ τῷ πάλῳ ἐπὶ πλάϊον, κατενεχθείς ὑπὸ τῷ ὕπνῳ*. Hic Budæus putat fatius legendum esse victus somno, quam ductus somno, quod importat *κατενεχθείς*, victus, id est, somno victus atque obrutus, & mersus. *ἐπὶ πλάϊον* autem referri potest ad τὸ disputante Paulo, aut ad τὸ ductus. Primum autem præstare mihi videtur, cuius sensus est: Diutius Paulo disputante, somno victus & obrutus cecidit. Secundi verò sensus est: Disserente Paulo cum diutius somno grauareretur, cecidit. Vnde Beda: Inter verba prædicationis occurrit occasio curationis, ut dulcedine miraculi & doctrinæ sermo firmeretur, & vigiliarum labor arceatur, & memoria magistris iam discessuri arctius mentibus infigatur. Adduxerunt ergo adolescentem viuum in cenaculum, in quo lætati sunt non mediocriter: vbi Græcè est *ἢ μετρίως*, non mediocriter. Consolationem inquit Chryso. habuerunt non vulgarem. Magna hæc consolatio, & quod viuum recipiunt, & quod miraculum factum est. Interea Paulus modicum panis gustauit, & sic usque ad diluculum sermonem produxit, & sic mane profectus est.

Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter factururus. Cum autem conuenissemus in Asson, assumpro eo venimus Mitylenem. Et inde nauigantes, sequenti die venimus contra Chium: & alia die applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum. Proposuerat enim Paulus transmigrare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Ierosolymis.

Paulus ut plurimum discipulis grauiori præstato labore, hic pedes à Troade iter in Asson arripit, illi nauigio vadunt, permittens illis quod leuius, & eligens sibi quod molestius. Inde nauigio veniunt pariter Mitylenem, inde transeuntes Chium venerunt Samum, & ut Græci addunt, commorati Trogyllij, proximo die venerunt, quo tendebant, Miletum. Festinabat enim Paulus, ut si possibile esset illi, diem festum Pentecostes ageret Ierosolymis. Nec propter festum tantum, inquit Chryso. sed propter multitudinem: interim hoc Iudæis dabat, quasi colat festiuitatem, & rapere volens inimicos, festinabat sermonem annunciare. Asson siue Assos multorum urbium nomen est. Vna Lyciæ ciuitas est, in promontorio sita. Altera in Mysia. Tertia in Lydia. Quarta in Epyro minore, Cleanthis philosophi patria. Quinta in Aeolide non longè à Troade, Aetholorum colonia, de qua nunc memoria est. Asson quidam dicunt à Methimneis conditam, quæ & verè Aeolica est. Ipsi verò Assij Gargara & Lamponia condiderunt, quæ cum non bene habitarentur reges, ex Miletu incolas eò duxerunt, & pro Aeolibus semibarbaros effecere. Mitylene autem vrbs est Aeolica, à qua nunc tota insula Mitylene vocatur, inter Methimnam & Maliam, à Malia distans stadiis septuaginta. Hæc vrbs rebus omnibus instruta fuit, portusque duos habuit, quorum australis quinquaginta trirremium ac nauium capax fuit: borealis verò magnus ac profundus aggere protectus. Ex Mitylene fuit Pittacus vnus ex septem philosophis sapientibus Græcis, & Alceus poeta. Sed

ta. Sed & Sapho ex Mitylene claruit admiranda mulier, & poeticæ peritissima, cui post tot secula non est reperta, quæ illi posset æquari. Chius insula noningentorum stadiorum ambitu cõtinetur, cuius vrbs præcipua portum habuit optimum inter Samum & Lesbium, ex aduerso maximè Erythriarum posita: eadem & Chia dicta, mōnsq; in ea Pelleneus, marmore olim, quod Chium vocabant, celebris. Sed & Chium vinum inter laudatissima, Aruifinum dictum Plinio ca. 7. lib. 14. Strabo autem lib. 14. Aruissam asperum & importuosum in Chio locum esse scribit, trecentorum stadiorum spacio, qui vinum fert Græcanicorum optimum. Nostri Maluasinum vocant. Ex ea etiam insula deferuntur ficus optimi saporis, & mastix resina quædam preciosissima. Ad hanc autem insulam non dicitur Paulus venisse, sed contra eam transfisse vsque Samum, quæ Chio & clarior & fertior dicitur, sita inter Icariam insulam, quæ Icario mari nomen dedit, & oram Ephesi, Anthemusa aliquando dicta, à floribus, & Parthenia, id est, virginea: ex qua ortus est Pythagoras philosophus, qui inde Samius est appellatus. Hanc insulam fingunt poetæ Iunonem maximè dilexisse, tanquam genitale solum, quoniam in ea adoleuit, & ibi Ioui nupsit. Itaque antiquissimum habet ibi templum in simulacrum nubentis figuratum, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrantur. Ait autem Herodotus templa Samum habere pulcherrima omnium quæ in Græcia sunt. Miletus omnium Ioniæ urbium maximè celebris, caput aliquando regionis, & super octuaginta urbium per cuncta maria genitrix, ut ait Plinius. Ex Miletu fuit Timotheus ille musicus, quem Quintilianus lib. 2. institutionum duplices mercedes à discipulis, quos alij instituisset, exigere solitum scribit, facilius ratus rudem docere, quam dedocere qui præuè didicisset. Ex ea fuit & Thales vnus ex septè sapientibus, qui primus Physiologiæ ac Mathematicæ author inter Græcos est habitus: & Anaximander eius discipulus. Cretenses primò Miletum supra mare condidèrunt. Sarpedon habitatores ex Miletu Cretensi deduxit, & vrbi nomen ab illo imposuit, cum prius Leleges hunc locum tenerent. Postea Neleus vrbs locum mutauit, & Iones introduxit. Vrbs quatuor portus habuit, quorum vnus classis erat capax.

A Miletu autem mittens Ephesum, vocauit maiores natu ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tēpus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tētationibus, quæ mihi acciderunt insidiis Iudæorum: quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos, testificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.

Miletum igitur Paulus ornauit hac oratione, quam ad Ephesiorum presbyteros habuit, digna meo iudicio, quæ omnium templorum postibus insculperetur, ut simul officij & qui præfunt, admoneretur, nec immūdas manus, longè minus impiū animū sacris admouerent, & ecclesiæ perdiscerent indignos esse cœtu suo, qui aut auaritia squalerent sordidi, aut bacchanalia viuerent. Vos scitis inquit, à prima die, &c. Qui ignorat quod nam sit episcopi, & eius cui credita sit animarum cura, additum munus, videat hinc quid se Paulus egisse dicat. Inueniet non solum humilitatem, sed omnem humilitatem, multas lachrymas, tentationes, insidias: in eo tamen firmam constantiam, qua nunquā se subduxit, perpetuum docendi laborem & palam & priuatim non inane duxit, nec erubuit. Quomodo nihil subtraxerim vobis vtiliū, Græcè, *ὡς ἔδεν ὑποστράμην τῶν συμφερόντων*, id est, ut nihil præuaricatus sum in his quæ conducibilia erant. Est autem *ὑποστράμην*, remissè quippiā, ac nō totis viribus, totoque conatu agere. Sic intelligendum quod sequitur: Non enim subterfugi quominus annunciare vobis omne consiliū Dei. Vbi pro subterfugi, Græcè est *ὑποστράμην*, id est, nihil sum præuaricatus, remissus non fui in annunciando omni consilio Dei.

Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans, nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam preciosiorem, quam me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à Domino Iesu, testificari euangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicās regnum Dei. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis.

† 143. dist. ca. Ephesius
3. Reg. 3. f.
Daniel. 13. e.
93. dist. ca.
Legimus.

τὸ spiritu refertur potest ad vado, vel ad alligatus. Si ad alligatus, sensus est: iubente & quasi impellente spiritu. Ad τὸ vado Oecume. refert, dicens: Subdistinctio hoc loco ponenda est post distinctionem alligatus, vt sit hæc sententia: Proficiscor Ierusalem, præscius per spiritum quæ mihi ventura sint. Proficiscor autem alligatus: non quod tunc ligatus esset, sed quod futurum esset vt in Ierusalem vinciretur. Ex quo inquit Beda, aperte ostendit, quod ea quæ futura erant, non sibi ipsi, sed aliis de se reuelata cognouit, ex quibus erat Agabus propheta, & illi discipuli qui eum à Tyro monebant per spiritum ne ascenderet Ierosolymā. Sed vt ostendat Paulus, quod propter c h r i s t u m quæcunque subeat pericula, testatur hæc omnia præscire, nec illis vitam præponere velle, quam non habet preciosiorem, quam se ipsum. Interpres legit τῆς ζωῆς ἀπορίας, id est, me ipso preciosiorem. Anima autem hæc pro vita temporali ponitur. Græca quæ nunc extant, secus habent, scilicet τῆς ζωῆς ἀπορίας, id est, neque duco aut censeo vitam meam preciosam mihi, siue, neque tanti facio vitam meam, vt non libenter scilicet pro vobis in euangelij causa profundam, dummodo consummem cursum meum, id est, iniunctam mihi prouinciam perficiam. Græci codices qui nunc extant, hæc addunt μετὰ χαρῆς, cum gaudio. Quod autem subdit: Mundus sum à sanguine omnium: ostendit se nihil eorum quæ necessaria erant, omisisse. Igitur ait Chryso. quoniam illis erat omne pondus relicurus, ac sarcinam impositurus, prius illorum mentes emollit, dicens: Et nunc ecce ego scio, quod non vltra videbitis faciem meam. In quibus verbis duplex est tristitia, tunc faciem illius vltra non conspiciendam, & ab ipsis omnibus. Ideo merito contestor vobis, me non vltra vobis affuturum. Veruntamē gaudeo quia mundus sum ego à sanguine omnium. Præceptor enim ad annunciandum præpositus si obdormiat, & non annunciat, reus sanguinis est, hoc est, cædis eorum: nempe quod præceptoris est peregi, vt vobis annunciarem. Ostendit igitur inquit Oecume. illos quoque nisi ea compleuerint, reos proprii sanguinis eos fore: propter quod etiam terret eos. Non enim subterfugi inquit, quominus omnem Dei voluntatem, diuinumque consilium vobis annunciarem.

† 95. dist. ca. Ecce ego.
7. q. 1. cano. Suggestum.

† Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessavi cum lachrymis mouens unumquemque vestrum.

† 116. q. 1. ca. Prædicator.

† Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificationis omnibus.

Duo enim nobis quibus commissa est custodia gregis, commendat, vt prius nobis attendamus,

damus, deinde gregi. Prius igitur habenda est ratio salutis propriæ, vt castigatis viuat moribus, idoneum se reddat alienos corrigere mores, ignorantes docere, debiles supportare, superbos deprimere, humiles confortare, his quibus commissa est cura salutis alienæ. Talis ergo debet esse pontifex, qui possit cæterorum infirmitatibus compati. Prius igitur prælati sibi attendant, antè quàm cæterorum regimen subeant, & postea vniuerso gregi sine personarum acceptione, sed omnibus omnia facti cum Paulo, vt omnes lucrifaciant. de quibus Malach. 2. ca. * Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: * Malach. 2. quia angelus Domini exercituum est. Sacerdotes igitur angeli sunt, * tanquã administrato- * Heb. 1. d. rij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem eripiunt salutis. Quod si mali fuerint sacerdotes, malos quoque esse angelos necesse est, qui de cælo lapsi in veritate non steterunt, & angelicam perdidit dignitatem. Attendant ergo sacerdotes, ne & ipsi cadat: * Qui enim stat, inquit Paulus, videat ne cadat. Potestas enim sacerdotis de cælo est, de Deo * 1. Cor. 10. c. est. Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus authoritatiue? Sacerdotibus tamen dimittendi peccata data est potestas per hæc verba: * Quodcunque ligaueritis super terram, * Mat. 16. c. erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cælis. Inde sequitur: Vos posuit spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei. Hoc est enim, inquit ipse, officium vestrum, secundum geminum regendi modum dirigere & corrigere in iustitia & iudicio. His enim virtutibus sedes Dei præparantur, aut erigitur, sicut scriptum est: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Hoc autem aduertendum iubet Oecume. quod eos nunc appellat episcopos, quos in superioribus dixit presbyteros: aut ideo, quia etiam presbyteros, sicut & episcopos curam gregis agentes in specula esse oportet, ne quis fide ægrotet, ne quis efuriat aut sitiatur: aut episcopos vocat hic eos, qui verè sunt episcopi. Vnde ex hoc loco, & epistola ad Philippen. ad Timoth. 1. & ad Titum, colligitur episcopos tunc dici, qui & nunc vocantur presbyteri: quia quos supra Paulus iussit vocari presbyteros, nunc vocat episcopos, quorum omnium vita speculum esse debet sanctitatis, honestatis exemplum, & iustitiæ signaculum. Quare autem iubeat attentos fore vniuerso gregi, bonis & malis, catholicis & hæreticis, quos præuidet futuros tanquam lupos rapaces gregi insidiantes. Pro rapaces, Græcè est ῥαπῆς, id est graues, ac vobis onerosi superuenient. Propterea inquit, vigilate, & memoriæ mandate quid per triennium fecerim. Ideo vos commendo Deo, qui potens est ædificare, &c. Græcè est, τὸ θεοῦ, & ad τὸ θεοῦ refertur, quomodo interpres vertit, ac melius. Deus enim est qui ædificat, & dat hæreditatem sanctificationis: quoniam ipse dicit. Cùm non inueniatur vbi Dominus hæc verba dixit, arbitrandū est fuisse sententiã c h r i s t o peculiarem, quam scripto non redegerint Apostoli.

Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis. Quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu (quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere. Et cùm hæc dixisset, positus genibus suis orauit cum omnibus illis.

In quibus auaritiam maximè taxat, quod nec solum argentum, aurum, vestes, aut quæ sibi necessaria erant, expetiuit, sed nec ea concupiuit, imò necessitatibus suis & suorum ipse labore suo succurrit. Verùm ne dicerent ipsum hoc pro arbitrio finxisse, allegat Dominum antè dixisse: Beatius est magis dare, quàm accipere. Hoc enim inquit Rabanus, in euangelio non legitur. Non enim omnia scripta sunt: sed Paulus forsitan hoc ab Apostolis audiuit, vel à spiritu sancto accepit. Vel potest dici, quod si non verba sensum istum i n s v s indicauit, dicens: Omni petenti dat, & alibi: Nolite accipere aurum, &c. Non enim dixit: Malum est accepisse, & ita elargiri: sed quod melius sit, non accepisse, inquit Oecume. Hoc enim compassionis est erga imbecilles. Nam dare ex alienis ne honestum quidem est. Est itaque primus gradus sua abiicere: secundus, necessaria sibi suppeditare: tertius, etiã aliis: quartus, eum

† 1. Cor. 4. e.
1. Thess. 2. b.
2. Thess. 3. b
† De celeb. missa. cap. Cũ Martha De cõse. dist. 5. cap. Nunquam.

† 16. q. 1. canone Prædicator.

qui prædicat, & ita accipiendi potestatem habet, non accipere. Hic itaque optimus est. His dictis sermonem oratione cum audientibus compleuit.

Magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat: quonia amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.

Quæ prædixerat, multa eos tristitia affecerant: maxime autem omnium hoc contristauit, quod vltra illum visuri non essent, inquit Chryso, & hinc agonis istius summa difficultas. Et quantum diligeret eum, ex hoc patet, quia cum lachrymis eum deducebant ad nauem: vbi non sine graui dolore inuicem valefecerunt.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Paulus multa navigatione peruenit Tyrum, & inde Cesaream, vbi à Philippo diacono exceptus, ab Agabo propheta Ierosolymis ligandus prædicitur: quod tamen illi tandem accidit, cum se in templo cum quinque aliis sanctificaret: quem Tribunus è manibus eorum liberauit, & in castra cum duxit, impetrata prius facultate loquendi ad populum.



Um autem factum esset ut nauigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram. Et cum inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicem, ascendentes nauigauimus. Cum apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistra, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum. Ibi enim nauis expositura erat onus. Inuentis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem, qui Paulo dicebant per spiritum ne ascenderet Ierosolymam.

Cous.

Rhodus.

Abstractus ergo Paulus cum sociis ab Ephesiis, recto cursu, id est sine mora: nec est enim recta via à Mileto, vnde exhibat, ad Coum. A Coum tamen potest recto cursu nauigari, & inde ad Pataram. Cous autem siue Cos, aut Coa, vel etiam Coos insula est nobilissima contra Cariam, inter quam & Chium mediat Samos, sicut inter Samum & Lesbos Chius. Porro illis Cous nec fertilitate, nec fama cedit ingeniorum: siquidem & Hippocratem genuit principem medicum, Pythagoræ discipulum, & Apellem pictorem incomparabilem. Habuit & Cous Aesculapij templi vetustissimi medici, qui artis fauore diuinos fertur meruisse honores. Rhodus siue Rhodos ex aduerso Cariæ & Lyciæ sita est insula illustrissima, noningentorum ac viginti stadiorum ambitu patet, inter Asiaticas insulas tertia. Lesbos enim & Cyprus maiores habentur: Rhodij tamen rerum gestarum gloria præualuerunt: primo dicta Ophiusa, deinde Stadia, & inde Telchinus, eo quod Telchines eam incolerent: & tandem Rhodos dicta est. Hanc Saraceni diutius occuparunt, donec recepta à Christianis Ierosolyma, fratres hospitalarij anno Domini 1308. eam occupauerint, & tandem à Turcis diuturno prælio anno Domini 1522. capta est. Eam autem dici volunt à Rhodo vrbe, quæ in eius orientali promontorio sita erat. Ea autem portibus olim, viis, & mœnibus, reliquisque ornamentis tantopere cæteras superauit, ut ne vllam putarent æqualem habere legum præstantia, & naualis rei peritia, ut annos multos potiretur maris imperio. Quæ cum libera esset, multis & donis & simulachris excellentissimis claruit: præcipua tamen fama Colossi extitit. Statuam enim alij Iouis, alij Solis fuisse tradunt, quam Cares Lyndius decies septem cubitorum

cubitorum altitudine ædidi ære, quæ quingentesimo & sexto anno, postquam condita fuit, fractis terræ motu genibus corruit. Ipsam autem nec Rhodij attollere ausi sunt, oraculo quodam prohibiti. Hoc inter oblata dona excellentissimum, & inter septem orbis miracula maximum omnes confessi sunt. Soldanus Aegypti cum insulam inuasisset, ex ære huius statuæ, quam contrafractam reperit, noningentos camelos onerasse fertur, atque in Alexandriam terrestri itinere transmisisse. Plinius hunc colossum à Colosso Lyssippi discipulo duodecim annis factum, trecentorum precio talentorum, circa quem centum dicit fuisse minores alios, qui per se locum nobilitare potuissent. A Rhodo Paulus Pataram traiecit, vr- ^{Patara.} bem Lyciæ maximam, Patari cuiusdam opus, quæ amplum habuit portum, & templa plurima, quorum vnum Apollinis erat, à quo dictus est Patareus. Ptolomæus Philadelphus eam plurimum adauxit, & Arismone Lyciatam nominauit, sed antiquum nomen delere non potuit. S. Nicolaus ex Myra ortus hic pontificatum habuit, vir sanctitate præcipua clarus. A Patara Paulus Tyrum vrbem Phœnicæ vectus est, cum ibi nactus esset nauem, quæ traiceret in Phœnicem. De Phœnicæ seu Phœnicia diximus sup. ca. 11. cuius Tyrus vrbs est præ- ^{Tyru.} cipua, quondam populo Romano colonia, septingentorum aliquando passuum interuallo remota à littore, & planè insula, antequam Alexander aggere immisso cõtinenti aduecteret. Hanc Iosephus 240. annis ante Ierosolymitanum templum conditam putat. Huius rex Hiram Dauidi amicitia coniunctus, & postea Salomoni, cui cedros & abietes ex Libano caesas, & artifices pro Ierosolymitano condendo templo summisit. In illa vrbe Paulus septem diebus cum fratribus commoratus, sed & commonefactus, ne Ierosolymam peteret, nihil minus profectus est. Vnde sequitur.

Et expletis diebus profecti ibamus, deducuntibus nos omnibus cum uxori- bus & filiis usque foras ciuitatem: & positis genibus in littore orauimus. Et cum valefecissemus inuicem, ascendimus nauem: illi autem redierunt in sua. Nos vero navigatione explicita à Tyro descendimus Ptolemaidem, & salutatis fratribus mansimus die vna apud illos. Alia autem die profecti venimus Cesaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistæ qui ^{sup. 6. b.} erat vnus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filie virgines prophetantes.

Expletis igitur diebus septem, deducuntibus nos omnibus cum mulieribus & liberis usque ad portum, cum oratione valefecimus, & conscensa naui venimus Ptolemaidem, vbi mansimus vnum diem, sequenti vero die venimus Cesaream, scilicet Palæstinæ, quæ est Stratonis prius dicta, vbi commorati sumus usque ad festum Pentecostes, vel proximè. Et ita Pauli patet iter à Troade in diebus Azymorum. A Philippis enim post dies Azymorum venerunt Troadem in diebus quinque, & ibi manserunt diebus septem, ut patet sup. 20. ca. & sunt 12. dies: deinde in 6. diebus in Mitylenem, in Samum, & Miletum, & sunt 18. dies. Deinde 3. diebus à Mileto in Coum, in Rhodum, in Pataram, & sunt 21. dies. ut cap. 21. A Patara in Tyrum per dies quinque, & sunt 26. dies. Tyri vero manserunt septem dies, & sunt 33. dies: postea Ptolemaide vno die, & sic sunt 34. dies. Dies autem Azymorum, quos Philippis peregerunt, 8. erant, quos si superioribus addideris, fient 42. dies. Et ita usque ad Pentecosten restat solum 8. dies, quos peregit Paulus Cesareæ, & inde ad diem festum Pentecosten cum cæteris perrexit: sed renitentibus discipulis. Est autem Ptolemais siue Ptole- ^{Ptolemais.} maida prima celebriorum Phœnicæ vrbiū, & Iudææ proxima, maritima autem, & amœno montium iugo clausa, cum amne Belo lentè meante, limosoque, & insalubrium aquarū: sed celebri tamen ob arenas, quas tot retrò seculis vitrariis officinis exhibuit. Hæc ciuitas modò Acon dicitur, quæ Carmelum à meridie habet, à Tyro 32. miliar. distans, in finibus tribus Asser. Cesareæ triplex: Prima Cappadociæ, de qua sup. cap. 18. Altera Philippi, quæ ^{Cesareæ.} prius Lais, deinde Lesen Dan, ut Iudicum. 18. sed à Philippo Herodis fratre instaurata dicta

est Cæsarea Philippi, ad differentiam Cæsareæ Palæstinæ, ubi Centurio fidem à Petro accepit, & cuius nunc meminit: quæ prius Turris Stratonis dicebatur, ab Herode in honorem Cæsaris instaurata, & Cæsarea Palæstinæ dicta, quæ est sita est inter Ioppen & Paran ad mare, ab Ierusalem sexcentis stadiis distans. Exceptus itaque Paulus à Philippo diacono in Cæsarea, cui non repugnabat diaconi officium, qui particeps fuerat nuptiarum, sicut neque Petro Apostolatus. Erant igitur Philippo filiarum quatuor virgines & prophetides, quod propter pudorem magis assequabantur, inquit Oecume. ut & prophetia dignæ haberentur. Manifestum itaque est, quod magno studio apud eas seruabatur virginitas. Nisi enim digna esset pro qua certaretur, nequaquam addidisset actor, quod etiam virgines erant: quod adiectum est in commendationem virginitatis, quam pietatis studio exercebant.

†^{sup. 11. d.} Et cum moraremur per dies aliquot, superuenit quidam vir à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit spiritus sanctus: Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium. Quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam. Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego autem non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Et cum ei suadere non possemus, quieuiamus, dicentes: Domini voluntas fiat.

Spiritu sancto exhortante, nemini contraria suadenti, consentit Paulus. Persuadentibus discipulis ne ingrederetur Ephesi in tumultuantem populum, consensit, quia non habebat à spiritu. Similiter sæpius illum per fenestram eduxerunt, & persuasus effugit. Nunc autem plurimis tam Tyri quam Cæsareæ rogantibus & flentibus, & plurima grauium prædicantibus, inquit Chryso. non sustinet, quoniam & per spiritum sanctum dicebant, cui tamen contradicebant: non ideo illis fidem adhibuit. Præterea Agabus propheta à Ierosolymis ascendens, qui & ex reuelatione habebat, palam signo monstrauit, quod ligarent eum Iudæi Ierosolymis: nec ista tamen curauit, adeo ardens erat ad quæcunque audierat exequendum. Ad quem nil aliud dicere potuerunt, nisi voluntas Domini fiat.

Post dies autem istos preparati ascendebamus in Ierusalem. Venerunt autem quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscum, adducentes secum (apud quem hospitaremur) Iasonem quendam Cyprum, antiquum discipulum. Et cum venissemus Ierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesque collecti sunt seniores. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius.

Instante festo Pentecostes, non obstantibus flentibus discipulorum, Paulus ad diem festum ascendit, Domino fidens, & seipsum voluntati eius committens, qui in periculis omnibus illi semper affuit, & de omnibus his liberauit eum Dominus. Hunc autem multi à Cæsarea comitantur. Quia verò propter festum multi & Iudæi & Gentiles illuc confluebant, ideo rara credebant fore hospitia: propterea quendam ducunt secum veterem discipulum, qui Ierosolymis habebat hospitium, in quo Paulum cum discipulis acciperet. A fratribus autem Paulus benignè exceptus est. Sequenti autem die visitauit Iacobum fratrem Domini, Ierosolymorum episcopum, cui cum cæteris senioribus palam, quæ per eius ministerium apud

Gentes

Gentes fecisset Dominus, ipse narravit, non vanæ gloriæ studio, sed ut magnificetur Dominus. Vnde audientes Deum glorificabant, nec Paulum extollebant: quod nec ipse quærebat, sed totum Deo tribuebat, sibi verò nihil nisi ministerium & instrumentum, quo Dominus operatus est tanta inter Gentes.

At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei: Vides frater, quot milia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis? Audierunt autem de te quia discessionem doces à Moysè eorum qui per Gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.

Conuocatis ergo Christianis apud Iacobum narravit Paulus quid Deus per eius fecisset ministerium, ex quo Deum cuncti magnificauerunt. addiditque Iacobus: Vides frater, imminens tibi periculum. Quotquot enim crediderunt Iudæi, Mosaicæ legis adhuc sunt æmulatores: audierunt autem de te quod doceas omnino discessionem à lege Moysi. Quod ut ait Aug. ad Hiero. epist. 19. vtique nefas est, ut credentes in CHRISTUM discindantur à propheta CHRISTO, tanquam eius doctrinam detestantes atque damnantes, de quo ipse CHRISTVS dixit: Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Te etenim existimant prædicare legalia Moysi non solum mortua esse, sed & mortifera, quodque peccatum sit illos circumcidere filios suos, & iuxta præscritam conuersari consuetudinem in legalibus & cæteris Mosaicæ legis ceremoniis. Quod tamen falsum erat: quia Timotheum circumciderat, & caput suum totonderat in Cenchreis ex voto, factusque est Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrifaceret: cum Gentibus autem, quæ legis necessaria erant, & euangelio consona, docuerat.

Quid ergo est? Utrique oportet conuenire multitudinem: audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor vorum habentes super se. His ergo assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis ut tradant capita: & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulans, & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes ut abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

Iacobus enim Paulum non ad hoc admonet cum illis quatuor sanctificatum ire, tanquam putaret per ea legalia sacramenta etiam Christianam salutem dari, sed ne illa, ut prioribus congruebat temporibus, in vmbriis rerum futurarum Deus fieri iusserat, tanquam Gentilium idololatriam damnare videretur: hoc est enim quod illi ait Iacobus. Nec ut opinor, obscurum est & Iacobum hoc ideo monuisse, ut scirent ea falsa esse, quæ de illo audierat hi, qui cum CHRISTO ex Iudæis crediderat, tamem æmulatores erant legis, ne per doctrinam CHRISTI velut sacrilega, nec Deo mandate cõscripta dånari putarentur, quæ per Moysen patribus fuerat ministrata. Hoc enim de Paulo iactauerat, nõ illi qui intelligebat quo animo à Iudæis fidelibus obseruari tunc ista deberet, propter adipiscendam salutem, quæ iam in CHRISTO reuelabatur, & per baptismi sacramentum ministrabatur. Sed illi hoc de Paulo sparserat, qui sic ea volebat obseruari, tanquam sine his in Euangelio salus credentibus esse nõ posset. Ideo quanquam aliqui qui Ierosolymis essent, crediderant, instituta legalia adhuc obseruare volebant. Ipsum enim Paulum audierant esse vehemetissimum gratiæ prædicatorem, sed intentioni eorum maxime aduersum, doceret per illam hominem nõ iustificari, sed per gratiam IESU CHRISTI, cuius annunciantis causa illæ vmbre in lege mandata sunt. Et ideo illi inuidiam & persecutionem molientes cõcitare, tanquam inimicum legis mädatorum; diuinorum criminabantur: cuius falsæ criminationis inuidiam congruentius deuitare non posset, quam ut ea ipse celebraret, quæ dånare tanquam sacrilega puta-

Z z

batur: atque ita ostenderet nec Iudæos tunc ab eis tanquam à nephariis prohibendos, nec Gentiles ad ea tanquam necessaria compellendos. Nam si reuera sic ea reprobarer, quemadmodum de illo auditum erat, & ideo celebranda susciperet, vt actione simulata suam posset occultare sententiam, non ei diceret Iacobus: Et scient omnes. sed diceret: Et putabunt omnes: quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt. Habemus autem quatuor ex voto purificandos: his assumptis porrige hostias, quæ iuxta legem pro eis offerendæ sunt, vt suspicionem soluas, & ostendas quòd non solum non doceas quæ legi contraria sunt, imò quòd & ipse serues quæ in lege iubentur. Quòd si diceret: Si Gentes hoc didicerint, offendiculum à me patientur: hoc soluit. De Gentibus autem quæ crediderunt, iandudù scripsimus, ne quid huiusmodi obseruent, nisi vt caueant ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & scortatione.

Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cū illis intravit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Iudæi cū vidissent eum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israelitæ, adiuuate. Hic est homo qui aduersus populum & legem & locū hunc omnes ubique docens, in super & Gentiles induxit in templum, & violauit sanctū locum istum. Viderunt enim Trophimum Ephesum in ciuitate cum ipso, quem estimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus.

Paulus igitur tandem persuasus à Iacobo, abrafus est, & quæ Iudaica erant instituta, ad sanctificationem assumptis his quatuor viris perfecit, & cum illis purificatus est, hostiasque obtulit secundum legem. Hæc autem sanctificatio fiebat secundum legem Nazæorum, de qua Nume. 6. cap. qua se voto astringebant ad certum tempus, abstinentes à seculi huius vanitatibus, & cultu corporis delicato: non radebant barbam, nec crines: à vino, vua passa, & à quocunque quod ex vite prodit, omnino abstinebant: sed & à sicera, & à diluitori, quæ solet ex vinaceis fieri, potione: sed & ab omni potu qui mentem ab integra peruertit sanitate, & inebriare potest. Hoc autem tempus dicitur tempus sanctificationis, seu separationis, quo peracto sic sanctificatus hostias offerebat, verticem & barbā radebat, & rasurā in ignem cum hostia mittebat. Quare autem Nazæis comam nutrire præceptum sit, varij varia referunt. Quidam hoc mysticum dicunt, vt dum coma augetur, virtutes quoque augeantur, quia videlicet è capite vtrunque. Alij vt ritus offerendarum comarum diis, vel potius dæmoniis auferretur, & ad Deum transferretur. Gentiles enim, inquit Cyrillus, mutarum pecudū more viuentes offerebant comam, dæmoniis eam nutrirī permissam, alius in huius dii honorem, alius in huius vel illius nymphæ gloriam: religionis loco barbā vel comam nutriebant, quam voto tandem offerebant. Quem morem & ritum vt tolleret Moyfes, instituit ritum quo in sanctificationem deferrent, sed tandem Deo offerrent. Quem ritum Paulus adimplens ex consilio Iacobi, deprehensus est, vexatus est, & ferme occisus. Dum autem dies septem purificationis implerentur, agnoscitur à Iudæis. Nondum tamen, inquit Beda, septem dies consummati erant, sed eorum cursus adhuc agebatur, atque penè expleti erant, siue incipiebant consummari, cū Iudæi ab Asia venientes iniecerunt in illum manus, clamantes: Viri Israelitæ, adiuuate: Græcè autē est *βοηθητε*, hoc est, succurrite. Quia videbant, inquit Beda, nouæ gratiæ sectatores minus ceremonias legis & tēpli solēnia frequentare, timebāt, sicut in euāgelio legitur, ne venirēt Romani, & tollerēt eorū locū & gentē. Quinetiā viderant Trophimū Ephesū in ciuitate cū illo, quē existimarūt quòd in templū introduxisset Paulus. Hic autē quāuis tanta passus, nō reprehēdit eos, quòd ipsi essent horū omniū causa.

Commotāque est ciuitas tota, & facta est concursio populi. Et apprehēdentes Paulum trahebant eum extra templum, & statim clausa sunt ianue.
Quærentibus

† Quærentibus autem eum occidere, nunciatum est Tribuno cohortis: quia tota confunditur Ierusalem. Qui statim assumptis militibus & centurionibus, decucurrit ad illos. Qui cum vidissent Tribunal & milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens Tribunus apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis esset, & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cū non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra.

Qui in Asia Pauli verba audierāt Iudæi, aliquot diebus Ierosolymis versati illum agnouerunt, & in eum totam concitauerunt urbem, clamantes: Succurrite, quia hic introductis Græcis prophanauit templum, sed ne hīc solum, sed & ubique docet Mosaicæ legis discessionem & finem. Et apprehensum Paulum extraxerunt eum extra templum, ne cæde eius prophanaretur tēplum. * Quærentibus autem eum occidere, accessit Tribunus cum militibus: neque enim Paulus Apostolus vitæ suæ transitoria, sed ecclesiæ Dei consuluit, quando contra illos, qui eum occidere conspirauerāt, consilium eorum, vt Tribunus proderetur, effecit. Vnde factum est, vt eum ad locum, quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateret insidiis. Quod autem dicit: Nunciatum est Tribuno cohortis: Græcè est, *ἀνέβη φάσις τῶ χιλιάρχου τῆς σωείρης*, id est peruenit rumor ad Tribunal, siue denunciatum est Tribuno. Qui accedēs Paulum ligatum misit ad castra, clamantibus in eum cunctis, ne quidem Tribunus rationem tumultus intelligere posset.

Et cū venisset ad gradus, contigit vt portaretur à militibus propter vim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans: Tolle eum. Et cū cœpisset induci in castra Paulus, dicit Tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit ei: Græcè nosti? Nonne tu es Aegyptius ille qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor milia virorum sicariorum? Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Iudæus, à Tarso Ciliciæ non ignota ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte me loqui ad populum. Et cū ille permisisset, Paulus stans in gradibus annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens.

Cūmq; Paulus à militibus magis portaretur propter vim populi, quàm duceretur, Iudæi nihilominus clamabant: Tolle eum. Hanc vocē moris erat Iudæis dicere aduersus iustos, quemadmodum etiam contra Dominum. Tolle eum, hoc est, aufer eum è viuīs. Paulus verò petit māsuētē quiddam loqui Tribuno. At ille dixit: Nonne tu Græcè nosti? quādoquidē ipse interrogasset Græcè, ideo hoc interrogat, quia eum putabat fuisse illum Aegyptium, qui sub Felice præfecto Iudææ seditionem mouit, de quo Ioseph. Antiq. lib. 20. cap. 12. Eodem tempore quidam ex Aegypto venit Ierosolymā, vatem se esse profitens, & plebi suadēs, vt secuta se in montē Oliueti ascenderet, qui è regione vrbis ad quintum abest stadium: illic enim visuros suo iussu Ierosolymorū cadere mœnia, ita vt per eorum ruinas aditus in ciuitatem pateat. Quo cognito Felix iubet milites arma sumere, stipatūsque multis equitibus ac peditibus erumpens inuadit turbam seductam ab Aegypto: quorum quadringentis occisis, ducentos viuos cepit. Aegyptius ipse pugna elapsus disparuit. Propterea Tribunus qui sub Felice Ierosolymis erat, ad Paulum, in quem Iudæorum fuerat commota seditio, dixit: Nonne tu es Aegyptius ille, qui ante hos dies concitaueras populum, & eduxeras in desertum ad quatuor milia hominum sicariorum? Græcè scribens τῶν σικαριῶν, Latino nomine vsq; est. Sicarij enim, inquit Occume. latrones vocātur, genere ensū vtētēs, qui proximè ad eorū accedūt magnitudinē, quos Perfæ Acinacas dicūt, Romani verò sicas appellāt,

Tarsus.

à quibus illi etiam latrocinium exercentes appellationem acceperunt. Interrogatus itaque Paulus an esset Aegyptius ille sicarius & seductor, respondet Paulus modeste: Ego sum inquit, Iudæus Tarsensis ciuis. De Tarso dictum est sup. ca. 9. quæ olim dicta fuerat Terson, siue quod illic à diluuiò primû apparuit terra sicca, siue quod illic delapsus Pegafus talo fracto, quem illi τάρσος appellant, claudicationem contraxerit. Est & alia eiusdem nominis in Bithynia. Rursus & alia quæpiam in India, vt iudicat Hiero. super Ionam. Oro inquit Paulus ad Tribunal, permitte me paucis loqui ad populû: tanquam paratus esset omnium reddere rationem, modò ab eis permetteretur audiri. Quo permittete stabat Paulus in editiore graduum loco, vinctus tamen duabus catenis, Hebræa lingua sic cœpit omni cum mansuetudine concionari, & populum ita exasperatum modeste, quàm maximè potuit, mitigare: sed & eorum lingua, indito manu silentio, quo non ob Pauli reuerentiam factò, sed auiditate audiendi, quidnã causæ excusationis allegaret tantæ qua accusabatur temeritatis.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Ligatus Paulus à Tribuno suæ doctrinæ rationem reddit, suam apud Iudæos conuersionem, & interim conuersionem à Domino mirabilem proficitur, qua mediante Domini iussu, quicquid voluerit fecit: cui cum verbera minaretur Tribunus, se Romanum esse protestatus est.



Viri fratres & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem. Cum audissent autem quia Hebræa lingua loquitur ad illos, magis præstiterunt silentium. Et dixit: Ego sum vir Iudæus, natus Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis eruditus iuxta veritatem paternæ legis, emulato legis, sicut & vos omnes estis hodie.† qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, & alligans & tradens in custodias viros ac mulieres, sicut princeps sacerdotum mihi testimoniû reddit, & omnes maiores natu:† à quibus & epistolas accipiens ad fratres, Damascum pergebam, vt adducerem inde vinctos in Ierusalem, vt puniretur.

† sup. 8. a. & 9. a.

† sup. 6. a. 1. Cor. 15. b. Gal. 1. c.

Paulus Iudæorum captans beneuolentiã, illos primû cognatione vocis allicit, mox & mansuetudine: neque enim eos dominos aut socios, sed fratres inferiores, superiores autem patres vocat, quasi non alienus ab illis, sed germanus. Audite inquit, meã quã nunc ad vos habeo excusatione. Non dixit doctrinam, inquit Chryso. neq; cõcionẽ, sed defensionẽ, & omniũ quæ mihi impinguntur rationem. Verû quia multam illi linguæ Hebrææ, qua loquebatur, habebant reuerentiã, reddidit eos attentiores. Ego inquit, sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, & in hac ciuitate nutritus. Glosa autẽ ordi. refert: Natus in oppido Galilææ, Giscalii nomine, fuit Paulus, quo capto à Romanis, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ migravit: ob studiũ autẽ legis Ierolymã veniẽs à Gamalielẽ est eruditus. Modò vocatur ciuis Romanus, modò municeps: nimirũ municipẽ, vt Vlpianus inquit, facit aut ciuitas, aut manu missio, aut adoptio: quoniã municeps, & qui liber natus est in municipio, dicitur, & qui in municipio à seruitute se liberavit, & qui ciuitatẽ quãcunq; affecutus est. Propriè tamen municipes dicuntur, qui in ciuitatẽ Romanã recepti, munerũ participes fiunt: quasi vrbis munia capiẽtes. Quãuis ergo Giscalii natus, tamẽ se Tarsensem dicit, imò & Romanũ, cum Tarsi nutritus sit in Cilicia, quæ subiecta esset Romanis. Alij volũt parẽtes eius ductos fuisse Tarsum tanq; municipes, antequã natus esset Paulus, cum nusquã se iactet in Iudæa natũ. sed de hoc inferius. Cũq; adoleuisset, missus est Ierolymã ad sacræ scripturæ studiũ: vbi legis doctorẽ Gamalielẽ nactus, ad pedes eius in patria lege apprimè educatus. Gamaliel autem, vt sup. cap. Phariseus erat, & vt Clemẽs ait, cõsocius erat Apostolorũ in fide, cõsilio autẽ eorũ cũ Iudæis manebat, vt in tali turbine pessima eorũ cõsilia destrueret, & eorũ furorẽ mitigaret, & si posset,

si posset, sedaret. Huius autẽ Paulus doctrinam sectatus & mores, Dei pro viribus sectator, non minus quàm vos sectamini hodie. Nec minus quàm vos hanc viam persecutus sum: nõ enim expectabam sacerdotum & maiorum iussum, sed ipse sacerdotes excitabam, nec viros modò, sed & mulieres in vincula & carceres coniciebã. In quo testes omni exceptione maiores adducit, principem sacerdotum, ac ipsos sacerdotes, ceterosque qui in ciuitate cuiusuis essent autoritatis. A quibus etiam Damascum profecturus epistolas acceperam, vt quoscunq; huius viæ viros vinctos adducerem Ierolymam ad supplicium.

Factum est autem eunte me, & appropinquante Damasco media die, subito de cælo circumfulsit me lux copiosa: & decidens in terram, audiui vocem de cælo dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Et qui mecum erant, lumen quidẽ viderunt, vocem quidem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Et dixi: Quid faciam Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum, & ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus veni Damascum.

Tota cõtrouersia inter Paulum & Iudæos in hoc consistebat, quòd à patrum traditionibus discessisse diceretur, & CHRISTI traditiones ubique promulgaret. A quibus se absolvens, non ab hominibus hæc accepisse dicit, sed à Deo ad hæc fuisse compulsus modo sequenti, & ideo reiiciendam in eum non esse culpam. Contigit itaque mihi, inquit, appropinquanti Damasco circiter meridiem, repentina me lux de cælo circumfulsit, vi cuius in terram collapsus vocem audiui mihi dicentem: Saule, Saule, quid me persequeris? Testes supersunt, qui lucem viderunt, quãdam vocem ad me loquentem audierunt, quam non intellexerunt, sed me mane in Damasco duxerunt. Cũ superius cap. 9. dixerit: Audientes quidem vocem, neminem autem videntes: hinc autem ait: Lumen quidem viderunt, vocem quidem non audierunt eius qui loquebatur mecum: videtur esse discrimen, quòd Beda soluit, dicens: Vnde colligitur eos sonum vocis confusæ, non discrimen verborum audisse. Rabanus autem: Intellexerunt inquit, sed solum sonum vocis Pauli, vel eius qui Paulò loquebatur, non autem distinctè quid loqueretur intellexerant. Quoniam vt ait Chryso. Non est tantum operata lux erga illos, quãtum erga hunc: etenim excæcauit illius oculos. Quo euentu illi si voluissent, illustrari poterant. Itaque mihi videtur etiam singulari ordinatione illos non credere, & ita esse testes fide dignos. Ingredere inquit Dominus, in ciuitatem ad Ananiam, qui tibi dicet quæ de cætero sis facturus.

Ananias autem quidam vir secundum legem, testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis, veniens ad me, & stans dixit mihi: Saule frater, respice. Et ego eadem hora respexi in eum. At ille dixit: Deus patrũ nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius: quia eris testis illius ad omnes homines eorũ quæ vidisti & audisti. Et nunc quid moraris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine ipsius.

Vt suam autem satius confirmet defensionem, nihil sine testimonio affert, personas simul nectens & actiones: personas inquam sacerdotum, presbyterorum, senatus, comitum, Iudæorum, & Ananiæ extraneæ: actiones autem, tuitionem legis in martyrio Stephani, epistolarũ cõmissionẽ ad cõterẽdã viã CHRISTI, lapsus eius, & cæcitas, visitatio eius per

Ananiam, & visio atque prophetia: quæ cuncta mouere debuerunt auditores, si probè ad CHRIS TV M affecti fuissent. Ananias vir pius secundum legem, & ab omnibus Iudæis, præsertim Damascum habitantibus notus, venit ad Paulum, dixitque ad eum: Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem suam, & vt videas eum iustum. Conueniens ordo, inquit Rabanus. Primò præordinatus est in præscientia dei: Deinde cognoscit veritatem: videt iustum: audit ex ore ipsius: postea fit testis eorum quæ cognouit: vidit, audiuit. Igitur inquit, propter hæc non amittes visum & auditum, super his quæ vidisti & audisti. Nunc exurge, & baptizeris, vt deleas peccata tua. In quibus nam peccatis erat Paulus, qui hæc ignorans faciebat, vt ipse ait 1. Tim. 1. * Prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiã Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Solut Aug. homil. 14. tracta. 50. homiliarum. Cùm autem Paulus Apostolus, prius Saulus, crudellissimus esset, & immanissimus persecutor, nihil omnino boni merebatur: imò merebatur plurimum malum: merebatur enim damnari, non eligi. Ecce subito cùm mala faceret, & mala mereretur, vna cœlesti voce prosternitur. Persecutor deicitur, prædicator erigitur. Audi eum hoc ipsum confitentem: Qui prius fui blasphemus & persecutor, & iniuriosus, misericordiam consecutus sum.

Factum est autem reuertenti mihi in Ierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & videre illum dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Ierusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me. Et ego

† sup. 8. a. dixi: Domine, ipsi sciunt † quia ego eram concludens in carcerem, & cadens per synagogas eos qui credebant in te. † Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego stabam, & consentiebã, & custodiebã vestimenta interficietium illi. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.

† sup. 7. d. 50. dist. ca. si post. 9. Et vt prætereamus.

Hæc autem visio non statim post conuersionem suam facta est, vt ipse ait Gal. 1. Neque veni Ierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum: & mansi apud eum diebus quindécim. Interea igitur hanc visionem habuit, qua factus in ecclasi apparuit illi I E S V S oranti in templo, dicens: Festina, & Ierusalem properè exi, quia verbum tuum de me non sunt suscepturi. In quo illos vehementer taxat, & quòd CHRIS TV S est, constanter, probat: & ideo ipsum absque ratione persequebantur, in quibus erant inexcusabiles. Paulus autem aliquatenus se excusans: Ego inquit, persecutor fui seruorum tuorum, nec solum persecutor, sed & homicidia, cædens per synagogas eos qui in te credebant, & præcipue Stephanum protomartyrem tuum, si non meis, saltem aliorum manibus occidi, astans tanquam commissus à senatu, & ideo consentiens neci eius. Respondit CHRIS TV S: Vade, quia ego ad Gentes procul mittam te, quæ facilius his Iudæis nomen meum recipient.

Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum, & leuauerunt vocẽ suã, dicentes: Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere. Vociferantibus autem eis, & proiicientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in ærem, iussit Tribunus induci eum in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Et cùm astrinxisset eum loris, dicit astanti sibi Centurioni Paulus: † Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito Ceturio accessit ad Tribunum, & nunciauit ei, dicens: Quid acturus es? Hic enim homo ciuis Romanus est.

† 10. dist. si in adiutorium.

Perfiterunt

Perfiterunt Iudæi patientes, dum hæc cuncta Paulus narraret, in quibus etiam CHRIS TV MAIESTAS elucebat. Verbum autem quo mittendus esset ad exteras Gentes, ad CHRIS TV M nomen prædicandum, ferre non potuerunt, cùm etiam illum in patria sua persequebantur, adeo cæci, & inuidi erant, & quòd non recipiebant eum post tot signa & miracula per tot & tantos præcones, & quòd ingrato ferebant animo, si Gentes eum recipiebant. Ideo hoc audito verbo clamare cœperunt: Tolle talem hominem de terra, & terrenis: quia nefas est eum viuere inter terrenos. Vociferantibus autem eis, & proiicientibus vestimenta sua, &c. Super quod ait Beda: In Domini passione sacerdos solus de throno exiliens vestimenta scindit, quia tunc sacerdotium vetus erat nouo mutandum. Nunc verò quia post mortem Apostolorum tota simul Gens erat regni gloria spolianda, cuncti indumenta proiiciunt, & clamorem puluere mixtum ad cœlum tollunt, iuxta quod Psal. ait: * Superbia eorum qui te oderunt, ascēdit semper. Quibus auditis iussit Tribunus eum in castra induci, flagris examinari, vt cognoscat ob quam causam in illum ita mirabiliter clamant. Oportebat inquit Chrysof. Tribunum etiam ipsos rogare, an ita res habeant, & quid causæ ex parte eorum esset. Nihilominus tamen illum solum iubet flagris examinari, id quod ab inclamantibus potius erat sciscitandum & rogandum. Non enim quærebat hoc vt iustè faceret, sed quomodo illorum iniustum furorem placaret. Ideo Paulus hanc impræmeditatam sententiam egrè ferens, quòd contemptior longè fieret flagellatus, sententiæ non acquieuit, sed ex his maiorem incutit metum: quoniam si eum flagellasset Tribunus, & eum abire fecisset, rem prorsus grauasset, quoniam illum occidissent: nunc autem liber effugit. Vnde Tribunus audiens quia Romanus esset, perterritus est. Duo enim crimina illi Paulus impingit, & quòd Romanum ciuem verberibus afficere iubet, & quòd absque iudicio non conuictum intentaret.

Accedens autem Tribunus dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et respondit Tribunus: Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit quia ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum. Postera autem die volens scire diligentius qua ex causa accusaretur à Iudæis, soluit eum, & iussit sacerdotes conuenire, & omne consilium, & producess Paulum, statuit inter illos.

Querit itaque Tribunus ex Paulo, nonne Romanus esset. Constanter respondit Paulus: Etiam. Ait Tribunus: Ius illius ciuitatis grandi emi precio. Respondit Paulus: Ius illud non emi, sed natura illud mihi datum est, quia & ciuis Romanus natus sum. Qui eum flagris examinatri erant, hæc audientes, abierunt. Illum solui iussit, & amplius interrogauit eum in conspectu sacerdotum, & totius senatus eorum. Vnde Deus multa etiam humano more fieri concessit. Planum est enim, inquit Oecumenius, quòd si mentitus fuisset, non solum à plagis se non liberasset, verum etiam truculentius sibi parasset supplicium. Fecisset quoque credibiles Iudæorum aduersum se calumnias, quòd impostor esset, mendax, & præstigiator: quæ vniuersa Paulus maxime nitebatur de medio tollere. Cùm verò Tribunus diceret ei: Tam facile dicis, inquit Beda, te ciuem Romanum? Ego enim scio quanto precio ciuitatem istam possedi. Et Paulus respondit: Ego autem & natus sum: id est, ego in hoc plus te Romanus sum, quòd non alibi natus Romanum nomen emi, sed in ipsorum sum ciuitate progenitus. Quomodo autem ius Romanæ ciuitatis habens natus est, si Romæ natus non est? Quia cùm pater suus hunc honorem comparasset, & per eum venerandus ac gloriosus fuisset, ipse in eo natus est, inquit Oecume. Cùm itaque ait: Ego verò & natus sum: tantundem est, ac si dicat: Tu quidem Tribune, recentem habes honorem grandi pecunia emptum, ego verò paternam habeo gloriam, & quæ mihi congenita est. Hæc autem ait, ne flagellatus facile de spectui haberetur. Interim tamen iuxta prophetiam alligatus est Ierosolymis. Quid igitur

Zz iiij

postmodum accidit? solum deduxit ad Iudeos. Non igitur mendax erat. Timuit enim Tribunus inquit, vbi rescivit quod Romanus esset, hoc est, ex genere dignitate. claro, & ciue Romano.

CAPVT VIGESIMV M TERTIVM.

Paulus in concilium productus iubetur à pontifice cadi, tunc Paulus ait imò ipsum à Deo cadendum. Cùmque se Pharisæum assereret, à Sadducæis propterea impugnatum ex resurrectione, dissensio inter Pharisæos & Sadducæos orta est, & ideo noua Paulo parantur insidia, quibus per nepotem suum detectis, mittitur Casaream ad Felicem præsidem super hiu iudicandus.



Intendens autem in concilium Paulus, ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os eius. Tunc Paulus dixit ad eum: † Percutiet te Deus paries dealbate.

Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Et qui astant, dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: † Principem populi tui non maledices.

† 23. q. 1.
Paratus.

† Exo. 22. d

Adductus in concilium Paulus, non iam Tribunum, sed omnem populum, omnemque alloquitur multitudinem, dicens: Nil mihi conscius sum, quod vestrum quenque offenderim, aut quid vinculis dignum commiserim. Græcè est, ἐγὼ τῶν ὑμετέρων ἀγαθῶν περιτρεμνῶς τῶ θεῷ, id est, vt Budæus vertit: Ego omni conscientia bona munere meo functus sum Deo. περιτρεμνῶς autè hoc loco significat non simpliciter conuersari, quod priuati faciunt, sed creditum sibi munus administrare, vt magistratus faciunt, antistites, cenobiarci, sacerdotes, curationes: qui vtinam verè cum Paulo dicere possent: Ego omnino bona conscientia credito mihi munere functus sum Deo. Ananias princeps sacerdotum post Ionathan in seditione quadam pontificum contra sacerdotes pro decimis interfectum, ægrè ferens Paulum se iustificantem, coram Tribuno iussit Paulum super os percuti. Cui Paulus: Percutiet te Deus paries dealbate. Super quod ait Raba. Non percutiat, quia propheta est, & non maledictio, Paulo dicente: Benedicite, & nolite maledicere. Et iterum: Benedicite maledicentibus. Hoc autem non solum de Anania, sed & de sacerdotio Iudæorum accipiendum est, quod pro veteri lege & ficta superficie dealbato parieti comparat. Cui superaddit Beda: Non perturbatione animi motus hoc dixit: quia illud pontificium simile parieti dealbato percutiendum erat, & destruendum, superueniente **C H R I S T I** sacerdotio, quod prædicantibus Apostolis est reuelatū, id quod August. Sermo. Do. in monte lib. 1. confirmat. Paulus pontificis iussu palma percussus, cōtumeliosus est visus dicere: Percutiet te Deus paries dealbate. Quod minus intelligentibus cōuitium sonat, intelligentibus verò propheta est. Paries quippe dealbatus hypocritis est, id est, simulatio sacerdotalem præferēs dignitatem, & sub hoc nomine tāquam candido tegmine interiore quasi luteam turpitudinem occultas. Græcè est, ποῖχε νενοικιμῆς. Est autem νενοικιμῆς, colore illinire, aut opere teſtorio inducere & incrustare, quod & dealbare Cicero dicit. Et quod nec irato animo, nec ironia dixerit, patet, cū is qui iudicem agere debuisset patiens, tyrannum tamen impatientem agebat. Verūm cū Paulo impropere quod pontifici maledixisset, potuit non cognouisse eum tanquam pontificem, ob longum temporis interuallum, quo apud Gentes & non Iudæos conuersatus fuerat, vtpote per viginti plus minus annos. Sed vt ait Oecume. Ignorantiam fortè simulat, quæ nulli nocet, sed dispensatoria

dispensatoria est. De hoc dicit Beda: Dicit se nescire principem, quia sacerdotum Iudæorum iam reprobatum est. Et si hunc verè nouerat in nouo testamento principem non esse sacerdotum, tamen erudiens alios modestius se habere erga eos, quorum sunt in potestate, temperatè respondet. Et tamen inquit Erasmus, ita corrigit se, quasi peccasset, vt alios doceret deberi reuerentiam iis in quorum potestate sumus. Porro testimonium quod adducit, extat Exod. 22. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.

Sciens autem Paulus quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in concilio: † Viri fratres, ego Pharisæus sum filius Pharisæorum: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cū hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo. Sadducæi autem dicunt non esse resurrectionem mortuorum, neque angelum, neque spiritum: Pharisæi autem utraque consentunt.

† Philip. 3. a
Matt. 22. d

Quoniam hic Ananias pontifex Paulum nondum conuictum damnabat, quem Sadducæorum partes fouere Paulus sciebat, hanc mouet controuersiam. De hoc enim dixit Euseb. lib. 2. ca. 23. Ananias autem iunior (quem pontificatum suscepisse supra diximus) proteruus admodum & insolens moribus, hæresim defendebat Sadducæorum, qui in iudiciis crudeliores Iudæis cæteris videntur. Verūm quia Iudæi dicere nolebant, quare non iudicant illum, cogitur se Pharisæum enunciare, cū videret pontificem in opinione esse Sadducæorum. Apud Iudæos autem tres erant sectæ philosophorum, Essenii, Pharisæi, & Sadducæi. De quibus pluribus philosophatur Iosephus. De Essenis plurimum de bello Iudaico lib. 2. ca. 7. sed nihil ad rem præsentem: de cæteris duabus quædam proponuntur dicenda. Pharisæi, vt idem Ioseph. Antiq. lib. 13. cap. 9. omnia fato tribuunt, quædam verò in sua potestate esse aiunt, vt vel fiant, vel non fiant. Idem lib. 18. cap. 2. Pharisæorum vltus simplex est, nullis mollibus delitiis, & quicquid his ratio dictauit, id sequuntur peruicaciter. Maiores natu venerantur, nec audent eis respondere monentibus, aut obloqui. Fato quæcunque geruntur tribuunt, nec tamen homini voluntatis assensum adimunt, hoc temperamento Deum vti dicentes, vt cū omnia fiant ex ipsius consilio, in homine tamen sit voluntas accedendi ad virtutem aut vitium. Animas credunt esse immortales, & sub terris earum iudicia fieri: tum præmia cuique contingere ex virtutis aut malitiæ merito, & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum. Per hæc placita magnam sibi autoritatem parauerunt apud populum, & quicquid ad solennes preces ad cultum diuinum attinet, iuxta horum interpretationem ac præscriptum fieri solet: tantum habent à ciuitatibus sapientiæ, temperantiæ, & vitæ honestioris testimonium. de bello Iudæi. lib. 2. cap. 7. Hi dicuntur, qui certiorum legalium rituum notitiam profitentur: & hi primum dogma habent, vt fato & Deo omnia deputent, & quidem agere quæ iusta sunt, vel negligere, secundum maiorem partem esse in hominibus profitentur, adiuuare tamen in singulis & factum. Animam autem omnem quidem incorruptam esse, transire autem in alia corpora solas bonorum, improborum verò interminabili supplicio cruciari. At Sadducæi fatum omnino negant, & è rebus tollunt, dicentes nihil fataliter euenire hominibus, & omnia in nostra ipsorum potestate esse, vt tam felicitatis nobis ipsi auctores sumus, quàm infortunij, si deteriora consilia secuti fuerimus. Sadducæorum opinio cum corpore simul extinguit & animas, nec aliud quicquam præter legem seruandam existimant. Nam de sapientia cum præceptoribus disceptare ad virtutem deputant. Huius sectæ pauci sunt, sed ferè dignitate præcipui: ex horum tamen sententia vix quicquam agitur. Nam quoties magistratus licet inuiti suscipiunt, Pharisæorum decretis assentiunt: ni facerent, non ferendi à plebeiurum multitudine. Deum extra omnem mali patrationem inspectionemque constituunt: aiunt autem electioni hominum vel bonum vel malum esse propositum, & secundum voluntatem propriam alterum vnicuique contingere. Animarum autem generaliter vel supplicia denegant, vel honores. Et Pharisæi quidem sociales, & qui studeant se mutua dilectione complecti: Sadducæi verò & inter se feris moribus discrepan-

tes, & conuersatio eorum circa exteros inhumana. Hæc ille locis illis.

Factus est autem clamor magnus. Et exurgentes quidam Phariseorum, pugnant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto: quid si spiritus locutus est ei, aut angelus? Et cum magna dissensio facta esset, timens Tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, & deducere eum in castra.

Sadducæi spiritum & angelum negant, ideo in contrarium Pharisei innuunt, dicentes: Quid si spiritus locutus est ei: in quo arguebant Sadducæos, & quod in Pentateucho pluries fiat angelorum mentio. Et ut ait Oecume. Duplici modo intelligi potest quod dictum est: Aut enim deest quippiam ad sententiæ expletionem, ut ita dicatur: Si autem spiritus aut angelus locutus est ei, incertum est inquit. Aut tanquam à Phariseis dicendum est esse verbum. Si autem spiritus vel angelus locutus est ei, hoc est, quæ de resurrectione loquitur, manifestum est quod aut per spiritum sanctum, aut per angelum eruditus sit resurrectionis sermonem. Vnde graui facta seditione, timens Tribunus ne vim Paulo inferrent, atque discerperent, eo quod se enunciauerat esse Romanum, raptus est à militibus, ut tanta præsentia & imminetia vitarent pericula, & in castrum, quo tutius eum defenderent, & tantus furor demulceretur, & discerent per quæ respicere possent.

† Inf. 27. c. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: † Constans esto. Sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.

In tantis controuersis exposito Paulo reuelat illi noctu Dominus, quid circa eius finem decreuisset, propterea iubet eum bono animo esse, quia non minus Romæ, quam Ierusalem CHRISTI verbum defensus esset, & eorum quæ prædicauerat, fidele testimonium perhibere oporteret.

Facta autem die collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes neque manducatuos neque bibituos donec occiderent Paulum. Erant autem plusquam quadraginta viri, qui hanc coniurationem fecerant: qui accesserunt ad principem sacerdotum, & seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustatuos donec occidamus Paulum.

Pro eo quod est deuouerunt, Græci habent, ἀνάθεμα ἐποίησαν, hoc est, anathematizauerunt. Hoc verbum inquit Beda, quantæ sit authoritatis, norunt qui anathemate sacerdotali à societate CHRISTI & ecclesiæ alienantur: quod est ait Chryso. dixerunt se esse extra fidem in Deum, nisi quod decreuerant contra Paulum, implerent. Igitur inquit, semper sunt anathematizati illi: non enim occiderunt Paulum. Siue ergo occidissent, anathema erant, quia innocentem occidissent: siue non occidissent, anathema erant. Vnde Budæus: ἀνάθεμα est dicatio & consecratio, inde ἀνάθεμα dicti sacri homines, quorum capita diis inferis dicata sunt & deuota. Sed nec vnus solus Iudæorum, sed quadraginta anathematizati sunt, qui ad idem factum conuenerunt, cuiusmodi sunt Iudæi, qui in rem bonam uolentes vix duo conueniunt, in malam verò plurimi, vel etiam totus populus. Vnde Beda: Cùm Dominus dicat: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: illi è contra iniquitatem esuriunt, & iusti sanguinem sitiunt, adeo ut etiam cibos à se abdicent, donec morte iusti fatientur. * Sed non est sapientia, non est prudentia vel consilium contra Deum. Eripitur enim Paulus ab eorum insidiis, ut seruatus Romæ testimonium reddat CHRISTO.

Nunc ergo vos notum facite Tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos,

vos, tanquam aliquid certius cognituri de eo. Nos verò prius quam appropiet, parati sumus interficere illum. Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit, & intrauit in castra, nunciauitque Paulo. Vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad Tribunal: habet enim aliquid indicare illi.

Fraudem aliam in Paulum excogitant, quæ per humanam irritatur prouidentiam. Neque enim Paulus inquit Aug. de mendacio cap. 15. vitæ suæ transitorie consulebat, sed ecclesiæ Dei, contra illos qui eum occidere conspirauerant, consilium eorum Tribuno ut prodeatur effecit. Neque tamen Paulus vult cuiquam, neque etiam Centurioni reuelari secretum, tanquam à diuina decretum prouidentia.

Et ille quidem assumens eum, duxit ad Tribunal, & ait: Vincit Paulus rogauit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. Apprehendens autem Tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogauit illum: Quid est quod habes indicare mihi? Ille autem dixit: † Iudæis conuenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. Tu verò ne credideris illis: insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se deuouerunt non manducare neque bibere donec interficiant eum, & nunc parati sunt, expectantes promissum tuum. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ei ne cui loqueretur, quoniam hæc nota sibi fecisset.

Super quod Beda: Paulus licet hostias obtulerit, caput raserit, nudipedalia exercuerit, Iudæis factus est Iudæus, vincula tamen quæ prædicta erant non euasit. Et hic isti quâuis concilia cogant, se deuouent, insidias tendant, seruatur tamen Apostolus testimonium de CHRISTO Romæ redditurus, iuxta CHRISTI promissum. Detecta est igitur virtute adolescentis fraus illorum, qui præsentatus Tribuno sic ait: Constituerunt Iudæi crastina die te rogare, ut in concilium iuxta promissum tuum Paulum adducas, quasi diligentius aliquid de eo interrogaturi. Tu verò non acquiescas iis. Insidiantur enim illi ex eis plusquam quadraginta viri, qui se deuouerunt nunquam comesturos, nisi prius occiderint illum. Et nunc parati mandatum tuum expectantes. Adolescentem his auditis dimisit, prohibens ne cuiquam talia diceret, ne Pauli liberatio, & in Cæsaream deductio impediretur.

Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant usque ad Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, à tertia hora noctis, & iumenta præparate, ut imponentes Paulum, saluum perducerent ad Felicem præsidem (timuit enim ne fortè raperent eum Iudæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, & tanquam accepturus pecuniam) scribens ei epistolam continentem hæc.

Tribunus seditionem fieri metuens, nocte egit quod Iudæos latere volebat, utpote hora tertia noctis, quam quidam horam tertiam post mediam noctem arbitrantur, alij tertiam horam noctis Iudæorum computo existimant, ut si noctem hora sexta inciperent, nona sequens hora tertia diceretur. Iubet ergo centuriones ad tutum Pauli conductum necessaria præparare iumenta, inquit, Præparate: Græcè, κτήνη τὰ παρασκευάσαι. Quanquam Budæus le-

† 23. 9. 3.
Maximianus.

* Prov. 21. d.

git *παρισίαν*, quod idem est, id est, præstò iumenta sistite Paulo, scilicet in vehiculum ascen-
suro, in quo Paulum saluum ad Felicem præsidem mitteret in Cæsaream, vt illic à iudice
præcipuo in maiore spectaculo, & clariore auditorio disserere possent Iudæi eam causam
controuerfam, & nullam prætexerent excusationem.

*Claudius Lysias optimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum
à Iudæis, & incipientem interfici ab eis, superueniens cum exercitu eripui,
cognito quia Romanus est: volensque scire causam quam obiiciebant ei, de-
duxi eum in concilium eorum. Quem inueni accusari de quæstionibus legis
ipsorum, nihil verò dignum morte aut vinculis habentem crimen. Et cum
mihi perlatum esset de insidiis quas parauerant illi, misi eum ad te, denun-
tians & accusatoribus, vt dicant apud te. Vale.*

Tradunt Felicem hunc libertum fuisse Claudij Cæsaris vnicè illi charum, missum in Iu-
dæam procuratorem post Cumanum exilio multatum. Hic Drusillam prioris Agrippæ
regis filiam duxit vxorem, quæ prius nupserat Azizo Emesenorum regi circunciso, cuius
nuptias Epiphanes Antiochi Comagenorum regis filius recusauerat, quòd mutata sententia
Iudæorum religionem amplecti nollet, vt erat pollicitus puellæ parentibus. Drusilla autem
non multo post dimissa est ab Azizo ex causa huiusmodi. Felix cum esset Iudææ procura-
tor, visa hac sceminarum omnium pulcherrima, amore eius captus, Simonem amicū suum
Iudæum genere Cyprium pro mago se gerentem ad eam misit, qui mulierem sollicitaret, vt
reliqto priore marito ipsi nubere, beatam fore pollicens, si non fastidiret hominem. Illa ma-
lè consueta volens euadere molestationes sororis Bernices inuidenti sibi formæ præcellen-
tiam, consensit calcata religione patria Felici nubere, natòque ex hoc marito filio nomen
Agrippæ imposuit. Huius Felicis tempore multæ apud Iudæam ortæ sunt seditiones, qui-
bus Felix quo ad potuit occurrit non sine Iudæorum iniuria. Vnde postquam Felici suc-
cessor Portius festus à Nerone missus est, primores Iudæorum Cæsaream incolentiū Romæ
pro festi sunt, apud Cæsareæ Felicè accusaturi: dedissetque omnino poenas iniuriarum, qui-
bus Iudæos affecerat, nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in precio
erat apud principem. Quia hic Tribunus non Iudæus, sed alienigena mille hominum ca-
put erat, non ad hoc iudex missus erat, vt de morte iudicaret, ideo Paulum ad primarium
Iudææ iudicem & præsidem mittit, cum epistola qua eum etiam excusabat: Nisi enim illum
è manibus eorum eripuissim, occidissent eum, quanuis nihil morte dignum, quantumuis
deduxerint eum in concilium suum, & illum ibidem accusauerint. Vt autem apud Feli-
cem innocentior appareat, mittit eum cum accusatoribus suis ad præcipuum Iudææ tri-
bunal, vt auditis à iudice accusationibus, accusatores confundantur, & Paulus innocens
tandem appareat.

*Milites verò secundum præceptum sibi assumentes Paulum duxerunt per
noctem in Antipatridem. Et postera die dimissis equitibus, vt cum eo irent,
reuersi sunt ad castra. Qui cum venissent Cæsaream, & tradidissent epi-
stolam præsidi, statuerunt ante illum & Paulum. Cum legisset autem, &
interrogasset de qua prouincia esset: & cognoscens quia de Cilicia: Au-
diam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Iussitque in prætório Hero-
dis custodiri eum.*

Cur autem Tribunus Paulum cum tanta miserit securitate, nisi quia illi tanquam inno-
centi reperto timebat à Iudæorum indicibili inuidia, & illum in nullo iudicaret condemnan-
dum. Vnde iussu eius deducunt eum inquit Chryso. quasi regem quendam lanceariis stipa-
tum

tum cum tanta multitudine in nocte, timentes iram & impetum populi. Cæsarea autem ista
Palæstinæ est, de qua sup. cap. 21. distans ab Ierosolymis 30. leucis: ideo non potuerunt huc
milites vna die deducere Paulum, sed manserunt Antipatride, quæ est vrbs Palæstinæ in tri-
bu Manasse, quæ olim dicta est Capharsalama, vt 1. Mach. 7. Exiuit Nichanor obuiam Iudæ
in pugnam iuxta Capharsalama. Ea verò sita est in optimo Iudææ campo, & diuiti arbori-
bus & fluminibus, inter Diospolim, quæ & Lidda, & Cæsaream Palæstinæ, procul ab Iop-
pe, 150. stadiis contra orientalem plagam. Iamdudum Tribunus per epistolam suam pro illo
rationem reddiderat, & tamen adhuc Iudæi insidiantur: nec tamen soluitur, sed in vinculis
accusatores expectat. O Felix, & nimium scilicet, si tunc agnouisses sclicitatem tuam, quæ
se tibi gratis obiiciebat, sicut tuus præcessor Cornelius Centurio, qui nec Petrum aduenien-
tem abiecit, sed longè distantem vocauit: tu verò nec Paulum salutis tuæ vocas præconem,
sed venientem malè tractas, & in vinculis manere sinis. Vnde nunc scilicet viueres, vbi cum
Iudæis infelix cruciaris.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

*Accusatus Paulus coram Felice à Iudæis, causam agente Tertullo illorum patrono, responder,
obiecta sibi crimina negans, se Christianum confitens, & se de resurrectione iudicari
mortuorum. Quem cum audisset Felix & eius vxor Iudæa, reli-
quit eum vinctum successori suo Portio Festo.*



*P*ost quinque autem dies descendit princeps sacerdotum Ana-
nias cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam ora-
tore, qui adierunt præsidem aduersus Paulum. Et citato
Paulo cepit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace
agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouiden-
tiam, semper & vbique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum
actione.

Tertullus oratorem agens, iudicis primò benevolentiam captat, iudicem laudibus præ-
occupat, verum an verè, an falsè loquens oret, parum considerat, qui solum Iudæos reddere
innoxios, iudicem applaudere, & fauorem attrahere, accusatum verò reum & culpabilem
reddere: vnde à principio seditiosum, & rerum vocat innouatorem, præsidem verò adhuc à
recta administratione æquissimum, qui tamen multa tyrannicè gereret. Nam & pontificem
Jonathan monentem vt pietati daret operam, subornato Dora Ionathæ amico illum in Ie-
rusalem interfecit. Multas in Cæsarea diuitum domos expilauit, alioqui tamen magorum &
pseudoprophetarum seductores repressit. Nec mirū est si à tali laudetur oratore ab eo quod
non est, vt admonitus officij esse incipiat qualis esse debet. Deinde captat benevolentiam à
persona iudicis, dicens: semper & vbique suscipimus cum omni gratiarum actione: ipsū-
que laudibus præsertim præoccupat, quasi eum attentorem reddere cupiens, qui de iniusta
causa iustam facere tendebat.

*Ne diutius autem te protraham, oro breuiter vt audias nos pro tua clemen-
tia. Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditionem omni-
bus Iudæis in vniuerso orbe, & authorem seditionis sectæ Nazarenorum,
qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum volumus
secundum legem nostram iudicare.*

Cum Felix maximè seditiones odio haberet, & in seditiosos sæpissime animaduertet,
Tertullus Paulū imprimis seditionis accusat, vt iudici voluntatem puniendi Paulū immittat,
A A a

qui non Palæstinam modò, sed totum orbem terrarum in Iudæos concitare non cessat, qui author est sectæ Nazarenorum, & templum Dei prophanare tentabat, nisi apprehensum prohibuissimus. In quibus Paulum trium præcipuorum accusat, quorum quodlibet morte dignum arbitrabatur. Avertit inquit, quosdam Iudæos à lege patrum suorum, concitatque inter & legem seruantes cõtrouersiam & seditionem, sed etiam inter Gentes & Iudæos permanentes in lege sua. Est etiam vnus de præcipuis prædicatoribus cuiusdam nouæ sectæ, quam introduxit, Nazarenorum. Vnde Beda: In illo tempore Christiani pro opprobrio Nazareni vocabantur. Postea inter Iudæos surrexit hæresis, quæ dicta est Nazarenorum, qui **C H R I S T V M** filium Dei credunt de Maria natum, passum etiam & resurrexisse, omnia veteris legis mandata custodientes, sed dum volunt Iudæi & Christiani esse, neutrum sunt. Accusant postremò prophanationis templi, quâuis septem diebus durante purificatione permanferit in templo. Hunc autem iuxta legem se purificantem, volentes iuxta legem illum iudicare, legem contumelia afficientes. Neque enim inquit Chryso. legis erat percutere, occidere, insidiari.

Superueniens autem Tribunus Lysias cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te venire, à quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere.

Accusat etiam Lysiam Tribunum, qui superueniens cum percuteretur Paulus, magna vi illum è manibus eorum eripuit. Cui nec conueniebat hanc rem contra legem nostram facere, quam tamen fecit, ut ait Chryso. Ex quo poteris diiudicans de his omnibus cognoscere, de quibus nos accusamus illum. Græcè est ἀνακρίνας, quod magis hic quadrabat, interrogas, siue facta interrogatione, quàm diiudicans. Ad hæc autem adiecerunt Iudæi, asserentes hæc ita se habere.

Respondens autem Paulus (annuente sibi præside dicere.) Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciã. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem. Et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant.

Paulus autem ad hæc minimè tacet, sed annuente præside liberè ad hæc singula respondet. Sciens te ex multis annis huic genti constitutum esse iudicem, tribus ad minus annis, æquiore animo spero me de rebus meis satisfacturum: Græcè, ἐνθυμῶν τὰ πρὸς ἐμαυτῷ, seu πρὸς ἐμαυτῷ ἀπολογῆμαι, id est, æquiore animo pro mea causa respondeo. ἀπολογία enim præsentis est temporis: inde ἀπολογία, oratio, qua se reus coram iudice defendit. Non sunt inquit Chryso. hæc adulationis verba, testificare iustitiam iudici, sed illa magis, quòd multa pace potiantur per eum. Satisfacturus itaque Paulus tribus obiectis, cuique sigillatim respondet: sciebat enim nihil eorum fecisse, quorum accusabatur. Primo sic respondet obiecto: Quoniam si quam fecisset in vrbe Ierolyma seditionem, ipse præses sciisset, quia à duodecim diebus Ierusalem ascendisset, ideo recentissima esse seditio, quæ ignorari propterea tam citò non poterat. Verùm quia accusator non poterat recentem fuisse seditionem probare, mendacium finxit, quòd videlicet Paulus omnibus Iudæis in vniuerso orbe dispersis mouerat seditionem. Cui satisfacit Paulus, quasi per hoc rationem reddes: Tantum abest vt seditionem in Iudæos propter eorum legem concitarem, quia pro legis tuitione & impletione ascendi adoraturus iuxta legem in templum. At neque in templo, neque in synagogis, neque in ciuitate inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concionantem,

cionantem, neque tumultum aut concursum quenquam ab aduentu meo possint probare fuisse in vrbe, nisi quem ipsi aduersum me iniuste fecerunt.

Confiteor autem hoc tibi, quòd secundum sectam quam dicunt hæresim, sic deseruio patri & Deo meo, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant resurrectionem futuram iustorum & iniquorum: in hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper.

Auerte quòd idem est ἀπειθῆς Græcè, quod secta Latinè: quomodo igitur dicit, secundum sectam, quam dicunt hæresim. Sciendum itaque quòd Græcè est κατὰ τὴν ὁδόν, id est, iuxta viam, pro secundum sectam. Pro eo autem quod dicit, patri & Deo meo, Græcè est τῷ ἐμῷ πατρί μου, id est, Deo patri siue paterno meo, scilicet quem coluerunt patres mei. Hic igitur Paulus ad secundum respondet obiectum, de secta scilicet Nazarenorum. Vnde Beda: Sic deseruio patri Deo: non enim conuenit cum qui Græcè locutus est, dicere sectam quam dicunt hæresim, sed deseruio patri siue patri Deo secundum illam viam, quam in creduli hæresim, id est, sectam vocant, quasi magis habeant pertinaciam quælibet sectandi, quàm industriam rectæ cognoscendi, scilicet veram sectam Nazarenorum, quæ iuxta legem & prophetas ortum habuit. In quo ostendit eundem esse Deum veteris & noui testamenti, quem Iex & propheta nunciauerunt, & quem Paulus in sua secta prædicabat, asserens se credere vniuersis quæ in lege Moyfi & prophetis scripta sunt: in quibus latenter **C H R I S T V M** induxit. Sed interim in sermone de resurrectione versatur, quam hi ab exordio oppugnabant, quo probato facilè innuit **C H R I S T V M** resurrexisse: quem & Iudæi, & præsertim Pharisei expectant in resurrectione mortuorum, in qua iusti in æternum præmium accipient salutis, iniqui verò damnationis. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere, &c. Græcè est, ἐν τῷτῷ δὲ αὐτὸς ἀσκήσασθαι ἀποδοξασθαι ἕχων, id est, interim autem meditor conscientiam habere inoffensam. ἀσκήσασθαι enim meditari est, & exercere se in re aliqua.

Post annos autem plures elemosynas factururus in gentem meam veni, & oblationes & vota, in quibus inuenerunt me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu. Et apprehenderunt me, clamantes, & dicentes: Tolle inimicum nostrum. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent aduersum me, aut hi ipsi dicant si quid inuenerint in me iniquitatis, cum stem in concilio, nisi de vna hac solummodo voce, qua clamaui inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis.

Tertio satisfacit obiecto, quo templum prophanasse insimulabant Paulum, & ipsum violare nitentem. Ascenderat enim post plures annos Ierolymam, utpote 23. annos à sua conuersione. Cur autem ascenderit, insinuat, quia adoraturus genti suæ elemosynas longo collectas labore factururus, & oblationes ac vota templo legis intuitu oblaturus, quo nõ seditionis me accusare possunt, aut tẽpli prophanationis, imò honoris. In quibus faciendis me inuenerunt absq; turba & quouis tumultu: & talia deuotè faciẽtem me cõprehēderunt ignominiosè. Qui autẽ me cõprehēderunt Iudæi, quidã ex Asia erāt, quos oportebat hic præsentem adesse, vt si quid cõtra me haberent, coram te afferrent: vel qui nũc palàm accusant, dicant quid in me iniustum inuenerint, cum stem in cõcilio pro vnica voce qua clamaui: De resurrectione mortuorum ego iudicor. Super quod Raba. hoc per antiphrasim. Sciebat enim hoc eis placere, quasi dicat, nihil commissi, nisi quia prædicauit quod & ipsi credunt. Hæc erat inquit

Chryso. abundans iustificatio, non fugere ab accusatoribus, sed paratum esse ad reddendum rationem omnibus. De resurrectione inquit, mortuorum ego hodie iudicor à vobis. Et nihil dixit eorum quæ merito poterat dicere, quod insidiati sint, & beneficientem comprehenderint: quod non erat prophanare. Nec enim idem sunt adorare & purificari, quod violare & prophanare: quod maximè causam confirmasse videtur.

Distulit autem illos Felix, certissimè sciens de via hac, dicens: Cùm Tribunus Lysias descenderit, audiam vos. Iussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quenquam de suis prohibere ministrare ei.

Felix itaque distulit in præsentiarum ferre sententiam, & hoc dedita opera, cui perspicua erat Pauli innocentia, sed nolens punire illum, nec Iudæos repellere, Tribunum Lysiam finxit expectandum, ut causam apprehensionis Pauli melius agnosceret. Nec necesse habebat expectare Tribunum, à quo audierat per literas de Pauli innocentia. Itaque tam Tribunus, quam ipse præses iudicabat Paulum à criminibus sibi impositis liberandum. Iussit tamen Centurioni, ut illum custodiret, Iudæis gratificans, vel etiam expectans pecuniam Iudæis procurantibus à Paulo se accepturum. Hanc autem causatur expectationem, quia Tertullus Lysiam meminerat. Iussit itaque Centurioni custodiam eius, & ne quempiam sociorum eius prohiberet eum adire, & quæcunque vellet ministrare.

Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, vocavit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christum Iesum. Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersiam te: simul & sperans, quod pecunia ei daretur à Paulo: propter quod & frequenter accersens eum loquebatur cum eo. Biennio autem expleto accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

De Felice & Drusilla dictum est cap. 23. superiori. Ex eo autem quod Iudæam Felix haberet uxorem, libenter audiebat Paulum de fide in CHRISTUM, quæ veteri testamento usquequaque conformia erant. Nouerat enim Felix CHRISTI fidem, diligenter instructus ex veteri testamento in his quæ Christianæ sunt fidei. Tanta autem erat verborum Pauli vis, ait Chryso. dum de iustitia, castitate, & futuro iudicio differeret, ut etiam præsidem attonitum redderet. Quævis autem Felicem Gentilem futuri iudicij memoria perterrefaciat, pecuniæ tamen cupiditas illi ad salutem est impedimento, futuræque mortis delet memoriã: sperabat enim à Paulo se accepturum pecuniam. Quare nõ magis quærebat quo pacto ante illud tremendum tribunal staret intrepidus, quam pecuniam, vel Iudæorum fauorem. Et tamen non ita hoc iudicium obliuioni dabat, quin aliquando memoriæ reuocaret, & Paulum accerseret, & cum eo colloqueretur, usque ad biennium, quo expleto Felici successit Portius Festus. Ut autem Iudæis faueret, Paulum semper vinctum reliquit. Pro quo Græcè est, *χρηστὸς κατὰ τὸν νόμον τοῖς Ἰουδαίοις*. Verbum Græcum magis significat gratiam à Iudæis inire, quam illis gratiam præstare, quod miror à multis non animaduersum. Cur autem acceperit successorem, diximus superiori capite.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Iudæis insidiosè petentibus Paulum, Ierusalem reduci non concedit Festus, sed Cæsareæ accusationem audire & excusationem decreuit. De quibus Paulus interpellatus Romam appellat, cuius tamen causam Agrippa audire letus cupiuit.

Festus



Festus ergo cùm venisset in provinciam, post triduum ascendit Ierosolymam à Cæsarea. Adieruntque eum principes sacerdotum, & primi Iudæorum aduersus Paulum, & rogabant eum, postulantes gratiam aduersus eum, ut iuberet perducere eum in Ierusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in via. Festus autem respondit seruari Paulum in Cæsarea, se autem maturius profecturum. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent.

Felici successit Portius Festus, à Nerone primo imperij sui anno in Iudæam missus: quam ut inquit Iosephus, offendit totam afflictam latronibus vicis passim populantibus, quorum ferocissimi appellati sicarij tunc ad maximum numerum excreuerat. Hic autem ut primùm Cæsaream aduenit, post triduum Ierusalem visere illi in animo fuit: adieruntque eum principes sacerdotum: vbi Græci habent, *ἐπεδήσαντες δὲ αὐτῷ*, id est, significarunt ei, idque priuatim. Pro quo interpres legisse videtur *ἐπεύχοντες*, id est, adierunt, quod incongruum non admodum mihi videtur, cùm etiam eodem verbo usus sit, cùm res Agrippæ narratur. Cùm igitur Ierosolymis esset, primores Ierusalem postulauerunt à Festo aduersus Paulum fauorem, ut scilicet accerseret eum à Cæsarea in Ierusalem, intendentes insidias, ut eum in via interficerent. Respondit Festus Paulum optimè asseruari Cæsareæ, propterea si qui sint eum accusaturi cuiusvis criminis, huc nobiscum descendant.

Demoratus autè inter eos dies non amplius quàm octo aut decem, descendit Cæsaream: & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci. Qui cùm perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Ierosolyma descenderat Iudæi, multas & graues causas obicientes, quas non poterant probare, Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccauit.

Maiores Iudæorum nulli parcentes labori non grauari sunt descendere in principatum Festi, Cæsaream videlicet Palæstinæ, distantem ab Ierosolymis 30. ad minus leucis. Prius verò quàm ab Ierosolymis descenderet Cæsaream, mansit Ierosolymis circiter decem dies, in quibus omni via tentauerunt eum corrumpere, ut illis daret Paulum, vel saltem illū morte afficeret. Timentes autem Pauli linguam, quam sciebant eloquentem, & quasi verbis inuincibilem, vrgebant præsidem ad dicendam contra Paulum mortis sententiam, vel saltem ad concedendum illi in Ierusalem reditum, insidiantes illi in via. Redditus autem Cæsareæ Festus sedit pro tribunali, ut Iudæorum aduersus Paulum audiret accusationes die sequenti quo Cæsaream rediit: quem Iudæi magno vrgebant studio, plurimis Paulum accusationibus infestantes, quarum nullam penitus probabant. Quæ autem fuerint accusationes, patet ex responsione Pauli, quia vel in legem, vel in templum, vel in Cæsarem peccasset: quas cùm non probarent, aperte negat. Quamobrem Festus à Iudæis accusari timens, sicut Felix præcessor suus, & plures alij, gratificatur illis quàm maximè potest, nec Paulum absoluens, nec illum iudicans.

Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis nõ nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si verò nihil est eorum quæ hi accusant me, nemo potest me illis

donare. Caesarem appello. Tunc Festus cum concilio locutus respondit: Caesarem appellasti, ad Caesarem ibis.

Festus autem quodam honore Paulum attrahere cupiens, non dat Iudæis Paulum, nec eum Ierosolymam iudicandum remittit, sed optioni eius totum tribuit, an Ierosolymam ascendere vellet, & de his omnibus apud eum iudicari. Respondens Paulus ait: Eiecerūt me semel ab Ierosolymis, & cum nil aliud habeāt cuius me accusent, nisi quia peccavi in Caesarem. Quod si in eum peccauerim, apud eundem, quem læsi, cupio iudicari: ad cuius aſto tribunal. Super quod ait Comestor: Eiat autem sedes in Caesarea, iuxta quam stabat Paulus, quam parauerat Herodes Caesari, vt in ea federet, si quando veniret in Caesaream, vel quos mitteret iudices. Inde perstringit illum quasi Iudæis fauentem, nihil inquiring Iudæis nocui, sicut tu melius nosti: quid causæ est igitur vt tradar illorum iudicio, qui mortem meam omni via appetunt? Si quid morte dignum fecisse conuincor, non recuso mortem, contra me fero sententiam, tanquam de mea innocentia multum mihi conscius. Non dixit indignus sum morte, nec cupio absolui, sed quia iudicem in accusatorum partes paululum declinare videbat, ideo dixit: Caesarem appello. Quo audito, Festus cum consiliariis inito consilio respondit: Caesarem appellasti, ad Caesarem ibis.

Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Caesaream ad salutandum Festum, & cum dies plures ibi morarentur, Festus regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vincētus, de quo cum essem Ierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum damnationem. Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur presentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei obiiciuntur.

Hic Agrippa, inquit Beda, filius erat Herodis Agrippæ, quem ab angelo legimus sup. 12. ca. percussum, qui vsque ad subuersionem Ierosolymorum regnum Iudææ tenuit, semper Romanis amicus, & ab omni illa Iudæorum seditione tutissimus. Eodem tempore inquit Iosephus, Agrippa rex extruxit insigni amplitudine domum prope porticum in regia Ierosolymitana, quæ Assamæorum fuerat, sitam in edito loco, vnde amœnissimus prospectus patebat contemplari urbem volentibus, cuius voluptatis rex cupidus è cubiculo spectabat quicquid circa templum fieret. Id vbi viderunt Ierosolymitani proceres, tulerunt indignissimè: neque enim leges nostræ concedunt spectari quid agatur in templo, præsertim sacrificia. Quamobrem altum parietem excitauerunt super exedram, quæ erat in interiori templo, versa ad solem occiduum. Hæc non solum regij triclinij prospectum arcebat opposita, verum etiam occidentalis extra templum sitæ porticus, vbi festis diebus Romani stationes habebant ad templi custodiam. Quo factò inquit Comestor, Agrippa Iudæis in festus descendit in Caesaream, non tam ad salutandum Festum, quam rogaturus vt parietem illum obrueret. Inde offensus etiam Festus iussit parietem dirui. Ciues verò ab Imperatore missis legatis impetrauerunt ne dirueretur. Bernice verò filia Agrippæ filij Aristoboli, soror Mariammes & Drusillæ, & huius Agrippæ soror, nupta primò fuit Agrippæ patruo suo: deinde cum vidua in suspicionem venisset stupri cum Agrippa fratre, nupsit Polemoni regi Ciliciæ. Post aliquot itaque dies regi Festus Pauli causam retulit. Quo audito rex desyderat videre & audire Paulum, quem Iudæi ægrè videbant. Ideo inquit Festus, postulauerunt à me Iudæi aduersus illum sententiam. Quibus respondi, Romanis morem non esse quempiam donare hominem ad necem, nisi partes audiantur.

Cum ergo huc conuenissent, sine ulla dilatione in sequenti die sedens pro tribunali

bunali iussi adduci virum. De quo cum stetissent accusatores, nullam causam deferebāt, de quibus ego suspicabar malum: quæstiones verò quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis. Paulo autem appellante vt seruetur Augusti cognitioni, iussi seruari eum donec mittam eum ad Caesarem.

Narrans Festus Agrippæ vniuersam rei causam, partim Paulū absoluit, partim Iudæos perstringit, quorum accusationes in nullo iudicium perurgebant: multas enim tales adduxerunt, sed non conuincerunt. Et de quodam CHRISTO inquit: Meritò de quodam inquit, vtpote principatum gerens, taliæque minimè curans. De quibus etiam hæsitans quærit à Paulo si vult reuerti Ierosolymam. Et si hæsitans inquit Chryso. & anxius es, cur Paulum in Ierusalem trahis? Propterea Paulus nolens ab eo tãquam fautore hostium iudicari, dixit: Ad tribunal Caesaris sto. Meminerat enim inquit Clarius, se à Domino admonitum, oportere, vt & coram Caesare testimonium de ipso proferret: cuius rei implendæ nunc opportunitatè oblatam intelligens, nihil cunctatus Caesarem appellauit. Quæ omnia Agrippam in desyderium audiendi Paulum excitarunt.

Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras inquit, audies eum. Altera autem die cum venisset Agrippa & Bernice cum multa ambitione, & introissent in auditorium cum Tribunis & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus.

Mirabile præparatur Paulo auditorium, qui tamen innocens iam declaratus est. Assistit enim rex suis stipatus ministris: assistit & princeps cum Tribunis suis & primoribus ciuitatis, coram quibus adducitur & Paulus, qui à Festo nec solum non accusabatur criminum, sed & pro eo ipse rationem reddit. Quod autem dicit, cum multa ambitione, inquit Beda, pro ambitione in Græco est, *μετὰ πολλῆς φαντασίας*, id est, multiplicitate cum apparatu & pompa regalis officij, qua illam ambiente vndique stipabatur.

Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes qui simul adestis nobiscum viri: Videtis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Ierosolymis, petentes & acclamantes non oportere eum viuere amplius. Ego verò comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicavi mittere. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod perduxi eum ad vos, & maxime ad te rex Agrippa, vt interrogatione facta habeam quid scribam. Sine enim ratione mihi videtur mittere vincētum, & causas eius non significare.

In his omnibus Festus Iudæos vehementer accusat, Paulum verò nec solum excusat, sed illum prorsus absoluit. Cum illum morte dignum clamarent, hunc nil morte dignum fecisse comperit, quantum inquisitionem fecerit. Vnde Romam veretur mittere vincētum, nisi & vinculorum causam mittat, ne & apud Caesarem censeatur imprudens & ridiculus. Quæ enim Iudæi clamabant oportere mori, Festus ostendit rectè appellasse. Propterea inquit Festus, adduco vobis eum examinandum, vt cum consilio vestro habeam quid scribam.

Paulus coram Agrippa se iustificans, suam conuersionem ordine narrat, & se Iudæis ac Gentibus CHRISTVM prædicatione ostendit: unde cum Festus illum nimia scientia insanire diceret, respondit se velle omnes auditores esse similes illi Christianos. Unde Agrippa iudicat illum, nisi appellasset, debere dimitti liberum.

Agrippa verò ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cæpit rationem reddere. De omnibus quibus accusor à Iudæis, rex Agrippa, estimo me beatum apud te, cum sim defensurus me hodie, maximè te sciente omnia quæ apud Iudæos sunt, consuetudines & quæstiones: propter quod obsecro, patienter me audies.

Iudæis multo secius quàm expectabant accidit. Paulum enim intendebant probare sceleratum, qui persecutione illorum innocens repertus est: quem læsæ maiestatis accusabant, eorum accusatione ab omni ne dicam vitio, sed omni suspitione immunis declaratus. Ideo æquum nactus iudicem, permittitur se ab omnibus accusationibus purgare. Tutè igitur loquitur absque assentatione, se beatum reputans, qui loquitur coram iudice, qui & mores & ceremonias Iudæorum ac querelas iam dudum agnouit, & non sicut Felix aut Festus alienigenæ, qui Iudæorum quæstionibus fauere videbantur, & propterea illi semper vinctum et si innocentem tenebant. Magna igitur libertate inquit Chryso. loquitur Paulus, non assentans, sed propter hoc se beatum dicens, quòd loquatur ei qui omnia sciat propter quæ à Iudæis apud regem accusatur, quæstiones scilicet Iudaicas, atque mores & consuetudines eorū: contra quas obsecrat patienter audiri, omnium rationem redditurus. Hiero. de optimo genere interpre. paulo secus legit. Paulus Apostolus inquit, præsentem rege Agrippa de criminibus responsum, quod posset intelligere qui auditurus erat, securus de causæ victoria statim in principio sibi gratulatur, dicens: De omnibus quibus accusor à Iudæis, o rex Agrippa, existimo me beatum, cum apud te sim hodie defendendus, qui præcipuè nosti cunctas quæ in Iudæis sunt consuetudines & quæstiones. Legerat enim, inquit, illud Isaïæ: Beatus qui in aures loquitur audientis: & nouerat tantum oratoris verba proficere, quantum iudicis prouidentia cognouisset.

Et quidem vitam meam à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ierosolymis, nouerunt omnes Iudæi, præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Phariseus. Et nunc in spe quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus, in qua duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes sperant deuenire: de qua spe accusor à Iudæis rex.

Qui nil sibi conscius est Paulus, audenter & liberè loquitur. Quomodo inquit, seditiosus fuisset inter eos, quos in testes vitæ meæ præteritæ inuoco, & adolescentiæ meæ illorū acceptum habeo sufferre præsentem testimonium. Quòd si me accusent fuisse discolum, sicarium, aut vagum, testes sunt, quia secundum exactissimam eorum sectam vixi religiosus Phariseus, quibus credo, qui conuersationem meam ab initio nouerunt, si ferre velint testimonium. Cur igitur tantum in me inuehunt iniquies? De spe repromis-

sionis patribus nostris facta. Prædicare enim CHRISTVM nil aliud erat, quàm annunciare spem ad patres nostros per prophetas factam esse in CHRISTO impletam, cuius summa est resurrectio mortuorum, cui inimici Iudæi dum ei resistunt, manifestò aduersantur. Ad quam probandam duas adducit rationes: Primam ex prophetis, quam velut oraculum pro certissima fatentur. Alteram ab effectu, ut infra dicitur. Quo ad primam: Quid causæ est quòd huius spei resurrectionis me accusent, cum duodecim tribus nostræ die noctūque seruiendo se sperant ad eam peruenturas resurrectionem, quam pro certissima ex pluribus à nostris prophetis iam pridem suscitatis fatentur. Cum igitur vita mea non esset dissimilis vitæ eorum, nec spei aut fidei eorum, cur me expetunt à te iudicari?

Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitatur? Et ego quidem existimaueram me aduersus nomen Iesu Nazarenæ debere multa contraria agere: quod & feci Ierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta, & cum occiderentur, detuli sententiam, & per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare, & amplius insaniens in eos, persequerbar usque in exterarum ciuitates.

Alteram subdit rationem: Cur incredibile inquit, iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitatur, cum hæc opinio apud vos in confesso sit: in qua si qui non educati fuissent, nunc culpæ eorum tribueretur. Nam si Deum omnia posse fatemur, quod & ethnici non negant, cur mortuorum resurrectionem negabimus, cum plurimos Deus antè suscitauerit in exemplū futuri Messias suscitandi. Quòd si qui antè resurrexerint, quid criminis est CHRISTVM resurrexisse fateri. Nihilominus Iudæi magis odio, quàm zelo in IESVM illum Nazarenū exarserunt, & me tanquam ministrum suum ad Nazarenos persequendos delegerunt, quorum plures blasphemare, & IESVM Nazarenum esse CHRISTVM & Messiam negare, alios in carceres detrufi, in alios qualiter occidi deberent sententiam tuli, nec Ierosolymis tantum, sed in exteris nationibus, nec meo tantum iudicio, sed & sacerdotum iussu hæc exequerbar, quos in testes palam profero, & in suam committo fidem.

In quibus dum irem Damascum cum potestate & permissu principum sacerdotum, die media, in via, vidi, rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, & eos qui mecum simul erant, omnesque nos cum decidissemus in terram, audiui vocem dicentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Sed exurge, & sta super pedes tuos.

Probat Paulus se testem fide dignum, quantumuis IESVM impugnaret, in eius legem & euangelium insaniret, & plurima in eum faciens expugnaret credentes, suaderet blasphemias, principes, ciuitates, & cuncta in eum animaret, nullumque lapidem non moueret ad eius legem extinguendam, cum subito mutatus est in alterum virum, & qui secum aderant testes adducit: unde his auditis non potuit non credidisse. In meridie enim inquit, cum irem Damascum iussu quidem sacerdotum, vidi circumfulgentem me & eos qui mecum erant lucem supra solis splendorem lucidam: cuius fulgore cum cecidissemus in terram, audiui vocem Hebraica me voce compellantem: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Hucusque inquit Rab. sine stimulo restitisti: sed nunc si resistis, contra stimulum calcitrabis, quod satis durum est. Stimulus enim est ipsa correctio, ut Ec-

clesiaſt. 12. Verba ſapientium ſicut ſtimuli. Hanc hiftoriam narrat Paulus ſuprà 9. & 22. in quarum qualibet aliquid addit vel minuit: quas facile eſt cõcordare. In quibus CHRIS T I ſibi loquentis reſurrectionem manifeſtè annunciat, teſtes qui ſecum erant, & ſecum lapſi ſunt præ fulgore, adducit, ſi præteritis nolint credere prophetis. Igitur inquit, quod ego reſero num reſurrexit à mortuis, non à prophetis modo, qui hoc annunciarunt, ſed à viuentibus apertè oſtendo. Sermonem itaque, qui idem eſt cum prophetarum dictis, fideliter accipite. Scificitanti autem mihi: Quis es Domine? Ego ſum inquit, I E S V S Nazarenus, quem tu perſequeris. Sed exurge, & ſta ſuper pedes tuos.

Ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum & teſtem eorum quæ vididiſti, & eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populis & Gentibus, in quas nunc ego mitto te, aperire oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Satana ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem quæ eſt in me. Unde rex Agrippa, non fui incredulus caeleſti viſioni, † ſed his qui ſunt Damasci primum, & Ieroſolymis, & in omnem regionem Iudææ, & Gentibus annunciam, ut pœnitentiam agerent, & cõuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.

† Sup. 13.
14.

Inde efficax adducit CHRIS T I viuentis teſtimonium, tam ex viſu, quàm ex auditu: in quo conſydera inquit Chryſo. quàm mâſuetè loquitur illi Deus. Apparui inquit, tibi, ut cõſtituam te miniſtrum ac teſtem & eorum quæ vididiſti, & eorum in quibus appareo tibi, eripiens te à populo Iudæorum, ac Gentibus ad lucem, & à potestate Satana ad Deum. In quibus oſtendit mala quibus increduli conſtringuntur, Satanam inquam, & tenebras: ſicut & bona credentium, lucem Deum, & ſanctorum ſortem. Quibus inquit, credidi, hac me viſione adduxit, & tandem perſuaſit, ut nihil amplius differrem: nec ſolum ut eos ad pœnitentiã hortarer, ſed ad mirabilem vitam, dignis pœnitentiæ operibus incumbentes. In quibus nec inobediens fui, nec negligens.

† Sup. 21. e. *Hac ex cauſa me Iudæi cùm eſſem in tẽplo, † comprehenſum tentabãt, volentes me interficere. Auxilio autem adiutus Dei uſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quàm ea quæ prophetæ locuti ſunt, futura eſſe, & Moyses, ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum lumen annunciaturus eſt populo & Gentibus.*

Vt autem fermo Pauli adulatione careat, totum quod factum eſt Deo aſcribit, qui nihil prorsus egerit, quin iuſſu diuino, & quaſi coactus fecerit, & qui non niſi ſancta, & iuxta legem eorum docuerit. Quomodo igitur alios optimam vitam docens ſeditionis & contentionis author fuiſſet. His tamen non obſtantibus Iudæi illum in templo apprehenderunt, & niſi Dei naactus fuiſſet auxilium, ipſum interfeciſſent. Cuius tamen auxilio uſque in hunc diem tam paruo quàm magno prædicabat, ſed nil aliud, quàm quod prophetæ vnanimis prædixerant futurum, & imprimis Moyses eorum legiſlator, quod ſcilicet paſſurus erat CHRIS T V S, & primus ex reſurrectione mortuorum futurus. Primus ſiquidem reſurrexit, non amplius moriturus. Quia *CHRIS T V S reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: licet plerique tam in veteri quàm nouo teſtamento, ſiue per CHRIS T V M multi ſuſcitati ſint, amplius tamen morituri, vniuerſalem expectantes reſurrectionem. Nec immeritò igitur CHRIS T V S dicitur primus ex reſurrectione mortuorum, ſiue primitiæ dormientium:

*Rom. 6. 4.

dormientium: vt I. Cor. 15. *Nunc autem CHRIS T V S reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Ex quo manifeſtum illis denunciat, quòd non minus expectare debeant, qui prophetis credere non diffitentur.

Hac loquente eo, & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: † Inſanis † Inſ. 12. e. Paule, multæ te literæ ad inſaniam conuertunt. Et Paulus: Non inſanio inquit, optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor. Scit enim de his rex, ad quem conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis.

Videns Feſtus libertatem qua Paulus regem alloquebatur, exiſtimauit hunc aliquid ſiniftri paſſum, quod inſaniæ tribuebat: ideo ait, inſanis Paule. Inſaniæ deputabat, inquit Bed. quòd homo vincit loco defendendi accepto non de calumnia, qua premebatur externis, ſed de conſcientia, qua intus gloriabatur, ſermonem faceret, atque omnia reuelationis, qua de perſecutore in Apoſtolum mutatus erat, miracula percurreret: ſed & diſpenſatione noſtri redemptoris oſtenſa, de reſurrectione mortuorum concionantis habitu impetūque diſſereret. Ad eò enim vox illa Pauli furore & ira plena erat, licet directa ad regem, vt aliquantulū motus ſit Feſtus, libertatem eius intuitus ex animi perturbatione & ira manantem. Ideo inquit: inſanis Paule, multæ te literæ ad inſaniam conuertunt. Pro conuertunt, Græcè eſt περιτρέπει: Eſt autè περιτρέπω, circumago, & retroſum ago, atq; in errore induco. Sensus ergo eſt: Multæ te literæ è ſana mente ad inſaniã redigunt, & retrò agunt. Et licet aſperè illū argueret Feſtus, manſuetè tamen illi reſpondet. Non inſanio inquit, optime Feſte, ſed veritatis ac ſobrietatis verba loquor, contra id quod Feſtus improperat, inſaniam & furorem, non cū adulatione, ſed cum reuerentia, qualem decet Imperatoris vicarium. Inde docet cauſam ob quam ad regem Agrippam ſermonem direxit. Scit enim inquit, ipſe rex, apud quem etiam liberè loquor. Latere enim eum nihil horum quæ facta ſunt, quæ nec etiam in angulo ſunt facta, quæ etiam vos ſcire oportebat primos, ſed noluiſtis, iuxta illud: * Conſydera opera Dei, quòd nemo poſſit corripere, quem ille deſpexerit. Credis inquit, rex Agrippa prophetis? Scio quòd credis. Non hæc adulando, vt quidã putant, ait Bed. ſed verè profatur. Agrippa enim vtpote Iudæorum ritu & legibus imbutus credebat vera locutos eſſe prophetas, ſed ad quem eadem veritas pertingeret, id eſt, Dominum CHRIS T V M vt perfidus nesciebat: quãuis in concione quadam cum Iudæis habita dixiſſe legatur: Sed de religionis auxilio præſumitis, cùm iam orbem diſcipulū I E S V repleuerint, haud ſine Dei nutu putamus illam crefcere religionem. Hæc ille, poſt quem Gloſ. ord.

Eccleſiaſti-
ci 7. b.

Agrippa autem ad Paulum: In modico ſuades me Chriſtianum fieri. Et Paulus: Opto apud Deum & in modico, & in magno, non tantum te, ſed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales qualis & ego ſum, exceptis vinculis his.

Breui inquit oratione, & compendioſa doctrina, ac ſine multo labore mihi perſuadere tentas, vt legem ſequar Chriſtianorum. Cui Paulus reſpondet optare ſe ſiue paucis, ſiue multis verbis opus ſit, omnes agnoſcere CHRIS T V M, fortè ſignificans exiguum eſſe quod hætenus audierat, præ iis quæ de re illa dici poſſent: qui ſi vellet his plura audire, & vberiori hac doctrina frui, ſe non ob id defatigari, ſed promptum & alacrem ad dicendum inueniret. Poſteſt etiam illud: in modico ſuades me Chriſtianum fieri: ſic intelligi: Parum abeſt quin mihi perſuadeas, & nihil propius factum eſt, quàm vt me feceris Chriſtianum. Nec pauco inquit Paulus, ſed etſi opus eſſet maiore, optarim te fieri Chriſtianum. Omnino

promptus sum inquit Oecu. omnia facere pro salute, non tua solum, sed & omnium qui praesentes sunt: verum & tales qualis ego sum, exceptis vinculis his: non qui auersaretur vincula pro CHRISTO, aut erubesceret, aut molestè ferret, quod illi erat quiddam quasi magna gloria dignum, sed ad illorum suspensionem respiciens dicit & demittit ad eorum opinionem & infirmitatem.

Et exurrexit rex, & praeses, & Bernice, & qui assidebant eis: & cum secessissent, loquebantur ad inuicem, dicentes: Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Caesarem.

Qui nuper Paulum insanum dicebant, pro eo suffragia ferunt, absoluentes eum tanquam innocentem, qui nec quidpiam morte aut vinculis dignum admiserit, & ideo illum prorsus impune dimississent, nisi Caesarem appellasset. Et inter illos primus Agrippa absoluit, tanquam regia fultus dignitate, & qui fertur fuisse vir prudens & pius, & qui audito Paulo aliquatulum inclinatus est ad credendum CHRISTVM. Legitur enim in Ecclesiastica historia, quod imminente Ierosolymorum excidio, ecclesia quae in Ierosolymis fuerat congregata, responso à Deo accepto emigrare iubetur, & transire ad oppidum quoddam Pellam nomine, trans Iordanem, in regnum quidem Agrippae, quos ibidem benignè suscepit. Et cum ipse confederatus esset Iudaeis, ibi fuerunt benignè suscepti, & pacificè tractati. Paulum itaque libenter dimississet liberum, nisi Caesarem appellasset, alioqui pars eius aduersam mortem eius intentabat, & eum tanquam morte dignum persequeretur: quamobrem nec eum praeses poterat absque suo graui periculo dimittere liberum: sed neque vinculis eum soluere. Quod singulari quidem dispensatione Dei factum est, non solum quod non absolueretur, sed quod cum vinculis Romam adiret, sicut ipse apud Timotheum gloriatur: euangelium meum, in quo laboro vsque ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum.

* 2. Timo.
2. b.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

*Datus Paulus Centurioni Romam ducendus vix Cretam aduerso vento peruenit:
Vnde periculosam praedicens nauigationem, exeuntes vehementem
patiuntur tempestatem, & tandem naufragium, à quo
tamen sumpto cibo praedicente Paulo cuncti
incolumes euaserunt.*

† 7. q. 1. ca.
Aduersitas

† 2. Cor. II. f



V† autem iudicatum est nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis Centurioni nomine Iulio, cohortis Augustae, † ascendentes nauem Adrumetinam incipientem nauigare, circa Asia loca sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autem die venimus Sidonem. Humanè autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere.

Post Agrippae & Festi decretum, quo Paulus Romam ducendus erat, assumit eum Iulius Centurio cohortis Augustae una cum plurimis aliis vinculis. Conscendentes autem nauem Adrumetinam, nauigauerunt in duobus diebus vsque Sidonem, comitante eos Aristarcho Macedone. Quod autem Paulum cum Centurione & militibus à Caesarea longa nauigatione Romam mittunt Imperatoris stipendiis, arguit eos seruandae iustitiae fuisse studiosos. Quod dicit: Paulum cum reliquis custodiis: Graecè est, καὶ τινὰς ἐπίτροποις δεσμώταις, id est, & quosdam alios vinculos, ita vt sensus sit secundum Bed. in Glof. ord. Vt iudicatum est, siue decretum est nos nauigare in Italiam, tradiderunt Paulum & quosdam alios vinculos Centurioni. Cum dicit: ascendentes nauem Adrumetinam exponit Raba. in Glof. ord. id est, ad Romam nauigantem secundum quosdam: sed melius deriuatur de nomine ciuitatis Aphricae, quae Adrumetis dicitur. Nam Hiero. in catalogo locorum huius operis indicat Adrumetum ciuitatem esse in Bizacio regione Aphricae. In Graecis tamen codicibus est Adramyrtinam, de qua sic Vadianus: AEolidis oppidorum celeberrimum est Adramyrtium, cuius conuentus quondam Adramyrtenus dictus est. Et Adramyrtina illa nauis in Lucae Actis cap. 27. cui primò vinculus Apostolus à Iulio Centurione Romam nauigaturo impositus fuit. At Sidon, cui primò applicuerunt, vrbs est Phoeniciae omnium maxima quondam, nunc angusta & breuis, sita iuxta mare, in pulcherrimo continentis portu, ducentis stadiis à Tyro remota, sed cum Tyro magnitudine, facie, & antiquitate, contendens. Hanc Moyse Genes. 10. testatur à Sidone Chanaan filio fuisse possessam, quae est terminus terrae promissae versus Aquilonem, tribui Asser connumerata. In harum autem urbium fines dicitur CHRISTVS venisse Matth. 15. Marc. 7. Sed & Paulus iam catenatus Sidoni applicuit, cum captus Romam duceretur, vt hinc patet. Feruntur Sidonij multarum artium inuectores, praecipue Arithmeticae & Astronomiae, propter commercia & nauigationes frequentes, quae toties à prophetis memorantur. In Sidone etià vitrarum officinae quondam plurimae fuerunt, arenis Beli fluminis eò transuectis: quibus fufis tersissimum vitrum confabatur. de quibus Plinius & Strabo. Iulius hic Paulum humaniter tractans, permisit ei amicos adire, qui illius curam gererent, & eum consolarentur afflictum à vinculis, à metu, à circunductione.

Inde cum sustulisset, subnauigauimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarij. Et pelagus Ciliciae & Pamphiliae nauigantes, venimus Lystram, quae est Lycia: & ibi inueniens Centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, transposuit nos in eam. Et cum multis diebus tardè nauigaremus, & vix deuenisset contra Gnidum, prohibente nos vento, adnauigauimus Cretae iuxta Salmonem, & vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Thalassa.

Paulo multa in deterius eueniunt. Effugerat hostes, incidit in pericula maris, imò incidit in naufragium. In principio autem ne directè Romam tenderet, contrariatur ventus, qui eum deiecit in Cyprum. Inde nauigantes per mare Ciliciae & Pamphiliae, veniunt Lystram. Super quod dicit Beda: Pro Lystra in Graeco Smirna: Hiero. verò dicit Myra. Et ita Chryso. scribit: Tunc Pelagus quod est inter Ciliciam & Pamphiliam emensi, peruenimus Myram: quod verisimilius est. Myra enim iuxta mare Pamphiliam: Lystra verò est in Lycaonia, distante ab eo mari plusquam 40. leucis Gallicis. Iuxta Myram igitur nacli Alexandrinam nauem euntem in Italiam, importunis semper ventis tardè nauigauerunt, & vix applicuerunt Gnido. Qui portus est prouinciae Cariae pertransita Rhodo: in peninsulae enim cornu Gnidus hodie caput Chij à nautis Italiae dicta, & citra eam ab Austro Lorynia contra insulam Carpathum, à Borea autem Ceramus fuit Choo obuersa. Et inde soluentes vix potuerunt appellere Cretam, iuxta tamen Salmonem etiam eum difficultate applicuerunt. Graecè verò dicitur, μόλις τὸ παραλεγομένοι ἀντὴν, id est vix litus

Boniportus. eius legentes, venimus in locum qui dicitur Boniportus. Vbi intellige τὸ Boniportus, non genitivi casus esse, sed recti pluralis, cum Græcè sit, καλῶς μενον καλῶς λεμένος, id est, vocatum boni portus pluraliter ad verbū. Neque video cur καλῶς sit potius vertendum pulchri, quàm boni portus. Est autem Salmon Cretæ promontorium, quod Plinio & cæteris dicitur Sammonium. Præterea è latere insulæ Aufrino Bonosportus, & Lafæam ciuitatem, quam Actor vocat Thalassam: ea autem littoraria est iuxta Bonosportus, inter Sammonium & Phœnicen portum. Alij pro Thalassa legunt Theffala, vt ait Erasmus.

Multo autem tempore peracto, & cum iam non esset tuta nauigatio, eo quòd ieiunium iam præterisset, consolabatur eos Paulus, dicens eis: Viri, video quoniam cum iniuria & multo damno non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum incipit esse nauigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur.

De hoc ieiunio dicit Chryso. Ieiunium hoc opinor dici, quod Iudæi seruant. Nam post Pentecosten exierant illinc post multum tempus, ita vt in ipsa ferè hyeme venerint in partes Cretæ. Et hoc quoque non paruum miraculum, quòd illi propter hunc seruati sunt. Raba. putat melius dici septimum ieiunium, scilicet Septembris, in quo occisus fuerat Godolias. Quæ non placent Lyrano, quoniam Centurio & milites qui cum eo erant, & etiam nauæ saltem pro bona parte Gentiles erant, hæc ieiunia non seruant: ideo magis illi videtur ieiunium illud in mari fuisse, vbi propter tempestatem non vacabat nauis comedere, nisi parum, propter nauis regimen, & aliis propter timorem, propter quæ nauæ facti erant debiliores. Hæc ille. In quam opinionem multum philosophatus Erasmus tandè decidit. Atque ideo inquit, suadet Paulus manendum, quo liceat reficere corpora. Ecce nunc inquit Oec. vaticinatur Paulus, dicens eis quòd naufragium facerent. Et licet non contigerit eis naufragium cum damno animarum iuxta ipsius sermonem, hoc tamen naturæ cursu euenisset, nisi Deus præseruasset. Propter ipsum enim fecit, vt illi quoque salui essent. A tempestate autem factum est naufragium: quoniam vehemens erat procella. Maius autem fuit miraculum, quòd tali tempore è medijs seruati sint periculis & ipse Apostolus, & propter eum cæteri. Non ergo mentitus est. Hæc ille. Centurio autem artis nauigandi peritis magis credens, quàm imperitis, fidem non adhibet his quæ à Paulo dicebantur, quasi artis magis quàm fortunæ sit vitare naufragium.

Et cum aptus portus nõ esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium nauigare inde, si quo modo possent deuenientes Phœnicem hyemare, portum Cretæ respicientem ad Aphricum & ad Corum. Aspirante autem Austro, aestimantes se propositum tenere, cum sustullissent de Asson, legebant Cretam. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cùmque arrepta esset nauis, & non posset conari in ventum, data nauē flatibus ferebamur.

Phœnice. Cùmque locus non esset idoneus ad hybernandum, à coniectura magis quàm à peritiâ soluerunt inde, & fortunæ totum commiserunt, quærentes si quo pacto Phœnicem peruenire salui possent. Phœnix seu Phœnice, cuius hinc meminit, optimus est Cretæ iuxta Bonumportum, Lafæam, & Asson locus. At cum Phœnicem vt aptum hybernis locum ingredi constituisent, repentè exorto Euroaquilone arrepti, & ad insulam Candam, quam Græci dicunt Claudam, delati, cum non daretur portus, in amplissimum pelagus adacti fuerunt, hoc vnum interim summis viribus conati, ne Aphricano littori appulsi in Breuia & Syrtis inciderent. Timendum id prorsus erat, propter venti cursum, qui à latere Septentrionis

Septentrionis exortus, Cretæ præsertim auulsa naues rectè in oram Syrtiū impellebat. Euroaquilo autem ventus, cuius hinc meminit Euāgelista, ni fallor inquit Vadianus, Cecias est, ab exortu æstiuo progressus, authore Plinio. Euro autem aquilo dictus, quòd à parte Boreæ Aquilonem, ab Aequinoctio Subsolanum, qui & Eurus est, habeat, mediūque inter illos incedat. Constat autem illum violentum & tempestuosum esse: qui etiam Typhonicus dicitur, id est, tempestiuus, qui numeratur inter repentinos flatus, præcipuè nauigantium, qui non antemnas modò, sed nauigia solet frangere.

In insulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Canda, potuimus vix obtinere scapham. Qua sublata, adiutoriis utebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syrtim inciderent, summis vase sic ferebantur. Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt, & tertia die suis manibus armamenta nauis proiecerunt.

Beda aliam translationem ita manifestius habere dicit: Tunc transcurrimus insulam quæ dicitur Canda, quam occupare non potuerunt, sed scapha missa adiuuare cœperunt nauem, præcingentes eam. Trahebant autem & ancoras, timentes ne incurrerent in Syrtis. Ex quo patet, quòd funibus à medio nauis latere vtrique circa eiusdem anteriora demersis, ancoras his quæ traherentur adiunxerunt, quod fiebat ad retardandum nauigium, ne præpropere incursu inciderent in Syrtis solo auditu terribiles, quia omnia rapiunt ad se. Hæc ille. Est autem scapha leuis nauicula ex vimine facta, crudo corio contexta, dicta Græcè σκαφή, à contemplando, quòd per eam nauæ vel Pyratæ terras & littus prospiciant. Hanc ergo pro adiuuanda maiore nauis cum deposuissent in mare, vix fluctu feruente potuerunt obtinere ne laberetur in profundum. Canda autem siue Cande insula à Plinio & Pomponio Gandos dicitur, à Ptolemæo Claudos, vt exinde constet imitari consuetudine nomina. Nam & Beda hoc loco vidisse se exemplaria testatur, quæ vocabulum Cande, non Claude habent, vt & Gande dicta videri possit, & Claude, sicut Gandos & Claudos. Sita autem est haud longè à promontorio quod contra Phycuntem Aphricæ promontorium spectare dicitur. Nec ea quæ nauis fecerant iuuerunt eam ne periret, sed cum vehementiori iactarentur tempestate, manibus suis armamenta proiecerunt, & tunc maior oritur tempesta, & ingentes tenebræ.

Neque autem sole, neque Syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ. Et cum multa ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem o viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere iniuriã hanc & iacturam. Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex nobis, præterquam nauis. † Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cuius sum ego, & cui deservio, dicens: Ne timeas Paulus, Cesari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod bono animo estote viri, credo enim Deo, quia sic erit quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos deuenire.

In his patet Pauli in omnibus & prosperis & aduersis alacritas. Superius enim iuxta Cretam animaduertat se iuram in eos tempestatem, periculosamque nauigationem, nec illi tamen crediderunt: sed neque desuit hortari eos, vt sibi caueant magis quàm cauisent. Nuncautem grauius cernens ingrauescere periculum, vnus omnes excitat, & tandè ad ca-

piendum illos animum compellit. Narrat autē angelum sibi astitisse boni euentus nuncium, quod non se iactando dicebat, sed illos potius ad fidem prouocando. Nam & ideo pelagus turbari permissum est, vt & per id quod auditus non est, & per id quod auditus est, spiritalis in Paulo gratia panderetur, vt vel in posterum credant, ex his quæ contigisse videbantur, quæ & à Paulo prædicta erant. Et duo inquit Chryso. dicendo prædicat, & quod in insulam exeundum illis erat, & quod nauis peritura. Qui autem in illa saluandi sint, id quod non erat coniecturæ, sed prophetiæ, & quod Cæsari assistendus esset. Quod autem dixit: Donauit tibi Deus omnes: non erat arrogantia, sed volentis adducere ad fidem nauigationis socios, non vt ipsi gratiam habeant, sed vt credant his quæ ab ipso dicebantur. Quod ergo dixit angelus Paulo: Donauit tibi omnes, & c. tantundem est, ac si dixisset: Digni quidem erant qui perirent, quoniam inobedientes fuerant, verumtamen in tui gratiam hoc fit. Quod autem dixit: Oportebat quidem ò viri, audito me, non tollere à Creta. Græcè est: *ἔδει μὲν ὁ ἀνδρες, πειθαρχήσαντας μοι μὴ ἀνὰ γὰρ αὐτὸ τῆς κρήτης*: id est, Oportebat quidem ò viri, vos mihi obtemperasse, nec soluissse à Creta. Quod verò dicit: lucrique facere iniuriam hanc & iacturam: notat Erasmus Græcè esse *κρηδίσαι*, id est, accersere sine causa: id enim lucrifacere hoc loco sonat. Et *ἔβριον*, id est, iniuriam vocat incommoditatem cæli, & violentiam maris: & item iacturam nauis & bonorum in ea existentium.

Sed posteaquam quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur naua apparere sibi aliquam regionem. Qui & summittentes bolidem, inuenerunt passus viginti, & pusillum inde separati inuenerunt passus quindecim. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes ancoras quatuor, optabant diem fieri. Nauis verò quærentibus fugere de nauis, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora ancoras extendere, dixit Paulus Centurioni & militibus: Nisi hi in nauis manserint, vos salui fieri non potestis. Tunc abscederunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.

Sciebat autem Paulus quod acceptus non est calamitosus obiurgator, sed etiam vbi plures calamitates præterierint, fit acceptior. Igitur tunc aggreditur eos, quando omnis salutis spes adempta est: inde vtilia illis prædicere cœpit. Vt autem decimaquarta nox facta est, timuerunt, optantes diem fieri. Locum enim aduertentes, difficile esse contendebant: per Adriam enim hæc illis contigerunt. Adriaticum vocat Ptolemæus, quod Adriam Lucas Act. 27. Nauigantibus inquit, nobis in Adria circa medium noctis, suspicabantur naua sibi apparere aliquam regionem. Notius autem, quàm vt memorè, id mare & Adriam dici ab oppido veteri, & Adriaticum, Ciceroni etiã Adrianum, cuius finus ille Adriaticus, qui Venetias vsque & Tergestum ingreditur. Et licet nox esset, existimauerunt se esse prope quandam regionem, ideo iecerunt in mare bolidem. Et Græcè dicitur: *καὶ βολίσαντες ἐν ἑρμιάς* *ἔμοσι βραχὺ δὲ διαστήσαντες, καὶ πάλιν βολίσαντες, ἐν ἑρμιάς διακρίντε* id est, & iacto in mare perpendiculo nautico, inuenerunt passus viginti: cum verò modico interuallo discessissent, rursus demisso perpendiculo inuenerunt passus quindecim. Est enim ἡ βολίς, vnde deductum verbum βολίζω, instrumentum nauticum, quo maris altitudinem naua explorant, quod etiam dicitur *καταπερατήρ*. Quod autem interpret vertit passus, Græcè est ἑρμιάς. Est autem ἑρμιάς non modò passus, sed & vlna, & manuum extensio, siue mensura senum pedum, quam vulgò toisiam appellamus. Ideo cum mare nequaquam passibus vti terram metiri soleamus, sed demisso fune per pedes magis aut vlnas, vide ne ἑρμιάς hoc loco sumi possit pro mensura sex pedum aut vlnarum. Cùmque

verò

verò cuncti fugam quærent, respondit Paulus: Nisi manseritis in nauis, naufragium euadere non poteritis: quod tam firma est Dei veritas, vt pereant omnia potius necesse sit, quàm illam vlla ex parte minui. Ex dispensatione dicebat illis Paulus, vt eos inde confunderet, & ne prophetia excideret, qua illi promissum fuerat per angelum, neminem ex toto cœtu periturum. Decreuerat enim Deus illos virtute sua seruare, non illorum industria: quod nõ contigisset, si naua vel milites aufugissent. Videbant enim suum consilium, quanto iniecisset eos periculo: tunc verò Paulo potius, quàm sibi credere debuerunt. Tunc milites Paulo adherentes & illi credentes steterunt, & funes scaphæ excidentes, eam in mare delabi permisissent.

Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes: propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. Et cum hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium, & cum fregisset, cœpit māducare. Animæ quiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum. Erasmus verò vniuersa anima in nauis ducenta septuaginta sex. Et satiati cibo alleuiabant nauem, iactantes triticum in mare.

At mirum videri potest quomodo naua edax hominum genus quatuordecim dies durauerint *ἀσπίσι*, id est, impasti, nisi fortè non sumpsisse cibum dicuntur, qui per ocium non egerint conuiuium, quemadmodum solent naua tranquillo mari. Propterea hortatur eos ad salutem suam cibum sumere, nempe edere, ne fame consummami, salutem vestram succurrere est. Neque tamen illis cibi cura est, vt pote non sinente periculo occupari circa res vulgares. In hoc enim rogabat eos assumere cibum, ne fortè fame pereant. Et primus panem sumens gratias egit, quod eos Dominus saluasset in tantis periculis, à quibus tamen nondum erepti erant, vt & alacres fierent. Quo factum est vt ipsis satiatis alleuiata est nauis. Et quantum essent plures in nauis, vt pote 272. non tamen vnus eorum periit facto nauis naufragio. Leuiiores autem nihilominus triticum deiecerunt in mare. Græcè est, *ἐκβαλλόμενοι σίτον. ἐκβαλλόμενοι* enim non modò simpliciter iactare significat, sed etiam leuandæ nauis causa iactum facere.

Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant, sinum verò quendam considerabant habentem littus, in quem cogitabant si possent euicere nauem. Et cum ancoras sustulissent, mittebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum, & leuato artemone secundum auræ flatum, tendebant ad littus. Et cum incidissemus in locum bithalassum, impegit nauem, & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò soluebatur à vi maris.

Postea quàm Paulus sic allocutus est eos, & ipse & cæteri comedissent, antequam dies fieret. Facto autem die huc atque illuc prospicientes terram non agnoscebant: eandem verò sinum quendam animaduertunt littus habentem, in quod cogitabant, si possent, suam immittere nauem. Sublatis igitur ancoris, laxatis gubernaculorum iuncturis, & sublato artemone, qui dicitur antemna mali, hoc est, lignum transfuersum mali, in quo lignum alligatur ad auræ flatum, tendebant ad

B B b iij

littus. Cùmque incidissent in locum bithalassum, impegerunt nauem. Est autem bithalassus locus bimaris, quòd vtrinque mari alluatur, Isthmumque constituat. In eo quidem loco immobili prora fixa manebat, puppis verò à vi vndarum mouebatur.

Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent, ne quis cum enatasset, effugeret. Centurio autem volens seruare Paulum, prohibuit fieri, iussitque eos qui possent natate, emittere se primos, & euadere, & ad terram exire: & ceteros alios in tabulis ferebant, quosdam super ea quæ de nauis erant. Et sic factum est ut omnes animæ euaderent ad terram.

† 7. q. 1. cano. Aduersitas.

Iterum inquit Chryso. tentat diabolus obistere prophetiæ, & volebant milites quosdam interficere, sed non permisit Centurio, ut Paulum seruaret, adeo illum iam familiariter diligebat. Cæterum etiam per hoc alij Paulo grati facti sunt, propter quem non permisit eos occidi Centurio. Ita inquit Chryso. mihi videntur ex confesso mali fuisse, ita ut occidere illos vellent, sed non est factum, consilio impedito. Ex quo ostenditur quòd Paulo donati sunt, ut Pauli impleretur prophetia. Alij itaque in tabulis efferebantur, alij seipsis natabant, & sic omnes seruati sunt, & Pauli prophetia impleta est: in quo per salutem suam præter spem didicerunt quis esset Paulus. Si autem inquit Chryso. diceret quis, quare non & nauim seruauit? Ut discant quale periculum euaserint, quia non totum fiebat humano adiutorio, sed manu Dei, quæ absque nauis seruauit.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Paulus cum sociis post naufragium à Barbaris humane exceptus in insula Melita, à vipera sine læsione percussus, patrem Publij insula principis sanauit, plurimosque olios. Vbi post trimestre alteram nauem Alexandrinam Romam venit, illicque Iudæis conuocatis appellationis causam exponens per beneficium prædicare permissus est, cum omnino gaudio ab alijs exceptus.



T cum euasissimus, tunc cognouimus quia Mitylene insula vocabatur. Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis. Accensa enim pyra reficiebant nos omnes, propter imbrem qui imminebat, & frigus. Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cùm processisset, inuasit manum eius. Ut verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cùm euasit de mari, ultio non sinit eum viuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subito casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se dicebant eum esse deum.

Explorata

Explorata cum studio libero insula, nouerunt eam vocari Mitylenem, secundum alios Melitenem, secundum alios verò Militen, aut etiam Miletum: Græci verò hanc vocant Meliten, seu Melitam, nunc vulgò Maltam. Hæc est nunc à Rhodijs militibus possessa, quæ & Pauli naufragio fati nota, ferè medio pelago inter Lilybæum Siciliae promontorium, & Cercinam Aphricæ insulam, quæ sinui magnarum Syrtium adiacet, ponitur cum oppido eiusdem nominis. Vnde scribit hîc Lucas Paulum CHRIS T I Apostolum Melitam venisse, naufragumque & vincum multa humanitate à Barbaris susceptum. Patet insula tota circuitu 60. millia: qua latior est, passuum millia 12. continet: longa passuum millia 20. Nulla in toto Adriatico mari insula distat à continenti longius: distat verò à Sicilia 60. millibus. Hanc nostris temporibus apprimè descripsit Io. Quintinus Heduus, inter nostræ tempestatis sanctissimorum canonum doctores eruditissimus, postquam totam insulam longis exercitationibus peruaserat, & obseruauerat: cui oculato testi magis crediderim, quàm auritis decem. Hanc diuo Paulo dicit consecratam insulam Melitam, quem ibi quondam Deum credidit, cuius mira quædam tota insula priuatim ac publicè religio est. Augustius in ea templum, vbi nunc episcopi sedes, diuo Paulo dicatum est. Nec enim (Lucæ adducti, sicuti volunt annalibus) tenacius certiusve credunt indigenæ Petrum Romæ fuisse, quàm Paulum Melitæ, tam ex locis à Creta ad Melitam suprâ descriptis, quàm ex his quæ infrâ à Melita describit ad Romam. Propter urbem spelunca est effossa introrsum rupe inquit, duabus intus aris, vbi cum vincis Paulum tres asseruatum menses referunt, insulanos interim variis morbis & infirmitatibus vexatos sanantem, & ad CHRIS TV M sua prædicatione vocantem. Huius autem insulæ colonos vocat hîc Lucas Barbaros, non ex contemptu, sed hoc magis eos laudans, quòd tam benefici fuissent, trium scilicet mensium hospitium largiti. Paulus nec ociosus ignem focis calefaciendis accensurus, sarmenta sumpta posuit in ignem, sub quibus latens vipera apprehendit manum illius, à qua protinus resiliens, in ignem saliit, tanquam sibi ipsi pœnam infligens, quòd corpus nullo modo sibi conueniens perisset ac oppugnasset. Hoc itaque intuiti Barbari, eum quoque qui certam mortem euaserat Deum esse ducebant, ut quibus moris erat omnem qui gloriosum opus præstaret, deum existimare: quemadmodum etiam veteres deos nominabant, aut eos qui aliquid operarentur, quod vires ipsorum suorūque coëuorum excederet. Sic Deus quantus esset Paulus, statim declarauit, ita ut Deus crederetur, ex quo tamen à vulgo iudicatus est homicida. Vnde cogita quàm procliuus & indiscreti sunt homines ad iniqua ferenda iudicia, & quàm sæpe fallantur. Expectabant igitur illi visa manu Pauli pendente vipera ut citò incenderetur, & caderet mortuus: videntes autem quia nil tale illi contigerat, nihil mali ei accidisset, mutata mente clamauerunt eum esse Deum. Vnde idem Dominus Quintinus: Insulam existimant coloni ab omni veneno liberam Pauli facta, & omnibus veneficis serpentibus esse immunem. Præterea inquit, ut hæc insula non solum à Paulo diligi, sed ab eodem incolis & custodiri videatur, Melitæ nullum maleficum serpentis genus neque nascitur, neque nocet aliunde inuectum: sunt indigenæ quasi terrori serpentibus. Scorpiones dirum alibi animal, inter manus laiciuentium puerorum conspiciuntur innocui: quod Paulo viperam admorso pendentem digito citra noxiam excutienti ferunt acceptum. Ex eo autem antro, quo trimestri hyemauit Paulus, nullo non die per aduenas lapidum frustra effringuntur, quibus serpentum & scorpionum ictibus tota Aphrica & Italia, Romæ etiam palàm sese mederi affirmant: plebs gratiam S. Pauli affirmat. Hæc ille.

In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiens, triduo benignè exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit,

B B b iiij

Et cum orasset et imposuisset ei manus, saluauit eum. Quo facto omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, et curabantur: qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, et nauigantibus imposuerunt quae necessaria erant.

Chryso. Ecce iterum alius hospitalis Publius & diues & abundantissimus, nihil de religione CHRISTI sciens, sed ob solam calamitatem misertus illorum est, hospitioque benignè tractauit: cuius cum pater feбри ac dysenteria vexaretur, oratione praemissa, hunc Paulus sanitati restituit, dignus cui beneficeret. Ideo & pro susceptione & hospitio illa Paulus curationem retribuit. Quærit autem Beda, cur infidelem infirmum prece saluat, qui Timotheum Trophimumque fideles infirmos vnum curat, alterum relinquit? Nisi quod ille per miraculum foris sanandus erat, qui interius non viuebat: hoc autem non indigebant, qui intus salubriter viuebant. Sed & Pauli vulgata fama per insulam, cæteri qui infirmitates habebant, accedebant, & sanabantur omnes: qui etiam gratiam agnoscentes, multis eum honoribus affecerunt: sed & illi soluenti, quæ ad nauigium tum illi, tum sociis necessaria erant, liberaliter exhibuerunt. Et ita à naufragio liberati non fuerunt vsquequaque neglecti, sed etiam propter Paulum liberali hospitio suscepti, & ad tres vsque menses aliti continuos, postquam Dei virtutem in Paulo esse multis signis & virtutibus agnouerunt, imò & ipsum esse Deum clamauerunt.

Post menses autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in insula hyemauerat: cui erat insigne Castorum. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium, et post vnum diem flante Austro secunda die venimus Puteolos: ubi inuentis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem, et sic venimus Romam.

Perpetuo moris erat, inquit Oecume. nauibus potissimum Alexandrinis ad proram dextra ac sinistra huiusmodi esse picturas: in ea ergo naui depicti erant Castor & Pollux, qui à primogenito dicebantur Castores, qui Græcè dicti sunt διόσκουροι, id est, Iouis filij. Ex quibus talem commenti sunt poetæ fabulam. Vnde Fulgentius fingit Iouem Ledæ Tyndari regis vxoris amore captum in cygnum fuisse mutatum, & cum Leda ita concubuisse, ex quo concubitu peperit ouum, vnde nati sunt tres, Castor, Pollux, & Helena. Addit Lyranus, quod hi duo fratres audientes sororem suam Helenam à Troiano Paride raptam, insecuti sunt per mare, & orta tempestate nūquam comparuerunt, propterea Gentiles crediderunt illos immortales esse factos, vocantque eos maris deos, & propter hoc illorum insigne habebat illa nauis: hos insuper ad patrem ferant in cælum translatos, qui & signum constituunt Geminorum, tertium videlicet zodiaci signum. Vide Higinium, cæterosque si vis Astronomos, & si vacet, poetas: & Aug. de ciuita. Dei, lib. 18. cap. 14. Iterum Beda in Gloss. ord. Gemini autem Castores Castor & Pollux sunt, quos ob id Gentiles in mari deos inuocant: quia in prodigijs nautarum si solæ stellæ in naui, vel antennis apparuerint, periculosi: si verò geminæ, prosperi cursus sunt nunciæ. Venti igitur illa naui venerunt Syracusas, vbi triduo manserunt. In littore Siciliae ante omnes claritate insignes Syracusæ, verè claræ ob Pauli Apostoli memoriam, quem Lucas tradit è Melita Alexandrina vectum naui, triduo Syracusis egisse. Ea verò vrbs petenda erat in Melitam iactatis, & Siculum fretum circumeundum, donec Rhegium appelleretur: hinc autem Puteolos appulerunt, à puteorum frequentia dictum locum: ad quem Paulus cum à Rhegio soluisset, postridie aduenit, vbi repertis fratribus apud eos septem diebus remansit rogatus: & inde Romam

Castor &
Pollux.

Romam tertio imperij Neronis anno peruenit.

Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appij forum, ac tres tabernæ. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo permanere sibi cum custodiente se milite.

Notandum autem quod non longè ab vrbe Roma oppidulum erat Appij forum dictum, per quod Roma proficiscentibus in Campaniam iter erat. Tres tabernæ autem proximæ Appij foro erant, iuxta quas Apostolus à Romanæ ecclesiæ fratribus quibusdam, qui de eius aduentu nuncium acceperant, exceptus est, & vel catenis grauis à Centurione in ipsam vrbe deductus est. Cui concessum est vt priuatim habitaret, addito milite à quo custodiretur. In eius autem susceptione tanta erat fratrum alacritas, vt nec turbarentur quod Paulus esset in vinculis: nec paruum erat argumentum, quo minus admirabilis non haberetur, qui nec modò cum alijs vincis secum adductis numeratur.

Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cumque venissent, dicebat eis: Ego viri fratres, nihil aduersus legem faciens, aut morem patrum, vincitus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum. Qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. Contradicentibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, et alloqui. Propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum.

Timens Paulus ne Iudæi qui eum Ierosolymis persecuti fuerant, misissent quosdam Romam, vel literas ad Iudæos qui Romæ erant, vt Paulum dolo occiderent, ideo per triduum sciscitatus est an illæ laterent infidiæ: super quibus conscius factus, post triduum primores Iudæorum, qui Romam incolebant, conuocauit. Oecume. autem quærit vnde id manifestum Paulo esse potuerit. Nacti sumus inquit, inter veterum commentaria, quoniam pacto sacerdotes, qui Ierosolymam inhabitabant, vnà cum scribis ac senioribus literas exarauerint, quas ad dispersos in omnes Gentes Iudæos transmiserint, vbicunque dispersi essent, CHRISTI doctrinam calumniantes tanquam à Deo alienam: admonuerunt autem per epistolas, ne eam susciperent. Atque id ipsum sanè videtur Isaiæ prophetia indicare, cum ait: * Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Aethiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. Per quod significat inquit, quod vltra Aethiopum quoque regiones, ac nouissima terræ loca sonus malitiæ eorum qui Iudæam inhabitabant, per quædam velut volitantia nauigia processerit: & eorum apostoli epistolas papyraceas deferentes, & super aquas nauigantes, marèque ipsum implentes, vbique terrarum discurrebant, sermones de saluatore nostro calumniantes. Quorum non ignarus Apostolus, voluit sibi ab infidijs cauere illorum: non enim curæ illi erat quod eum accusaturi essent. Volebat siquidem & se & hostes à crimine liberare: se quidem, ne accusarent ipsum: illos verò, ne videatur totum esse negotium illorum. Verisimile enim erat ait Chryso. percubuisse famam, quod à Iudæis traditus esset, idque sufficiebat ad terrendum illos. Statim igitur hoc vrget, & pro seipso rationem reddit: Quoniam Romani testantur principes, quia ipsum dimittere voluerunt, nec eum contradicentibus Iudæis iuste dimittere potuerunt, opponentibus illis, vnde nullius criminis sibi conscius Cæsarem coactus est appellare. Sed nec inquit, appellare volui, quasi aliquid habeam quo gentem meam accusem, vt saltem periculum effugiam, & vincula euadam. Propter vos enim hanc catenam patior, & illa hæctenus circumdatus sum, tantum abest

vt hostili animo in vos sum affectus.

At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem à te audire quæ sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Cum constituisset autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Iesu ex lege Moysi & prophetis, à mane usque ad vesperam. Et quidam credebant his quæ dicebantur, quidam verò non credebant.

Iudæi igitur sic sermonem ingressi sunt, quasi pro cognatis rationem reddituri. Neque inquirunt, per literas vel nuncios accepimus aliquid mali de te, tamen de te aliquid audire volumus, quid de hac secta noua sentias, cum ubique ei contradicatur. Quibus nec statim respondit, quia forsitan nimis exiguum esset auditorium, sed diem statuit, in qua quæstioni esset satisfacturus. Stata igitur die cum frequentius adesset auditorium, cœpit illis exponere Paulus, quod gratia præsertim Israelitarum, qui Romæ degebant, illuc cum his vinculis aduenisset, vt illis Messiam tandiu expectatum apparuisse denunciaret: id quod multis testimoniis & argumentis tam Moysi quam prophetarum ostendit, quibus regnum Dei hæcenus toties promissum, iam iam inchoatum esse, nec alterum amplius expectandum esse Messiam. Hunc autem illum esse I E S U M, totiens in lege promissum, atque in prophetis repetitum. Quibus quidem rationibus alij credebant, alij verò non credebant.

Cumque inuicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens:† Uade ad populum istum, & dic: Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauitè audierunt, & oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se quæstionem.

Verum cum inter se discordes essent, iis quæ dixerat Paulus adiecit verbum Isaiæ prophetæ, quo spiritus sanctus illorum conditionem iandudum patribus annunciauerat: quod Paulus illis tanquam conuicium impropèrat, hoc malos conuicio perstringens, bonos verò confirmans. In hoc autem verbo prædicatur Iudæorum cæcitas & obduratio, tam patribus, quam filiis & nepotibus irroganda. Dicit igitur Isaias: Aure audietis prophetias de captiuitatibus & calamitatibus vestris, & eas quæ sunt de Messia nec vos nec filij aut nepotes vestri præ scelerum immanitate credetis, nec di&is peritorum assentietis. Rationem verò subdit: quoniam incrassatum est cor populi huius: id est, pinguedine obducetur & extinguetur mens eorum: auribus enim iniquissimis audient prophetias & leges meas, & non aduertent, oculos comprimant, nequando videant, & reuertantur ad me, & condonem illis peccata sua. Hanc autoritatem plus satis exposuimus supra in Euangelistis. Concludens autem aduersus eos, inquit: Notum ergo sit vobis: Apostoli enim Dei iussu & ordinatione Gentibus euangelium prædicauerunt, Iudæis illud repellentibus & contradicentibus, vti supra 13. Paulus & Barnabas illis discedetes dixerunt: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes,

Gentes, sic enim præcepit nobis Dominus. Nam salutem hanc præsertim vobis promissam Messia Dominus ad vos miserat: quoniam verò nec illam curastis, nec vos ad eam suscipiendam præparastis, dabit Dominus eam Gentibus, quæ se præparant ad eam suscipiendam, ne frustra illam miserit Dominus.

Mansit autem biennio toto in suo conductu, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione.

Libertatem verbi narrat ampliorem in Italia, quam in Iudæa, vtpote quia Paulus prohibitus est etiam vsque ad vincula & proximè mortem, Romæ verò nemine prohibente Dei verbum cum omni libertate prædicans per totum biennium, per quod illi concessum est, vt priuatim habitaret cum custode milite in humili hospitiolo, & ingredientibus regnum Dei nemine prohibente prædicaret, sed & Asiæ atque Europæ Ecclesias roboraret, quas ipse prius instituisset, aut sui cooperatores consolaretur, missis epistolis, vt gregem Domini dudum illis commissum ipsi custodirent, non vt solis illis, sed & toti consuleret posteritati. Non enim ferrei compedes, non custodia, non carcer Euangelicū nuncium Dei spiritu plenum remorantur, quin perdius & perniox iniunctum sibi ministerij munus summa fiducia fuerit executus. Scripsit enim ex Vrbe ad Galatas, Philippenses, Ephesios, Hebræos, & Colossenses: sed & ad Timotheum secundam, & Philemonem. Ad Romanos è Corintho scripsit, ad Corinthios verò vtranque ex Philippis: ad Theffalonicenses vtranque scripsit Athenis: primam autem ad Timotheum Laodiceæ prius scripserat. Ad Titum verò ex Nicopoli Macedonia scripsit. Et hæc sunt tempora quæ Lucam scripsisse reperimus. Post illud autem biennium scribit Eusebius Paulum conciliaisse sibi Neronem, & rursus profectum esse ad prædicationis officium, & post decennium rediisse Romam, vbi & martyrio consummatus est, vbi Nero ad extremum infaniæ peruenisset. Siquidem inquit Oecume. accersito Paulo anno à passo C H R I S T O tricesimo sexto, sui verò imperij tertio decimo & vltimo, ipsum ad martyriū adegit, capite gladio amputato. Sunt itaque à 19. Tiberij anno, secundo verò à C H R I S T O passo, cum conuersus Paulus euangelium prædicare cœpit, vsque ad 22. eiusdem Tiberij, anni quatuor: & anni Caij similiter quatuor: rursus anni Claudij 14. quem insecutus Nero tertio decimo sui principatus anno Apostolum interemit. Est igitur omne tempus prioris Pauli prædicationis vnus & viginti anni: & alij duo anni, quo in carcere Cæsareæ egit. Ad hos rursus duos priores anni Romæ transacti, & nouissimi decem anni, ita vt ab eius vocatione ad mortem vsque ipsius sint anni triginta quinque, qui vltimo inquit Beda, Neronis anno retentus ab eo martyrio coronatus est. Superaddit vnum annum Rabanus. Sciendum verò inquit, nondum roborato Neronis imperio ab eo Paulum dimissum esse, vt Euangelium in occidente prædicaret, cuius permissionis tempus decennium fuisse putatur, quando biennij illius finis in 37. anno post passionem Domini, id est, Neronis quarti completionem, incurrit 37. anno passionis Domini, id est, Neronis 14. Petrus & Paulus martyrio coronati sunt. Qui Nero 13. annis 7. mensibus, & 28. diebus imperasse dicitur: vnde si in fine eius imperij cæsi sunt, non dubium quin quartodecimo eius imperij anno. Veruntamen Eusebius Ecclesiast. hist. lib. 2. ca. 25. dicit Petrum & Paulum 13. Neronis anno martyrio coronatos, & sic 36. à passione C H R I S T I, & penultimo Neronis anno. Nam vt inquit, apertum se Nero hostem diuinitatis pietatisque professus est, ipsorum prius Apostolorum (quippe qui duces & signiferi erant in populo Dei) expetit neces: & Paulum quidem capite in ipsa vrbe Roma, Petrum verò crucis patibulo condemnat. Hoc autem sub fine 13. anni Neronis, & principio 14. patet fuisse impletum. Nam vt inquit Epiphanius de vita Pauli: Post passionem Domini vicesimo quinto anno, id est, secundo Neronis, eo tempore quo Festus procurator Iudææ successit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia aduersus Iudæos de aduentu C H R I S T I quotidie disputauit. Sciendum autem in prima satisfactione necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt

† Isaiæ 6. c
Matt. 13. b
Marc. 14. b
Luca 8. b
Ioan. 12. f
Roma. 11. b

*Sup. 13. g

*2. Timotheum 4.c

Euangelium CHRISTI in occidentis quoque partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum: eo tempore quo & passus est, de vinculis dictat epistolam 2. Timoth. 4. *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur. Dominus autem mihi assistit, & confortauit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis. Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum cœlestē: quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. In eadem enim præmiserat epistola: Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Horum autem testimonium quærere extrinsecus superfluum puto, cum rem gestam insignia vsque in hodiernum diem & splendidissima illius monumenta testentur. Ex probatissimis namque scriptoribus liquet Paulum decimoquarto Nerone anno eodem die, quo Petrus Romæ, pro CHRISTO capite truncatum, & in via Ostiensi sepultum anno post CHRISTI passionem tricesimo septimo, etsi nondum completo. De eo autem & Petro inquit Euseb. vbi supra, scribit Caius quidam scriptor antiquus, qui cum Zepherino episcopo Romano aduersum proculum quendam Cataphrygam disputans, hæc de Apostolorum commemorat locis: Ego inquit, habeo trophæa Apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut Ostiensi, inuenies trophæa defixa, quibus ex utraque parte statutis Romana communitur ecclesia. Quod autem eodem tempore passi sint, Corinthiorum episcopus Dionysius, cum in vrbe positus esset, & de scripturis disputaret, hoc dixit: Sed & vos commotionem habentes à Petro & Paulo, plantationem Romanæ & Corinthiorum ecclesiæ coniunxistis. Ambo etenim simul aduentantes, & in nostra Corinthiorum ecclesia docuerunt, & per omnem Italiam: atque in hac vrbe simul docetes etiam martyrio pariter vno eodemque tempore coronati sunt. Nam ut inquit Epiphanius, Petrus princeps Apostolorum post Episcopatum Antiochenis ecclesiæ prædicationem dispersionis eorum qui de circuncisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum Nerone anno, id est, decimum quartum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum, ut sic crucifigeretur, ut Dominus suus. De Paulo autem plurima idem Euseb. eod. lib. cap. 22. quod non eo tempore, quo Pauli actus in vrbe Roma conclusit Lucas, martyrio perfundus est Paulus. Potuit enim inquit, fieri, ut in initiis suis adhuc leuior esset Nero, & defensionem Pauli pro nostro dogmate non aspernanter acciperet: processu vero temporis cum ceteris malis aucta sit eius etiam in Apostolos sæuitiæ rabies. Interea tamen Paulus biennio in vrbe Roma positus, verbum Dei prædicabat nemine prohibente: quem tamen affuisse sibi, & defendisse se apud Nerone, & rursus profectum esse ad prædicationis officium, sermo confirmat, & post hoc denuo rediisse ad supradictam urbem, vbi & martyrio consummatus est. De quo & Petro Chrysoft. in Genes. homil. 46. Paulus inquit, & Petrus, nonne ille quidem capite truncatus, hic autem modo contrario quàm Dominus crucifixus ita hac vita excessit? Nonne propter hoc magis in toto mundo celebrantur & prædicantur? Atque ex Niceno concilio pauca addere non indignum duxi. Adhibita enim est etiam Petro societas in eadem Romana vrbe beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis, qui vno die, vnoque tempore gloriosa morte cum Petro sub principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo pariter ecclesiam sanctam Romanam CHRISTO Domino consecrauerunt, aliisque omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Prima ergo sedes cœlesti beneficio Romanæ ecclesiæ, quam beatissimi Apostoli Petrus & Paulus suo martyrio dedicarunt. Et rursus Chrysofto. homil. 2. in epistolam ad Roma. Par enim erat inquit, Paulum qui disputaturus esset cum tanta ciuitate, & ea impietatis tyrannide oppressa, tentationum agmen, ac veluti grandinem perferre, rem tantis periculis obnoxiam suscipere, peregrinationem maritimam, tentationes, insidias, & defectiones æquo subire animo. Itaque & inibi mortuus est, imperatoris iussu capite truncatus. Quod igitur erga illos Paulus dum viueret adeo beneuolus fuit, adeo illos amauit, coram disseuit, & postremo apud eos vitam finiuit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis, plus quàm à reliquis omnibus. Sed & Tertullianus Apostolis quasi contemporaneus non ignorauit quod neoterici ignorare omnibus

re omnibus viribus cupiunt, Valdesium imitatores, qui nec erubescunt negare quod tanti & tam antiqui doctores iureiurando astruunt. Hic autem De præscriptio. aduersus hæretic. lib. Si autem inquit, Italiæ adiaces, habes Romanam urbem, vnde nobis quoque autoritas præsto est statuta. Fœlix ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo perfuderunt: vbi Petrus passioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes postea quàm in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Eadem ferè verba scribit beatus Ignatius Apostolorum discipulus ad Philippenfes. Quid inquit, quod Petrus crucifixus est, Paulus & Iacobus gladiis obruncati sunt, Ioannes in Pathmon relegatus est: quæ si per singula enarrare tentauero, prius me deficiet dies. Hæc autem tanta dixerim propter imminentes Valdesium & eorum sequacium Lutheranorum, qui nec indignum ducunt Romanum pontificem Petri & Pauli successorem Christianæ præfectum ecclesiæ negare, & totius monarchiæ ecclesiasticæ caput esse, tanquam nulli capiti in terris subiici volentes. Quæ etsi à plerisque tantis rationibus expugnata sint, hæc tam pauca sufficiant. Multi enim nostris temporibus de primatu Petri exactius disputauerunt, ut vix superstit quæ scribi queant, an Petrus Romæ fuerit, qui prius in Iudæa per duodecim vel amplius annos remanserit, & iterum Antiochiæ septem annis, quæ si simul iunxeris, plures habueris annos quàm triginta septem, iunctis viginti quinque, quibus fertur Romæ sedisse. Nam si duodecim iunxeris septem, habebis decem & nouem, quibus si viginti quinque addideris, resultabunt quadraginta quatuor. Hæc autem facillè solues, si quæ superius diximus confyderaueris. Quæuis enim Petrus Ierosolymitano concilio circa 12. à passione CHRISTI annum interfuisse dicatur, non repugnat ipsum tunc Antiochiæ sedisse, hinc Ierosolymam migrasse, & ibidem in concilio sedisse, & hinc Romam petiisse. Quid etiam Paulus per duodecim annos Romæ fecerit, cum dicatur Romam aduentasse secundo Nerone anno, & biennio sub custodia fuisse, nempe per decem annos, hæc paucis ex Eusebio supra soluiimus: quia prius Paulus totam Italiam prædicando peragrasset dicitur, & hinc succrescente Nerone malitia reuocatus, & in vltimo Nerone anno ibidem capite truncatus. De cuius morte plurima ex Chrysostomo de laudibus Pauli afferre possemus, quæ ibidem ampliora videbis.

FINIS INTERPRETATIONVM QVATVOR
EVANGELIORVM ET ACTVVM
APOSTOLORVM.

Errata quæ passim inter legendum occurrerunt sic restitues.


Folio 1. pagina 1. linea 8. lege remissione. fol. 7. pag. 1. linea 27. lege. Quo munere. fol. 16. pag. 1. linea 12. lege daturum. fol. 19. pag. 2. linea 24. leg. ascensionem. fol. 22. pag. 1. lin. 30. leg. commune. fol. 25. pag. 2. linea 6. lege vsquàm. fol. 31. pag. 2. linea 18. leg. æditus. fol. 32. pag. 1. linea 16. lege quorum. fol. 33. pag. 1. linea 4. à fine. leg. ieiunis. Eodem fol. linea seq. lege sibi. fol. 37. pag. 1. linea vltima. lege hanc petram. fol. 41. pag. 2. linea 18. lege immensum. fol. 43. pag. 2. linea 33. leg. simpliciter sit imposs. Eodem fol. linea. 4. à fine. leg. inclinaui cor meum. fol. 45. pag. 2. linea 6. à fine. leg. regnum. fol. 49. pag. 2. linea 1. lege commodi sui. fol. 58. pag. 1. linea 15. lege dies iudicij. fol. 59. pag. 1. linea 4. leg. post multum temporis. fol. 60. pag. 2. linea 6. leg. annuis. fol. 62. pag. 1. linea 3. lege culinariis. fol. 63. pag. 2. linea 7. à fine. leg. locutio. fol. 64. pag. 1. linea 20. leg. sumitur. fol. 65. pag. 1. linea 22. leg. fine fuco. fol. 66. pag. 1. linea 5. lege commentis. fol. 67. pag. 2. linea 25. lege Christianissimum. fol. 69. pag. 1. linea 9. à fine. leg. lucescere. fol. 78. pag. 1. linea penultima. lege discederet. fol. 90. pag. 2. linea 24. leg. Bethaniam. fol. 95. pag. 2. linea 22. à fine. leg. eorum. fol. 108. pag. 2. linea 5. leg. cum. Eodem fol. & pag. linea 11. leg. pepigerat. Eodem fol. & pag. linea 8. à fine. adde nostri, post Dei. fol. 109. pag. 2. linea 11. leg. exigeret. fol. 110. pag. 1. linea 22. lege natus est. Eodem fol. pag. 2. linea 12. leg. fol. 130. pag. 1. linea 15. à fine. leg. exprobrat. fol. 131. pag. 1. linea 24. leg. stabulario. fol. 132. pag. 2. linea 11. leg. sed quo. fol. 133. pag. 2. linea 18. leg. exprobraret. fol. 137. pag. 1. linea 14. adde non, post posthabenda. fol. 138. pag. 1. linea 25. leg. archisynagogus. fol. 155. pag. 1. linea 8. à fine. lege sedeatis fol. 162. pag. 2. linea 9. post. Et lux in tenebris lucet: adde, & tenebræ eam non comprehenderunt. fol. 168. pag. 1. linea 16. lege Histaspis. fol. 195. pag. 1. linea 11. lege longioribus. fol. 196. pag. 1. linea 1. lege. Ambigentibus. fol. 200. pag. 2. linea 15. à fine. lege reuiuiscetis. fol. 210. pag. 1. linea 10. à fine. lege iuxta crucem. fol. 215. pag. 1. linea 6. à fine. ad diem illa qua. fol. 236. pag. 1. linea vltima. lege simulat. fol. 241. pag. 2. linea 20. leg. coutuntur. fol. 254. pag. 1. linea 10. leg. qua, vel per quas. fol. 259. pag. 1. linea 28. leg. continuationem. fol. 263. pag. 2. linea. 6. à fine. leg. coli. fol. 267. pag. 1. linea 9. leg. capiunt.

Reliqua errata, & quæ malè distincta sunt, lector beneuolus
facilè recognoscet.

EXCVDEBAT PHILIPPUS RITHAUEUS
PARISIIS, ANNO DOMI.
M. D. LII. CALEND.
MARTII.

INDEX RERUM MEMORABILIVM, QUAE IN ISTIS DOCTISSIMIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

A

 B-Adam ad Christum 77. sunt generationes	115.a	lum soluit	12.a
Abba pater Christus orans, tam pro Hebræis, quam pro Græcis & Latinis	97.b	Adulti nuper renati præparentur ad tentationem	7.b
Abia octauam vicem fortitus est	103.b	<i>ἀγιάλος</i> , littus significat	263.b
Abnegare semetipsum quid sit	38.a	Aegyptius pseudopropheta à Felice præfecto aggressus aufugit	270.a
Abominabiles sunt Deo, qui coram hominibus superbo & elato sunt animo	144.a	Aegyptius quidam pseudopropheta & 56.a	54.b
Abominatio defolationis quid sit 55.a.b. & 94.b		Aestuare & arescere differunt	75.b
Abraham quando viderit diem Christi	186.a	Affectionibus non vinci difficile est	145.a
Abrahæ duplex præceptum Dominus fecisse dicitur	230.b	Agabus Paulo dissuadere non potuit ne Ierosolymam proficisceretur	268.b
Abrahæ semen non solum Iudæi, sed & Gentes dicebantur	6.b	Agabus propheta famem prædixit futuram in Iudæa	244.a
Absque morbo esse oportet, qui aliorum vulnera curare satagit	121.a	<i>ἀγαγῆν</i> est congregare	189.a
Abstinerè à sanguine & suffocato quid sit	253.a.b	A Galilæa in Ierusalem semper ascenditur	45.a
Acceptio personarum iustitiæ distributiæ opposita est	242.a	Agnum Paschalem post illam dominicam cœnam nulli licuerit sumere	154.b
Accola & inquilinus differunt	230.b	Agnus Moysei erat agni Christi figura	165.a
Accusationes falsæ Iudæorum in Christum coram Pilato	157.a.b	<i>ἀγοραῖοι</i> , iudices forenses dicti	264.b
Acetum vulneratis mortem accelerat	68.a	<i>ἀγραυλῆν</i> est rusticari, in villa degere	110.a
Ad conuiuia qui sint iure inuitandi	139.b	Agrippa Iudæorū ritu & legibus imbutus	280.a
Ad curationem duo præcipua concurrunt	80.a	Agrippa nouit mores & caremonias Iudæorum	278.b
Adolescens Christum in passione secutus quis esset	98.a	Agrippa perfidus	280.a
Adorare & purificari non sunt idem	276.b	Agrippa rex filius Herodis Agrippæ	277.b
Adorare in spiritu & veritate	172.b	Agrippa vir prudens & pius	280.b
Adorationis nomine omnis Dei cultus potest intelligi	172.a	Alacritas fratrum viso Paulo	285.a
Aduentus Christi secundus manifestus erit	56.a	Alacritas Pauli in omnibus & prosperis & aduersis	282.a
Aduentus Domini siue in morte, siue vniuersali iudicio quanta vigilantia expectandus	136.a	Alienari anathematicè à societate Christi & ecclesiæ	273.b
Aduentus filij hominis in regnum suum	38.a	<i>ἀλίτω</i> , salio	215.b
Aduersarius noster est omnis virtutis vsus vel Apostolicus sermo, vel diabolus	ibid.	ἡβύ , puella innupta, & viro abscondita	3.a
Adulatio Iudæorum ad Christum	92.a	<i>ἀλε</i> , sal	215.b
Adulatione caret sermo Pauli	279.b	Altare incensi quale erat	104.b
Adulationes impiasmittere quàm impium fit	246.a	Amen vox Hebræa confirmationis aduerbiū	14.a
Adulterium non solum prohibetur, sed & simplex fornicatio	11.b	Amori Christi non sunt præferenda mortuorum obsequia	18.b
Adulterium quo ad thorum, non quo ad vinculum soluit		Anabaptistarum hæresis confutatur	43.a
		<i>ἀνακλιώτερον</i> , sursum aspicere	138.a
		<i>ἀνάγειν</i> , sursum tollere	7.b
		<i>ἀναλαμβάνειν</i> quid sit	128.b
		Ananias ad Paulum missus ipsum exterius & interius sanauit	238.b

I N D E X.

Ananias non rectè diuidens, pecuniam simul perdidit & salutem 226.b. vnde sacrilegij & fraudis damnatur	ibid.
Ananias pontifex Iudæorum hæresim fouebat Sadducæorum	273.a
Ananiæ & vxori non est datus poenitentiae locus	226.b. & 227.a
Ananias vir pi ⁹ fecit dū legē Paulū baptizauit	271.b
Anathema exclusio est à Christo & ecclesia	273.b
quo anathematizati sunt adhuc Iudæi	ibidem
Anathema Iudæi	273.b
ἀνάθεμα, homines quorum capita diis inferis dicata erant & deuota	273.b
Anathematicè alienari à societate Christi & ecclesiae	273.b
ἀνάθεσις, dicatio, vel consecratio	273.b
ἀνατολή, id est, oriens, qui dicitur Christus	109.a
Angelus, an filius Dei in forma angeli Ioseph apparuerit	232.b. & 233.a
Angelus à patre missus resurrectionem manifestat, qui manifestauerat incarnationem	69.a.b
Angelus boni euentus nuncius	282.b
Angelus cur in rubo, non in arbore Moyse apparuit	233.a
Angelus cur nō misit Corneliū ad Petrū	240.b
Angelus Domini quare Eunuchus Aethiopi non apparuit	236.b
Angelus in horto Christo magis nostra, quam sua causa apparuit	156.a
Angeli ad custodiam hominis deputati	40.b
Angeli hominibus deputantur in custodiam	245.a
& duo sunt permanentes cum hominibus, bonus & malus	ibid. & b.
Angeli in forma virili apparuerunt	216.b
Angeli post victoriam ministrant	8.a
Angolorum gratiosa mulieribus verba	159.b
Angolorum visione plerique turbati sunt	104.b
Angelis corpora ad nutum Deo obediant	244.b
Anima Christi ad inferna descendit	220.b
Anima munda Dei visionem facile recipit	9.b
Anima pro vita vsurpatur	24.a. & 46.a
Anima pro vita tēporali interdum sumitur	266.b
Anima spinis carens terra bona dicitur	75.b
Animæ nomine vita præsens designatur	195.b
Animæ omnes sunt virgines conditæ	58.a. quæ lumen à Deo acceperunt
	ibid.
Animam inuenire, & animam perdere	24.a
Animā suā saluā facere qd sit	38.a. & eā perdere ibi.
Animas Hebræi pro hominibus vsurpant	231.b
Animus siue anima potior hominis pars	38.a
Animi indignatio fraternam violans charitatem cohibetur à Christo	11.a
Animi perturbatio & ira plena libertas Pauli	280.a
Animum despondere ob nullam afflictionem debemus	33.b
Anna visitas Christū quot annos nata erat	112.a
Anni à promissione Abraham ad Dauid	247.b. & 248.a
Anni à promissione facta Abraham ad exitum Israclis de Aegypto	230.b. & 231.a
Antemna mali in naue	283.a
Antequam cōuenirent quomodo exponendū	2.b
Antichristi signa in pios Christi fideles exercenda	94.b. & 95.a
Antiochia Syriæ digna est habita pontificia sede, quod ibi primò vocati sint Christiani	244.a
ἀπαγγελλειν, ad supplicium rapere, ad poenam abducere	209.b. & 245.b
ἀφαιρειν, demolior	249.a
ἀποκαλυπτειν, est nomen dare, profiteri, & recenserem	109.a.b
ἀνωθεν significat desuper	103.b. & ab initio ad finem
	ibid.
Apologia Pauli de tribus obiectis sibi	275.b
Apostolatus non erat diuisus in partes	217.a
Apostoli à Iudæis verbera & contumelias passim lætiores prædicabant	228.b
Apostoli cæteri à Petro illi deferebant tanquam præceptori	227.a
Apostoli cur non transtulerunt montes	47.b
Apostoli cur prohibentur à Christo Gentibus prædicare	21.b
Apostoli etiam post resurrectionem Christi erant adhuc carnales	216.a
Apostoli decem inuidia moti circa duos labi passim sunt à Christo	46.a
Apostoli duos solum statuerunt, quorum alter in locum Iudæ sufficeretur	217.b
Apostoli in iudicio tāquam accessores erūt	155.a
Apostoli Iudæos sibi reperunt aduersarios, quocunque pergunt	249.b
Apostoli potestate statem acceperunt super corpus Christi mysticum	212.a
Apostoli presbyteros dignitate excedebant	252.a
Apostoli videtes Petrū sibi in mūdo pferri, sciscitabantur an esset etiā illis in cælo pferendus	128.b
Apostolorum electio	120.a
Apostolorum est mysteria secreta seruare	127.a
Apostolorum missio duplex	22.a
Apostolorū numerus merito duodenarius	241.a
Apostolorum præcipuus erat scopus resurrectionem Christi probare	227.a
Apostolorum vocatio & institutio	74.b
Apostolos extra Iudææ fines eduxit, fidem ab eis liberam accepturus Christus	84.b

I N D E X.

ἀποκρυφισθησθαι, excommunicatus	187.b	Barnabas Apostolus Gētium cum Saulo est ordinatus	246.b
ἀποκρυφισθησθαι, excommunicare, Synagogicè eiicere	203.a	Barnabas cur dicitur vir bonus	243.b. & 244.a
ἀποκρυφισθησθαι, iubeo valere	129.a	Barnabas Cyprius genere & Leuites	226.a. precium agri attulit ad pedes Apostolorum
ἀποκρυφισθησθαι, quid sit	134.a	Barrabas quare Iudæis dimissus est	158.a
Apparitiones Christi diuersè iuxta singulos Evangelistas	211.a	Barrabas vrbi infensissimus præligitur à Iudæis Christo damnato	99.b
Aquæ viuæ virtus	172.a	Βάτος Heb. βάτος Græcè, Batus Latine	143.a
Ara ignoto Deo sacra vnde ortum habuit	258.b	Batus genus mensuræ in liquidis	143.a. capiens sextarios sexaginta duos
Arbor bona ex natura bonos fructus facit, & mala malos	121.b	Beatitudines Lucas quatuor virtutibus cardinalibus comparat	120.a
Arbor quomodo hominem significet	114.a	Beatitudines nemo attingere potest, nisi ab hominum turbine abstractus	9.a
Archelaus primi Herodis filius, & secundi frater, à Tyberio Lugdunum in exilium missus	5.b	Beatitudines quas Lucas narrat, ab his quos Matthæus quidam dicunt esse diuersas	120.a
Archelaus relegatus est Viennam Galliæ	113.b	Beelzebub vel Baalzebub quid sit	27.b
ἀρχος, vel ἀρχων, princeps, & præcipue qui præest iudicibus	168.a.b	Bellum spirituale confertur bello corporali	140.b
Architriclinus qui curā gerebat nuptiarū	167.b	Benedicere hominem alicui, & benedicere Deum alicui differunt	106.a
Arij error circa personarū distinctionem	190.a	Benedictionis virtus quanta sit	177.b
Artis magis quam fortunæ vitare naufragiū	281.b	Benedictionem suæ nouæ cœnæ & nouo sacrificio Christus præposuit	79.a
Ascensio Christi in cœlum	161.a	Benedictiones simul & contrarias maledictiones Lucas enumerat	120.a
Asina legem veterem designabat, pullus Gētium populum	149.b	Beneficia ecclesiastica immeritos ratione affinitatis ambire non licet	45.b
Asina solus Matthæus meminit	90.a. quæ pulum sequeretur	ibid.	
ἀσπις, nauis per quatuordecim dies	283.a	Beneficentiam Dei erga se plerique in felicitate non percipiunt, sed in aduersitate	81.b
Atheistæ cū Sadducæis negat resurrectionē	92.b	Beneficium Tribuni erga Paulum	274.a
Athenis duo fuerunt consilia	258.a	Bernice soror Drusillæ, eiusq; molestationes	274.b
Atrium est porticus in ingressu domus	100.a	Bernice vxor Agrippæ	277.b
Auaritia peruigiles habet oculos	63.b	Bersabee cur non nominetur in genealogia Christi, sed tantum Vrias	1.b
Auaritiam clericorum damnat Christus	135.a	Bethlehem etsi de tribu Iuda esset, cessit tamen Beniamitis in sortem	5.a
Auditorium Pauli mirabile	278.b	Bethlehem Iudæ David natiuitate insignis	3.b. & 4.a. quæ & Ephrata dicitur
Azizo nupta Drusilla	274.b	ibid.	
		Bithalassus locus bimaribus	283.b
		Blasphemia in spiritum cur irremissibilis	135.a
		βολις & καταπαταειν idem	282.b
		βολις quid sit	282.b
		Bona sunt etiam beneficentia	13.a
		Bona temporalia sunt nobis à Deo credita	143.b.
		& quibus elargienda	ibid.
		Bonitas Deo essentialis, cæteris autem est participata	147.b
		Bonitas essentialiter Deo attribuenda	244.a
		Bonitas simplicitatis puerilis, quæ malitiam nesciat, & cæpta est regno Dei	147.b
		Bonis animæ quàm corporis magis insudandum	135.b. & 136.a

I N D E X.

Bonus est Deus solus independenter	43.a	Lucas dicit seniores misisse	17.b
Brachia ad patrem Christus in cruce extendit, quasi omnia amplexaturus	158.b	Cephas petram & saxum proprie significat	74.b
C			
C æcus genus est vas vinarij	143.a	Cephas quomodo dicitur Petrus	166.a
Cæcus Ierichon, de quo Lucas, an idem sit de quo Matthæus & Marcus	148.a	Petro nomen à Christo impositum	166.a
Cæcus interdum pro ignorante sumitur	121.a	Ceremonias Iudæorum Christus euertebat	24.b
Cæci à natiuitate omnes sumus	187.a	Chananea filia morbum dicit esse suum	25.b
Cæci dicuntur qui viam suæ salutis non videt	116.a	Charitas quatum comendetur Christianis	12.b
Cæcum vnicum in Iericho illuminatum Marcus ponit, Matthæus duos	90.a	Chorus est aridorum mensura	143.a
Cecitas Iudæorū & obduratio qb ^o irrogada	286.a	χρηματισθαι quid sit	4.b
Cæsar August. Octavianus templum Iani anno 41. sui imperij clausit	109.b	Christianus vtcunque malus, quandiu fidem habet, viti adhæret	201.b
Cæsarea triplex est	239.a.b. & 268.a.b	Christiani nomen primo ceptum est Antiochiæ vocari	243.b. & 244.a
Cæsarea triplex: prima dicitur Philippi filij maioris Herodis, quæ prius Paneas dicebatur	37.a	Christiani pro opprobrio Nazareni vocati	275.b
Cæsareæ duos annos Paulus in carcere egit	286.b	Christianū se tutē non gloriatur, quicum tribulationibus Christum sequi non vult	160.b
Cæsarem quare appellarit Paulus	285.a	Christianum verum, & verē Christi discipulum quanti sit esse	140.a
Caiphas anno passionis Christi pontifex erat	207.a	Christianos madata vult perfectius seruare Christus, quam obseruarent Pharisei	11.a
Caiphas ex Christi actis non poterat ipsum ignorare Messiam	65.a	Christianos pios vocat Christus oues, impios autem hædos	59.b
Calamitosis non est acceptus obiurgator	282.b	Christianos purgant à superfluis afflictiones & Dei verbum	202.a
Calix non tam vas ipsum, quam potionem, vel etiam afflictionem significat	45.b	Christus ad locum passionis voluntarius accessit	194.a.b
Camelus & animal & funem significat	89.a	Christus ad templi patris sui sanctificationem annunciandam venerat	113.a
Camelus quid significet	43.b	Christus æquē nouit præsentia atq; futura	191.b
Cadaces vocabatur matres regū Aethiopiæ	236.b	Christus à Ioanne baptizatus est, à spiritu sancto expulsus est in desertum ieiunaturus	70.b
Candelas vendere ad valuas ecclesiarum non est peccatum	47.a	Christus aliter in secūdo adueniet q̄ in primo	65.a
Caro anima substantiali carens æqui uocē dicitur caro	163.b	Christus aliū locū cōceptionis, aliū natiuitatis, & alium passionis elegit	109.b. & 110.a. & quid illa loca figurent.
Caro & sanguis pro quouis homine	37.a	Christus à mulieribus permisit se palpari	211.b. & 212.a
Caro nostra dæmonis auxilio adiuta debilis est ad resistendum	63.b	Christus an die festo fuerit occisus	60.b
Castor & Pollux depicti nauibus Alexandrinis	284.b	Christus an prius fuerit ductus ad Annam, quam ad Caipham	207.a
καταδύμει & refectionē & diuersorū significat	96.b	Christus an super asinam, an super pullum, an super vtrunque federit	46.b
κατασίω, manu silentium indicere	264.a	Christus antequam nasceretur non dicebatur filius Dauid, sed Dominus	106.a
κατηχέν, est viua voce erudire aliquem	103.b	Christus Apostolorū sententiam quærebat, quam ipse sciebat	127.a
καβίστημι, componere, constituere	257.b	Christus Apostolos instruxit super statu post mortem eius	155.b
Causam iustam ex iniusta facere	275.a	Christus appellatur oriens	109.a
Centurio adhuc Gentilis Christum expirantem audet filium Dei vocare	101.a	Christus apud Deum & homines ætate crescebat & gratia	113.a
Centurio Gentes figurabat ad fidem breui adducendas	18.a	Christus assumptis tribus primariis secū apostolis ostendit futuram post tot labores gloriā	38.b
Centurio mittens ad Christum credebat hunc esse Deum	122.a		
Centurio qualiter ad Christum accesserit, quem			

I N D E X.

Christus bis templum ingressus ementes & vendentes eiecit è templo	150.b	præmiator, & malorum vltor erit	59.b
Christus carnem anima rationali formatam assumpsit	163.b	Christus in instanti, quo consensit Maria verbis angeli, conceptus est & animatus	107.a
Christus ceremonias Iudæorum auferens, quomodo legem non soluebat	10.b	Christus initiandis fidem, initiatis dilectionem inculcabat	202.b
Christus corā Pilato accusationes non curat	99.b	Christus in qua virtute virtutes æderet Iudæis non respondit	91.b
Christus cur agnus dicitur	165.a.b	Christus in quibus regnare dicatur	149.a
Christus cur cæcis sanatis prohibuit promulgare miraculum	20.b	Christus inter doctores non solum audiebat, doctè interrogabat, & doctius respondebat	112.b
Christus cur dæmonia non sinebat loqui	72.a	Christus in trāfiguratione in aliam figuram, non personam mutatus est	127.b. in qua talis apparuit Apostolis, qualis apparebit in iudicio ibi.
Christus cur discipulis lapsum suū pdixerit	62.b	Christus Iudæo principaliter gratia missus erat	35.b. inde sanitatem illi impetrauit
Christus cur discipulis suis nocte apparuit	212.a	Christus legis est perfectio & consummatio	38.b
Christus cur discipulorū pedes ante Eucharistiæ sacramentum lauare voluit	97.a	Christus legem perfecit, quæ duceret ad vitam æternam	88.b
Christus cur incarnari voluit	127.a	Christus licet Iudæos agnosceret incorrigibiles, non cessauit admonere eos	151.b
Christus cur miracula in ciuitate sua non fecit	116.b. ex sua ciuitate pulsus fugit in aliā	Christus magis animarum salutem, quam corporis sui cruciatum queritur	210.b
Christus cur passionem suā discipulis toties prædixerit	39.b	Christus magis quàm Moyfes audiendus	223.b
Christus cur peregrinos in Emaus vocat stultos	160.b	Christus Messias, Iesus, salus, sapientia, & iustitia ipsa	2.b
Christus cur Petrum Satanam vocat	37.b	Christus modò medicum, modò se sponsum vocat	73.a
Christus cur sponsus dicitur	170.a	Christus natus est sanctus sanctorum, cæteri verò sanctificantur	106.b
Christus cur suæ passionis memoriam frequenter inculcet	128.b	Christus natus est tēpore pacis vniuersalis	109.b
Christus Dauidis filius & Messias appellabatur	46.a	Christus nihil eorum quæ in hoc seculo acquiescit fecum detulit	158.b
Christus diaboli caput contriuit	196.a	Christus noluit ab hominibus rex fieri	177.b
Christus dicitur facies patris	25.a	Christus non nisi volens vincitur	207.a
Christus dominus est vitæ & mortis	79.a	Christus non solum toti ecclesiæ congregatæ, sed & duobus nomine suo congregatis, vel vni etiam rectè viuenti adest	41.b
Christus dormiendo vigilabat	18.b. quo excitato facta est tranquillitas magna	Christus nunc turbas fugiebat, nunc orabat, nunc verò docebat	118.a
Christus dum baptizaretur, tricesimum annum per 13. dies ingressus erat	115.a	Christus passus est Petrum gladio ferire	64.a
Christus duobus modis dicitur panis	179.b	Christus pluribus dæmonibus loquitur sub nomine vnius	125.a
Christus duo in templo præcipua fecit	47.b	Christus positus est in ruinam & in resurrectionem	188.a
Christus est Abraham & Dauidis, sed vario modo filius	1.a.b	Christus potestatem vltionis habebat, sicut beneficentiæ	90.b
Christus & discipuli stantes agnum comederunt, postea discumbentes cæteros cibos	61.b	Christus proditorem suum agnoscens, nec à cœna legali, nec à noua est auersatus	197.a
Christus & federe & stare à dextris Dei dicitur	102.b	Christus pro quibus rogauit in cruce	158.b
Χριστός Græcè, vnctus Latinè, Messias Hebraicè, Iesus Christus est	2.b	Christus quando voluit natus est, quando voluit mortuus est, quando voluit resurrexit	237.a
Christus grano synapis similis est	31.a	Christus quomodo ductus sit primò ad Caiphā, cum Ioannes dicat ad Annam primùm	98.b
Christus in casto connubio nasci voluit	105.b		
Christus in cluso Ioāne venit in Galileā gētiū	71.a		
Christus in cœna ceremoniis veteris legis finem imposuit	97.a		
Christus ingressus vrbem sicut propheta antea prædixerant	194.b		
Christus in extremo iudicio bonorum operum			

I N D E X.

Christus quomodo humanam naturam assump- sit	163.b	Iudæa relicta transferendam designat	4.b. & 5.a
Christus quomodo iuxta Marcum & Lucam cru- cifixus sit hora tertia, secundum Ioannem verò hora sexta	209.b	Christi illusio, percussio, & examinatio	156.b
Christus quomodo Nazaræus dictus fuerit	5.b	Christi mors vtrum fuerit necessaria	63.a.b
Christus quomodo nescit diem iudicij	95.a	Christi natiuitas multa tam cœlis quam terris contulit beneficia	110.b
Christus quomodo ostium, ouile, & pastor	188.b. & 189.a	Christi natiuitas vtraque inenarrabilis	237.a
Christus quomodo peregrinari dicitur	59.a	Christi ortum multi ignorabant	182.a
Christus quomodo positus sit in signum cui con- tradiciunt multi	112.a	Christi prædicatio Ioannis prædicationi con- sona	8.b
Christus quomodo secundum Matthæum primò ductus est ad Caipham, cum secundum Ioan- nem ductus sit ad Annam primùm	64.b	Christi pueri non solus Herodes, sed & sacerdo- tes & scribæ à principio mortem quære- bant	5.b
Christus quo pacto pacem non venit missurus in terram, quam se dicit relinquere terrenis	137.a	Christo cedere debent omnia affinitatum iura	24.a
Christus secundum humanitatem est filius Da- uidis, secundum verò diuinitatem est pater eius	51.a	Christo specialiter conuenit vt spiritus sanctus su- per eum maneat	165.b
Christus secundum naturam assumptã verius in templis quam in aliis locis habitat	234.a	Christum Davidis filium Iudæi confessi sunt	1.b
Christus se Dei filium dicens non blasphema- bat	209.a	Christum nosse & patrem quid sit	184.a
Christus se filium hominis tantùm se vocare so- litus est	37.a	Christum passionem suam prædicentem non in- tellexerunt Apostoli	148.a
Christus sex horas pependit in cruce 100.b. qui verisimilius creditur crucifixus hora tertia ibidem	100.b.	Christum pro beneficiis acceptis Iudæi suspen- derunt in ligno	242.b
Christus sit lapis offensionis, & petra scandali	111.b. & 112.a	Christum quomodo credebant homines esse Io- annem	37.a
Christus stat quotiens expetitur auxilium eius	90.a	Cibus à Christo post resurrectionem sumptus sta- tim exhalauit	160.b
Christus suam resurrectionem facillè proba- uit	215.b	Cibus nullus ore sumptus per se coinquinat ho- minem	35.b
Christus suos discipulos ad perfectam erudit pie- tatem	11.a	Cibi Iudæis immundi communes dicebantur	35.a
Christus tanquam blasphemus educitur extra ca- stra moriturus 209. b. cum multis oppro- briis	210.a	Cibi quidam Iudæis immundi erant 34. b. qui nequaquam sua natura immundi erant	ibid.
Christus tanto suam temperabat responsonem, quanto Pharisei minorem pararent calum- niam	88.a	Ⲓⲓⲓⲛ Cidron vel Cedron torrens 206.b. vel etiam vallis ipsa qua torrens transit	ibidem
Christus vt homo filius erat Dauid, vt Deus verò erat dominus Dauid	93.b	Circumcisionis legem Christus in se experiri vo- luit	111.a
Christus vulgo dicebatur filius Dauid, id est, Messias	27.a	Circumcisionis primus author fuit Abraham 182.a	182.a
Christi acta & doctrina	215.b	Claudius imperator Iudæos è Roma expule- rat	260.a
Christi diuinitas & potestas multos latebat, ideo multi in eo scandalizabantur	24.b	Claudij Cæsaris libertus Felix fuisse dicitur	274.b
Christi & Moyse comparatio, & vtriusque perse- cutio	223.b	Claues regni cœlorum quæ sint	37.b
Christi fuga in Aegyptum, eius fidem ad Gentes		Cleophas erat frater Ioseph	216.b
		ⲕⲁⲓⲓⲟⲥ, fors vel conditio	217.a
		ⲕⲁⲓⲓⲛ, lectus dicitur	83.a. & 167.b
		Cœlestibus rebus simul & terrenis impossibile est ex æquo seruire	14.b
		Cœlum aerium, vbi volitant anes	95.a
		Cœlum & terra quomodo transibunt 10.b. & 11.a sed in melius mutabuntur	ibid.
		Cœlum quomodo sit apertum in baptismate Christo	114.b
		Cœna veteri peracta lauit Christus pedes Apосто- lorum, & tandem mysticã cœnã peragit 197.b	197.b

I N D E X.

Cognoscere non semper de copula carnali intelli- gendum est	3.b	inoleuerat	66.b. 158.a. & 208.a
Cohors prætoriana, quæ prætori in prouincia fem- per præsto adest	206.b	Contentio discipulorum super principatu post mortem magistri	155.a
ⲕⲟⲓⲙⲉⲧⲉⲣⲓⲟⲛ, cœmeterium, siue dormitorium	191.b	Continentiæ non omnes sunt capaces	42.b
ⲕⲟⲓⲛⲟⲩⲱ, communico, inquit	241.a	Contriti corde qui dicuntur	116.a
ⲕⲟⲓⲛⲟⲩⲱ, communicare, & immundum dicere & 35.a	34.b	Contumelias quasunque Iudæi excogitauerunt, in Christum debacchati sunt	99.a
Coinquinant hominem verba praua, & malæ co- gitationes	35.a.b	Conuiuia modò frugi sint & moderata, non dam- nanda Christus censuit	167.b
Colossus apud Rhodum maximus 267.b. & 268.a inter septem orbis miracula maximus	ibid.	Cõuiuia nõ prohibentur, modò frugi sint & mo- derata 139 b. quæ misericordiæ potius, quam alterius rei gratia instituta sunt	ibid.
Comã nurrire quare Nazaræis præceptum 269.b	269.b	Cornelius per pietatis opera ad fidẽ venit, cuius conditio admirabilis erat	240.b
Comitialis morbi causa & effectus	126.a	Cornu potentiam significat	108.a
ⲕⲱⲙⲉ, villa, pagus, vicus	84.b	Corpus Christi est templum Dei	168.a
Commisura vestimenti noui, & vinum nouum, sunt euangelica præcepta	20.a	Corporis Christi in sepulchro positio	102.a
ⲕⲟⲓⲛⲓⲑⲱ, effero mortuum, ac sepelio	235.a	Corporis seruitus in Dei obsequium prorsus re- digatur	124.b
Commune apud Hebræos immundũ dicitur	82.a	Correctio fraterna quatenus obligat	41.a
Compassio quantum Deo placeat	42.a	Coruorum pulli quomodo & à quo aluntur 135.b	135.b
Conceptionum Christi & Ioannis comparatio	104.a	ⲕⲣⲓⲑⲱ vociferari significat	68.a
Condemnare quid sit	29.a	Creatoris potentia quomodo operetur, non est à nobis interrogandum	179.b
Conditionem suam quisque attendat	75.b	Creatura quelibet suo famulata est creatori Chri- sto	216.b
Confessio auricularis, delectus ciborum, cœliba- tus sacerdotum, & ieiunium, non sunt humane traditiones	34.b	Credenda multa nobis proponuntur, quæ neque in sacra exprimuntur scriptura	104.a
Confessio huius temporis hæreticorum est insuf- ficiens	263.a	Credentes in Christum non debent discindi à propheta Christi	269.a
Confessio est sacerdoti facienda	50.b	Credientium bona quæ	229.b
Confessio interdum laudem vel gratiarum actio- nem signat	130.b	Credere in Deum corde ad iustitiam non sufficit, nisi ore confiteamur ad salutem	23.b
Cõfessio vocalis coram sacerdote à Christo insti- tuta est	263.a	Credere non sufficit in Deum, nisi mandata fer- uentur	200.a
Confessionis bonæ initiũ est peccati agnitio 66.a	66.a	ⲕⲣⲓⲛⲟⲩⲱ, iudicare, damnare, & accusare	184.b
Confessionis institutio	212.a	Crux omnibus verè Christi discipulis apprehen- denda	38.a
Confitebantur peccata sua in primitiua ecclesia	6.a	ⲕⲣⲓⲟⲩⲱⲓ, possideo, comparo, acquirō	27.a
Confiteri non tam pro laudare sumitur, quàm pro gratias agere	112.a	Culicem excolare quid sit	52.b
Confiteri se peccatorem, & confiteri peccata sua plurimum differunt	6.a	Cumanus exilio multatus	274.b
Congius decem sextarios valet, & 10. congij sexa- ginta sextarios valet	167.b	Cupiditas pecuniæ ad salutem est impedimento	276.b
ⲕⲟⲓⲛⲓⲟⲩⲱⲓ, colore illinire	272.b	Cupiditas pecuniæ futuræ mortis delet memo- riam	276.b
Coniunctio animorum per charitatem vnam facit animam	88.a	Curati & presbyteri succedunt discipulis, sicut episcopi Apostolis	129.a
Connubium Christus probare voluit	167.b	Curatos à peccatis ociosos esse non oportet	18.a
Consilia alia sunt à præceptis 43.a.b. & 44.b	43.a.b. & 44.b	Custodia Pauli	276.b
Consilia hominum quàm mutabilia sint	191.a	Custodes sepulchri resurrectionis miraculum cõ- fitentur	69.b
Consilia sunt quæ se ad illa obligantes obligant 44.b	44.b		
Consuetudo dandi vinctum vnum Iudæis vnde			

I N D E X.

D

DAEMON in tactis poenitudine animis requie non inuenit 291.a
 דַּבְּרָן Heb. verbum, oratio, & quæcunque res 106.b
 דַּבְּרָן nunc λόγος, nunc ῥῆμα Græci vocant, res aut factum quoduis 236.a
 דַּבְּרָן significat rem nouam rumore vulgatam 110.b.
 Dæmon nulla re magis dominium in homines capit, quàm per incredulitatem 18.a
 Dæmon obsessorum sensus impedit, quatenus Deus permittit 21.a
 Dæmones Christum cognouerunt esse Deum 18.b
 Dæmones cur petunt non torqueri, qui pœna continua affliguntur 18.b
 Dæmones erga Paulum gratiores sunt, quàm Iudæi 263.a
 Dæmones nõ dubitabant infernum Christi morte spoliandum 66.b
 Dæmonibus certæ regiones vexadæ permittuntur 78.a quorum nata est maligna ad nocendum natura alteri ibid.
 δεινός, scelerator vel creditor 123.b
 Dare gloriam Deo 187.b
 Datio duplex est 242.a
 Dationis plures sunt gradus 267.a
 Daud à Domino electus est post regem quem Iudæi elegerunt 248.a
 Daud sacerdotalia munia filiis Aaron per vices administranda distribuit 103.b
 Debitor vtrum nobis sit Deus 10.a
 Decimarum per solutionem Christus approbat 52.b
 Decuriæ siue classes membra sunt curiæ pallameteæ, inde decuriones, consultores 159.a
 Decurio idem qui & senator 101.b
 Dedicatio templi Ierosolymitani triplex 189.b
 Delatoribus non est temerè credendum 143.a
 Delicta nostra remittenda non petamus, nisi aliena remittamus 14.a
 Denarius idem quod drachma 45.a
 Denarius pactum diurnæ operæ vita æterna est 44.b. & 45.a
 Denarij ducenti valent viginti coronatos 81.a
 Deserta duo Ioannes baptista incoluit 6.a
 Desertum ieiunij Christi an fuerit desertum Ioannis 71.a
 Despecti in hac vita, forsitan maiores in alia futuri, quàm qui eos despiciunt 89.a
 Deus absque circuncisione & legalibus Gentes ad fidem acceptat 252.a.b

Deus ad poenitentiam patienter expectat 138.a
 Deus aliquos nosse dicitur, aliquos non 17.a
 Deus à nullo melius laudatur, quàm à pueris humilibus 47.b
 Deus corporis animæque supplicij finis est 134.b
 Deus & mammona opposita iubent 143.b
 Deus essentialiter bonus dicitur, cæteri autè participatiuè 244.a
 Deus falli non potest, nec mentiri 183.b
 Deus in nobis quomodo regnare dicitur 13.b
 Deus in templo non circumscribitur 234. a. & in quo loco elegit orari ibid.
 Deus iudex iustus non negligit preces, sed electos suos de improbis vlciscetur 147.a
 Deus mente & corde spiritualiter coli debet 259.b
 Deus non quæ offeruntur, sed offerentium voluntatem præcipuè accipit 233.b
 Deus nouit qua re indigemus, & quid nobis daturus est, & tamen petere tenemur 16.a
 Deus omnibus præferendus 137.a
 Deus quomodo templa habitat 259.a
 Deus sua in nos dona nostra facit merita 10.a
 Deus vbiq; præsens est 151.a
 Deus voluntaria & intrepida morte glorificatur 213.b
 Dei iudicia non sunt longius discutienda, cur hunc eligat, alterum reprobet 130.b
 Dei natura & proprietates 259.a
 Dei participes sine baptismo fieri non possumus 168.b
 Dei proprium est misereri, non vindicare 121.a
 Deo metus nullus est 63.b
 Deo nulla res impossibilis 106.b
 Deo omnia ascribenda 229.b
 Deo omnia tribuere 269.a
 Deo propinquiores sapius negligentiores sunt 135.b. sed & ingratiore ibid.
 Deo secundum naturam conuenit bonitas 147.b
 Deum omnia posse 279.a
 Deum patrem vocâtes fratres quoque esse debent 13.b
 Deum quidam contènant, alij abiiciunt, alij odio habent 143.b
 Deum se elongare ab aliquo quid 18.a
 Diabolus an post tres tentationes rursum tentauerit Christum 115.b
 Diabolus festum conturbat quântum potest 265.b
 Diabolus in descensu Christi ad inferna ligatus est 220.b
 Diabolus prophetiæ Pauli obistere tentat 283.b
 Diabolus quid significet 180.b
 Diaboli filij qui dicuntur 186.a

I N D E X.

Diaboli negocium est omnis honor sæculi 8.a
 διαγγελλειν, diuulgare, ac notum aliis facere 110.b
 Dianæ simulachrum διατερο dicebatur 264.b
 διαβην, pactum seu pollicitatio 223.b
 Didrachma mediapars sicti 39.b
 Dies azymorum dies Iouis erat, & decima quarta luna 154.b
 Dies festus azymorum dicitur dies Paschæ 154.a & qualis esset præparatio eius ibid.
 Dies iudicij Domini quomodo veniet 146.a
 Dies sabbati & dies sabbatorum differunt 116.a
 Dies solennis Paschæ primum dicebatur sabbatum 119.b
 Diem iudicij quomodo sciat solus pater 57.a
 Diffamare idem quod diuulgare 72.a
 Dii apud veteres qui sint appellati 284.a
 Dilectio Dei super omnia quomodo fit in hac vita possibilis 50.b
 Diluculum quid sit 117.a
 Discipuli absente Christo & præsentem agitantur fluctibus 81.b
 Discipuli Christi cur ipsum nõ sepelierunt 211.a
 Discipuli Christi non cognouerunt in ipso impleri prophetias ante eius ascensionem 194.b & 195.a
 Discipulorum Christi vnanimitas 225.b
 Discipuli Dominum orant vt verbum suum libere prædicare possint 225.b
 Discipuli multam piscium multitudinem acceperunt, cum ipso absente nihil cepissent 213.a
 Discipuli propter defectum duarum causarum non potuerunt curare lunaticum 39.b
 Discipulum non oportet magistro esse superiorum 23.a
 Dispensatio Dei singularis 280.b
 Dispersio gentium quid sit 182.b
 Dissensio Pauli & Barnabæ iustitiæ fuit, & non iræ 253.b. quæ in neutro peccatum fuit ibid.
 Diues regno Dei præfert diuitias 147.b
 Diuitis & pauperis differentiæ 144.b
 Diuitis parabolâ Ambrosius dicit historiâ 144.a
 Diuitem saluari quomodo sit impossibile 43.b
 Diuites mundi qui sint 107.b
 Diuitiæ cœlestes pro terrenis nõ sunt omittendæ 15.a
 Diuitiæ cur spinis comparantur 75.b
 Diuitiæ etiâ infinitæ non impediunt quo minus quis moriatur 135.a
 Diuitiæ solent à regno cœlesti auertere 43.b
 Diuitiæ veræ terrenis sunt præponendæ 14.b
 Diuitias à se abdicans non solum spirituales, sed & temporales in hoc sæculo cõsequitur 148.a & tandem vitam cõsequitur æternam ibid.

Diuitiis non nimis inhiadum, quas Dominus dat cui vult, & aufert 135.b
 Diuortium est præter naturam & præter legem 88.a
 Diuortium in lege Moyfi non erat lex, sed permissio 42.a.b
 Docibiles Dei qui dicuntur 179.a
 Doctor facere debet quæ docet 116.b
 Doctrina Christi & doctrina Ioannis differunt 71.b
 Doctrina Christi quantum excedat Phariseorum doctrinam 117.a
 Doctrina Christi quomodo non erat sua 181.b
 Dominatio secularis alia est ab Ecclesiastica 89.b
 Dominus iustos tribulari permittit 265.a
 Dominus tecum quomodo exponatur 106.a
 Dona Dei quomodo sine poenitentia sint, si donata debita repetat 42.a
 Dona spiritualia sunt gratis conferenda 21.b
 Dona sua Deus facit in nobis nostra merita 44.b
 Donata gratuita per peccatum perduntur, & naturalia valde minuuntur 142.a
 Donati Paulo omnes qui in naui erant 282.b
 Donec quam sequelam designat 3.a.b
 Dormientium primitiæ Christus 280.a
 δόξα est propriè gloria, sed & claritas ex gloria procedens 110.a
 Drachma idem quod denarius, valens tres solidos cum dimidio 141.a
 Drusilla Azizo nupta 274.b
 Drusilla sœminarum omniũ pulcherrima 274.b
 Drusilla nupta Felici 274.b
 Dubia in meliorem partem interpretanda 15.b
 Ducenti denarij valent 35. lib. Turon. 177.a
 Duodecim patriarcharum ossa translata sunt ab Aegypto in Sichem 231.b

E

Ecclēsia Christi fermento comparatur 31.b
 Ecclesia Dei in fide fundata est 37.b
 Ecclesia dicitur Christi sponsa 19.b
 Ecclesia non solum fidelium congregationem, sed diuerforum concionem signat 264.a.b
 Ecclesia ortum habuit à Iudæa 244.a
 Ecclesia prima Gentium Antiochiæ constructa 246. b habuit omnes hierarchicos ordines ibidem.
 Ecclesia vsque ad Christi aduentum duratura est 70.a
 Ecclesiæ congregatio vel etiam duorum quantum

I N D E X.

fit Deo grata	41.b	ἑφικρία & familiam & vicem significat	103.a
Ecclesiæ nauicula absente nauclero summo Christo non potest non fluctuari	33.b	ἐπιβρυμα, additamentum, auctarium	19.b
Ecclesiæ nomine interdum intelligitur prælatus, qui vices gerit ecclesiæ	41.a	Epicureorum secta ab Epicuro dicta 258.a	quorū error plurimum arguitur
Ecclesiæ præfectorum potestas	41.a	ἐπιθιος, crastinus & quotidianus	13.b
Ecclesiam Christus pro synagoga erexit	138.a	ἐπιφανής, manifestus, illustris	220.b
Ecclesiam Christus sibi despondens, sponsus dicitur	119.a	Episcopi munus quale sit	266.a. & 267.a
Ecclesiam inuisibilem ex solis iustis hæretici audent afferere	22.a	Episcopum sciat se non esse, qui præesse & non prodesse desyderat	119.b
Ecclesiasticæ institutiones non sunt illæ quas hæretici, vocant humanas	34.b	ἐπιρροιαί, irruo, inuado	260.b
Eclipsis in passione Christi an fuerit vniuersalis	68.a	Error circa confessionem damnatur	262.a
Eclipsis solis insolita in morte Christi	159.a	Error eorum qui dicunt malos prælatos & prædicatores vti non posse potestate à Deo sibi tradita	51.a
ἑκστασις, mentis alienatio	241.a	Error neotericorum circa sanctorum miracula	222.b
Edax hominum genus nautæ	203.a	Erostratus vt perpetua m sibi famam conquireret templum Ephesinum incendit	264.a
Edictum Augusti quo descriptus est orbis	106.a.b	Efurientes qui dicuntur	107.b
ἑκ, id est, temerè	11.b	ἑρῆπος quid sit	64.a
Electi ouibus, reprobis hædis comparantur	59.a	Ethnici qui dicebantur olim	41.a
Elemosyna incognita non perit 13.a. quæ Deum minimè lateat	ibid.	Ethnicorum error circa orationes longiores	13.b
Elemosynam quantum Ioannes bap. commendat	114.a	ἑβραϊκῆ vallis filiorum Ennon, quæ postea est dicta Topheth.	11.a.b
Elemosynæ de quibus pecuniis sunt faciendæ	143.a	Euangelium ante Ierosolymorum subuersionem prædicatum est per vniuersum orbem	55.a
Elias edidit miracula	116.b	Euangelium grano synapis simile est	31.a
Elias in secundo Christi aduentu veniet	25.a	ἑυαγγέλιον rei letæ ac salutaris nuncium signat	1.a
Elias quomodo secundum Christi aduentum præcedere debet	38.b	Euangelium repellentes Iudæi	286.a
ἑβραϊκῆ idem quod cæcus	247.a	Euangelia non modò quatuor Euangelistarū, sed & cæterorum Apostolorum scripturas designant	1.a
Elizabeth à spiritu sancto, non à viro suo nomen filij didicerat	107.b. & 108.a	Euangelia quid Græcis significant	1.a
Elizabeth quomodo se occultabat quinque mensibus	105.b	Euangelica consilia quæ sint	43.b
ἑβραϊκοὶ, Iudæi in Græcia nati	243.b	Euangelicum nuncium quæ remorentur	286.a
ἑβραϊκοὶ, Iudæi inter Gentes dispersi 229.a. qui vt plurimum Græca loquebantur lingua	ibid. & 239.a	Euangelij vis & efficacia	286.a
ἑβραϊκῶν, niger vel pannosus	247.a	Eucharistia non solùm in esu, sed & in potu figurata, in vtroque etiam instituitur	154.b
Emmanuel, nobiscum Deus	3.a	Eucharistiæ institutio 154.b. in qua figuris eius fidem imposuit Christus	ibid.
Encoenia festum dedicationis templi	189.b	Eucharistiæ mysteria credere, non interrogare causas	180.b
ἐπιβάλλω, imponere, siue imputare	228.a	Eucharistiæ sacramenti institutio	62.a. & 97.a
ἐπιβραβύς, pallium, vestis quæ supernè induitur	213.a	Eucharistiæ sacramentum appellatur fractio panis	265.a
ἑβραϊκῶν Ephphata Chaldaicū, id est, apertus esto	83.a	Eucharistiæ sacramentum in cœna institutum est	179.b
Epheso pro bona parte conuersa Paulus Asiam relinquit, & paulatim Ierusalem tendit	263.b	Eucharistiam dignè sumētibus sequitur vita & natura viuificans	ibid.
Ephesi constructio ab Androdo Codri regis filio	264.a	Eucharistiam frequentabant discipuli Christi accepto spiritu sancto	221.b
		ἑβραϊκῶν quid sit	110.b

I N D E X.

Eunuchus Candacis Reginae Aethiopum thesauris eius præerat 236.b. & 237.a. cuius miseratus est Dominus, cum curaret quod suum erat ibidem.		Fideles etiam absque signis facillimè credunt	240.a
Eunuchus Candacis studiosus literarum 237.a. Apostolus genti Aethiopum missus est	ibid.	Fides extra ecclesiæ septa nemini profutura est	20.b
Eunuchi triplices sunt	42.b	Fides Gentium tandem Iudæorum præponenda	122.a
Euroaquo ventus tempestuosus	282.a	Fides grano synapis comparatur	39.a
Excæcare & iudicare dicitur Deus peccatores	196.b.	Fides interdum sine baptismo saluat	102.b
Excidij Ierosolymitani prædictio	94.a	Fides multiplex est	145.a
Excommunicatio quantum metuenda sit	187.b	Fides nõ per quodlibet peccatum deperditur 155. b. quod est contra Lutheranos	ibid.
Excommunicationis vires	41.a	Fides nostra verbo Dei innixa lucerna vocatur	133.a
Exilio multatus Cumanus	274.b	Fides perfecta est quæ per charitatem operatur	91.a
Extasis, mentis excessus	222.b	Fides sola non sufficit ad æternam vitam	121.b
Exultare plus est quàm saltare	106.b	Fides sola non sufficit ad salutem	176.a
		Fides sine operibus mortua est hypocritica	58.a
		Fidei ædificium absque operibus inane est	17.a
		Fidei bonorumque operum exempla prælucere debent in prædicatoribus	136.a
		Fidem bonis operibus carentem habentes cum factis virginibus excludentur	58.a
		Fidem Christi & gloriam nulli prohibendi sunt prædicare, quãuis malè uiuant	87.a
		Fidem Christi nouerat Felix	276.b
		Fidem habere quẽpiam non sufficit, nisi in ea perseueret	185.a
		Fidem quomodo Apostoli petebant sibi augeri	145.a
		Fide dignus testis Paulus	279.a
		Fide maiore maioribus in rebus opus est	39.a
		Fide sola & oculis absque operibus nemo facillè saluatur	17.a
		Fidelis solo Dei verbo sustentari potest	7.b
		Fidelium non est discretio	252.a
		Fidere nobisipsis non nimium debemus	63.a
		Filia Abrahæ mulier inclinata vocatur	138.a
		Filia Sion significat Sionios	46.b
		Filiæ Iairi suscitatio variè descripta concordatur	20.b
		Filius Dei à patre habet quicquid potestatis habet	176.a
		Filius Dei est imago patris, & character substantiæ eius	178.a
		Filius Dei factus est homo, non tamen est factus	163.b
		Filius hominis quomodo descendit de cœlo 169. a. qui est idem qui & filius Dei	ibid. b
		Filius quomodo portat iniquitatem patris	53.b
		Filij Abrahæ apud Deum qui reputantur	114.a
		Filij Abrahæ qui sunt dicendi	6.b
		Filij interdum dicuntur, qui longa serie ab aliis superabat	17.b

F

Facere veritatem quid sit	169.b
Faciem suam exterminare & fucare	14.a
Falsum testimonium quomodo non inuenerunt, cum multi adessent falsi testes	64.b. & 65.a
Fama prædicationis & miraculorum Christi à principio magna fuit	9.a
Fames Iudæorum tempore obsidionis vrbs 153. a. b & consequens pestis	ibid. & b
Fautor hostium Pauli Felix	277.b
Felix iniuriarum accusatus apud Neronem	274.b
Felix Iudæam in vxorem habuit	276.b
Felix Iudæis gratificatur	276.b
Felix libertus Claudij fuisse dicitur	274.b
Felicis successor Portius Festus	274.b. & 277.a
Felicis tyrannicæ actiones	275.a
Felici nupta Drusilla	274.b
Fermentum bonum & malū in scriptura inuenitur 31.a. b. cui comparatur ecclesia	ibid. b
Fermentum dicuntur improbi mores	84.a
Fermentum interdum bonam doctrinam, interdum malam designat 36.b. & prauos mores	ibid.
Fermentum Pharisæorum est hypocrisis	134.b
Ficus cur potius maledixit, quàm homines 90. b	
Ficus maledictio quo tempore à Christo facta sit	47.b
Fides absque operibus mortua est 201.b. & 202.a	
Fides à Deo non probatur, nisi Deum super omnia diligamus, & omnia opera nostra in eum dirigamus	133.b
Fides aliena quomodo prodesse potest	10.a
Fides cæteris scientiis humanis minor iudicatur	138.b
Fides Centurionis cæterorum Israelitarum fidem superabat	17.b

I N D E X.

descenderunt	2.a	Gabriel rursum ad Mariam mittitur, postquam missus fuerat ad Elizabeth sex mensibus	105.b
Filij lucis diuersi sunt	143.a	Galilæus nutritus ne erat Christus Bethlethemita natiuitate	183.a
Filij Lucis qui sunt	196.a.b	Galilæus cur Christus uisitat, quos nouit duos & incredulos	173.b
Filij nomen cur Ioannes in principio sui euangelij tacuit	161.b	Gallus diuersis horis noctis canere solet	97.a
Filij nomē Iudæi in diuinitate odio habent	161.b	Gamaliel Pauli præceptor fuit	228.a
Filij parentum similes esse solent	53.a	Gamaliel Phariseus erat, occultus autem socius Apostolorum	270.b
Filij prophetarum & pastri	223.b. & 224.a	Gazophylacium componitur ex gaza nomine Persico, & Phylax nomine Græco	152.b
Filij regni dicuntur Iudæi, à regno tamen perpetuo excludendi	18.a	Gazophylacium, locus in quem pecuniæ templo oblatae iactabantur	93.b
Filij tenebrarum qui dicuntur	162.b	Gehenna in sacris scripturis pro extremo capitur supplicio	11.a.b
Filij thalami nuptialis, vel filij nuptiarum	119.a	Genealogia Christi cur nõ à Maria, sed ab Ioseph textitur à Matthæo	2.a
Filium esse in sinu patris quid sit	164.b	Generatio Christi vtraque inenarrabilis	137.a
Filium viduæ Christus in domo nec priuatim suscitauit	122.b	Geneareth siue Genezar, lacus, stagnum, vel mare Galilææ, vel Tiberiadis	124.b
Filios petere non decet, nisi quod patrem deceat dare, & filios accipere	132.a	γεννησις, generatio potius quàm natiuitas	2.b
Finis legationis Ioannis qualis fuit	165.b	γεννηθεν, genitum aut natum, vel potius conceptum significat	3.a
Fœminarum omnium pulcherrima Drusilla	274.b	Gentes à quibus abstinere debeant	269.b
Fornicatio non modò exterior prohibetur, sed etiam animus fornicandi	11.b	Gentes cur lapidibus comparentur	114.a
Fornicatio non soluit matrimonium quo ad vinculum	42.b	Gentes quomodo nõ erant ex Iudaico ouili	189.a
Fornicatio simplex quare sit peccatum, & quale	252.b. & 253. a. nec est humanum decretum ibidem.	Gentes tandem Iudæis præferuntur	138.b
Fornicatio, vel si maus adulterium, thorum, & nõ vinculum soluit	12.a	Gentiles atque Iudæi qua ratione ad legem astringendi	269.b
Fornicationem Gentiles putabant olim esse licitam	252. b. ideo necesse fuit eã prohibere ibid.	Gentiles tam spiritu sancto, quàm Iudæi repleti sunt	262.a
Fragmenta quinque panum dantur Apostolis seruanda	127.a	Genus consanguineorum spiritualium multo est excellentius, quàm carnalium	29.b
Francisci regis Francorum exhortatio ad protestantes Germanos super miraculis sanctorum	174.a	Genus Dei quomodo simus	259.a.b
Fratres Christi & sorores Hebræo more affines appellat	32.b	Genus humanum absque Christi passione saluari potuit	63.a
Fratres Christi qui dicebantur	181.a	Gladio percutientes an necessario gladio pereant	64.a. vbi multiplex gladius ibid.
Fratres esse debent omnes qui sequuntur Christum	8.b	Gloria hominum existimatione parua est	104.b
Fraus in Paulum	274.a	Gloriæ vanæ studium in Paulo nullum	269.a
Fraus Iudæorum quomodo detecta	274.a	Glorificamus Deum rectè viuentes, & eius mandata seruantes	205.a
Fructus centesimus, sexagesimus & trigesimus	30.b	Glorificatio & clarificatio Christi qualis erat	195.a
Fructus digni poenitentia, & digni poenitentia differunt	6.b	Glorificationis causa sunt bona opera, quæ cum fide & gratia facimus	60.a
Fur & verus pastor differunt	188.b. & ab his mercenarius	Golgotha Syra vox est, aliquid ex Hebræa, aliquid ex Chaldaica habens	67.b
		γραμμοι interdum sumi potest pro cautione chirographi, quam vocant quittantiam	143.a
		Granum synapis quantæ sit virtutis	39.a
		Gratia absque spiritu sancto non confertur	216.a

G

Gabriel quare Zachariæ silentium imposuit vsque ad natiuitatem Ioannis 105.a

I N D E X.

Gratia spiritalis in Paulo	282.b	Herodes an crediderit Ioannem decollatum esse suscitatum	126.b
Gratiæ diuinæ pondus tantum est, vt minimum opus nostrum bonum sibi cõiunctum dignum vita æterna faciat	10.a	Herodes Antipa Ioannem occidit, Christum illustr, Lugdunum missus est in exilium	157.b. quod inter Herodis filios fuisset crudelior ibid.
Gratiæ nouæ sectatores	269.b	Herodes Antipa missus est Lugdunum in exilium cum Herodiade vxore fratris	244.b
Gratiæ prædicator vehementissimus Paulus	269.a	Herodes cum militibus seruantibus Petrum illustrus est	245.b. nec permittitur vindicare in milites ibid.
Gratiã & merita habenti dabitur gloria, & abundabit	59.b	Herodes die secunda festiuitatis percussus est à Domino	245.b. & 246.a
Gregorius Neocæsarien. montem fide transfudit	91.a	Herodes fuerunt tres, Aschalonita, Antipas, & Agrippa	5.a. & cuiusuis eorum finis ibid.
		Herodes infanticida quos filios habuit	113.b. quibus dimisit regnum suum ibid.
		Herodes præcibus Herodiadis victus Ioannem incarcerationi, & clam occidi iussit	80.b
		Herodes templum Ierosolymitanum mirabile cõstruxit	222.a
		Herodes templum Ierosolymis teste Iosepho cõstruxerat magnificum	54.a
		Herodes tetrarcha primi Herodis filius non ignarus fuit resurrectionis	32.b. filiam Arethæ regis prius duxerat vxorem, qua repudiata Herodiadem Philippi fratris accepit vxorem
			33.a
		Herodis Agrippæ cruciatus & finis	246.a
		Herodis exercitus propter cædem Ioannis deletus	80.a
		Herodis magna dementia, qui regni sui dimidium vni saltationi æquipararet	80.b
		Herodiani quandam constituerunt sectam nouam	74.a
		Herodias Aristoboli filia	33.a
		Herodiadis demetia, quæ regni filia suæ promissi dimidium neci Ioannis postposuit	80.b
		Holocaustomata sacrificia quæ sunt	93.a
		Homo animalis & carnalis nil nisi carnalia sonat	169.a. spiritualis verò spiritualia ibid.
		Homo constat ex animo & corpore	120.b
		Homo contentus esse debet honoris mensura à cælo sibi concessa	170.a
		Hominem rectè loqui quis dicitur	83.a
		Hominem totum modò carnis, modò animæ nomine Hebræi appellant	163.b
		Hominum naturæ imbecillitas & fragilitas	44.b
		Honor Deo debitus omnibus misericordiæ operibus est præferendus	61.a
		Honor parentum qualis esse debeat	34.a
		Honor sequitur fugientes honores	139.b
		Honorum appetitio plena à Deo auersio est	8.a
		Hostium Pauli fautor Felix	277.b

H

Hæresis afferentium fornicationem simplicem non esse peccatum	11.b
Hæresis afferentium solam fidem iustificare	91.a
Hæresis ex ornatu & cultu templorum	95.b
Hæresis Nazarenorum	275.b
Hæresis nostræ ætatis debacchantium in Papam, prælatos & sacerdotes	51.a
Hæreses multas damnat Ioannes in principio sui euangelij	161.b. & 162.a
Hæretici & tyranni aduersus Christianos in primitiua ecclesia conueniebant	23.b
Hæretici huius ætatis proficiunt in deterius	254.b
Hæretici inter fideles permittantur vsque ad messem	31.a.b
Hæretici magnatum nacti fauorem exurgunt, destituti verò deiiciuntur	33.b
Hæretici neoterici omnes reuocauerunt hæreses olim damnatas, cum totidè spiritibus immundis	132.b
Hæretici neoterici secreta mysteria scripture idiotis etiam mulieribus committenda cõtendunt	127.a
Hæreticorum error circa externum ciborum delectum	35.b
Hæreticorum huiusce tempestatis conditiones	16.b. eorumque mores & vitia ibid.
Hæreticorum huius ætatis error in summum pontificem & ceteros ecclesiæ prælatos	163.b
Hæreticorum pernicitiam, qua sacre scripture interpretibus non deferunt, damnat Paulus	254.b
Helena Adiabenorum regina vrbi Ierosolymorum famem patienti succurrit	244.a
Heluidij hæresis circa virginitatem Mariæ	2.b
Herodes Agrippa Iacobum Ioannis fratrem occidit	244.b

Humilitas clavis est scientiæ	130.b	Immundum quid apud Iudæos dicebatur	
Humilitas orationi adhibenda est	147.a	82.a	
Hypocritas cur scribas vocat	138.a	Impiis ecclesiæ pastoribus gratias largitur dominus	193. b. atque improbis magistratibus ibidem.
Hypocritas vitæ & doctrinæ in maledictum tandem conuertetur	272.b		
Hypocritæ suam improbitatem diutius cælare non possunt	134.b	Increpare verbum interdum commiserari est	37.b
non sinamus	16. b. à quorum blanditiis abduci nos non sinamus	Indignationis tres sunt partes	11.a
Hypocritas & hæreticos rubo & tribulo notat	ibid.	Inducere in tentationem quomodo dicitur Deus	14.a
	121.b.	Industria recta cognoscendi	276.a

I

I acobus dicitur Iustus, quod ex matris utero natus sit sanctus	217.a	Inimici non odiendi, sed diligendi, illisque est benefaciendum	12. b
Iacobus & Ioannes animo parumper elati reliquis Apostolis præferri cupiunt	45.a. & 46.a	Inimici proprium est nocere & insidiari	120.b
Iacobus maior & minor	216.b	Inimici quomodo diligendi	120.b
Iactura corporis leuior est quam animæ	23.b	Iniuriæ remittendæ	41.b. quas qui non remittit, se misericordia reddit indignum
Iairi filiæ suscitatio, & gesta in eius suscitacione	126.a	Iniuriarum accusatus Felix apud Neronem	274.b
Idololatria Gentilium damnanda	269.a	Innocentem Paulum pronunciat Felix	274.b
Iechonias, qui & Ioachim, quomodo sit pater Sathiel	2.a	Innocentium occisorum ab Herode figura fuerunt	Bethlehemitici infantes in captiuitatem ducti
Ieiunare non permittebantur discipuli præsentem Christo	19.b. & 20.a	Innocentes infantes bimulos cur Herodes occiderit	5.a
Ieiunium à vaporibus cerebrum vacuat	86.b	Innocentia Pauli Felici perspicua	276.b
Ieiunium, elemosynam, & orationem absque ulla gloriolæ venatione vult Christus fieri	14.a	Innouator rerum Paulus	275.a
Ieiunium & oratio quantum requirantur ad eiciendum dæmonium	39.b	In oratione iuges nos oportet esse	147.a
Ieiunium multa impediunt	73.a	Insidias intendunt Paulo Iudæi	277.a
Ieiunium nauarum quale fuerit	281.b	Instita quæ sint	193.a
Ieiunium non solum abstinentiam ab esu & potu significat	19.b	Intellectus est animæ lucerna, & directio eius	133.b. sicut corporis oculus
Ierosolymam cur ascenderit Paulus	276.a	Inuidia Iudæorum indicibilis	274.b
Ierosolymorum excidium cum signis præcedentibus	153.a. b	Inuidia Iudæorum in Solem, quod illuminaret homines, & in homines, quod illuminarentur à Sole	93.b
Ierusalem cur dicitur castellum	46.a. b	Inuidia nil nisi discordiam querit	118.b
Iesus cur fugam ab inimicis non querit	156.a	Inuidia semper prosperitati resistere nititur	263.b
Iesus unde deriuetur secundum Basilium	3.a	Ioachim vel Heli fuit pater virginis Mariæ	115.a
Ignis interdum diuinum amorem, vel etiam euangelicum sermonem signat	136.b	Ioanna Hebr. à quo Ioannes gratiosus dicitur	104.b
Ignorans scripturas ducentes ad veritatem Dei errare facile potest	92.b	Ioannes bap. à matris utero plenus erat spiritu sancto	109.a
Ignorantia Iudæorum non excusabat eos à peccato Christum occidendo	223.a	Ioannes bap. Christum per discipulos non vt dubius interrogat	122.b
<i>ἰμωρισμός</i> non ipsa vestis aut vestimentum, sed vestitus aut cultus	122.b. & 123.a	Ioannes bap. erat in magna vulgi opinione	163.a
Imitari Christum quomodo oportet	127.b	Ioannes bap. militibus & publicanis dans viuendi normam, cetera supponit legis præcepta	114.b
Immunditiam Iudæi multis modis contrahebant	193.b		

Ioannes bap. multis commendatur præconiis		nifestus	68.b. & 69.a
104.b		Ioseph ab Arimathæa ortus, & Nicodemus sepelierunt Christum	101.b
Ioannes bap. propheta superior erat	24.b	Ioseph & Maria ex eadem tribu fuere	2.b
Ioannes bap. quomodo non erat lux, cum Christus dixerit Apostolis: vos estis lux mundi	163.a	Ioseph quomodo iustus diceretur	2.b
Ioannes baptizauit, non spiritum sanctum dedit	216.a	<i>יְהוֹשֻׁעַ</i> Iesua, siue <i>יֵשׁוּעַ</i> Iehosua saluatorē vocant	3.a
Ioannes cognomento Marcus Barnabæ Apostoli nepos	247.b	Ira peccans non est odij arguendus	121.a
Ioannes cur ab Herode traditus est in carcerem	8.b	Isaac Iesu Christi typus i. b. vtrius verò cōceptio miraculosa	ibid.
Ioannes cur se esse prophetam & Eliam negauit	165.a	Israelitæ solos Israelitas sibi proximos arbitrantur	131.a
Ioannes erat vox, & Christus verbum	70.a	Israeliticus populus non modò Dei filius, sed & primogenitus dicitur	4.b. quod & de Christo dicitur
Ioannes Euangelista non dicit Ioannem baptistam angelum	162.b	Iudæa pro tota regione Chananæa sumitur	191.
Ioannes gratiosus non esse non poterat, qui gratiæ præco mittebatur	104.a	a. quæ ceterior & vltior dicitur	ibid.
Ioannes in solitudine querens Christum ibidem eum inuenit	70.a. b	Iudæa cum Iudæis conuentio	96.a
Ioannes primus ad euangelium negocium transtulit	6.a. eius vestitus & victus	Iudæa æmulatio Israel figurabat	61.b
Ioannes primus prophetarum prædicauit Christum non venturum, sed iam venisse	25.a	Iudæa penitentia infructuosa	66.a
Ioannes quomodo dicitur Elias	25.a	Iudæi adeo cæci & inuidi in Paulum verbum de Christo audire noluerunt	272.a
Ioannes quomodo maior sit natis ex muliere, cum Christus natus sit ex muliere	25.a	Iudæi an Christum post mortem suam cognouerunt esse Deum	185.a
Ioannes quomodo pararet domino plebem perfectam	105.a	Iudæi an cognouerunt Christum esse Messiam	223.a
Ioannes quomodo querit de Christo an Messias sit, quem etiam ex ventre norat	24.b	Iudæi Apostolis contradicebant, in quibus illos maximè commendare debeant	249.b
Ioannes Quintinus Heduus nostræ tempestatis sanctissimorum canonum doctor eruditissimus insulam Melitam perlustrauit	284.a	Iudæi à regressu Babylonicæ captiuitatis sæpius Chaldaicè vel Syriacè loquebantur	68.a
Ioannis bap. laudes ex Iosepho	80.a	Iudæi à Romanis temporalia sibi auferri, & non æterna timentes, vtrunque simul amiserunt	193.b
Ioannis bap. parentum virtutes	104.a	Iudæi aut Gentiles qua ratione ad legem astringendi	269.b
Ioannis discipuli à Phariseis excitati Christum super ieiunio discipulorum suorum interrogant	19.b	Iudæi Christi nomen extinguere tentantes inania meditati sunt	225.b
Ioannis humilitas	70.b	Iudæi Christum ad mortem petentes, ipsum mortuum in auxilium petierunt	182.b
Ioannis natiuitas multis admirabilis	108.a	Iudæi Christum innocentem sciebant, ideo illum iudicare timebant	208.a
Ioannis officium & eius exhortatio	7.a	Iudæi Christum non fatentes sunt certò inexcusabiles	192.b
Ioannis viuendi norma Phariseis summè displicebat	123.a	Iudæi Christum occultari curauerunt, ne illi Herodes insidiaretur	4.a
Ioanni nomen ante conceptionem impositum est	104.b	Iudæi cum Paulo verberibus, Gentes autem verbis contendebant	257.b
Iob propter vxoris & amicorum opprobria est magis affectus, quam propter omnium bonorum amissionem	9.b. & 10.a	Iudæi diè ab ortu solis ad occasum auspiciantur	68.a
Ionæ signum est signum resurrectionis	28.b	Iudæi inferiores quomodo conuersi sint ad Christum excæcatis maioribus	223.a
Ionathas quare interficiatur	275.a	Iudæi loco iustitiæ sitiunt iniquitatem	273.b
Ioseph ab Arimathæa cur discipulus Christi ante mortem occultus erat, post mortem verò manifestus		Iudæi magis timore quam amore hostias Deo obtulerunt	233.b

I N D E X.

Iudæi mortis pœnam ex Cæsaris instituto non infligebant	99.b	Iudaicus populus non erubescit Christum morientem negare, cæteris aduenis illum cõsistentibus	101.a
Iudæi omnia Christi opera calumniari moliantur	27.a	Iudam inter duodecim Apostolos connumerare non pudet Euangelistas	64.a
Iudæi patrum suorum peccata hæditarunt	134.a	Iudas an solus sit indignatus propter vnguenti effusionem	61.a
Iudæi per prophetas inuitati ad nuptias, & per Apostolos vocati atque discipulos, venire noluerunt	49.a.b	Iudas an affuerit cœnæ dominicæ cû cæteris Apostolis	155.a
Iudæi populus Dei electus, & filij regni erant	21.b	Iudas cur ab Euangelistis dicitur vnus ex duodecim	98.a
Iudæi post Christum in discipulos, animaduertit	224.a	Iudas cur Christum osculatus sit	64.a
Iudæi primas hostias pro Aegyptiaca liberatione idolis obtulerunt	233.b	Iudas ex vnguenti effusione occasionem tradendi magistrum sumpsit	194.b
Iudæi prophetias de Christo scientes morti eius magis insitebant, quàm Pilatus earum ignarus	223.a	Iudas Galilæus seditiosus tandem occisus est sub anno Aug. 47.	228.b
Iudæi quantum deprimere tentauerunt, tantum exaltauerunt	184.b. & 185.a	Iudas Gaulonitas alius seditiosus circa 53. annum Aug. Cæsaris	228.b
Iudæi sanctitatem anxia sacrificiorum sollicitudine simulabant 26. b. sacrificiâque misericordiæ præponebant	ibid.	Iudas Ischariotes ab Ischara oppido Iudææ	61.b
Iudæi se iustos censebant, Gentes verò iniustos	28.b	Iudas laqueo vitam finiuit	217.b
Iudæi semper Dei præceptis contraria fœcerunt 234. a. Moyse legislatori, angelis legem disponentibus, prophetis eam prædicantibus, spiritui sancto & Christo eam adimplenti restiterunt	ibid. b	Iudas non natus est malus, sed factus est malus	96.b
Iudæi super fidei prædicatione excusationem non quarant	22. b	Iudas signo dominum tradens excusatione osculo prætexebat	156.a
Iudæi tanto studio fidem deprimere conati sunt, quanto Apostoli erigere moliebantur	251.a	Iudas sola inuidia ductu satanæ cum Iudæis super magistri traditione pactus est	154.a
Iudæi verum lumen extinguentes meruerunt tribus horis priuari lumine patris, splendore filij, & illustratione spiritus sancti	100. b. & 101. a	Iudas tantam infamiam assecutus est, quantam famam Magdalena est adepta	96.a
Iudæorum generatio signo de cœlo indigna, de inferis autem digna fuit	133.a	Iudas Thaddæus, qui & Lebbaeus, & Iacobi Iusti frater	217.a
Iudæorum gloria morte Apostolorum erat prorsus eicienda	272.a	Iudicare idem quod condemnare, sicut iudicium condemnatio	169. b
Iudæorum præ nimia inuidia cæcitas	227. b	Iudicare interdum est aliquid de aliquo temere pronunciare	15. b
Iudæorum sectæ quatuor, Pharisei, Sadducei, Esseni, & Nazaræi 6. b. & eorum vices	ibid.	Iudicare pro condemnare frequens est	15. b
Iudæorum variæ in Deum calumniæ	91. a. b	Iudicem æquum nactus Paulus	278. b
Iudæis nephas erat ante Christum passum intrare ad Gentes	242. b. & 243. a	Iudiciaria bene ordinata Christianorum potestas à Deo est	46. a
Iudæis non sufficiebat omnem Christo inflixisse pœnam, nisi & in mortuum sæuirent	210. b	Iudicium actiue & passiue sumitur	188. a
Iudæos accusat Festus	278. a	Iudicij diem non vult Deus homines scire se nescire fatetur	ibid.
Iudæus Iudæis factus Paulus	269. a. & 274. a	Iugum Christi & disciplina eius idem sunt	26. a
Iudaica gens erat propria & familiaris Christi hæreditas	163. a	Iurare in auro templi quid sit 52. a. & quid per ipsum templum	ibid. b
		Iurare quando licet, & quando non	12. a. b
		Iustam causam ex iniusta facere	275. a
		Iustificari per gratiam Christi	269. a
		Iustificatio mortui in peccatis difficilis	192. b
		Iusti in futuro seculo supplicia vident peccatorum 144. b. & peccatores fruitionem iustorum.	144. b
		Iustitia magis opera, quàm voces attendit	123. a

I N D E X.

Iustitia quædam est hypocritarum	18. b	simus ibid. promulgatores prophetae & Apostoli	ibid.
Iustitia virtutibus omnibus communis est, quæ Græcis ἐλευθερίῳ, Hebræis צדקָ, iustitia	13. a	Leges principum institutæ sunt ad rempublicam regendam	34. b
Iustitiæ seruandæ studiosi	281. a	Libero nobis arbitrio dato Deus fidem & gratiã nobis pariter inspirat	58. b
Iustitiam esurire & sitire quid sit	9. b	Libertas Pauli in sermone ira & animi perturbatione plena	280. a
Iusti vt plurimum filios generant iustos cuius conceptio fuit miraculosa	104. a. ibid.	Libertas verbi amplior in Italia, quàm in Iudæa	286. a
		Libertini qui dicebantur apud Iudæos	229. b
		Libros impios exurere nouum non est	263. a
		Lingua Pauli eloquens	277. a
		Lingua Pauli verbis inuincibilis	277. a
		Linguis variis an vnica loquerentur Apostoli	218. b. 219. a. & 220. a
		λόγῳ quid sit	103. a
		λόγος Græcis filius Dei dicitur	161. b
		λόγος, liber vel volumen	215. a
		λόγος plura significat quàm ἑνίμα	110. b
		Locustæ quas Ioannes edebat quales erant	70. b
		Lotio corporalis typus erat lotionis interioris animi	197. b
		Lucas duos libros scripsit	215. a
		Lucas exactius rerum gestarum tempora refert, quàm quibus cæterorum Euangelistarum	113. a
		Lucas quomodo de omnibus Christi actibus sermonem fecerit	215. b
		Lucas solus ex Euangelistis prologis vsus est	103. a
		Lucri iactura vulgares magis accendit, quàm deorum cultus, & templorum ornatus	263. b. & 264. a
		Lunatici quid dicuntur	9. a. & 39. a
		Lunaticum curando cur Christus tanta pati permisit	86. b
		Lunaticum quare non potuerunt discipuli Christi curare	39. a. b
		Lupi & seuietes & insanientes hæretici intelliguntur	22. b
		Lutherani quibus verbis ab aliis discernuntur	16. b
		Lutheranorum error circa merita	145. a
		Lutheri legislatoris mores nõ minores quàm Antichristi	16. b
		Lux mundi primaria Christus, secundaria Apostoli 10. b. sicut & pastores, doctores, & prædicatores	ibid.
		Lux vera & essentialis solus est Christus	163. a
		Lydia purpuraria à Paulo conuersa	255. a
		Lysanias quis fuerit controuersia est	113. b
		Lysias Tribunus accusatur	275. b
		Lysitrij Apostolis diuinos exhibuerunt honores 250. b. propter quos dure ab illis reprehensi sunt	251. a
		λύτρον precium est quo redimuntur captiui	46. a

M

- M** Achabæi septem cum matre in Papho ciuitate martyrio coronati sunt 247.a
 Magdalena discipulis abeuntibus mansit ad sepulchrum 211.b. inde tandem Christum videre meruit ibid.
 Magdalena instigante spiritu sancto vnguentum in corpus Christi effudit 61.a. quæ in hoc figurant ecclesiam ibid.b
 Magdalena vnica est, quam Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes recitant 123.a
 Magdalena vnica fuit quæ caput & pedes vnxit Christi 194.a. & de qua Luc. 7. ibid.
 Magdalena vnica fuit, sed an pluries Christum vnixerit, quæstio est 60.b. & 61.a
 Magdalene in Christum affectus & deuotio 95.b
 Magdalene magna fides 61.a
 Magi an fuerint reges, an Philosophi, & sacerdotes 3.b. quos dicunt de Balaam genere ortos ibidem.
 Magi quo tempore venerint Christum adoraturi 5.a
 Magisterium an affectare licet, & magister vocari 51.b
 Magnificare est aliquem laudibus extollere 118.b
 Mala quibus increduli constringuntur quæ sint 279.b
 Maledictiones imprecatur Christus quibusdam ciuitatibus 130.a
 Maleuoli vix vnquam bene afficiuntur 189.b
 Mali recta sibi collata sæpius conuertunt in malum 193.a
 Malitiæ nihil est quod persuadeat 263.a
 Mandata hominum, & traditiones ecclesiæ differunt 34.b
 Mandata legis quædam maiora sunt, alia vero minima 11.a. & ea facienda ibid.
 Mandatum nouum quid sit 199.a
 Manducare panem est solitam refectioem sumere 74.b
 Manducare panem in regno Dei quid sit 140.a
 Manducare panes, id est, solitum cibum vel cenam sumere 82.a
 Manna non panis ille verus, sed veri panis erat figura 178.b
 Mansiones in celo diuersæ diuersos beatitudinis gradus designant 129.a
 Manu Dei factum, vt nemo in naufragio submergeretur 283.b
 Manus opera, sicut pedes affectionem significant 142.a
 Manus potestatem significat 189.b. & 190.a
 Manuum Christi super infantes impositio gratiam conferebat 43.a
 Manuum impositio Apostolorum & episcoporum est 236.a
 Marci Euangelium epitome Matthæi est 70.a
 Marcus asperitate Pauli adiutus diligentior factus est 254.a
 Marcus plerunque verba Latina Græcè vsurpauit 95.b
 Mare Galilææ cur dicitur Tyberiadis 177.a
 Maria conferens verba Gabrielis & pastorum cum dictis prophetarum, tacite conseruabat omnia in corde suo III.a
 Maria legi purificationis subdere se voluit, quæuis obnoxia non esset III.a
 Maria Magdalene prima resurrectionem nunciat 102.a.b
 Maria mansit cum Elizabeth vsque ad natiuitatem Ioannis 107.b
 Maria quomodo benedicta esset in mulieribus 106.a
 Maria virgo, cui nihil dimissum est, intētius Christum diligebat, quam Magdalena 123.b
 Maria virgo erat de domo & familia Dauid, sicut & Ioseph 105.b
 Martha & Magdalene historia notanda 131.b
 Martyrio Romæ consummatus Paulus 286.a
 Martyr plus de Christo meruit, quam qui pie viuendo decedit 10.a
 Matrimonia nõ sunt necessaria, nisi propter mortem futuram 152.a
 Matrimonium non patitur dissolutionem quo ad vinculum 88.a.b
 Matrimonium per fornicationem quo ad thorum, non quo ad vinculum dissoluitur 88.b
 Matrimonium quomodo non patitur diuortium 42.a
 Matrimonium sacramentum est inseparabile 12.a
 Matthæi vocatio ad Apostolatam 118.b
 Matthæus ab vno ad summum euectus gratiæ Christum ab infantia ad resurrectionem euexit 1.a
 Matthæus an Hebraicè scripserit 3.a
 Matthæus Christi natiuitatem describens Herodis meminit, Lucas Augusti 3.b
 Matthæus Hebraicè scripsit 18.a. & 68.a
 Matthæus per Abiud, & Lucas per Refa genealogiam Christi textit 2.a
 Matthæi in locum Iudæ electio 218.a
 Melitæ insulæ coloni quare Barbari appellentur 284.a
 Melita insula ab omni veneno libera 284.a
 Melita insula diuo Paulo consecrata 284.a
 Membra corporis allegoricè pro amicis nobis

- coniunctis accipi possunt 12.a
 Mendacium officiosum an licitum sit 264.b
 Mendicantes pauca relinquentes maiora etiam in hac vita consequuntur, & tandem vitam æternam 89.a
 Mensa qualis est in regno Dei 155.a
 Mens & cor sola impietatis sedes 35.b
 Mens inuidia plena non potest non inuida verba loqui 28.a
 Mercedis & meriti vsi sunt plurimi sancti patres 10.a. sed & scriptura sacra non abhorruit ibid.
 Mercenarius quis dicitur 189.a
 Mereri quomodo debeamus 44.b
 Mereri vitam æternam & ex pacto, & diuina liberalitate possumus 60.a
 Meretur homo Dei gratia adiutus, si vel tantillam in faciendis eius mandatis operam nauauerit 10.a. secus gratia Dei destitutus ibid.
 Merita aliena non proderunt nobis in morte, si nostra defuerint 58.a
 Merita sunt mera Dei dona. 145.a
 Meritum & merces dura admodum verba non intelligentibus 10.a
 Meritum non sic dicitur, quasi natura sit, nobis debitor Deus 10.a. sed ex pacto tantum ibid.
 Messiam plerique per prophetias cognouerunt aduenisse III.b
 Messiam tantum hominem Iudæi carnales expectabant 50.b
 Messores fuerunt Apostoli quique sequaces 173.a
 Messores quales Christus desyderat 129.b
 Metreta aut metretes mensura est decem congiurum 167.a. b. siue 54. pintarum Parisien. ibid.
 Militia cæli pro ipsis astris sumitur 233. b. siue pro exercitibus angelorum ibid.
 Minimus in regno cælorum quomodo sit maior Ioanne 25.a
 Mirabilia in morte Christi 159.a
 Miracula à Deo præcipue fiunt, à sanctis ministerialiter 222.b. & 223.a
 Miracula à Paulo in Melita insula perpetrata 284.b
 Miracula Apostolorum innumera facta sunt, quæ non sunt scripta 227.a
 Miracula Dei vel sanctorum circumstantias temporis, loci, vel deuotionis attendunt 174.a
 Miracula in nomine Christi in primitiua ecclesia etiam improbi faciebant 87.a
 Miracula sancti faciunt, quicquid dicant hæretici 21.a. nec solum se passiuè habent ibid. & b
 Miraculum quinque panum & duorum piscium 33.a. b
 Miraculum quinque panum non est idem cum miraculo septem 36.a
 Misericordia proximi duplex, & ideo misericordia duplex 9.b
 Misericordia est cæterorum præceptorum complementum 147.b
 Misericordiam profundam vocat Hebræi viscera misericordiæ 108.b
 Misericordibus æternum Deus regnum concessit, sicut immisericordibus ignem æternum 60.a
 Misericors fiet Christus misericordiam faciētibus 121.a
 Missæ sacrificium Apostoli celebrabant 246.b
 Mites qualiter beati fuerint 9.a. b
 Mola asinaria quid sit 40.a
 Moloch, idolum Ammonitarum 233.b
 Montes Galilææ, in quibus tentatus fuit Christus 115.b
 Montes virtute fidei multi transfulerunt 91.a
 Mores & cæremonas deorum nouit Agrippa 278.b
 Mors Christi baptismus dicitur 137.a
 Mors Christi somnus dici potuit 45.b
 Mors corporalis supplicij finis est, non animi 134.b
 Mors quidam somnus est 79.a
 Mortis futuræ memoriam delet pecuniæ cupiditas 276.b
 Mortui non carent affectu in suos 144.b
 Mouere caput apud Hebræos est subfannare & irridere aliquem 67.b
 Moyses ab angelo, siue à Deo præcepta, cæremonas, & iudicialia accepit 233.a
 Moyses de Christo scripsit 166.b
 Moyses & Elias cur in Christi transfiguratione apparuerint 85.b
 Moyses legislator 280.a
 Moyses solo Dei verbo bino quadragenario, & Elias vno sustentatus est 7.b
 Moyse profectus & successus 232.b
 Mulieres quomodo vna die emerunt aromata, & altera die parauerunt vt vngeret Iesum 101.b. & 102.a
 Mulieres visitato sepulchro nunciauerunt discipulis 102.a
 Mundi nomine mundanos cum principe sito diabolo intelligit 196.a
 Mundi nomine vocantur mundo addicti 163.a
 Mundus duobus modis accipitur 205.b
 Mundus nullam humilium & abiectorum rationem habere dignatur 107.a
 Muneribus Christo per Magos oblati regia eius dignitas, diuinitas, & mors designabatur 4.b. siue rex, Deus, & homo, mors, resurrectio, & e iij

I N D E X.

iudicium	ibid.	gnificare	3. a
Municeps quis dicatur	270. b	Nomina ante conceptionem plerisque imposita sunt	104. a
Mutuum dandum etiam sine spe recipiendi	120. b	Nomen patris nulla re magis clarificatum est, quàm per filij resurrectionem	205. a
Mysteria Christi non sunt palàm cuius diulganda	45. a	¶ <i>ἰ</i> , horribilis, terribilis	220. b
Mysteria quæ à rudibus non capiuntur, à perfectis inquiruntur	127. a	Numa iam templum Romæ construxit	109. b
N			
Nardum imitantur nouem herbarum species	194. a	Nuncium Euangelicum quæ remorentur	286. a
¶ <i>ἰ</i> , etiam	12. b	Nuncius boni euentus angelus	282. b
Nathanael literarum peritus Christum non solum prophetam esse, sed Deum dixit	166. a. b	Nuptiæ factæ sunt de Christo & ecclesia quas Iudæi inuitati venire noluerunt	49. a. ad ibid.
Natiuitas carnalis ex Adam reddit omnes morti obnoxios	168. b	O	
Natura tripliciter dicitur	163. b	Obduratio ex duobus causatur	196. b
Naufragium factum nemine submerso	283. b	Obduratio Iudæorum quibus irrogata	86. a
Naufragium prædicitur à Paulo	281. b	Obiurgator calamitosis non est acceptus	282. b
Naufragium vitare artis magis quàm fortunæ	281. b	Oblationes nostræ ingratae sunt cum fraterna discordia & inimicitia oblatae	11. b
Nautæ edax hominum genus	283. a	Obstinatio Iudæorum perpetua in legem & legis prædicatores prophetas	234. a
Nautæ & milites propter Paulum seruati	281. b	Ociosi nil respondere possunt quod excuset eos à damnatione	149. b
Nauræ quomodo quatuordecim dies durauerint	283. a	Octauus dies in omnibus festis celebris habebatur	182. b
Nautarum ieiunium quale	281. b	Oculus lucerna corporis dicitur 14. b. qui & mens & intentio	ibid.
Nazaræis comam nutrire quare præceptum	269. b	Odio magis quàm zelo Iudæi exarserunt in Iesum Nazarenum	279. a
Nazaræorum lex	261. a	Odiu ira est inueterata	121. a
Nazaræorum lex vbi mandata, eiusque ritus	269. b	Officinæ vitrarum in Sidone plurimæ	281. a
Nazaræus multifariam dicitur	5. b	¶ <i>ὀ</i> , Oeconomus, dispensator, villicus	143. a
Nazareni pro opprobrio Christiani vocati	275. b	Omnipotentiam Christus se à patre accepisse fatetur	130. b
Nazarenorum hæresis	275. b	Opera Abrahæ quæ fuerunt	185. b
Nazarenorum sectæ author Paulus arguitur	275. b	Opera Christi laude & admiratione digna sunt	132. a. quæ tamen à scribis & Pharisæis iniuriam & calumniam patiebantur
Nazarenorum vera secta vnde habuerit ortum	276. a	Opera Christi quatenus ab operibus demonis diuersa	27. b. & 28. a
Negligentes quantum manet supplicium	149. b	Opera Cornelij ante fidem an grata essent apud Deum	240. b. & 242. a
Negotiatores è templo eiecit Christus	167. b	Opera cum fide requiruntur ad iustificationem	176. a
Nero ad extremum infantiæ peruenit	286. a	Opera fidem comitantur oportet	17. a
Nero quot annis imperasse dicatur	286. b	Opera propter laudem facta hominum quantæ sint utilitatis	51. a. b
Neronis permisso Paulus per decennium in occidente prædicauit	286. b	Opera verbis Dei consentanea sequi debent	17. a
Neroni conciliatus Paulus	286. a	Operator ex opere cognoscitur	121. b
Nicodemus contra Iudæos non negauit Christum	183. a	Operibus bonis gratiæ & fidei iunctis vitam æternam meremur	60. a
Nicodemus cur ad Christum nocte venerit	168. a. b	Opportunitas oblata Paulo Romam appellandi	278. a
Nicolaus diaconus, à quo Nicolaitarum hæresis	229. a. b	Opprobria multa Christus passus est	210. a
Nisan primus mensis Hebræorum	61. b	Orandi breuis modus longiores non tollit preces	13. b
Noel interpretatur nobiscum Deus	3. a	Orandi formam nobis præscribit Christus	19. b. & 120. a
Nomen à Deo datum solet aliquid singulare si-		Orandi modum nos docet Christus	193. a

I N D E X.

landi	278. a	Parcendum proximis, nec solum septies	145. a
Opprobria multa Christus passus est	210. a	¶ <i>ἰ</i> , incola, accola, inquilinus	230. b
Orandi breuis modus longiores non tollit preces	13. b	¶ <i>ἰ</i> , liberè ac manifestè	85. a
Orandi formam nobis præscribit Christus	19. b. & 120. a	Paruulos cur complexans Christus benedixit eis	88. b
Orandi modum nos docet Christus	193. a	Paruulos quanti faciat Christus	40. b
Orandi sunt à nobis sancti qui sunt in cælo	141. a	Pascha Hebræorum quomodo celebrare licebat	61. b
Orantem in occulto merces æterna manet	13. b	Pascha quare Christus cum Iudæis non celebravit	208. a
Orare in atrio, sicut nec in sanctuario, non licebat populo	104. b	Pascha verum immolatum legale finiuit	61. b
Oratio bona procul esse debet à turba	33. b	Pascha vetus nouum figurabat	56. b
Oratio Christi in horto	155. b. & 156. a	Pascha vnde dicitur 60. a. & an Iudæi die quo Christus fecit fecerint	ibid.
Oratio dominica quibus dicitur prodesse	131. b	Passio subita non expectat responsum	207. a
Oratio iustorum ad quædam eleuet gloriam	127. b	Pastores ecclesiarum super gregem suum vigilare debent	110. b
Oratio mentem à terrenis, quibus innititur demomon, erigit	86. b	Pastores & doctores bonis moribus esse debent præditi	10. b
Oratio re ipsa bonum opus bene fieri debet	13. b.	Pastori duo sunt necessaria	266. b. & 267. a
Orationis Apostolorum efficacia	225. b	Pastori maior gregis sui esse debet salus, quàm quorumlibet affinium cura temporalis	29. b
Orationis Christi in horto efficacia	97. b	Pastoris boni conditiones	189. a
Orationis vis consideranda est	241. b	Pater noster cælestis indigentiarum nostrarum nunquam nescius est	13. b
Orationi instantes nos iubet esse Christus	16. a	Pater videtur in filio, & filius in patre	199. b. & 200. a. & eadem vtriusque verba & opera ibid.
Oratione nullum est præsentius remedium	147. a	Patrem cælestem nulla re melius imitari possumus, quàm inimicorum dilectione	12. b
¶ <i>ἰ</i> quid	282. b	Patrem suum Deum dicens, & prauè viuens, in Deum & in seipsum mentitur	13. b
Ozias cur dicitur filius Ioram 2. a. qui quartus ab eo fuit	ibid.	Paulus ab Asia in Syriam tendens à Iudæis insidias passus est 265. a. ipsum tamen comitati sunt discipuli sui	ibid.
P			
Pacifici qui dicuntur	9. b	Paulus ab insidiis sibi cauens	285. a
¶ <i>ἰ</i> , rupes, collis, aut locus eminens	58. a	Paulus accusatur trium præcipuorum	275. b
¶ <i>ἰ</i> & puerum & seruum significat	17. b	Paulus à Deo, non ab homine missus	246. b
Panis filiorum qualis sit	83. a	Paulus à Iudæis lapidatus est	251. a
Panis in carnem Christi transformatus quare non apparet caro	179. b	Paulus à Sergio Paulo proconsule Cypri fertur dici Paulus	247. a
Panis qui à nobis in sacramento manducatur, non carnis Christi figuratio, sed ipsa caro est	179. b	Paulus baptizatus audacior factus legem Euangelicam publicè prædicabat	238. b
Panis quotidianus & supersubstantialis qualis sit	13. b. & 14. a	Paulus claudum Lystris sanauit	250. b
Panis virtute verborum transformatur in carnem domini	179. b	Paulus conscius factus Romæ de insidiis contra illum oblatis	285. a
Panes propositionis 26. b. omnimodum opus sacerdotum	ibid.	Paulus cur in Asiam minorem proficisci prohibitus est	254. b
Parabolæ nomen obscuram esse sententiam signat	35. a	Paulus diutius manebat, vti frugem multam videbat futuram	260. b
¶ <i>ἰ</i> , interdicerè, præcipere, & edicere	228. a	Paulus & Barnabas episcopalem dignitatem habuerunt	251. a
Parascæue est præparatio ad festiuitatem Paschæ	69. a	Paulus & Silas Philippis virgis affecti, & in carcerem coniecti sunt	255. b. & 256. a
Parascæue Paschæ erat die Iouis	197. a		
Parascæue, præparatio ad festum Paschæ	109. b		
Parascæue præparationem significat	159. b		

I N D E X.

Paulus incidit in pericula maris	281.a	Peccatores quantum flere debeant, cum Christus fleuerit, qui nunquam peccauit	101.a
Paulus in quancunque introierit ciuitatem, Iudeos sibi contradicentes inuenit	262.a	Peccatoris miseri conditio	193.a
Paulus Iudæis factus tanquam Iudæus	269.a	Peccatis præteritis exigentibus frequenter durè tentamur, & in tentatione à Deo derelinquimur	226.b
Paulus Iudæorum fugiens insidias per murum in sporta demissus est	239.a	Peccatum antequam perficiatur, laborem, & postquam patratum est, plurimum pondus habet	26.a
Paulus maiores cum Iudæis quàm cum Gentibus habet difficultates	257.b	Peccatum longè nos à Deo diuidit	142.a
Paulus neci Stephani consentiens, virtute orationis eius conuersus est	235.a	Peccatum quomodo irremissibile dicatur	28.a
Paulus per somnium aduocatur vbi prædicandum erat, per spiritum sanctum verò vbi prædicandum reuelatur	254.b	quod non solum fit in spiritum sanctum, sed & in filium	ibid.
Paulus promptus omnia facere pro salute hominum	280.b	Pecuniæ cupiditas ad salutem est impedimento	276.b
Paulus propter Stephani necem factus audacior plurimos coegit relinquere domos	235.a	Pecuniæ cupiditas futuræ mortis delet memoriam	276.b
Paulus quare circumcidit Timotheum, cum circumcisionem prohiberet	254.a	Pecuniam à Paulo expectat Felix	276.b
Paulus quid Romanis persuadere conetur	285.b	Pecunia quantorum malorum causa fit	255.b
Paulus quo genere mortis affectus	286.a	Pedes intelliguntur terreni animi affectus	197.b
Paulus quomodo peccabat persequendo Christianos, cum ignorans faceret	271.b	περιπέλω tentator dicitur	7.b
Paulus quomodo pontifici maledixerit	272.b. & 273.a	Pelagus quare turbatum fuerit	282.b
Paulus suadentibus discipulis aliquando consentit, aliquando consentire noluit	268.b	Pentecostes festiuitas	218.b
Paulus superiorum decreta & interpretationes non erubuit prædicare	254.b	Perfectio euangelica qualis fit	43.b
Paulus tandem à Iudæis Ierosolymis accusatus & comprehensus	270.a	Perfectio tota vitæ cælestis duobus præcipue constat	133.a
Paulus testimonium de Christo Romæ redditurus	274.a	Per hæresim qui à vera vite disiungitur, in ignem mittetur	202.a
Paulum excusat Festus	278.a	Pericula vrbs subuersionem præcedentia	55.b
Paulum quidam natum dicunt Giscali, alij Tarfi	270.b. sub Gamaliele Ierosolymis eruditus est	Persecutio ob mortem Stephani orta profuit ad vocationem Gentium	243.b
Pauperes spiritu qui dicuntur	9.a	Persecutio Pauli in Christianos	229.b
Pauperes veri qui dicuntur	24.b	Persecutio prima Iudæorum in discipulos Christi cedit in melius	235.a
Pauperibus non semper beneficiendum est omisso diuino cultu	61.a	Persecutionem patiuntur qui propter quancunque virtutem iniuria afficiuntur 9. b. & qui mendacia, errores, iniurias propter Christum sustinent	ibid.
Pax terrena & carnalis	23.b	Persecutiones discipulorum post magistri discessum leuius tolerandæ	23.a
Peccata Deus solus ex officio remittit, cæteri ministerio	118.a	Perseuerantium in peccatis periculum	57.b
Peccata dimittere solus Dei est	72.b	Pertinacia quælibet sectandi	276.a
Peccata morborum vt plurimum sunt causæ	118.a	Petitio Christiani qualis esse debet	15.a
Peccata mortalia nominatim confitenda sunt	263.a	Petrus ab Herode Agrippa in carcere clausus ab angelo liberatus est	244.b
Peccatores in futuro seculo vident iustos, sicut & iusti peccatores	144.b	Petrus à ceremoniis legis paulatim discedit	242.a
Peccatores non sunt digni vocari filij cælestis patris	131.b	Petrus animosior quàm par esse sibiipso fidebat	63.a
Peccatores pœnitentes quàm grati sint Deo	141.a	Petrus antequam petram sequeretur, non dicebatur Petrus	71.a
		Petrus à petra dictus, super quam fundaturus erat Christus ecclesiam suam: quod tamen Buccero non placet	27.a

I N D E X.

Petrus claudo maiora quàm speraret contulit	222.a	tores diuerteret	148.b
Petrus cur permissus sit peccare	155.b	Pharisæi & scribæ in qualibet vrbe Iudææ erant	82.a
Petrus cur Simonem magum morte non affecit sicut Ananiam	236.a	Pharisæi & scribæ tentabant discordiam inter Christum & discipulos seminare	118. b. & 119.a
Petrus & Ioannes à Magdalena excitati adierunt sepulchrum	211.b	Pharisæi externorum sacrificiorum studiosi erant, misericordiæ opera negligentes	19.b
Petrus & Paulus quo anno Neronis imperij occisi sunt	286.b	Pharisæi fidem Deo absque operibus placere putabant	133. b. nec futuram gloriam ex operibus expectabant
Petrus. Heb. <i>Πέτρος</i> dicitur, Græcè <i>πέτρος</i> , & Latine Simon	252.b	Pharisæi ob cecitatem quæstioni Christi satisficere non potuerunt	74.a
Petrus iandudum gratia Dei destitutus magistrum negauit	99.a	Pharisæi obstinatum hominum genus	26.b
Petrus in carcere somniabat suam liberationem	245.a. liberatus verò aufugit	Pharisæi putabant Deum magis exteriora quàm interiora curare	133.b
Petrus quomodo se calefaciebat ad lucem	98.b	Pharisæi reliquis Iudæis regnum cælorum claudabant	52.a
Petrus seruum pontificis percutiens non omnino excusatur	207.a	Pharisæis ambitionem & superstitionem Christus improperat	133.b. & 134.a
Petrus sibi soli fidens, & nimis audax, trifariam errauit: ideo præ cæteris à domino cadere permissus est	97.a	Pharisæorum doctrina quatenus audienda erat	51.a
Petrus spiritu sancto repletus liberè principibus loquitur	224.b	Pharisæorum hypocrisis multis metaphoris taxatur	52.b. & 53.a
Petrus statim post ascensionem domini primatum exercet	217.a	Pharisæorum inuidia in Christum, & laudes eius	47.a
Petrus tanquam cæteris præfectus paucis disceptationem diremit	252.a	Pharisæorum iudicium de Christo & Ioanne	25.b
Petrus tanquam idiota à principibus reputatus illos doctrina vincit	225.a	Pharisæorum secta ex Iosepho	273.a
Petrus trinæ negationi mederi volens, ter dominum confessus est	213.b. cui totius orbis ouium præfecturam committit	Pharisæorum supercilium Christus palam dånabat	10.b
Petrus vbi & quomodo Christum negauit	156.b	Pharisæica auaritia filios sensim à paterna auertebat beneficentia	34.b
Petri & Ioannis charitas & societas	222.a	φιλοτιμία quid sit	40.a
Petri negationes vbi & quando factæ sunt	207.b. & 208.a	Philippus diaconus	229.a
Petri peccatum & eius pœnitentia	65.b	Philippus diaconus primus Samariam conuertit	235.a. cum plurimis miraculis
Petri piscatio futura promittitur à sua differens	117.b	Philippus & Nathanael periti fuerunt scripturarum	166.a.b.
Petro nomen à Christo impositum	166.a	Philippi vrbs Macedonia	255.a
Petro tanquam primario regni cælorum clauis traditæ 37. b. cui pascendi ouilis Christiani cura committitur	ibid.	Phœnix seu Phœnicia regio maritima	243.b
Petrum Christus propriè vocauit Cephas 37. b. à quo dictus est Petrus	ibid.	Pilatus cur flagellauerit Christum	209.a
Petrum ecclesiæ præficiendum Christus post suum discessum prædixit	40. a. ob multas causas	Pilatus & Herodes cur inimici erant	157. b. & propter Christum facti amici
Petrum vocat Cornelius, vocatum attentius expectat, & venientem adorat	241.b	Pilatus liberans nocentem, sperabat Iudæos innocentem liberaturos	100.a
Pharisæus in templum oraturus ascendit, ibique magis iactat quàm orat	147.a	Pilatus plurimis modis tentat liberare Christum	99.b
Pharisæi Christo indignabantur quòd ad peccatores		Pilatus quanto studio voluit liberare Christum	157.b
		Pilati cor defixum est Christum esse regem Iudæorum	210.a
		Pilato lauare manus non profuit, qui mentem ha-	

I N D E X.

bebat illotam	67.a	ingerere	21.a
Piscationem discipulorum Christus in aliam conuertit piscationem	213.a	Prædicatores euāgelici ouibus comparantur	22.a.
Piscina probatica signum baptismi erat	174.b	qui inter hæreticos cautiores esse debent	ibid.b
Pithagorici credebant animas de corpore in corpus migrare	37.a	Prædicatores tantum placentia loqui volentes, facte carent, & ideo infulli sunt	10.a.b
Plaga & flagellum in quo differunt	79.a	Prædicatoris conditiones	10.a.b
Plebs Iudæorum magis docilis erat quam principes & seniores	227.b	Prædicatorum impedimenta 129.b. & cum his vitus necessaria ibid. & officium	130.a
πλεονεξία quid sit	135.a	Prædicatorum præcipua cura quæ debet esse	76.b
πληροφορέμια, id est, certissimè aliquid nosse, & procompertissimo habere	103.a	Prædicationibus duci possunt loci communes de adulterio, &c.	33.a
πλήρωμα, assumentum noui panni	20.a	Præcepta à præpositis edita sunt equo animo tolleranda & implenda	51.b
πονηρός, malignus, diabolus, peccatum	14.a.b. & 206.a	Præceptor mitis & humilis est Christus	26.a
Pontificatus dignitas instituitur à Valerio Grato	113.b	Præceptorum omnium ad proximum summa est, non facere illi quod nobis fieri nolumus	16.a
Pontificatum alternatim Annas & Caiphas occupabant	224.b	Præco salutis Paulus	275.a
Pontifices Iudæorum quomodo sub Romano succedebant imperio	207.a	Præcones euāgelij nouos voluit Christus sine cura omnino esse	21.b
Pontificium Iudæorum dealbato parieti simile erat, & superueniente Christi sacerdotio destruentum	272.b	Prædestinationis nostræ non est in Deo causa præter eius voluntatem, effectus autem est beatitudinis collatio	59.b. & 60.a
Pontius Pilatus Archelao successit	113.b	Prælati aptum doctrinæ pabulum suo gregi non impendentes comparantur inuiti seruo	136.b.
Populus in compositus irrationabili impetu omnia audet	264.a	qui non minus quam infidelis reputabuntur ibidem	
Populus Israel ad radices montis Sina mansit 10. mensibus, & 20. diebus	233.a	Prælati sibi prius attendant, quam cæterorum regimen subeant	267.a
Porta angusta & lata	16.a	Prælatorum duo sunt genera	57.b
Porta speciosa templi Ierusalem	222.a	Prætor idem qui & tribunus	206.b
Portæ inferi quæ dicantur	37.b	Prætorium, ædes prætoris	208.a
Porticus Salomonis quis esset	222.b	πράξις, actus vel acta	25.a
Portio substantiæ quæ ad nos attinet quæ & quantafit	142.a	Preces longas Christus non damnat	13.b
Portius Festus successor Felicis	274.b. & 277.a	Presbyteri olim vocabantur episcopi	267.a
Potestas hominum non nisi à Deo est	228.a	Prima dies azymorum erat decimaquarta dies primi mensis	61.b. & 96.b
Prædicans seminare dicitur	76.a	Primi quomodo fiunt nouissimi	45.a
Prædicare Christum quid	279.a	Primitiæ dormientium Christus	280.a
Prædicatio quantum sit curanda	124.b	Primogenitus dicitur antequam nullus natus est	110.a
Prædicationis Christi & Ioannis collatio	170.b	Primogenitus non semper quem sequitur alter dicitur	3.b
Prædicationis prioris Pauli tempus	286.a	Primus homo per peccatum à luce in tenebras lapsus, per Christi resurrectionem à tenebris in lucem reparatus	102.a
Prædicationis summa quæ	279.a	Primus seruat Petrus promissum, primo ictu serui pontificis auriculam amputat	98.a
Prædicationis totius Pauli tempus	286.b	Principes Iudæorum non audent vim Apostolis inferre	225.a
Prædicationem & prædicationi necessaria Christus Apostolis committit	126.a	Principes sacerdotum qui dicebantur	60.b
Prædicationem recusantes quale maneat supplicium	130.a	Principium dicitur filius, sicut & pater	184.b
Prædicator gratiæ vehementissimus Paulus	269.a	πρόνους, pronus, præceps, vultu demissus	217.b
Prædicatori euāgelico viuere licet de substantiis eorum quibus prædicat	123.b. & 124.a		
Prædicatores à Deo mitti debent, & non seipfos			

I N D E X.

προβατον, ouis, προβατικὸν, ouina	174.b	Q uadragesima à Christo indicta est, ab Apostolis tradita, à prophetis celebrata, & sacris doctoribus prædicata	7.b
προβιβάζω, præmoneo, instruo	264.a	Quadragesimæ ieiunium Moyses & Elias ante Christum ieiunauerant	115.b
Probi cum improbis in mundo versantur	260.a	Quadragesimæ ieiunium quatenus præceptum, & quantum obligat	7.b
Procella quid sit, & vnde dicatur	124.b	Quadrans est quarta pars assis	11.b
Procliuus & indiscreti homines ad iniqua ferenda iudicia	284.a	Quærebant Christum alij pio, alij impio affectu	193.b
Prodigia & signa differunt	220.a. & 227.a	Quatuordecim generationes quomodo numerandæ	2.b
Prodigus filius varios posset figurare status	142.a.b	Quatuor facit ordines Lucas, Christi genealogiã texendo	115.a
Progenies viperarum cur Iudæos Ioannes vocat	6.b	Quinque talenta referre 59.a. & ea duplicare ibidem	
Promissiones Abrahamæ & Dauidi de Christo factæ	1.b		
Propheta, qui & doctor & prædicator dicitur, nõ solum futura præuidet, sed & præterita & præsentia prædicat & docet	246.b		
Prophetæ de Christo scripserunt	166.a.b		
Prophetæ plures fuerunt à tẽpore Samuelis, quam ante eum	223.b		
Prophetæ quomodo vsque ad Ioannem, cum post eum multi fuerint	244.a		
Prophetæ sunt sacrarum scripturarum interpretes	253.b		
Prophetia Isaia contra Iudæos nefanda	286.a		
Profelyti, asciti ad Iudaismum	219.b		
Profelytus, advena ex gentili ad Iudaismum conuersus	52.a		
Prouidentia diuina	274.a		
Proximus quis propriè dicendus sit	131.a		
Prudentiæ magnæ est impiorum furori aliquando cedere	250.a		
Pseudochristi Ierosolymorum subuersionem præcedentes	54.b. 55.b. & 56.a		
πυλαίον palpare significat	259.a		
Publicanus quis dicatur	19.a. Romanis in precio habitus, Iudæis odiosus.	ibid.	
Publicani qui dicuntur	12.b. Romanis in precio habitus, Iudæis autem iuuisi	ibid.	
Publicani qui sunt	140.b. & cur illos Pharisaei & scribæ abhorrebant	140.b	
Pullus Gentilem populũ signat, quem asina, id est, Iudaica natio tandem sequeretur	90.a.b.		
Purgatorium ex hoc conicitur, quod in eo peccatum remittitur, saltem quo ad reatum	28.a		
Purgatorium probatur ex verbis Matthæi	11.b		
Purificari & adorare non sunt idem	276.b		
Purificatio Mariæ virginis	111.a		
Pusillus appellatus, qui scandalizari potest	87.b		
Pythia mulier, vel Pythonissa, à Pythio dicta	255.b		
Pytho draco magnus in Delo insula	255.b		
Pythonissam Deum prædicantem cur Paulus tacere iussit	255.b		

Q

Quadragesima à Christo indicta est, ab Apostolis tradita, à prophetis celebrata, & sacris doctoribus prædicata
 Quadragesimæ ieiunium Moyses & Elias ante Christum ieiunauerant
 Quadragesimæ ieiunium quatenus præceptum, & quantum obligat
 Quadrans est quarta pars assis
 Quærebant Christum alij pio, alij impio affectu
 Quatuordecim generationes quomodo numerandæ
 Quatuor facit ordines Lucas, Christi genealogiã texendo
 Quinque talenta referre 59.a. & ea duplicare ibidem

R

Rab an fuerit meretrix, an cauponaria
 Rabanus vestis lacera & detrita dicitur
 ראבאן verbospernerere, iniuria significat
 Rama Hebræa vox, excelsum significat. Est & eius nominis locus in tribu Benjamin
 Reddere ex quodam concredito debitum dicitur
 Regeneratio interdum est resurrectio
 Regina Saba figura fuit Ecclesiæ
 Regnare Christus cœpit, cum euerfa est passim idololatria
 Regno cœlorum digni qui sunt
 Regnum Christi diaboli regno successit
 Regnum Christi in nos venire quid sit
 Regnum Christi nõ solum temporale, sed & æternum
 Regnum cœlorũ ecclesia dicitur
 Regnum cœlorũ multipliciter dicitur
 Regnum cœlorũ pro cœlesti rege sumitur
 Regnum cœlorũ pro ecclesia sumitur
 Regnum cœlorum pro euāgelio, & pro Christo sumi potest
 Regnum cœlorum pro Iudæis primò paratũ est
 Regnum cœlorum pro rege cœlesti Deo interdũ sumitur

I N D E X.

Regnum cœlorum quomodo appropinquasse dicatur 21.b
 Regnum cœlorum tam ecclesia militans, quam triumphans dicitur 11.a
 Regnum cœlorum thesauro abscondito comparatur 32.a. vel margaritæ ibid. vel etiam sagenæ ibid. quæ est ecclesia militans ibid.
 Regnum Dei aliquando spirituale est, aliquando Christus dicitur 135.b
 Regnum Dei interdum dicitur Christus & Messias 27.b
 Regnum Dei plerunque scripturæ sacræ intelligentiam significat 48.b
 Regnum Dei prædicatio interdum appellatur 129.a
 Regnum Dei prius quærendum est 90.b
 Regnum Dei pro Euangelica prædicatione 76.b
 Regnum Dei quale sit & ubi 149.a
 Regnum æternum hominibus paratum est 60.a
 Regulus quis erat 173.b. & 174.a
 Reliquiæ sanctorum venerandæ 234.b. & 235.a
 Remissio peccatorum per Ioannis baptismum non fiebat, sed Christo reseruabatur 216.a
 Rempham, sydus Veneris 233.b
 Reprobationis magnum iudicium 120.a
 Respondere, verba ad aliquem habere signat, præter communem eius significationem 28.b
 Resurgentes instante passione tertia die resurrexerunt 68.b
 Resurrectio Christi per Thomæ absentiam fit nobis manifestior 212.b
 Resurrectio futura probatur à Paulo 279.a
 Resurrectio mortuorum probatur 152.a
 Resurrectio vera per manducationem probatur 79.b
 Resurrectiones beatorum Christi vestimenta representabant in transfiguratione 38.b
 Resurrectionem suam plurimis signis Christus manifestauit 160.b
 Reus iudicio, concilio, & gehenna ignis 11.a.b
 Rex de domo Achab nullus fuit, nisi in quartam generationem 2.a
 רמית Heb. cauponariam propriè significat, con-
 sequenter tamen meretricem 1.b
 רמית cibare significat: vnde רמית 1.b
 רמית Græcè verbum 110.b
 Romam appellandi oblata Paulo opportunitas 278.a
 Romani aduenæ & peregrini Ierosolymis 219.b
 Ruina à fide in hæresim nulla maior 121.b

S

Abbata dicebantur omnes dies hebdomadæ, præter septimum 71.a
 Sabbati iter apud Iudæos 216.b
 Sabbatum dies septimus, sabbata quæcunque festa, in quemcunque diem incidant 26.b
 Sabbatum secundoprimum quale erat 119.b
 Sabellij error circa personarum vnitatem 190.a
 Sacerdos summus indignus erat sacerdotio, nisi Messia prophetias agnosceret 99.a
 Sacerdos summus sciens vestimentum figurabat sciendum fore sacerdotium per peccatum sacerdotum 99.a
 Sacerdotes & Pharisei mandata Dei se seruire simulabant 48.a
 Sacerdotium vetus in passione Domini erat nouo mutandum 272.a
 Sacerdotum continentia non est Deo odiosa, quod plerique sacerdotum contra ordinis votum scortantur 34.b
 Sacerdotum officium 267.a. qui si mali fuerint, malos angelos esse necesse est 267.a
 Sacerdotibus dimittendi peccata potestas est commissa 267.a
 Sacramenta efficaciam habent ex lateris Christi apertione 210.b
 Sacramenta legalia quo animo Iudæi obseruabant 269.a
 Sacramenta legalia vmbra sunt futurarum 269.a
 Sadducei Phariseos & principes in Apostolos propter resurrectionem commouerunt 227.b
 Sadducæorum errorem confutat Christus 152.a
 Sadducæorum fabula super negatione resurrectionis & eius confutatio 92.b
 Sadducæorum hæresis circa resurrectionem 10.a.b.
 & eius confutatio ibid.
 Sadducæorum secta ex Iosepho 273.a. qui spiritum & angelum negant ibid.b
 Sal diuersis modis accipitur 140.b
 Sal dulcedinem sapientiæ signat 87.b
 Sal & Apostolos & prædicatores signat 10.a. qui salire non desinant ibid.
 Salim scatebram siue vulpem significat 170.a
 Salomon artem ad dæmones eiciendos diuinitus consecutus est 262.b. qui coniu-
 rationis & incantationis modos scripto reliquit ibidem
 Salomon figura fuit Christi 133.a
 Saluandorum sicut pereuntium tres sunt differentiæ 75.b

I N D E X.

Salus extra Christi ecclesiam absque fide nemini obuenit 20.b
 Salus in Christo reuelata 269.a
 Salus nostra dicitur Christus 108.b
 Salus per baptismi sacramentum ministratur 269.a
 Salutis præco Paulus 275.a
 Samaritana Christum absque miraculis non solū Iudæorum, sed & totius mundi saluatorem agnouit 173.b
 Samaritani cur non receperunt Christum in Ierusalem euntem 129.a
 Samaritani cur odio erant Iudæis 21.b. & 186.a
 Samaritani erant Assyrij in locum decem tribuum captiuarum missi, obseruantes tamen Moyfi Pentatheuchum 235.a.b. licet idololatræ essent ibidem b
 Samaritani Iudæis inuisi erant 171. b. quod deos colerent, & tamen quinque Moyfi libros legerent ibid. qui & ad mulieris vocem crediderunt 173.b
 Sanctificare interdum sacrificare 206.a
 Sanctificare nomen Domini quid sit 13.b
 Sanctificationis tempus quod dicatur 269.b
 Sancti an maiora miracula quam Christus fecerunt 200.a
 Sancti in celo pro vitis in mundo orant 144.b
 Sancti in cœlis orantur à viatoribus 234.b. & 235.a
 Sancti quomodo faciant miracula 222.a. & 223.a
 Sancti rogati sæpius pro nobis impetrant 35.b
 Sanctum dicitur Deo dicatum & consecratum 15.b
 Sanctum in lege Moyfi quid sit 206.a
 Sanctus Abelis quomodo requiritur à Iudæis 53.b
 Sanguis & aqua è latere Christi fluentes dant sacramentis efficaciam 210.b
 Sanguinis effusione pacta tam veteris testamenti, quam ethnicorum firmabantur, ita & noui, effusi sanguine Christi 62.a
 Sapiens sibi soli non vult dici malus, neque conuinci 92.a
 סקרן id est, euerro 141.a
 Saronam Græci vocant Assaronam 239.b
 Sathanæ regnum semper sæuum fuit in seruos Christi 251.a
 Saulus à Domino tactus, mitior factus furorem deposuit 238.a
 Saulus legem Dei adprime à Gamaliele edoctus erat Christianis supra modum infestus 237.b. cur non in vrbe, sed in via à Christo tactus est 238.a

Scandala necesse est euenire 145.a. & quomodo sit necesse ibid.
 Scandalizare quis dicitur 87.b
 Scandalum occasio lapsus & ruinæ 40.a
 Scandalum Phariseorum 35.a
 Scandalum plerique ex bono opere accipiunt 95.b
 Scapha quid 282.a
 Scenopegia quintum festum celebre Iudæorum 181.a
 Sceuæ filij exorcistæ pœnas dederunt publicas, agitante dæmone 263.a
 סכנא, tabernaculum, vmbraculum 181.a
 Scorpiones dirum animal 284.a
 Scorpiones inter manus lasciuientium puerorum innocui in Melita insula 284.a
 Scribæ & Pharisei quicquid Christus ageret conuertebant in malum 73.a
 Scribæ olim legis interpretes, nunc verò Euangelici prædicatores 32.a
 Scripta actorum Christi non perfectè intelliguntur 213.b
 Scriptura sacra in vulgarem linguam verteda non est 30.a
 Scriptura sacra non est passim omnibus vulgari lingua tradenda 45.a
 Scripturarum ignorantia ad multos deducit errores 92.b. & 93.a
 Scrupi varij in enarratione Stephani 231. b. & 232.a
 סרטא, infernus, fouea, sepulchrum 220.b
 סרטא Heb. סרטא Græcè, rubus Latine, ronce Gallicè 233.a
 Secta noua 285.a
 Secta vera Nazarenorum vnde habuerit ortum 276.a
 Sectæ inter Iudæos tres erant Philosophorum 273.a
 Sectæ Nazarenorum author Paulus arguitur 275. b
 Sectatores gratiæ nouæ 269.b
 Seculum vincere cupiens seculi delitias fugiet 158.b
 Securis dicitur Christi euangelium 114.a
 Seditiones multæ Felicis tempore 274.b
 Seditiones odio habuit Felix 275.b
 Seditiosus Paulus 275.a
 Semen terræ iactum in diuersa partitum 124.a
 Seminatores fuerunt sancti Dei prophete 173.a
 Sententiam iniustam tribunus tulit in Paulum 272.a

ἄρτο Heb. liber dicitur dignum memoria continens	1.a	Solus Deus quomodo dicitur pater	205.a
Septem diaconorum electio & officium	229.a.b	Spe præmij licet operari contra Lutheranos	44.b
Sergius Paulus primus à Paulo conuersus vnde nomen sumpsit	247.a	στυγερὸς, nugator, loquax, blatterator	258.a
Sermo à ferendo, & verbum à vero dicitur	161.b	Spiritualis in Paulo gratia	282.b
Sermo magis dicitur currere quàm perambulare	118.a	Spiritus diuini substantia homines latet	169.a
Sermo Pauli caret adulatione	279.b	Spiritus malus cur dicitur immundus	71.a
Serpentis ænei in deserto exaltati figura	169.a	Spiritus sancti gratiæ effectus	219.b
Seruorum malorum duo sunt genera	136.b. quorum supplicia sunt timenda	Spiritus sancti natura ab æterno cum patre & filio erat	183.a
Sicarij in Iudæa	277.a	Spiritus sanctus an daretur in baptismo Apostolorum in præsentia Christi	171.a
Sicarij, latrones quidam à fica gladio dicti	270.a	Spiritus sanctus cur dicitur digitus Dei	132.a.b
Sicera Heb. potus qui inebriare potest	104.b	Spiritus sanctus in Gentes ante baptisma descendit ad orationem Petri	242.b
Siclus valet quatuor drachmas	39.b	Spiritus sanctus post diaboli tentationem nobis semper adest	116.a
Sicut non semper omnimodam dicit similitudinem	13.a	Spiritus sanctus promissio patris appellatur	215.b
Sidonij multarum artium inuentores	281.a	Spiritus superior animi portio	63.b
Signa Ierosolymorum subuersionem præcedentia	54.a.b	Spongia est animal in mari degens	210.b
Signa Iudæis mirabilia prædicantur, nisi respiciant	36.b	Sponsus ecclesiæ Christus est	179.a
Signa necessaria erant vt Gentes ad veritatem cœlestium conuerterentur rerum credendarum	243.b	Sporta genus quoddam vas	83.b
Signa quæ Marcus addit, sunt gratiæ gratis datæ	102.b	Stabulum, hospitium seu diuersorium meritorium	131.a
Signum filij hominis crux est	56.b. quod terrori multis sit futurum	Stadium quid, & quid passus, miliare, & leuca	177.b
Simeon instinctu spiritus sancti cognouit Messiam in templum venisse, quo ipsemet in eodem spiritu venit	111.b	Stagnum Genezaeth est mare Galilææ	117.b
Simonix peccati poenam magis timebat Simon magus, quàm huius ætatis Simoniaci	236.b	Stater idem quod siclus, valens bis didrachma	39.b
Simon leprosus quis fuerit	60.b	Stella Christo statim nato magis apparuit	5.a
Simon magus à Philippo baptizatus volebat esse Philippo superior	236.a. petiit dandi sibi pro pecunia potestatem dandi spiritum sanctum	Stella visa est Magis tantum in Oriente	4.a
Simon magus poenitentiam simulabat	236.a. ad vitandam poenam Ananiæ & vxoris	Stellæ geminæ apparentes in nauï prosperi cursus sunt nunciæ	284.b
Simon Zelotes, qui & Chananæus, à Chana Galilææ	217.a. quare dictus Zelotes	Stellæ solæ apparentes in nauï periculum portentunt	284.b
Simonis magi vita ex diuo Clemente	235.b. Epiphonio, & Hieronymo	Stellam Christi cur Magi vocent	4.a
Sinus Abrahæ qualis sit	144.a.b	Stephani orationis virtus & efficacia	234.b
Sinus Dei patris est secretum eius	164.b	Stephanus in multis Iudæos taxat	232.b
Si, pro non interdum sumitur	84.a	Stephanus nunc plenus fide & spiritu sancto, nunc plenus gratia & fortitudine	229.b
Solius Dei est videre cogitationes	118.b	Stephanus post Christum per falsos testes iudicatus	230.a
Sol quomodo ante Christi aduentum obscurabitur	56.b	Stephanum cur Iudæi occiderunt	234.b. & quare extra ciuitatem
		Stoici à Stoa porticu dicti	258.a
		Stola omnis generis vestes significat, tamen longiores, vsque ad talos	93.b
		Stola vestis genus apud veteres erat ad talos demissæ	141.b

Studium vanæ gloriæ in Paulo nullum	269.a	Tentationes Christi quomodo factæ sint	8.a. & an realiter, an per visionem, an per illusionem ibidem
Sudaria quæ dicuntur	262.b	Tentationis effectus & finis	7.b
Superstitio quid sit	258.b	Tentationum tolerantia est solidissimum vitæ fundamentum	8.a
Supplicia cum diuite epulone timeant, qui pauperes despiciunt	144.b	Tentationum variæ sunt species	14.a
Sycomorus qualis arbor est	148.b	Terra mala tres habet malas condiciones	124.a. sicut bona tres bonas
συμβιβάζω, concordo, confero, ex diuersis collatis vnum elicio	239.a	Tertia dies nuptiarum in Cana Galilææ quomodo intelligenda	166.b. & 167.a
συμβιβάζω, conicio, coniecto, certior fio	255.a	Tertullus orator	275.a
Synagoga cum paulatim desineret, oportebat fideles extra eam fieri	187.b	Testamenti veteris & noui idem Deus	276.a
συναγωγή, congrego vel conuescor	215.b	Testimonium Christi de Ioanne	24.b
συγκλίω, deorsum inclinari & aspicere	138.a	Testimonium de Christo Paulus Romæ redditurus	274.a
σύνταγμα, volumen studio conscriptum & elaboratum	103.a	Testimonium Dei quomodo verum est, quod dixerit, si fero testimonium de meipso, testimonium meum non est verum	183.b
συντάσσειν, id est, studiosè aliquid componere & scribere	103.a	Testimoniū falsum contra Christū queritur	98.b
Syrtes solo auditu terribiles	282.a	Testi oculato magis credendum, quàm decem auritis	284.a

T

T Abitha an Hebraicè an Chaldaicè puellam significet, ignorant plerique	79.a.b	Ταλιθα कुमि, talitha cumi, puella surge	79.b
Talenta accepta multiplicans præmia inde ferret	58.b. qui verò multiplicare neglexerit, supplicia	Talenta sua diligentes ociosa esse non sinunt	58.b
Tarfus quare sic dicta vrbs Pauli	270.b. est & alia in Bithynia, & alia in Iuda	Tarvis fide dignus Paulus	279.a
ταρσομαι, morte & martyrio consumi, vel consummari	139.a	Tetrarcha, qui præest quatuor agminibus in vna regione	113.b
Telonium mensa est seu locus publicanorum	73.a	Thamar an excusetur à peccato	1.b
Templa materialia fideles ad orandum frequentant	47.a	Theophilus quis fuerit	275.a
Templi Ephesinæ Dianæ longitudo & latitudo	261.a. & eius conflagratio	θηρίον venenata est bestia	71.a
Templorum cultus propter hæreticos non sunt omittendi	61.a	Thomas an resurrectione dubitando peccauerit	122.b
Templum Ephesinum ab Erostrato incensum	264.a. sed aliud præstantius Ephesini extruxerunt	Thymiamatis siue incensi vsus duplex	104.a
Templum Dei tria templa denotat	47.a	Timore seruili grex reproborum sæpius afficitur	136.a
Tempora Octauiani & Tiberij generi sui	113.a	Timotheus Lystris cuius è Lycaonia fuit	254.a. quem Paulus circumcidit
Tempus refrigerij quæ dicuntur	223.b	à Paulo Ephesinæ ecclesiæ suffectus est	ibidem. qui demum à Paulo Ephesinæ ecclesiæ suffectus est
Tempus prioris prædicationis Pauli	286.b	Titus Ierosolymam obsidens illà muro circumdedit	216.b
Tempus totius prædicationis Pauli	286.b	Traditiones ecclesiasticæ non dicuntur doctrinæ & mandata hominum	34.b
Tenebræ dicuntur homines affectatæ malitiæ excæcati tenebris	162.b	Traditiones humanæ dicuntur à Christo, quæ re-cta aut obliqua cū Dei præcepto pugnam	34.a
Tenebræ in morte Christi miraculosæ	100.b	Traditiones Phariseorum non ex Moyse erant aut prophetis	34.a
Tentare nõ semper in malam partem sumitur	93.a	Transfiguratione suã cur Christus discipulis suis prohibuit ante resurrectionem reuelare	38.b
		Transfigurationis Christi mysteria	127.b
		Transmigrationem Babylonis cur potius dicit, quàm captiuitatem	2.a
		Tres Apostolos cur Christus secum in transfiguratione assumpsit	85.b
		Tres Apostolos tanquam cæteris præstantiores Christus assumere secum solebat	79.a

I N D E X.

Tria sunt hominum genera	146.b	Vestibulum est locus ante ianuam	72.b
Tribulationes in urbis Ierosolymorum excidio	55.b	Vestimenta Christi diuina quid significant	67.b
Tribulatio præcipua chorda est quæ trahit ad regnum	195.b	Vestimenta Christi, non latronum partiti sunt sibi milites 210.a. quæ fuerunt tria	ibidem
Tribunal Christi tremendum impiis	276.b	Vestimenta scindebant Iudei, cum quid sinistri illis accideret	65.a
Tribuni benefactum erga Paulum	274.a	Vestis nuptialis, charitas	49.b
Triclinium quid sit	167.b	Via fidei ducit ad regnum cælorum	262.a
Tristitia in Christo vera & naturalis erat	63.a	Victima sale salita vermis putredinem arcet 87.b. & 88.a	
Trophimus Ephesus Gentilis	269.b	Victus sollicitudo, sicut vestitus, non multum est curanda	15.a
Tunicam Christi non sciderunt milites, quæ designabat ecclesiam	99.a	Videre Deum quid sit	164.b
Turbatur Herodes Christo nato, turbatur & Ierosolyma, diuersa ratione 4.a. sed & omnes Ierosolymitani	ibid.	Videre pro audire, imò & pro quolibet sensu, etiã interiori	106.a
Tyrannus in bonam partem sapius accipitur	262.b	Vigilare non sufficit, nisi simul orationi instemus	63.b
Tyranni in prædicatores sine Dei permissione & prouidentia nihil possunt	23.b	Vigilias tres nox castrensis habet	136.a
		Vinctus tenetur Paulus ob fauorem Iudæorum	276.b
		Vincula Paulo fuerunt quiddam magna gloria dignum	280.b
		Vincula pro Christo Paulus non auersatur	280.b
		Vindicta in Iudæos, qui nuptias ingredi noluerunt, etsi inuitati & vocati	49.b
		Vindicta prohibetur Christianis	12.b
		Vindictam retribuet Deus vindicantibus	122.a
		Vinea domini domus Israel erat	151.a
		Vinea Iudaica quantum fuit Deo curæ	48.a
		Vinea patrifamilias, fructus & agricolæ	91.b. & 92.a
		Viperarum genimina cur Ioannes Phariseos vocat	114.a
		Virgines prudentes & fatuæ omnium fidelium & infidelium animarum distinctionem referunt	58.a
		Viris pacem, mulieribus lætitiã Christus imprecatur	212.a
		Vir prudens & pius Agrippa	280.b
		Virtus Dei in Paulo	284.b
		Virtus sola comes est defunctorum	135.b
		Virtutes cælorum quomodo mouebuntur	56.b
		Virtutem vnã cum coma augeri	269.b
		Virtutis via quæ sit	138.b
		Virtutum præcipuarum, fidei, spei, & charitatis Christus Phariseos arguit	133.b
		Vis & efficacia Euangelij	286.a
		Visitare quomodo Deus dicitur	108.a
		Vis verborum Pauli	276.b

V

Velum templi cur scissum est	101.a
Velum templi quid esset, & quid eius scissura significaret	68.b
Venire ad Christum quid sit	178.b. & 182.b
Venire post Christum quid sit	37.b
Veter interdum pro corde sumitur 182.b. & idem significat vterus	ibid.
Ventilabrum Christi verbum euangelij est	7.a
Verbi Dei contemptores grauior quàm Sodomorum pœna manet	22.a
Verbi Dei efficacia	224.a
Verbo Christi de Eucharistia non credentes, retrorsum in infidelitatem abeunt	180.b
Verborum Pauli vis	276.b
Verbum cur semini comparatur	76.a
Verbum Dei animam pascit	142.a
Verbum Dei auaritate suscipienti nil defuturum est	33.b
Verbum Dei cur prædicauit Christus & Apostoli ipsis Phariseis	15.b. & 16.a
Verbum Dei sancti & margaritæ nomine appellatur 15.b. quo indigni porci & canes dicuntur	ibid.
Verbum plura significat	106.b
Verbum pro quacunque re sæpe sumitur	7.b
Verbum triplex apud theologos	161.b
Verbum vt est Christus nimis indoctè dicitur sermo	161.b
Veritas Dei firma	283.a
Veritas fugit superbos, sequitur autem humiles	186.b

I N D E X.

Vita quæ non solum non nouit peccare, sed quæ nolit, regno Dei apta est	147.b	Vxore fornicaria dimissa non licet aliam ducere, nec vxori dimissæ alteri viro nubere	42.b
Vita tot delictis dedita futuræ gloriæ postponitur	195.b		
Vnguentum verum & fidele	194.a		
Vnus interdum pro singulari ac præcipuo die sumitur	136.a		
Vocatur plures ad regnum, ad salutem verò pauciores eliguntur	29.b		
Vocationis Gentium initium	241.a. & 243.a.b		
Vocatio Petri, Iacobi, & Ioannis	117.b		
Vocem Christi morientis multa sunt secuta mirabilia	101.a		
Voces sunt mentis indices	35.b		
Vocis Christi perpetuus effectus	62.a		
Voluntas Dei in terrenis fieri petitur, sicut fit in cælestibus	13.b		
Voluntas propria abneganda est, si diuinæ sit contraria voluntati	140.a		
Voluntatis nostræ operatio requiritur ad Dei in nos beneficentiam promerendam	163.a.b		
Voluptatis via Christus suos non vult incedere	16.a		
Vox Christi morientis cur altior fuerit vocibus cæterorum morientium	101.a		
Vox spiritus sancti qualis sit	169.a		
Vsura vilis pecunia tabernacula defunctorum acquirat æterna	135.b		
Vt, rei euentum interdum, non finem dicit	7.b		

Y

ὑπερέμνος, obsequiosus minister	103.a
ὕψος in compositione clam vel occultè significat	257.a

Z

Zachæus publicanorum princeps	148.b
Zachariæ linguam fides soluit, quam incredulitas ligauerat	108.a
Zacharias Ioannis bap. pater erat de tribu Aaron	103.a. sed & Elizabet vxor eius
Zacharias non immeritò dubitauit verba audiens angeli	105.a
Zacharias post prophetas typum gessit Iudæorum	105.b
Zelantes significat inuidia & odio cōmotos	257.a
Zenonij à Zenone philosopho, prius dicebantur Stoici	258.a
Zizania hypocritas & hæreticos significant	31.b. & 32.a
ζωρῶν, id est, viuos scilicet homines capiens	117.b
Zorobabel duos habuit filios	115.a
Zorobabel nomine duo fuerunt	2.a

F I N I S I N D I C I S.

NOMINA LOCORUM, URBIVM,
POPVLORVM, QVAE HIS IN
COMMENTARIIS CON-
TINENTVR.

A

Achaia Graeciae regio	263.b
Adria & Adriaticum mare	282.b
Adrumetis ciuitas	281.a
Aegyptus Asiae maioris pars	219.b
Amphipolis ciuitas	256.b
Antiochia duplex	243.b
Appij forum oppidulum prope Romam	285.a
Appollonia vrbs Macedoniae	256.b
Arabia triplex: vnde Arabes	219.b
Areopagus collis Martis, promontorium	258.a
Arimathea ciuitas, alias Ramatha dicta	101.b
Asia duplex, maior & minor	219.a
Affon nomen multarum urbium	265.b
Athenae ciuitas Atticae regionis	257.b
Arabia ciuitas Pamphiliae	251.b
Arorum vrbs Phalaestinatorum	237.b

B

Berrhaea ciuitas Macedoniae	257.a
Bethabara trans Iordanem	191.a
Bethabara triplex	165.a
Bethania castellum vbi situm	60.b. & 191.b
Bethania duplex	165.a
Bethlehem duplex	3.b
Bethphage viculus	46.a
Bethsaida ciuitas Galilaeae	166.a
Bithynia ciuitas Asiae minoris	254.b

C

Caesarea Cappadociae ciuitas, prius Mofacha dicta	261.a
Caesarea Philippi	127.a
Caluariae locus	100.a
Canda insula	282.a
Capharnaum ciuitas prima Galilaeae	8.b
Cappadocia regio Pontica	219.a
Cedron torrens	206.b
Chaldaea ad Mesopotamiam spectat	230.b
Chana, vicus Galilaeae	167.a
Charran oppidum Mesopotamiae	230.b
Chius insula	266.a
Corinthus Graeciae lumen	260.a

Corozaim oppidum Galilaeae	25.b
Cous insula	267.b
Creta insula: vnde Cretenses	219.b
Cyprus insula	243.b
Cyrene Africae prouincia, vnde Cyrenenses	219.b. & 229.b

D

Damascus Syriae fedes	38.a
Decapolis regio	78.b
Derba ciuitas Cappadociae	250.b

E

Elam, a qua Elamitae	219.a
Emaus castrum	160.a
Emnon oppidum	170.a
Ephesus vrbs clarissima	261.a
Esrom locus in finibus Iudaeae	1.b

G

Abbatha locus lapidibus stratus	209.a
Galaria seu Gallograecia prouincia minoris Asiae	254.b
Galilaea duplex	8.b
Gaza duplex, vetus & noua	236.b
Genezareth lacus siue mare Galilaeae	8.b. & 124.b
Gerafeni populi vnde dicti	18.b
Gergesa regio	18.b
Gethsemani praedium siue vallis	63.a. & 97.b
Gischalis ciuitas	239.b
Gnidus portus	281.a

I

Conium Lycaoniae oppidum	249.b
Iericho ciuitas vbi sita	148.b
Ioppe, nunc Iapha, vrbs Palaestinae	240.a
Iordanis fluuius	177.a
Iudaea vbi sita	219.a

I N D E X.

L

L ybia interdū Aphrica, interdū pars ei^o 219.b
 Lycaonia regio 250.b
 Lydda ciuitas Palæstinæ, Diospolis dicta 239.b
 Lystra ciuitas Cappadociæ: vnde Lystrij 250.b

M

Macedonia Græcię regio, Albania dicta 255.a
 Magdalum vrbs 83.b
 Meandrus fluuius Asiæ 261.a
 Mediã regio orientalis, à qua Medi 219.a
 Melita insula, eiusque situs 284.a
 Mesopotamia regio inter Euphratem & Tigrim
 mediã 219.a
 Miletus vrbs Ionie 266.a
 Mitylene vrbs Aecolica 265.b
 Mysia prouincia Phrygiæ 254.b

N

Naim ciuitas Galilææ 122.b
 Nazareth patria Christi 32.b

O

Oliueti mons, siue Oliuarum, propinquus vr-
 bi Ierofolymorum 216.b

P

Palæstina contra Galilæam & Samariam di-
 stinguitur 191.a
 Pamphilia Asiæ regio 251.b. eaque duplex 219.b
 Paphus ciuitas Cypri, eaque duplex 247.a
 Parthia regio orientalis, à qua Parthi dicti 219.a
 Patara vrbs Lyciæ 268.a
 Perea regio trans Iordanem 191.a
 Perge seu Perga Pamphiliæ ciuitas 247.b
 Phrygia Asiæ minoris regio 219.b. & 254.b
 Pisidia Asiæ minoris prouincia 251.b

Pontus regio septentrionalis 219.a
 Ptolemais vrbs Phœnicia 268.a
 Puteoli qui dicti 285.a

R

Rama locus in tribu Benjamin 5.a
 Rhodus siue Rhodos insula 267.b

S

Salamina insula in mari Euboico 246.b
 Salamis vrbs in Cypro, nunc Constantia di-
 cta 246.b
 Salmon promontorium Cretæ 281.b
 Samaria mediã inter Galatiam & Iudæam 191.a.
 eaque sumitur interdum pro ciuitate, interdū
 pro tota regione 171.b
 Samos insula in mari Euboico, nunc Samothracia
 dicta 266.a
 Sarepta vrbs inter Sidonem & Tyrum 110.b
 Seleucia ciuitas Syriæ 246.b
 Sichar vrbs Samariæ 171.a
 Sidon vrbs: vnde Sidonii 281.a
 Siloã fons ad radices montis Sion 187.a
 Sina mons in deserto Arabiæ 233.a
 Syrophœnicie pars Syriæ 83.a

T

Tarsus metropolis Ciliciæ 239.b
 Thabor mons 9.a
 Thalsassa ciuitas 281.b
 Thessalonica vrbs Macedonia 256.b
 Thyatira Macedonia ciuitas 255.a
 Troas ciuitas Asiæ maritima 254.b
 Tyrus Phœnicia vrbs 268.a

V

VR Chaldæorum ciuitas in Mesopotamia
 230.b